







1
2
3
121











XXXIV
WEST





DE TRIPLICI HOMINIS OFFICIO, ex notione ipsius Naturali, Morali, ac Theologica;

Institutiones orthodoxæ, contra Atheos, Politicos, Sectarios.

AVTHORE
ODOVARDO WESTONO ANGLO, S.T.D. et in collegio Anglorum Duaci Professore.

ANTVERPIÆ
Apud Ioannem Keerbergium.
Anno
M.DC.II.



ORNATISSIMIS

AC HONORATISSIMIS VIRIS ACADEMICIS OXONIENSIBVS ET CANTABRIGIENSIBVS,

Odouardus VVestonus virtutem, eruditionis incrementum, ac veram felicitatem precatur.



TAMETSI (viri excultissimi) terra mariq; à vobis disiunctus, & quod maius est, fidei professione atq; ipso sacerdotali ordine à vestris partibus penitus secretus, vos litteris cōpellare instituā: nihil tamē insolentis, importuni, præposteri me conari, aut vt dicitur, ἐκτος χόρου ὀρχεῖσθαι quispiam secum coniectabit: si vel qui sim, aut qualia studia mea esse debeāt, prius pro exploratis habuerit. Sum etenim natione Anglus, & ex Anglis parentibus Londini oriundus: cuius puerilis ætatis extrema, Oxoniensia excepêre gymnasia, & iuuentutem insecutam aliquot annorum curriculis politiori literatura ac Philosophiæ elementis informarunt. Durus essem profecto & impius prorsus, si tantam erga me patriæ dulcissimæ charitatem, memoriæ excidere paterer: si eius vtilitati, vel etiam gloriæ (si qua potero) incumbere negligerem: desidia siue ingratitudine aliqua impeditus, vel etiam alijs vitæ occupationibus auocatus, conatu meo Rempublicam illam destituerem. Cum enim (vt loquitur Cicero) patriæ tanta sit vis, ac tanta natura, vt Ithacam illam in asperrimis saxulis tanquam nidulum ædificatam, sapientissimus vir immortalitati anteposuerit; mirum non erit, si me teneat pa- *Cicer. l. 1. orat. & l. 2. de legi.*

triæ florentiſsimæ ingens deſiderium, in qua Londinũ, infantiæ meæ altrix, ſeſe effert pulcherrimum ferme totius orbis emporium, alteram oſtentat Chartaginem, cum externarum appulſu nauium frequẽtem, tum claſſe propria, quaſi natiuo præſidio inſigniter communitam: ædificiorum ſtructura, platearũ amplitudine, circuitus magnitudine, Regiæ & Senatoriæ curiæ Majeſtate, ſitus amœnitate adeo illuſtrem ac cõſpicuam ciuitatem ſe præbeat: vti in tanto ſplẽdore ac loci felicitate natura, ars, & fortuna decertaſſe videantur inter ſe cum inuidia: quid ornatius, pictius, aut etiam præſtantius illarum aliqua in eo opere excitando Anglis conferret. Cuius animum amore non pulſarent pinguia illa arua & frugifera, aurea plane gleba, gratiſsimi cæli ſerenitas, rerum non tam ad neceſsitatem ſatietas, quam ad voluptatem exuberantia, incolarum elegantes, facillimi, ac comptiſsimi mores, ingeniorum vis incredibilis? Hæc ſane dum mecum tacitus reputo, exilientem & currẽtem me reddunt ad omne genus officij patriæ amantiſsimæ ac nobiliſsimæ exhibendum.

Ouid. lib. 1. de Põt. eleg. 4.

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

Quod ſi Athenas veſtras Oxoniũ & Cãtabrigiã cogitatione in animo aliquãdo depingã: admirabilis quidã pietatis ardor pectus meum ac ſenſus omnes ſtatim ſolet exinde inceſſere, & merito. Pulcherrima quãdoquidẽ illa Muſarũ palatia, Regio ſane ſumptu magnifice cõſtructa & exornata: (cuiuſmodi nec Europa reliqua bonis litteris vnquã conſecrauit domicilia) prudentiſsime cõſtitutæ leges ad Academicorũ mores recte inſtituendos, ac eorundem in re litteraria conatus promouendos aptiſſime excogitatæ methodi, idonea deniq; ad victũ requiſitorum ſuppeditatio: ſicut maiorũ noſtrorũ ſummã ſapientiã, & auguſtã plane munificentiã teſtãtur & loquũtur: ita quoq; eorũ animos mirifice afficiunt, qui collegiorũ hæc decora & ornamenta veſtra norunt, imo qui vel fama tenus de illis aliquid perceperunt. Multo autem acrius eos commouent ſtudio cultus iſtius ex officio quidem debiti, ad

quos tanta beneficia iure quodã hæreditario ſpectare cẽſeantur: è quorũ numero me vnum eſſe profiteor. Sat ſcio, quod ſi fundatorũ (quorũ animas cælum beatas ſuſcepit) ſententiæ exquirerentur, aut ſanctiones Academicæ in archiuis veſtris ſeruatæ excuterentur, nihil illorũ me ſpatijs illis exacturũ, quod Romanus, vel quod Romæ ſacris eſſem initiatus: aliquãdo etenim ædes illæ veſtræ, non niſi huiuſmodi inquilinos exceperunt & hoſpites. Catholico nomine imbutus pater meus Guilielmus Weſtonus in Collegio Lincolnienſi Oxonij iuuenis litteris operam nauauit primum, mox Londini inter regni nobiles in æde Lincolnienſi Angliæ legibus addiſcẽdis incubuit. Eiuſdem quoq; Oxonienſis Collegij Hugo Weſtonus Rector ac moderator extitit aliquãdo prudẽtiſſimus, S. Theol. Doct. percelebris, Decanus Weſtmonaſterienſis, & ſectarijs Philippi ac Mariæ Regum temporibus infeſtus admodũ, & hoſtis eorum iuratus: Patruus meus magnus, noſtræq; Proſapiæ lumẽ haud mediocre. Catholicus ſum, nõ abnuo: hãc etenim fidem ſimul cum matris lacte inſuxi: eandẽ auus meus Ioannes Storæus, in procerum comitijs proloquutor, ac in hæreticam prauitatem vnus ex primarijs inquiſitoribus, legumq; Doctor, martyrio, & pater perdecẽ ferme annos incarceratione ſtrictiſsima, demũ bonorũ diſpẽdio feliciter conſignarunt: quam ego nunc calamo (vti potero) illuſtrare, adſtruere, ac nobilitare aggrediar. Sacerdos ſum etiam, idq; Romæ in ſacerdotũ collegiũ coaptatus. Quod quidem nomen non ad ruborem, ſed ad gloriã potius mihi cõtigiſſe animaduerto: quippe in quo vitæ caſtimonia, rerum diuinarum notitia, myſteriorum diſpenſatio, & quod in humanis ſummum eſt & palmare elucent ac reſplendent. Non tamẽ quod Romanus aut ſacerdos ſim, veſter eſſe iam deſij Academici. Nam qui vos primitus ab ignoratione Dei, ac idolomania tetra ad Chriſti fidem, à vita efferata, ad cultiſsimam morum diſciplinam, ab extrema rerum inſcitia, ad exquiſitam ſcientiam traduxerunt: ij ſacerdotes atq; Romani fuère. Quo quidem tempore Lutheraniſmi aut Caluiniſmi zizania nedum ſatanas ſparſerat,

Sander. lib. 7. viſi. monarch. Geneb. li. 4. crono. Sur. lib. comp.

ferat, neq; hucusq; Lutheri aut Caluini immanes sectæ in aliquã exteram nationem Christi nomen simili gloria inuexerunt, & quidem magistri ac Apostoli vestri tales olim extitere, adeo vt nihil tam vestrum sit quam sacerdos & Romanus: quemadmodum Romæ innatum & infixum pœnitus videtis, in nostram Angliã semper se beneficã præbere, liberalem, ac omnino salutarem.

Cum itaq; ad munus meum spectare intellexerim vestris commodis sedulo inuigilare, (viri Academici) & ad splendores illorum, qui antiquitus scholas vestras ac rostra triuerunt, constantes radios aut saltem pereuntes scintillas conferre: quoquouersus animo circumspexi meo, ac libratis concilijs sæpius mecũ inquisiui, quonam scholastico demum labore, aut argumenti genere, aptius & melius potuerim nominibus vestris gratificari, ac de vobis (quod vehemẽter cuperem) bene mereri. Vtinam autem vllis meis sudoribus, vel etiam sãguine ipso, salus, honor, ac emolumenta vobis tandem aliqua cõstarent. Scio equidem beneuolentiæ progressiones nõ nudis verbis definiendas, sed rebus ipsis debere esse expressas atq; illustres. Nam Isocratem amico dixisse reperi: την εὐνοίαν την πρὸς ὑμὰς, ἐν τοις ἐργοις ἐνδείχνυσθε, μᾶλλον ἢ τοῖς λόγοις nihilosecius quod mihi exuli, ac cæteris fermè denudato, cum animo ad omne obsequium parato (ξενίων autem θύμος ἄριςος) mentis notiones ac styli descriptiones solæ suppeterint: (quas etiam ad rem vestram magis facere intellexi, quàm aliud quoduis, licet amplum & profusum beneficij donatiuum: si vel Cleopatræ vniones à me in sumptus impenderentur) nihil prius aut antiquius in votis habui, quàm opus aliquod litterarium vestrarum Achademiarum authoritati inscribere: vnde cum studiorũ meorum ac peregrinationis vobis rationes apparerent: tum vtilitas aliqua vestra ac delectatio simul emanarent.

Isocrates Nicod.

Plin. lib. 9 hist. nat. cap. 35.

Quinquennium itaq; Ioannis Casi (viri inter vos nominatissimi) disciplinæ traditus, Oxonij in artiũ studio cum posuissem: flagrãte odio sectariorum eo loci rerum summam obtinentium in auitam & orthodoxam fidem; vti hanc pretiosissimam feli-

citatis

citatis meæ tesserã, quam ab infantia (mihi Numine propitio existente) castissime seruaram, deinceps saluam & illibatam in reliqua vita custodirem: nouemdecim annorũ iuuenis solum vertere coactus, ad Rhemense Anglorum exulum Collegium, atq; eiectorum littus gratissimum in Gallia concessi: ibi paucis mensibus subsistẽs, Italiam mox petij, & vastissimis itineribus emensis, Romam virtutis magistram, religionis asylum, eruditionis Parnassum, orbis caput, felicibus tãdem auspicijs appuli. Quam quidem vrbem (Anglicani seminarij Pontificia in nostrates charitate in ea erecti alumnus) spatio ferme septem annorum parentem habens, tanto quoq; tempore in florentissimis illis scholis collegij Romani (quas ex omnibus orbis partibus Romam confluentibus aperiunt religiosi patres Societatis nominis IESV, illasq; suorum cultissimis ac lectissimis ingenijs excolunt & exornant) Philosophicis ac Theologicis cõtento, & acri quodam studio operam nauaui. Absolutis demum ac decursis illorũ studiorum spatijs, in Italica ciuitate Montis Regalis, vt verbis vtar Honorarij mei diplomatis *more illustrium*, Theologiæ laurea donatus, Rhemos reuertor: paulo post Duacum proficiscor. Quibus in sedibus nostri transitus, expleui iam in professione Theologica annos nouem, & eo amplius quod excurrit. Habetis istis (viri ornatissimi) cum exilij mei limitibus, conatuũ quoq; meorum circuitum, distinctiones, moras, periodum, omnia deniq; mea fidelissimè contestata.

Locorum autem hi disiunctissimi tractus, temporũ intercapedines, ac moræ diuturniores, imo neq; studiorum meorum rationes, quæ molitionibus vestris dissimiles ac planè aduersæ extitêre, efficere potuerunt vti natiuum erga vos amorem alicuius iniuriæ cogitatione reprimerem, aut memoriã vestri semper vigẽtem ac virentem obliuione vlla infuscarem. Quinimo in medijs ac difficillimis negotijs, in ipso æstu iratæ fortunæ, cum animo sæpius reputaui meo, de modo aliquo conferendi muneris à me ineundo, qui cum desiderio meo, tum etiam vestro cõmodo

plenius

plenius ſatisfaceret. Digeſto tãdem cõſilio, quatuor iſtis poſtremis annis, ſubciſiuas horas furtim arripiens (quotidianæ namq; in Theologia, præſertim ſcholaſtica prælectiones, quibus ſeuere ac rigide diſtrictus fui, otium huic operi liberalius non conceſſerunt) paucis elucubrationibus de triplici hominis officio inſtitutiones orthodoxas deſcripſi, illaſq; nunc ad exitũ deductas, vobis Achademicis dico, ac veſtris longè accuratiſsimis iudicijs lubentiſsimè exhibeo: eo beneuolentiorem à vobis cenſuram expectans, quod non appetitus famæ, vel lucri alicuius auida expectatio, ſed veſtri ſincerum ſtudium, atq; amor integerrimus eaſdem expreſſerint, ac in lucem extulerint.

Vnum tamen eſt quod diſsidium facit ac diuortium, acceſſu & additu ad fauorem veſtrum me prohibet, illudq; grauiſsimũ eſſe haud diffitebor: fides nimirũ, quæ nos latiſsime diſcriminat. Hæc ſanè ſi vera fuerit, πρῴρα καὶ πρύμνα eſt humanæ vitæ, Cynoſura, ac eius fidiſsima ductrix ad beatitudinem: ſin falſa & fucata, vehemens quidam flatus ad Syrtes, ad ſcopulos, ad naufragiũ, ad Stygen, ad infernum. Ignoſcite mihi (ornatiſsimi viri) ſi hac in re culpam vobis adſcribam: ad hoc etenim me cogit amor, cui etiam in errorem impingenti venia concedenda. Quod namq; elegantiæ, ac veluti coloris in vobis cura me tangat, terſum hoc ſpeculum, ac cryſtallinum planè veſtris obijciendum oculis nunc curaui, in quo fædas illas maculas gloriæ veſtræ à Luthero ac Caluino illatas deſpiceretis: quas ſi aliquando inſpectas habueritis, (ab ingenio vos ita cultus, atq; nitoris ſtudioſos intelligo) quantocius eluetis, florentem illam ſpeciem, formã natiuam, atq; verè Anglicanam priſtino ſuo decori reſtituetis. Ne autem ſententia mea atq; iudicio, de hac nominibus veſtris externorum quorundam maleuolentia adiecta labe falſus eſſe videar; recolite mecum obſecro eorum memoriam, qui munificentia ſua hæc Academiarum præſidia vobis primũ decreuerunt, qui vos in hac luce ſcientiarum, ac quiete literaria ſuis ipſorum curis ac impenſis collocarunt. An non gratiſsima & planè aurea tantorũ beneficiorum

recor-

recordatio ſenſus veſtros placidè ſubibit? Imo ſcio ingenitã vobis animorũ nobilitatem, repetitionem hanc effecturam iucundiſsimam, ac lõgè ſuauiſsimã. Arceſſam itaq; ab initijs ſuccinctè Oxonienſis imprimis Academiæ progreſſus.

Pompa hæc vniuerſa Collegiorum ſpectabilis, ac fama celebris, omnium conſenſu in Alfredum ſeu Aluredum Regem primum authorem recurrit. Hic etenim Grammaticis, Philoſophis, ac Theologis ſeorſim propria ac peculiaria gymnaſia conſtituit, in quibus ad Sacerdotium promouendi (vti ſacrũ munus melius obirent) literis prius rite inſtituerentur. Egregius princeps (haud leuiter etiam ipſemet literis tinctus) pati non potuit, vti temerario auſu rerum diuinarum ignoratio, quæ & mores quoq; effundere ſolet laxiores, irrumperet in ſacrarium: proinde aſſumendos in ordinem ſacerdotalem literatura eaq; ſolida atq; expreſſa imbui pius rex prouidè ſategit. At quam Alfredus iſte fidem excoluit, à Deo excitatus in ornamentum patriæ noſtræ, atq; Sacerdotum gloriam? abſq; dubio Romanam. Hic etenim vſq; adeò addictus fuit D. Gregorio magno, (è cuius ſumma Pontificia authoritate, ac eius immenſa planè in Anglos charitate, nõ diu ante noſtræ inſulæ ad Chriſtũ adiunctio profluxerat) vti tametſi imperij grauiſsimis præpeditus occupationibus, illius Paſtorale & Dialogos in ſermonem vernaculũ, quo ſuis vſu eſſet familiariora, verterit, & authographon ipſum hodie extare apud vos intellexi. En principem veſtrum ſacerdotũ emolumentis ſtrenue incumbentem, Romani Pontificis dictis atq; ſententijs illis ſedulo inhærentem, quæ maximam partem inter nos ac ſectarios controuerſarum modo quæſtionum dilucide definiunt, ac nobis in hac concertatione veriora adiudicant. Ne ſomniauit quidem præclarus iſte literarum Mecænas de inſtitutione miniſtrorum, aut de illius popularis mẽſæ Cærialibus ſacris. Nulla rotundi pilei aut hirſutæ barbæ forma oculis eius obuerſabatur. Nihil ſane cogitauit de plebæa iſtorum vita, de rebus vxorijs, quibus Humphredus, Ielderus, Colus, Culpaperus, Mathæus, Iemſeius, Hol-

Polid. virg. hiſt. Angl. l. 5. Cambd. Oxon.

Polid. virg. ſup. Bonauẽ. Vulcã. in Paul. Diac. Bib. Cãt. Pub. volum. 255. Bib. Coll. Benedict. Cantab. vol. 270.

landus (proh nefas) castissima illa Musarum adita profanarunt. Adeo magnificum impendium superfluum omnino fuisset dispendium: profusio illa sumptus incassum & inane delata, si talium vsibus ac veneri pulcherrima & florētissima illa gymnasia donata extitissent. Richardū quoq; Angliæ Regem, Henrici secundi filium, agnoscitis in vos patronum liberalem. Hic autem à Balduino Antistite Cantuariensi more sacro ac religioso principum rite inauguratus, fidei Romanæ propagandæ studio ita exarsit, vti crucis formam (qua Hierosolymitani milites se consignant) purpuræ suæ inferens, lōgissimam in Siriam profectionem ad expugnādos inibi Saracenos susceperit, ac felicissime tandem perfecerit. Confluxerunt statim ad amplificanda spatia vestra Episcopi quidam nostri, non comitiorum mandato ciuili constituti, sed iure plane pōtificio sacrati. Gualterus Merton Rofensis, Gualterus Stapletonus Exoniensis, Simon Islep Cantuariensis, Guilielmus Wichamus Wintoniensis, Richardus Augeruile Dunelmensis, Richardus Flemming Lincolniensis, Henricus Chicheleius Cantuariensis, Guilielmus Wanfletus Wintoniensis, Guilielmus Smith Lincolniensis, Richardus Fox Wintoniensis, Thomas Wolsæus S.R.E. Cardinalis. Eiusdem quoq; professionis assertores acerrimi extitēre, qui Academiam Cātabrigiensem condiderunt. Cantabrus Hispaniæ Rex, tunc temporis in Anglia exulans, Sebertus Orientalium Anglorum Rex, Hugo Balsham Episcopus Eliensis, Margarita Rithmundia Regis Henrici septimi mater, & alij quamplurimi, quorum catalogū nuper cōtexuit Camdenus. Et quidē hos omnes cura solicitos habuit, vti ipsorum sumptibus, moribus candidi, fide autem Romani essetis. At crimen fortasis parentibus vestris, idq; superstitionis aut infidelitatis affingetis. Ingratitudinem video, at iudiciū Academici exactius in vobis requiro. Male sane res illis successisset, si operum stipendiū infamiam hāc expectassent, neq; à Deo quidpiam præmij interim recepissent: Corrigendum absq; dubio iudicium hoc teterrimo errore deprauatum. Quæ enim obsecro

Camdē. sup.

Nubrigē. lib. 4. cap. 1.

Middendorp. li. 3. Academ.

Camden Iceni.

coniectura aut ſuſpitio vobis eſſe poterint, quibus arbitraremini ſacrorũ intelligentiam heroicos illos præſules effugiſſe? An non literis excultiſsimi, an nõ ſummis præditi ingenijs, qui tam prouide & ſapienter (vti ipſi agnoſcitis) leges Academicas vobis tulerunt, an non vitæ integritate puri & conſpicui? Simplicioribus ſane imponitis ac rudibus, dum illos ſuperſtitionis inſimulatis, fabella eſt hæc miniſtrica, mulierculis ſuis vix probabilis, aut mente captis homuncionibus conſona. A temporibus enim Buceri & Petri martyris apoſtatarum, qui academias veſtras fœdo dogmate & conſtuprato iudicio funeſtarunt, ne vnum quidem hactenus extuliſtis, qui cum illorum infimo, quantũ ad doctrinam aut actionum claritudinem, conferri queat. Segnities modo ab illis intentas contentiones litterarias diſcuſsit, luxus ab illis decretam parſimoniã abdicauit, diſſolutio ab illis ſtrictos ac continentes deſignatos mores diſsipauit, ſpectatam ab illis Theologiæ ac Philoſophiæ exquiſitã ſcientiam extrema inſcitia profligauit: nihilominus de illis, de veſtris inquam parentibus, de patriæ noſtræ ornamentis iniquiſsimam ferre ſententiam non erubeſcitis! Splendores nunc veſtrarum Athenarum cõtemplemur, quibus conſpicue inclaruerunt, quando Romano Pontifici ſeſe Academici dimiſerũt, atq; illius ſacroſãcto imperio legitime obtemperarũt: indeq; videbimus, quibuſnam inſtituendis voluerit Deus illuſtria illa collegiorum domicilia à fundamentis excitari.

Ea aliquãdo doctrinæ opinio atq; gloria apud nos illuxerunt, vti non priuatis ſolum regni noſtri commodis abunde inde ſatiſfactum fuerit, verum & aliæ quamplurimæ nationes vberrime eruditionis ſuæ haurirẽt incremẽta. Alcuinus Doctor cum primis Catholicus & orthodoxus, à Rege Merciorũ Anglo tranſmiſſus in Galliam cõſiliandæ amicitiæ cauſa cum Carolo Magno Gallorum Rege, ob famam doctrinæ benigne & honorifice exceptus, tranſactiſq; negotijs Academiæ Pariſienſi ex optato eiuſdem Caroli præficitur, quam ſane mirifice poſtea illuſtrauit, & eius parens omnino extitit. Vnde Euſtachius Prutenus:

Polid. virg. lib. 5 hiſtor.

Card. Sabarel. Petrus Anchoram. in Clem. 1. de magiſt.

Ecce senex quidam, varijs agitatus ab Austris,
Attulit optatos in loca galla pedes.
Nomen adhuc memini, quamuis cariosa vetustas:
Alcuinus meritum posteritatis habet.

Deinceps Alexander Halensis vir absq; dubio doctissimus ijsdem Parisiẽsibus, optimæ methodi ratione vsus, Theologica neruose tradidit. Discipulum iste habuit magnum illum Bonauenturam, qui Italiam postmodũ nobilissimis suis scriptis exornauit. Quocirca Angliæ quoq; aliquid exinde debebit florentissima illa Italia: prius etiam ex alumnis venerabilis Bedæ, quidam Papiam transmissus, Italis bonarum literarum scholas ibidem aperuerat. Demũ Ioannes Scotus, quem Oxonij Martinionense collegium aluit, vir quidem celeberrimus, & ingenij sui monumentis non nisi acutis conspicuus, Academiam Parisiensem prælectionibus suis plurimum nobilitauit: adeo vt Coloniam Anglicanã dicere possimus doctissimas illas Parisiensium scholas. Exorta postmodum nefaria hæresi Wicleffi, dictu incredibile est, quot & quanta ingenia cum Oxonij, tum etiam Cantabrigiæ floruerunt: Argumentum iusto volumini eorum operum memoria ac repetitio sola suppeditauit. Thomas sane Waldensis, vtriq; Bachonij, Occhamus, Mediauilla, Lincolniensis, Godamus, Burlæus, & innumeri alij, in scholastica literatura (si vim intelligentiæ atq; subtilis inquisitionis aciem spectemus) superiores non habuerunt. Omitto quamplurimos alios, qui exactissimis suis cõmentarijs scripturas explanarunt, quorum nomina aliqua recenset Sixtus Senensis, & suæ Bibliothecæ inseruit. Illorum autem & aliorum multorum scripta in Bibliothecam Oxoniensem, veluti in communem thesaurum congesta, inuidiosa, rudis, ac barbara hæresis nupero incendio, & post illud Diocletiani, grauissimo deuastauit. Qui autem his nostris exulceratis temporibus magistelli in illorum sedes inuaserunt, quales se probauere demum, quibus monumentis ex-

Middendorp. li. 3. Academ.

Ram. schol. Phys. pref. li. 8.

Sixt. sen. l. 4. Bibl

Isingren. Catalog. Thom. Iam. Bib. Oxon. & Cantab.

teris

teris nationibus testatam reliquêre in rebus literarijs notitiam suam, qua fama eorum nomina, qui nunc superstites sunt, in orbis varijs partibus increbescunt? Superbia omnia dedecorosa ignoratione pessundedit: elingues hæc Academias illas effecit, aliquando sonoras & vocales, moribus fluxas præbuit, seueriori aliquando disciplina excultissimas, inscitia obrutas, quasi sepulchri molem, aut deflagratæ Troiæ cineres ostendit, omni scientiarum genere aliquando florentissimas. Furor Arabicus Græciam, hæresis autem Angliam exscidit, corrupit, funestauit. Si quis ex orthodoxis Philosophici aut Theologici, vel reconditi aliquid inter eos modo protulerit, animis suspensi, veluti præstigias id omne demirantur: nihil quidem eius mente percipiunt, & eo nomine fastidiunt, quod illis ingenium desit ad intelligendũ. Qui luculentius Bartholomæo à Medina, Dominico Bãnes, Cardinale Bellarmino, Gregorio à Valentia, Ludouico Molina, Francisco Suarez, Gabriele Vasquez, Theologica vnquam pertractarunt? sectarijs tamen Anglicanis, hi non Romani, sed Arabes plane esse videntur: proinde falsam sententiam illis semper imponunt, dum in eos frigide & rediculε more suo inuehuntur. Illorum autem scriptiunculæ, quæ paucæ admodum sunt, & perquam raræ, (ex diuino beneficio vt agnosco) nobis orthodoxis Anglis ruborem plane adferunt: atq; vehementer dolemus, quod communis nostra patria ita illis scholas obtinẽtibus iam defloruerit, necnõ discruciamur acerbe, dum videmus eiusmodi leuissima ex illis gymnagijs olim celeberrimis scripta temere & inconsiderate erumpere. De fidei altissimis mysterijs, vtpote de Augustissima Trinitate, de Christi Domini incarnatione, nullus illorum adhuc enucleate disseruit, in scripturas commentaria nulla ediderunt, quæ orbi innotuerint, imo neq; politiorem literaturam egregio aliquo opere iam à multis annis seu potius sæculis ostentarunt. Quid Iuellus? an non infinitis mendacijs prodigiose onustus asellus? Quid Foxius? impudentissimus sanè blatero, qui cuiusdam

immanis libri mole, massam quandam & congeriem omnis generis Hæreticorum ex varijs incendijs in campo fabrorum Londini emmersam celebrauit, ac poëmatibus festiuam reddidit ciuibus suis. Quid Laurentius Humfredus? bis puer & delirus senex, qui ita studiorum suorum tempora partiuit, vti antemeridianis horis dictionario, pomeridianis vero cãtharo incubuerit: atq; ita armatus Bacchicus in nos orthodoxos lepide insilire voluit, sed ineptissime. Quid Witacherus? illo audacius nihil, aut in rebus Theologicis indoctius, tenebris & obliuione sepultus homulus. Quid demum Ioannes Rainoldus, qui corporis morbum & podagram tam serio ingenij obtendit tarditati; qui post inanes voces in schola Oxoniensi effusas, furore quodã percitus in idololatriã nuper seuissime visus est incurrere, & Georgij Cappadocis equum, sessore intacto, stimulis dirissime exagitare? Audiui opus illud infeliciter coalitum, cum propter styli horrorem, tum etiam falsitatem, leuitatem, sententiæ absurditatem, & in citandis orthodoxorum testimonijs malam indoctamq; fidem, ipsismet sectarijs vehementer displicuisse, atq; authori ipsi dedecus attulisse. Facile credo: nam hic apud nos risum mouet indoctus ille atq; incõditus, nisi quod ludicris suis recreationes nostras cõdat. Misero satin' audaci ala in illustrissimi Bellarmini Phæbeos inuolare splẽdores? Cicada cum sit in minutulo ac detõso gramine saltitans ac garriens; præfracto orationis ab vno argumento in aliud cursu ridicule se intorquere? Nec est sane quod quis me in illum plus nimio exasperatum iudicet, ideoq; affectui indulgentem, iustæ reprehensionis modũ scripti acrimonia excessisse: Enimuero hominem quod sciam nunquam oculis cõspexi, neq; me vlla ab ipso punctum iniuria fateor, præterquam quod pessimo suo dogmate: quid dicam suo, cum ad id ipsi nec satis adsit ingenij? sed Caluiniano, Romanam fidem sategit funestare, & communem orthodoxorum causam labefactare. Iudicium quod profero sincerum est, verum est. Libellum eius perlegi; tametsi propter indigestam molem & farraginem, ac subinde frequentes

Ineptus iste finxit Romanos nomine D. Georgij colere Georgiũ qui inuaserat Alexãdriæ in sedem Athanasij lib. 1. de idol. ca. 5. para. 21.

ad alia atq; alia digresſiones,(quod res eſt,candide dico) vt ſatyri ſaltus obſeruarem, ex fronte nimis acriter contracta, intentoq; mẽtis oculo, haud abſq; capitis dolore: in quo in eam debacchatur religionis partem,quam Romani ſanctis impendũt. Quid tãdem? rabidas fictaſq; abſq; omni methodo conglomerauit hiſtorias,plurima mendaciter retulit,multa impie diſſeruit: ad veram ac ſolidam Theologiam nihil, aut ex ingeniorum arcanis quicquam effutiendo induxit. Excultiſsimi autem,iuxta ac purpuratiſsimi illius Cardinalis, etiam vti modo colendiſsimi Domini, ita olim præceptoris mei celeberrimi præfatio, à Rainoldo recenſita,quam aureis nitidiſsimiſq; verbis ſuccincta vndiq; & inſignita, quam graui ſententiarum pondere librata, quam ad plenam intelligentiam explicata! Vere ſane Romanus orbem docuit cũ Romane loqui,tum Romane,hoc eſt robuſte ac viriliter, diſputare. Quæ autem ſub nomine Rainoldi in paginas inferuntur, quam intorta,quam fracta,quam aſpera ad ſenſum,quam implexa ad verum, quam prodigioſe falſa! Verba eius,haud verba,ſed auriũ verbera, dictione Sarmata, ſtudio vaniſsimus,ſecta phanaticus. Si mihi à grauioribus tempus aliquod vacaret, leuiſsimo negotio puritanulũ illum in iocos & ſales contererem. Reliquos vti Bilſonum Hamnerum pertranſeo, quaſi obſcuros, ac vernaculi ſermonis ſtrepitu ruſticis & quæſtuarijs, ſolum notos. Nolite obſecro Academici ſuſtinere diutius hanc ſpatijs veſtris illatam infamiam, diſpellite Cimereas haſce tenebras, abigite truncos illos, qui ſine argumento eruditionis, laciniosa veſtis ſola pompa inflati, Phariſæorum inſtar, roſtra illa doctis conſtituta faſtuoſe ſcandunt; diutius non ſinite (quod cum aliæ Chriſtianæ orbis partes in luce Philoſophiæ & Theologiæ verſentur, ac in eis ſuam vnuſquiſq; egregio aliquo opere patriam certatim condecorare conetur) vos ita in extrema ignoratione contubeſcere, neq; interim Anglum domi ſuæ aliquid Anglia dignum in publicum emittere. Hoſtes illos habetote, qui orthodoxorum libros arcent à conſpectu veſtro, qui eos flammis abſumunt,quos

ingenio nequeunt superare: qui toties à nobis expetitam pugnam trepide defugiunt, veriti ne legitima concertatione res ipsorum perditæ, proditæ quoq; tandem euaderent.

Quod etiam Romanæ fidei aliquando ab Anglis susceptæ veritatem grauissima ratione adstruere videatur, deducitur ab imperij magnitudine, peritia ac fortitudine nostratiū in rebus militaribus, quibus aliquando orbi inclaruerunt. Hæc etenim religio illibata, non ficta aliqua superstitio, procul dubio in insulam nostram primum induxit. Notissimum autem est Richardū Angliæ Regem Cyprum insulam Catholicorū armis cepisse, Messanamq; in Sicilia expugnasse. Hic idem Richardus copijs suis Syriam peruadens, Austriæ Ducem secum habens stipendiarium, Saladinum illum Christiani nominis teterrimū hostem sæpius in acie fugauit, à Turcis captas ac direptas quamplurimas ciuitates Christianis restituit. Ad hæc autē egregia opera exantlanda excitabatur pius Rex precibus Clementis Romani Pontificis, qui per litteras deploratum Asiæ statum illi sæpius significarat. Atq; vt de inuictis Anglorum animis in conflictu contra immanes ac barbaras nationes, vigente penes nos Romana fide, vel ab externis testimonium petamus: fatetur Theuetus se ex historijs nunquam deprehendisse gentem Anglo Marte ferociorem, obstinatius pugnantem, aut felicius vincentem. Vicinam nobis Galliam nostri aliquando occuparunt, & præclarissimum illud regnum annuo tributo diu vectigale obstrictū habuerunt. Quibus prælij euentus adeo feliciter cessit, vti semper firma expectatione victoriæ (quam in oculis perpetuo habere pugnantes videbantur) exciti eorum animi, in Gallos intrepide & expedite bellum susciperent. *Anglis omnibus (inquit Philippus Cominaeus) est quædam animi incitatio, & alacritas naturaliter innata, bellū in Galliam inferendi.* Nisi quod Gallis supra modum vafricie compositis, vel nobis facilioribus ad fidem & simplicioribus existētibus, ea colloquijs amiserimus, quæ ferro acquisiueramus: illi Mercurio, nos Marte superiores. Adiunctis itaq; Gallijs Anglicanum imperium mirifice

Nubrig. l.4.c.18.

Polid. virg. lib. 14. hist.

Cosmog. vniuersel le. l. 16. cap. 2.

Paul. Iou. li. 11. Edoar. 3.

Phil. Cō. li. 8. comment.

Phil. Cō. li. 4. comment.

Grafton erō Edoard. 4.

fice

fice exercuit. Vnde Geraldus quoq; noster in commentaria referens quæ Angliæ pepererat bellica vis Henrici secundi, hæc intulit: *A Pireneis montibus vsq; in occiduos & extremos Boreales Oceani fines, hic Alexander noster Occidentalis brachium extendit.* Proinde Angliæ Regis amicitiam certatim cæteri Europæ principes ambire cæperunt. *Cæsar Carolus (inquit Sleidanus) anno ætatis vigesimo secundo à Germania domum in Hispaniam rediens, Angliæ Regem iterum inuisit, & vt firmum haberet amicum in Galliæ Regem, aureorum millia centum triginta tria promittit ei dare quotannis: tantundem enim ex pacto Galliæ Rex Anglo pẽdebat, eiusq́ sorori Mariæ quotannis.* Similia quoq; scripsit Philippus Cominæus. *Ludouicus Galliæ Rex vndecimus Edouardo quarto pensionem illam quinquaginta millia aureorũ ad diem quotannis Londini, & liberaliter persoluit; & in ipsius familiares distribui iussit sexdecim millia aureorum, &c. Præter annuas item pensiones dabat intimis conciliarijs luculentissima dona: & Hauardus accepit ab eo intra biennium præter pensionem, ad ducenta quadraginta millia aureorum. Et hi quidem omnes accepta pecunia, Regis quæstoribus dabãt Chirographa, quæ in ærario ponerẽtur.* Henricus octauus Hiberniæ regno potitus, recepta Bononia in Gallia, Tornacũ obsidione in Belgio cinxit ac cepit: qui vt narrat Martinus Belloye Maximilianum Imperatorem cum suo exercitu in illa expeditione stipendio conduxit, illi pensionem in diem soluens centum aureorum. Ad hanc autem maiestatem, & rerum amplitudinem fides Catholica & Romana Anglicanam ditionem euexit: eorumq; temporũ hæc felicitas extitit, in quibus Anglicani Reges (vt testatur Theuettus) Ecclesiã Romanam armis protegere cõsueuerãt. Qualem se aliquãdo præbuit Henricus ille auorum suorum vestigijs recta insistens; qui in Italiam ad tutandum Clementem Pontificem Romanum, religiose exercitum transmisit, quiq; singulis mensibus, sex iam exactis, in illum finem impendit sexaginta millia aureorum, quos vulgo angelos nuncupamus. Quamprimum autem nobis infesta hæresis in nostram Rempublicam inuasit, protinus truculenta falx nobi-

Gerald. de reb. Anglia.

Sleid. l. 3. hist. fol. 89.

Philippus Com. l. 10. com.

Belloye lib. 1. anno 1514.

Theuet. lib. 16. Cosmog. cap. 5.

Belloye l. 3. Anno 1527.

Guicciar l. 18. hist. Italicæ.

lissimi Imperij partes defectione funesta abscidit, ciuilibus discordijs repletam Angliam perfregit, corruptissimis moribus coinquinatam à stirpe conuulsit: brachium illud fortissimum, quod olim in hostem generoso impetu cuspidem intorsit, eneruauit; feruorem illũ Anglicani sanguinis, ad feriendum propemodum ebullientis, restinxit; conserta illa virorum in acie robora deiecit: quot bella à nobis nuper suscepta, tot ferme exceptæ clades. Britanniam, vbi trophæa aliquando erexerant Angli, & impune multoties persultarant, cæsa corpora nostrorum non ita pridem cõstrarunt: in Portugalia innumeri, vulnere aut morbo confecti, miseranda strage cõciderunt. Hæresis denique cum summa gentis infamia omnium externorũ odium in nostra capita atrociter concitauit, quibus modo ita obscuri & neglecti sumus, ac si nunquam Anglia exactis seculis præclarũ aliquod facinus extulisset. Recognoscite (Academici) mecũ hæc mala, incusate pariter Caluinum & Lutherum, qui illa vobis inflixêre: recipite autem auitam & orthodoxam fidem, quæ vos reuehat ad pristinum decus & antiquam gentis Anglicanæ gloriam.

Grauissimum quidem patriæ nostræ merito æstimari debet detrimentum, quod sectariana quadam turbulentia à reliquo Christiano orbe eam auulsam, nescio quibus angulis inclusérimus. In Gallijs atq; Hispanijs cõmercia à nostratibus ea sane possent commode institui, quæ litteras vberiores & excultiores illis refunderent. In Italia autem, quis non animaduertit ex omniũ nationum inibi concursu, ac præsertim præstantissimis incolarum ingenijs, nobis plurima addiscendi pulcherrimas occasiones exhiberi? Verum hæresis res ita est in odio omnium, vbiq; tam ab-
Homer. iecta & conculcata: vti eius causa, qua laboramus, liberam cum
1. li. ad 7. externis hominibus societatem sectarij Angli inire nequeant.
macrob. l Hinc in Italia, cum summo animi mei dolore, ex nostratibus vidi
1. Sat. quosdam vespertinas tenebras aut λύκην luporũ more quæritan-
cap. 17. tes, in quibus tutos per ciuitates gressus haberẽt: alios deprehen-
Pier. l. 11. di trepidè ac circumspecte in diuerticulis subsistentes, omniaq;
beiro.

pauide

pauide oculis lustrantes, cum autem nobilium ædes adire deberent, & eorum expetere familiaritatem, officinas petunt tonsorum, atq; eiusmodi mancipiorum loca, in quibus arbitrantur, de institutione ciuili præclara quædā dogmata se animis imbibere. Vacui proinde peritia omni, vitijs autem pleni ac referti, patrias sedes requirunt, & Anglicanum candorem externa sua inficiunt turpitudine. Dedecus quidem æternū iam patriæ nostræ inustū est, (quod & opprobrij loco nobis passim obijcitur) cum Lutherum & Caluinum, hominum plane sordes, ipsis apertis scripturarum sententijs, sanctorum patrum explicatis dogmatibus, conciliorum inconcussis definitionibus, orbis deniq; consensui iudicijs nostris prætulerimus. Quidnam obsecro in illis fœdissimis impostoribus spectabile nostrorum oculorum aciem primū perstrinxit? Si eruditio spectetur, aut crassa ignorantia, aut fucata verborū præstigijs loquacitas, cogitationibus nostris occurrent. Si vitæ innocentia quæratur, illuuies sane lasciuiæ & crapulæ oculis obuersabitur. Odium hoc & hāc nostræ patriæ infamiam, Academici, iam tādem abijcite quæso, aliosq; magistros quærite, qui orbis existūt lumina: inite gratiam cum externis hominibus, qui vos ornamentis suis poliant, perficiant, & exquisitissime venustent.

Quod si ad Caluini ac Lutheri placita, quæ vobis hæresis iam persuasit, cogitationem conferamus: talia videbuntur prorsus, qualia à prudenti aliquo viro, immo nedum ab illo, in quo vel scintilla rationis elucet, suscipi aut admitti debere iudicentur: continent enim in Deum insignem blasphemiam, in Christum apertū sacrilegium, in hominem atrocem iniuriam. Deum constituunt authorem peccati: insuper necessitate quadam dura ipsum pium in omnes numē ad infidelitatem, ad reliqua scelera quosdam hominum adigere definiunt, ac eosdem ita malis implicatos (cum nō possint sese vinculis illis aliquo suo opere vnquam eximere) æternis nihilominus flammarum cruciatibus torquere adstruunt. Christum patri subijciunt, secundū eam etiam

naturam, qua diuinus est. Cruore pariter suo negāt ipsum vitiorum maculas fidelium animis penitus abstersisse, aut flamma suæ charitatis exussisse. Inferni pœnis mundi hunc redemptorē acerbissime mulctatum dicunt. Liberum deniq; eripientes homini arbitrium, virtuti aut etiam vitio locum non relinquunt, aut humanis actionibus ex ratione efformatis laudem aliquā aut præmium concedunt. Quis arbitraretur cultissima nostratium ingenia hæc opinionum portenta, hæc tam perspicuè absurda plausu voluisse aliquando excipere, & iudicijs suis blasphema deliria approbare? Cum has institutiones nostras orthodoxas perlegeritis (Academici) credo vos hæc & similia istorum dictu horrenda, vti execratione digna habituros.

Verum quod suspicor, & quod sæpius à vobis ipse audiui, mihi Romani Pontificis fastum obijcietis: ac dicetis vos eius obiectu detineri à professione fidei Romanæ & orthodoxæ. Mihi saltem hac in re adhibitote quæso fidem, Academici, dum aperte dicam Romani Pontificis mores ac instituta vos nullo pacto hucusq; perspecta habuisse. Quæ pro rostris enim apud vos indies dicuntur (mihi credite) fabulæ sunt, imperitæ plebeculæ muscipulæ, maledicentis linguæ mendacia, nō nisi otiosi ac barbari cuiusdam cerebri dicteria. Quomodo ille elatione aliqua inflatus, qui quotidie ad Iesu genua prouolutus humiles preces fundit, qui profusis vbertim lachrymis orbis ac vestri salutem à Deo enixe præcatur? Vtinam in sanctum hunc senem oculos intenderetis, (Academici) qui nunc princeps est sacerdotum, sicut & Petrus Apostolorum: videretis profecto virginea quadam modestia temperatum, charitate in omnes effusum, eloquio blandum, suauem, mitem, & in omni actione vere paternū. Hic in fastigio rerum collocatus nudis pedibus in supplicationibus solemnioribus Romæ solitus est incedere, confluentes religionis ergo ad limina Apostolorum peregrinos ac pauperes mensa sua dignatur excipere conuiuas, imo & orationis hortatione eosdem ad virtutem ac tolerantiam erudire. Putatisne dum altaris myste-

rijs ope-

rijs operatur præsul iste supremus, quod memoriam nostræ Angliæ deponat, heu Angliæ ita in ipsum rebellis & ingratæ! Non ita sane, quinimo exploratum habeo, ipsum apud Deum iugi & instanti oratione Anglorum salutem implorare. Neque illi in optatis est (quod suspicamini) vt externorum imperio pareatis, aut vt florentissimum nostrum regnum ad formam prouinciæ alicuius reucoetur: incumbit in hoc tantum pius parens, vt salui sitis, vt Christiani ac orthodoxi cæteris fidelibus societate Catholica vos ipsos adiungere velitis. Nec dubito quin hanc vestrã felicitatem, quam vobis tantopere exoptat, suæ etiã vitæ dispendio comparandam (si id fieri posset) promptissime secum statueret. Nihil quidem Romana sede clementius, aut munificentius in Anglos vnquã apparuit. Fidei Christianæ disciplinis Gregorius Magnus Romanus Antistes Anglos primum informauit: Postea subsequẽtes Pontifices innumera beneficia in nos contulerunt; Academiam Oxoniensem titulo Vniuersitatis condecorarunt, & linguarum præceptiones, adiunctis stipendijs earum professoribus, in illa spatia intulerunt; demum reges nostros nominibus defensorum fidei illustrarunt: & iam parati sunt obuijs vlnis ad Christi caulas vos reuertentes amplecti, benigna ac paterna affectione tractare: vos deniq; exornare, & quibuscunq; demum modis officium vestrum erga illam sedem promereri.


Bed. lib. 1 histor. Anglorum. Cambd. Oxon. Clem. 1. de magistris.

Hæc si in vobis (Academici) correxeritis, atq; ad regulam orthodoxæ fidei emendaueritis, nihil mihi deerit erga vos ad amorem, aut aliquod vobis ipsis ad gloriam. Quod vti facilius præstetis, in gratiam vestri hasce nostras de triplici officio succisiuas elucubrationes contexui, atq; amicitiæ vestræ in reliquo vitæ meæ cursu conatus omnes deuouere mecum proposui. Iniquam autem suspicionem animis admittetis, si me cõmunis patriæ emolumẽtis ac bonis velle quidpiam detrahere cogitetis. Anglus sum, atq; in amore & pietate hac erga patriam nemini hominum vnquã cedam. Principis sanguini religionis nomine

insidias struere, aut Anglicanum sceptrum proditoria coniuratione, aulicis fauoribus Apostolici instituti candorem corrumpendo, externis hominibus committere, auersa semper consilia extitêre à studijs meis: præsertim sacro illo munere sacerdotis, quo licet indignus fungor. Quinimo nõ desistam laboribus meis opis aliquid conferre in subsidium aut ornamentũ florentissimi illius regni ac patriæ, mihi longe charissimæ. *Valete, Duaco.*



BENE-



BENEVOLO LECTORI

Author S. P. D.



I humanorum studiorum subductis rationibus summam aliquam velimus constituere: perspicue videbimus molitiones cunctas hominum, quæ recto iudicio consentiunt, in virtutem tandem, veluti in metam aut centrum, vnitim coincidere. Continet hæc quandoquidem plenissime hominis officium, & illud in quo eius perfectio ac decus omne præcipue efflorescunt. Quid Philosophia nisi vt scribit Cicero mortis meditatio? Proinde illis documentis informat animam, quibus instructa, huiusce vitæ fragilitatem rectè percipiat, elationem sui dimittat, & ad Deum, à quo subsidium petatur, abiectis reliquis vitæ occupationibus, religioso quodam cultu confugiat. Theologia autem (vti nemini obscurum esse poterit) honestis virtutum institutis multo acrius ac felicius mentem applicat: quippe quæ insignes Dei perfectionum notas describat, eiusq; erga nos beneficia recolat; proinde pectoribus nostris igniculos hæc & flammas amoris excutit, cælestiumq; cura cogitationes mortalium penitus distringit. Qui etiam ciuilibus operam suam impendunt, hi in virtutem quoq; præcipue intendunt: cuius munere ciues boni ac probi ab ipsis constituantur. Ea propter leges iustæ & sacræ nihil aliud sunt, quam præceptiones virtutum, quarum adminiculis Respublicæ omnes, quæ hactenus ad sublime gloriæ & amplitudinis peruenêre, fuêre excitatæ, suffultæ, & contra om-

Cicer. quæst. tuscul.

tra omnem aduersam vim confirmatæ: quibus si fortuna felicior accesserit, nihil plane decrit ad absolutam felicitatem: sin autem voluptas ac morum licentia virtutem aliquando expugnarint, nulla societas hominũ illis dedita diu poterit salua subsistere. Virtus etenim sæpius fortunam ad se cogit, vitium autem fortunam, quæ multorum sit, fugat penitus & auersatur. Causas itaq; hasce, ob quas olim Romani imperio claruerunt, Ammi. Marcel. cron. li. 14. *ita recenset Amianus Marcellinus:* Vt augeretur Roma sublimibus incrementis, fœdere pacis æternæ, virtus conuenit atq; fortuna, plerumque dissidentes: quorum si altera defuisset, ad perfectam non venerat summitatem. *Quocirca rectè sentire visus est de hominis perfectione atq; maiestate Agesilaus, qui hæc vna virtute definiri adseruit & coërceri.* Erasm. apoth. lib. 1. *Cum enim Asiam incolẽtes Græci ex more Persico Regem Persarum magnum appellitarent: at me (inquit Agesilaus) maior nequaquam est, nisi iustior ac temperantior fuerit. In hoc itaq; consulto, (vt mihi visum erat) meo studio incubui, vti virtutem stabilirem, & eam hominum animis susceptam semel certis quibusdam documentis confirmarẽ. Quæ autem huic in virtute ac probitate vitæ constãtiæ infesta & inimica esse vel maximè nostrorum temporum experientia animo meo detexerat, ea ad tria potuisse reuocari existimaui: voluptatem, hæresim, ac sacrorum contemptum. Contra quæ vim omnem intelligentiæ exerui, & pro virtute acerrime (vt potui) depugnaui. Cum autẽ viderim in istis pertractandis, non tam à me expectari testimoniorum cumulum, quem facile nostræ ætatis homines contemnerent, ac solida & expressa argumenta, petita à rebus ipsis & causis earundem intimis; proinde operam solerter posui, ac animi neruos omnes intendi, vti firma ratione singula adstruerem, libidinemq;, hæresim, & atheismum, quæ coniunctis viribus in officij Christiani integritatem impetum faciunt, ipsa Philosophia, atq; iudicio homini à natura impresso, repellerem ac profligarem.*

Optarem equidem, vt & alij quoq; in hoc nobili argumenti genere aliquid tãdem laboris ponerent: & vt olim Socrates Pythagoricas contemplationes à cælis ad terras commode deduxerit, ita etiam vehemẽter cuperem, vti obliteratæ antiquitatis ruderibus excutiendis scriptores nostri tãtisper absisterent, atq; ingenia parũ ad ciuilem hanc Philosophiam

pertra-

pertractandam multo vtilius cōferrent. Notitia quidem historiæ res est præclara, ac suo præmio digna: cedit tamen hæc cuilibet scientiæ, quæ in rerum naturis exquirendis versatur, si de præstantiæ gradu quæstionem ac comparationem instituere velimus. Istis tamen hodie ferme abstinetur, & ad eam partem vetustatis explorādæ animi vires à multis transferuntur, ex cuius intelligentia nihil demum magni comparatur, aut ad Reipublicæ vtilitatē magnopere conducentis inuenitur. Passim de vestitu priscorum disputatur, de illorum superstitiosis festis, de antiquata & merito exacta disciplina militari, ac de vrbiū magnitudine. Si quid veteres somniarint, si quid luserint, si quam speciem ostentarint sui: statim id omne vt suspiciendum proponitur, & in aduersaria diligentissime refertur. Hæc quidem ipse non vitupero, alijs tamē studijs vti ludicra postpono. In istis enim scientiæ quædam forma, ingenij vis ac διανοία spectantur: in illis autem libri carie exæsi nuda authoritas, autographon, vel obtritus character numismatis.

Est autem & aliud quoq; vanitatis genus, in quo neoterici meo quidem iudicio offendunt grauiter, & alijs erroris atq; lapsus etiam exinde occasiones præbent: styli nimirum forma ab illis vsurpata, & cura nimis misere affectata in syllabis. Ciceronianum nitorem hi passim aspernantur: tanquam milites grauis armaturæ (vt ipsi dicunt) fragrantes odores aut suauiolētis olei lenitudinem ex cultu sermonis nihil pensi habēt. Cupiunt potius loricati, clypeati, ac ferro vndique cōtecti procedere, horrisono verborum strepitu aures hominum diuerberare: deniq; de stylo gloriantur (vt profitentur ipsi) armato. Si tamē ita instructi pugiles eloquentiā sibi vendicent, aut politiorem literaturam, (pace ipsorum dixerim, hallucinantur, vehementer errant, & illud sibi arripere videntur, quod nemo eloquij puritate illustratus, aut vere Romanus, illis vltro sit concessurus. Eloquentis enim est, plenissimas sentētias, numeroq; succinctas, quæ grate ac leniter ad audientium aures accidant, profundere, lectissimis verbis orationis seriem venustare, non abhorrere à communi loquendi modo Romanis familiari, aspera, hiulca, vasta, ac stridētia verba deuitare, auro fulgere deniq; ac gemma, nitentia spicula & cristallina iacere: hæc sane Caducæi Mercuriani sunt emblemata. Isti autem sua omnia dilum-

bant, saxo incuruo, nodosa fuste non hasta amentata pugnãt. Nihil effundunt vberius: sed potius comicum in re seria intempestiue agunt perpetuo: non quidem cursus perennis orationis apud illos, sed saltatio quædam satyrica: si quod verbum alio horribilius, si quis concursus syllabarum iratus magis, & fremitu quodam truculentior, istis in delicijs existunt, & elaboratæ suæ elegantiæ insignia. Verum & in ipsa orthographia ludunt; antiquas idcirco verborum compositiones describunt curiosè: non aliunde quam quod antiquæ sint, & (vt ipsi suspicantur) natiuæ & primigeniæ. Cum autem modo vsus, & suauitati dicendi assuetæ cultißimorũ aures, illas faciliores ac mitiores reddiderint: literarumq; stridorem mutatione aliqua in gratiã vrbanitatis expulerint, ne periret vetusta illa durities, atq; vti ipsi soli sapere inter mortales videantur, ac latebras omnes antiquitatis excußisse, inconditã hãc aspertiatem Romanæ lenitati prætulerunt. At armati sunt, esto, vtuntur tamen armatura ferrea plane, eaq; horrida, & ærugine infecta. Quocirca dum ita armati sese mouent, concußione siue attritu laterum & brachiorum sonum non edunt animis aut auribus gratum, sed illũ potius, qui dentibus stuporem inijciat. Non pugiles Romani profecto, sed conductitij Sermatici, aut barbari stipendiarij mihi esse videntur. Quod si post tot triumphos Marco Ciceroni, Tito Liuio, ac Cæsari ipsi eloquentiæ arma tãdem velint detrahere, ac sibimet ipsis ex Vulcania officina, nescio qua, nouã quandã panopliam adsumere, quasi à mollitie ac styli teneritudine recedentes; (quæ in illis vti vitiosa incusant) saltem grauitatem quandã in dicendo exhibere deberent. At quid obsecro leuius theatricis illis interrogatiunculis, decurtatis clausulis, nõ absoluta sentẽtia intercisis periodis? Mihi sane hæc risum faciunt, vti cuiusdam mimi nugæ, aut insulsi alicuius incomposita oratio: nedum iudicentur esse fulmina veri aut genuini oratoris. Deniq; tãtum absunt ab eloquentia, quantum scena à sacrario, aut Agaso ab Imperatore. In hac re mihi Romani ipsi patrocinium adferent, & fauebunt Itali sati natiq; ad eloquentiam. Retinet sane Italia Mercurium:

Petrarch Cuius ad eximios ars & natura fauores
Incubuere simul, mundoq; dedere magistram.

SYNO-

XIV



SYNOPSIS
TOTIVS OPERIS.

ARGVMENTVM
PRIMI LIBRI.

Cum viderem tam à Philosophis, quam etiam Theologis, Triplicem de homine tractationem institui, nimirũ Physicam, Moralem, & Theologicam: institutiones de officio percommode in tres libros dispertiendas existimaui. In primo itaq; libro deducuntur ea precepta officij, quæ pullulant ex natura ipsius hominis, vtpote ex eius causis, ac fine, ex dignitate quoq;, qua alijs antecellit, simulac ex infirmitate & imbecillitate tam corporis quam animi propagata: atq; ostenditur in quibus placita hæreticorũ hac ex parte officio virtutis nocent, orthodoxorum vero dogmata illi suppetias ferunt & patrocinantur.

CAPITA PRIMI LIBRI.

CAPVT I.

PRINCIPIVM officij, à cognitione sui, homini erit desumendum.

CAPVT II.

Quantum ad virtutem, & ipsius hominis officium, sui cognitio conferat.

CAPVT III.

Animæ cognitionem nobis esse difficiliorem & obscuriorem, adiuncti corporis ratione, ostenditur.

CAPVT IIII.

Subductio & auocatio mentis ab exterioribus negotijs, plurimum conducunt ad hanc sui cognitionem. Quæ ab orthodoxa fide, veluti animæ præsidia constituta, in grauissimum eiusdem detrimentum, sectariana illa perfidia amoliri conatur.

CAPVT V.

Luculentis rationibus probatur disciplinas Philosophicas, ad cognitionem sui magnum adferre adiumentum, hominisq; officium rectè præstādum: de quo perperam etiam sentiunt sectarij.

CAPVT VI.

Contra eos disputatur, qui sententijs suis eo vsq; humanam efferunt animam, ac si ex ipsius Dei substantia, decisa esset particula, vel potius ipsemet Deus omnia ratione administrans.

CAPVT VII.

Impugnantur illi, qui docent Deum immediatam animæ productricem causam non extitisse, vel ex præiacta materia aliqua eductam, in hanc lucem emersisse.

CAPVT VIII.

Animam substantiam esse quādam, ab omni prorsus materiali concretione seiunctam, luculentis rationibus asseritur.

CAPVT IX.

Disputatur de immortali ac perenni ipsius animæ natura.

CAPVT X.

Quænam sint animæ partes & facultates, quibus eam natura ad operandum instruxit.

CAPVT XI.

De præcipuis animæ facultatibus, intellectu nimirum, voluntate, & memoria: atq; ex istis de similitudine hominis cum Deo.

CA-

CAPVT XII.

Differitur de præclaro humanæ naturæ ornamento, ex libero eius arbitrio. Quod cum hæretici è medio auferre conẽtur, ipsius communis naturæ, hostes sese aperte ostendunt ac produnt.

CAPVT XIII.

Quam perturbatus euaserit hominis appetitus sensitiuus: ex cuius mali noticia, quæ animam informent ad dimißionem sui, morum præcepta hauriri poterint.

CAPVT XIIII.

Manifestum redditur, quonam modo animi perturbationes, mediocritatem excedẽtes, rationem ipsam impediant, & voluntatem ad turpia consilia inclinent.

CAPVT XV.

De illis incommodis & malis tractatur, quæ hominis intellectum afficiunt, eiusq; cursum remorantur.

CAPVT XVI.

Quanta sit voluntatis humanæ infirmitas, & qualis eius propensio in ea, quæ auersa sunt à mente & ratione recta.

CAPVT XVII.

De elegantia præstantiaq; humani corporis.

CAPVT XVIII.

De eiusdẽ corporis malis ac prauis, quib⁹ subiacet, affectionibus.

CAPVT XIX.

De aptißima rerũ consonantia, ex vnione disparis substantiæ, spiritualis vtpote & corporalis, in vnius hominis forma ac specie.

CAPVT XX.

Quodnam sit hominis officium. De natura quoq; virtutis atq; vitij inquiritur.

CAPVT XXI.

De præcipuis quibusdam auxilijs, requisitis ad officium hominis examußim præstandum.

ARGVMENTVM
LIBRI SECVNDI.

In libro secundo disputatur de actionibus humanis ac moralibus: quæ quod versentur in moderatione perturbationum, de quatuor ex illis Cardinalibus, nempe amore, odio, tristitia, & timore inquiritur: circa vniuscuiusq; obiectum peculiaris tractatus instituitur, inseruntur q; præcepta, quibus cohiberi possunt, ne in vitia deflectant. Demum conficitur orthodoxorum dogmata homines hac quoq; ex parte promouere ad honestatem morum & innocentiam vitæ: hæreticorum vero asserta procliuia admodum esse in omnem vitæ turpitudinem: nostra esse virtutum præsidia, illorum vero incentiua vitiorum.

CAPITA LIBRI SECVNDI.

CA-

CAPVT X.

Honoris appetitus iusta rerum æstimatione & humilitate animi moderandus.

CAPVT XI.

Pertractantur rationes, quibus vti reprehensibilis immoderata dignitatis & excellentiæ affectatio arguitur: præsertim vero inde quod hæc vanissima contentio, sicut ex ignoratione rerum prodit, ita eandem quoq; maiorē suo accessu reddit: quod præterea sit omnino fluxa & instabilis res, cuius desiderio elatus tenetur, & aliorum ferme criminū origo. Deniq; ostenditur quonam modo hæreticorum dogmata, hac quoq; ex parte humanum officium deprauarunt.

CAPVT XII.

Inuidentiæ, odio, iræ, ex charitate benignitateque moderatio constituenda.

CAPVT XIII.

Politici quemadmodum & sectarij, dilectioni mutuæ ac concordiæ inter homines aduersantur, idq; ex instituto dogmatis ipsorū. Orthodoxi vero contrarium prorsus suadēt & moliuntur.

CAPVT XIIII.

Timoribus, fortitudine, animiq; constātia viriliter obsistendū.

CAPVT XV.

Timore quodam veluti fræno, ex sententia orthodoxorum, coërcentur homines à criminibus ac delictis patrandis. Sectarij vero, qui salubrem huiuscemodi timorē vanissima fiducia abiecerunt, iniquitati & laxatæ vitæ turpitudini subsidium contulisse rectè iudicentur.

CAPVT XVI.

De causis tristitiæ & doloris, eiusdemq; vi ac potestate; cui remedia aliquot & præceptiones magis vniuersales adhibentur.

CA-

TOTIVS OPERIS.

CAPVT XVII.

Explicantur aliquot aliæ rationes, quæ cõtra tristitiam, ex quacunq; demũ exortam calamitate, maxime ex damno rei temporalis, infamia, vel morte, animum muniunt, ac roborare poterint.

CAPVT XVIII.

Tristitia seu dolor, quem partem pænitentiæ constituunt orthodoxi, sicut & satisfactio, quæ laboriosis sensibusq; operibus admodum acerbis constat, peccato plurimum sunt infesta. Quæ autem de istis sentiunt hæretici, procliuia multum existunt ad libidinem, omnemq; vitæ turpitudinem.

CAPVT XIX.

De causis tentationum, earumq; vi ac potestate.

CAPVT XX.

Rationum momẽta recensentur, quæ animæ contra vim tentationum præsidio esse possunt.

CAPVT XXI.

Pelagiana superbia, diuinæ gratiæ subsidium recusans, vitijs locum parat: ex aduerso autem orthodoxorũ dogmata, de gratiæ istius necessitate suscepta, virtuti ac morum integritati consentiunt: quæ ad expugnanda scelera, summã statuunt ex oratione opem, vtpote firmissimum animæ præsidium; quod cum Pelagianis, Caluinistæ labefactant.

CAPVT XXII.

Appetitus sensitiui concitati motus, absq; arbitrii pleno ac libero consensu, nihil cõtinent culpabilis turpitudinis: quin potius honestissimis virtutũ actionibus inseruiunt plurimũ. Sectarij vero, qui illis crimen & culpam adijciunt, humanam vitam flagitijs coinquinant, ipsis vitijs suppetias ferunt, Christianæ iustitiæ labem consciscunt, eiusq; authori Christo insignem iniuriam irrogant. CAPVT XXIII.

Orthodoxorum sententia, de libero hominis arbitrio instituta, & Ecclesiastico iudicio definita, multum confert ad virtutem & morum puritatem: sectariorum vero absurdæ voces, quibus

 præcla-

quibus præclarum hoc animæ munimentũ homini eripiunt, procliues ſunt ad libidinem, & omnis generis vitæ turpitudinem.

CAPVT XXIIII.

Concupiſcentia, mentis apprehenſiones, & iudicium ipſius rationis, optime cohærent cum libero arbitrio.

CAPVT XXV.

Sicut delicta & ſcelera omnia nobis exinde grauia videntur, quod rationi ipſiq; naturæ hominis repugnẽt: ita ex eo vel maximè atrocia vnuſquiſq; iudicabit, quod Deo aduerſentur, nec illius, ſed noſtra duntaxat effectione vitioſa exiſtant. Hanc autem in peccato piaculi grauitatem, mirifice cum blaſphemia eleuant ſectarij, aſſerentes omnis flagitij Deum eſſe authorem & propagatorem.

CAPVT XXVI.

Innocentia, & à ſceleris labe immunitas, quam ex ſententia orthodoxorum adfert Chriſtianæ iuſtitiæ momentum, hominũ animos exacuit ad virtutem. Sectariorum vero commentum, de cõiunctione iuſtitiæ cum vitiorum colluuie, pronum eſt & præceps ad morum & vitæ fæditatem.

CAPVT XXVII.

Iuſtitiæ forma, quam decernunt ſectarij, inſignem continet impoſturam, illamq; triplici nota infamem, phanatiſmo nempe, elatione, & flagitioſiſsimæ ſectæ Gnoſtaciſmo.

CAPVT XXVIII.

Inſignis illa vis meriti, quam orthodoxi bonis operibus adſcribunt, mirifice hominis animum excitat ad virtutem: ſicut è cõtrario, ſectarij vim illam eximentes, ac obliterantes errore, affirmanteſque, optima quæq; vitæ inſtituta ac concilia, peccata eſſe mortalia, ad nefarias actiones nõ parum promouent ſequaces ſuos.

CAPVT XXIX.

Beneficio legis naturalis, ciuilis, & Eccleſiaſticæ, interueniente ſanctiſsimi Spiritus gratia, puritatem animæ, & vitæ innocẽtiam, orthodoxi acceptam merito ferunt. Sectarij vero, qui vna

fide, ſe

fide, se in libertatē, à quacunq; iuris aut legis obligatione asser-tos credunt, solutissimi inde sunt & liberrimi ad omnia flagitia, & vt loquitur scriptura, potentes ad iniquitatem.

CAPVT XXX.

Ad compescendum mitigandumq; concupiscentiæ efferuentis ardorem, in orthodoxorum Ecclesia reperiuntur septem Sacramenta; fontes quidem purissimi ac diuini plane liquoris; aptissimi ad hunc effectū, cum ex numero septenario, tum eorundem efficacia & virtute.

CAPVT XXXI.

Religionis, charitatis, omnisq; plane virtutis Eucharistia sacrosancta causas habet, illa ex fide, qua eam suscipiunt orthodoxi: sub externis symbolis panis ac vini, credentes verè ac realiter contineri sacrum Christi corpus, eiusq; sanguinem: atq; hæc Deo patri sacerdotis ministerio, in altari mystice offerri.

CAPVT XXXII.

Sectarij, qui sacramentorum numerum diminuunt, eorumq; vim saluberrimam extinguunt: cum Christo Domino singularem irrogant iniuriam, tum etiam fidelium cætui, quantum ad vitæ integritatem, non parū obsunt, aut modice infesti existunt.

ARGVMENTVM
LIBRI TERTII.

Tertius liber hominis inquirit actiones, vt relatas in Deum, proinde disputat de existentia, perfectione, & prouidentia Numinis: mox tractat de religione, & speciebus omnibus cultus superstitiosi: tandem de fide, spe, & charitate: atq; ex his similiter capitibus ostenditur hæreticorum dogmata virtutis officium violare, orthodoxorum vero sententias illud adstruere, & contra vitia vndiquaq; munire ac defensitare.

CAPITA LIBRI TERTII.

ralis: & quomodo eadem Christum respexerit.

CAPVT XXIII.

De duplici fidei obedientia, diuina & Ecclesiastica.

CAPVT XXIIII.

Cum quis secum animo constituerit fidei documenta excipere ab idoneo aliquo catechista, nihil illi euidētius, quam quod à solo Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ cultore ipsum oporteat institui & erudiri.

CAPVT XXV.

Fides Christi, quam Caluinista, aut alius sectarius penes se esse gloriatur, cuilibet viro præstanti ingenio, omnino apparebit incredibilis; neq; vlla alia secta hæresi improbabilior videbitur illi, qui vel modice humana intelligentia vsus fuerit in rerum examine.

CAPVT XXVI.

Hæresis cum multis nominibus detestanda; tum ex eo præsertim quod superbissima, phanatica, turpis, incerta: non alijs sectis tantum, quinimo & sibi ipsi infestissima: deniq; quod in Christi meritum ingratissima: imo nec politice satis aut ciuiliter constituta.

CAPVT XXVII.

Firma spe, diuinæ bonitati, ac imprimis ipsius Dei gratiæ, in vitæ istius infinitis propemodū difficultatibus innitendū: è cuius æterna & beneuola prædestinatione nostra felicitas dependet.

CAPVT XXVIII.

De causis discriminis, in electione prædestinatorum atq; reproborum abiectione: & quisnam sit ordo eorum, quæ tam prædestinationem, quam reprobationem perficiunt.

CAPVT XXIX.

Sententia prædestinationis & reprobationis haud repugnans est hominis arbitrio: neq; studium aufert orationis, aut bonorum operum solicitudinem.

CAPVT XXX.

Prædestinationis ac reprobationis ratio constituta à sectarijs,

cruda omnino est & acerba: cum in Deum ipsum blasphema, tum in Christum Dominum ignominiosa.

CAPVT XXXI.

Vanissima, & ab omni pietate aliena est ea sententia sectariorum, qua statuunt, etiam fidei diuinæ certitudine, vnicuiq; fidelium innotescere suam ipsius prædestinationem.

CAPVT XXXII.

Quænam nobis incitamenta esse possunt amoris in Deum.

CAPVT XXXIII.

Culmen & apex humani officij charitas est erga Deum: Sectarij vero, qui suam inanem fidem huic præferunt, quasi cum iustitia arctius & magis coniunctam; insigniter de officio nostro ac vitæ integritate detraxerunt.

CAPVT XXXIIII.

Ad amorem Dei præclara incitamenta, orthodoxa ac Romana Ecclesia Catholicis adfert, quæ omnia Sectarij amoliri atq; depellere sua hæresi conantur: proinde ad insignem hunc amorem frigent omnino, rigentes iacent plane, & horrescunt.

Approbationes.

EGO Thomas VVortingtonus S. Theologiæ Doctor, & Collegij Anglorum Duaceni Præses, istas, de triplici hominis officio institutiones, à D. Odouardo VVestono S. Theologiæ Doctore, & in eodem Collegio Professore, conscriptas; & per duos alios Doctores Theologos collegas nostros perlectas & approbatas, etiam quantũ in me est approbo: vereq; orthodoxas, perdoctas, ac proinde prælo dignas iudico, si ita ordinario placuerit librorum censori. Actum Duaci, die 26. Septembris 1601.

Thomas VVortingtonus.

ISTE liber qui inscribitur *Institutiones de Triplici hominis officio*: nihil continet quod bonis moribus vel fidei Catholicæ repugnat; quin potius videtur ob variam literaturam & scientiam, futurus vtilis Christi Ecclesiæ, adeoq; dignus, qui in lucem prodeat. Ita sentio:

Matthæus Kellisonus Presbyter Anglus & S. T. D. 21. Septemb.

LIBER

APPROBATIONES.

LIBER iste institutionum D. Odouardi VVestoni propter insignem multiplicemq́ eruditionem cum magna Ecclesiæ & lectorũ vtilitate poterit prælo mandari, in cuius rei fidem hæc propria manu subscripsi & testor.

Guilielmus Harisonus Anglus S. Theol. Doctor :
Duaci 22. Septembris 1601.

Istas de triplici hominis officio institutiones tribus libris disputatas & declaratas per eximium D. Odouardum Westonum, S. Theol. Doctorem, eiusdemq́; in famosa vniuersitate Duacensi professorem, diligenter perlectas à tribus dictæ vniuersitatis alijs S. Theol. Doctoribus, ego infrascriptus approbo, & dignas omnino iudico, vt pro cõmuni Christianorum bono prælo mãdentur. Datũ Antuerpiæ, tertio iduum Martij, 1602.

Siluester Pardo S. Theologiæ Licentiatus, Cathedralis Ecclesiæ Antuerpiensis Canonicus, librorumq́ Censor.

Summa Priuilegii.

ARchiducum Priuilegio cautum est, ne quis intra decennium citra voluntatem Ioannis Keerbergij Typographi Antuerpiensis, hunc librũ, De triplici hominis officio institutiones orthodoxæ, Authore Odouardo Westono Anglo, *vllo modo imprimat, aut alibi impressum in suas Regiones importet: qui secus faxit, graui pœna multabitur: vt latius patet in literis, datis Bruxellæ, xv. Martij, Anno 1602.*

Sig. I. de Buschere.



DE TRIPLICI HOMINIS OFFICIO,

IVXTA NATVRALEM, MORALEM, ET THEOLOGICAM RATIONEM.

LIBER PRIMVS.

Principium officij à sui cognitione homini erit desumendum.

CAPVT PRIMVM.



VONIAM omnis, quę in humana operatione, à ratione recta, & tota mente cernitur defectio, ex aliquo semper iudicij errore, vel saltem ex temeraria & inconsiderata animi agitatione, ortum & originem trahit: ea propter, vt humanis actionibus certam aliquando normam & iustam ex primis lineis regulá perscribamus: principio tractandum videtur de illa nostræ mentis notitia, quæ fons sit & caput cæterarum omnium notionum, ex qua institutiones ad virtutem, & honestatis præcepta omnia, veluti ab altissima quadam causa deduci iudicentur. Virtus autem seu morum probitas cum nihil aliud sit, quam species quædam eximia, & veluti forma spectabilis, in humanis actionibus elucens, quæ rectæ rationis legibus omnino sit consentanea, clarius multo hæc nobis innotescet, si prius definitum fuerit, qualisnam sit ratione præditorum animantium status ab ipsa natura fixus & fun-

Cognitio sui principium humani officij.

datus: quasque huiusmodi habeant sui partes, principia, proprietates, & suarum molitionum progressus. Ex quorum perceptione hoc efficietur tandem, vti luculentius inde ostendatur, quidnam hominem deceat, quid minus decorum in eiusdem operatione æstimandum sit: quæ denique virtutis atque vitij ratio constituenda. Nam qui dignitatem propriam, qua ipsius naturæ beneficio donatur, bene perspectam non habet, is vti lubrica & blanda potiatur aliqua iucunditate: quam impura voluptas sensibus adferre solet, ad infima quæque auidius consectanda, animam suam plane abijciet: eademque ratione, ex aduerso, qui propriarum virium & facultatum rationē haud secum posuerit & expenderit, is altiora agredietur quam oporteat, & cum summo sui periculo coniuncta sæpius tentabit ea, ad quæ minus apte ipsius potestas respondeat: inter quæ malorum extrema, nimirum elationem sui nimiam & immoderatam, atque sui dimissionem turpem & abiectionem, aureum quoddam medium, illudque certa ratione libratum, scientia illa inuestigabit, qua nos ipsos ex omni parte sedulo exploramus, mentisque concilio nostra omnia plenius perspecta habemus.

Hominis natura ex eiusdem operationibus inuestigatur.

D. Thomas. 2. cōtra gentes. c. 1.

Quamobrem vti intelligamus, quemnam tandem ordinem, classem, & quasi locum, ac sedem, inter vniuersi huiusce singulas quasque partes, obtinere debeat homo ratione præditus & insignitus: exquirendum prius erit cuiusmodi sint eiusdem hominis operationes. His etenim visis, vlterius deinde ipsasmet partes essentiales, ex quibus totus atque integer componitur ac constituitur inuestigantibus, sponte omnia occurrent. Hanc etenim methodum atque viam, vnde ad pleniorem cuiuscunque rei notionem mens nostra deueniat, constituit D. Thomas. *Ex modo enim operationis, & speciei mensura & qualitas virtutis pensatur. virtus vero rei naturam monstrat: secundum hoc enim vnumquodque natum est operari, quod actu talem naturam sortitur.* Nam cum potentiæ, & agendi facultates, re ipsa idem sint cum ipso principali agente, vel saltem ab eius substantia profluant ac dimanent: idcirco veluti indices existunt omnis illius diuersitatis & discrepantiæ, qua rerum formæ & intimæ ipsarum naturæ discernuntur; ab ipsis autem potentijs, illa postmodum varietas, & multiplicitas proficiscitur omnis, quæ in actionibus deprehenditur.

Partitio humanarum operationum.

Triplici itaque differentia notatas & dispertitas perspicimus in ipso homine operationum formas. Quædam obiecta habent omnino in ipsa materia concreta & coalita, similiter quoque ab organo aliquo corporeo ad hoc instituto necessario dependent: quales sensuum tam externorum, quam internorum molitiones omnes existunt: vtpote visio, auditio, tactus, gustatio, olfactio, imaginatio, & recordatio. Aliæ autem licet

petunt

petunt obiecta materialia, & corporeis ſubiecta affectionibus, circa quæ verſentur, carent nihilominus certo aliquo organo corporis, quod in ſe, veluti in ſubiectum, expreſſum actum ſuſcipiat, cuiuſmodi exiſtunt, tam concupiſcibilis, quã iraſcibilis appetitus motus concitati, atque impetus temerarij. fiunt quidem iſti cum aliqua corporis mutatione, vtpote agitatione ſpirituum, ſanguinis excurſu, recurſuque: non tamen eos elicit definita aliqua pars corporis. in corde quidem, ac hepate, maxime vigent illis adiunctæ mutationes corporeæ. exiſtimarem tamen cum D. Thoma, iuxta ipſam exiſtentiam, hanc vim appetendi ſenſitiuam, diſtinctam eſſe prorſus à voluntate & appetitu rationali. Quod mihi duplex præſertim ratio perſuaſum reddit, & comprobatum. Appetitus enim qui ſenſibus noſtris inſeritur, ita à natura ipſa eſt comparatus: vt nullum alium ducem ſeu euocationem exigat, quam ſequatur, præterquam ſolam imaginationem. at voluntas rationis lumine colluſtrata, quamque ad partem hominis ſuperiorem ſpectare dicimus, intellectus ac mentis iudicium requirit, quo euocetur, & ad operandum concitetur. *D. Thomas q. de ſenſual. art. 3. & 4.* *Appetitus ſenſitiuus & rationalis in homine re diſtinguũtur.* Ea porro interdum vehementia, & acri quodam ſtudio appetitus ſenſitiuus, quæ ſibi conſentientia ſunt, & grata perſequitur, vti ab illis nullo ferme pacto reuelli poſsit: etiam reluctante voluntate, & ex imperio rationis prorſus illi reclamante. Ea etenim aliquando expetimus, concitatiori etiam appetitus ſenſitiui motu, quæ nobis plane vti ratione vtentibus diſplicent, quæque voluntas tanquam noxia plurimum diſplicentia quadam auerſatur: in eadem autem omnino potentia & facultate vix exiſtimabit aliquis probabiliter, ſimul ineſſe poſſe tantam motuum oppoſitionem, tamque acrem pugnantiam operationum. Fateor tamen illum ipſum appetitum rationalem, ſua efficacia, & energia contentionis, non ſolum ad ea ſe extendere, quæ ſunt ratione perceptibilia, verum etiã ad ea quoque quæ ſenſibus ſunt iucunda: altiori tamen modo quam ſenſus, vt docet D. Thomas: qui oriatur ex iudicio rationis, quo rerum genera omnia, certa quadam notitia, atque ambitu quodam intelligentiæ coërcentur. *D. Thomas ſup.* Inde enim delinquitur ab homine, quod ipſius voluntas eas ſenſuum expetat iucunditates, quæ auerſæ ſunt à præſcripto rationis ipſius. Exiſtunt autem aliæ operationes hominis, quæ vt tradit Ariſtoteles, non ſunt ipſius coniũcti, ſeu ſuppoſiti integri, ſed potius animæ ſolius propriæ: vti facultate intellectili aliquid percipere, & contemplari rerum cauſas & principia vniuerſalia à ſingularibus abſtracta intueri, ex multiplici rerum coniunctione, aut diſcretione, conſecutiones varias conficere: voluntate vero ea amore proſequi, quæ naturæ ſunt conſentanea, ea odio habere, quæ moleſta & nociua: denique ex ſum- *Ariſto. de ſom. & vigil. c. 1.*

ma quadam libertate, hoc vel aliud pro imperio ſtatuere. Atque ex iſto poſteriori operandi genere, veluti ex quodam indicio ac ſigno hominem à bruto, quantum ad ipſam naturam in eo latentem atque partes eiuſdem eſſentiales diſtingui & ſecerni recte inferimus: ſicut in ſpecie, & operationis forma plurimum ab eodem diſſentire reperimus. Si tamen alias quaſdam operationes, & munera in ipſo homine, nimirum quæ prioris exiſtunt generis ſpectemus, homines cum rationis expertibus omnino conuenire iudicabimus; vnde & ab his, veluti effectibus quibuſdam, & à poſteriori, (vt loquuntur) colligimus hominem, & brutum, in vna quadam natura animalis, vtriſque ex æquo communi conſpirare: ex alia autem parte ipſius eſſentiæ, videlicet anima ratione prædita, hominem à bruto differre plurimum intelligimus: cuius proprium officium ſit vt dixi ratiocinari, mente diſcurrere, effectus rerum deducere ex ſuis cauſis, viciſsim eoſdem in principia referre, vitam denique cum libertate arbitrij ex virtute inſtituere, & fæculentas vitiorum voluptates aſpernari.

Itaque in hoc rerum omnium theatro, ſic homo eiuſdem pars nobiliſſima ſubſiſtit, vti ex mirabili duplicis ſubſtantiæ coagmentatione, partim ſpiritualis, partim vero corporalis, partim mortalis, partim immortalis, plane varius & mixtus euaſerit. quem quidem nexum, atque copulam ſpectabilem ſane vtriuſque naturæ, in vnius hominis fabrica, pulchre deſcribit D. Gregorius Nazianzenus. Cum enim expoſuiſſet, quonam modo ſubſtantia illa Angelica, à Deo rerum omnium parente & opifice propagata eſſet: hæc de homine ſubiunxit: *Cum artifici verbo viſum fuiſſet oſtendere animal vnum ex vtroque, hoc eſt ex inuiſibili ac viſibili materia, fabricatur nempe hominem: atque à materia, quæ prius iam creata erat accepto corpore, à ſe autem ſpiraculum inſerens, (quod quidem intellectualem animam & imaginem Dei ſcriptura vocat) veluti ſecundum quendam, & alterum mundum, in paruo magnum, in terra conſtituit Angelum alium, mixtum adoratorem, viſibilis naturæ ſpectatorem, intellectilis myſten, eorũ quidem, quæ in terra ſunt, regem: è cœlo autem imperium accipientem, terrenum & cœleſtem, caducum & immortalem, viſibilem & intelligibilem, medium inter magnitudinem, & deiectionem, eundem ſpiritum, & carnem: ſpiritum propter gratiã, carnẽ ob ſuperbiam. illud vt maneat, ac ſuum benefactorem concelebret, hoc vt vexetur, ac vexatus commonefiat, & de magnitudine ſibi placens erudiatur ac coërceatur. Animal hic varie gubernatum atque alio demigrans, & quod in myſterijs extremum eſt, animi ad Deum nutu, & ſubiectione diuinitatem aſſurgens.* Quibus verbis tria præclara dogmata ad officium facientia nobis tradidit Greg. Primo cùm dicat ex hac in homine vtriuſque ſubſtantiæ compage luculenter conſtare, quanta ſit humanæ

Greg. Naz. orat. de Christi natiuit.

Tria in hominis fabrica conſiderãda quantũ ad eius officium.

manæ naturæ dignitas & excellẽtia, si eam solam nude & solitarie cõtemplari velimus. Continet enim hæc hominis structura, cæterarum rerum gradus omnes vnitim confluentes, & coalitos. Est namque homo corporis atque animæ ratione, veluti operum Dei insigne quoddam cõpendium, & vniuersæ eius molitionis summa quædam succincta, ac artificiose subducta. Terrestria quidem complectitur homo sui corporis cõditione, spiritualia verò coërcet animæ qualitate. Secundo nos docet Gregorius, quodnam sit eiusdem hominis officium, cùm in ea, quæ suo imperio subiecta accepit, tum etiam in Deum optimum & maximum. Ad hoc enim præcipue instituitur & informatur homo à Deo, vti ipsum omni sua actione reuereatur ac colat. Quo quidem eius cultu, quod reliqua ad ipsum hominem tanquam vltimum finem referãtur: illa quoque, vti ad commune quoddam principium, bonorum omnium largitorem Deum, ipsius hominis motu tandem reducũtur. Ita enim de singulis disponere & statuere, ad hominis spectat officium, vti diuinis interim honoribus, res quidem omnes, quas administrandas suscepit deseruiant & famulentur. Demum ex hac tam dissimilium rerum in vnam hominis hypostasin, seu subsistentiam coitione, abunde satis humanis mentibus rationes suggeri affirmat Gregorius, quarum vi & momentis eruditæ, elationem omnem, & turgidum fastum comprimant, atque coërceant. Si enim ad corpus oculos aliquando dimiserimus: preterquam quod infinitis propemodum malis hoc obnoxium existat: videbimus preterea easdẽ molestias, morbos eosdem, ac lãguores, mala denique omnia quibus corpus præmitur & castigatur, ad animam quoque peruadere, & illi esse infestissima. Sicut enim puncta, aut lancinata, quam texunt araneę tela, quantocius ipsa aranea, ac si vulnus aliquod excepisset, aut infixum aculeum persensisset, in fugam se conijcit: Ita si quid acerbi, & molesti, si quid infortunij ad corpus affluxerit, ob eiusmodi huius cum anima agnationis cuiusdam arctissimũ vinculũ, haud aliter dolore, & summa ęgritudine ipsa discruciatur, quam si corporis spoliata indumento, nuda malorum illorum telis esset impetita & concussa. Quapropter in sacris eloquijs corpus hoc nostrũ illis nominibus signatum passim reperiemus, quę aperte indicent, animam ipsam his quæ à corpore proueniunt malis plurimum diuexari. *Educ*, inquit Psalmista, *de custodia animam meam*. Et Sapiens, *Terrena habitatio deprimit mentem multa cogitantem*. Et diuinus Apostolus Paulus: *Quis me liberabit de corpore mortis huius*. In carceris custodia, vincula, & compedes terrorem faciunt. Vbi iniectum humeris graue pondus, ibi casus & periculum obuia sunt. Mors, quæ corpus consequitur, hominibus etiam ætate, ingenio, & concilio confirmatis, hor-

Anima corporeis malis obnoxia.

Psal. 141.
Sapient. 9.
Rom. 7.

rorem ſolet incutere: quæ quidem omnia plus ſatis virium habēt, ad animam perturbandam, & dimouendam eam à quiete ſua natiua, ac ſerena illa tranquillitate.

Cognitio ſui quid ſit.

Cognitio itaque ſui, quam hoc in loco inquirimus: nihil aliud eſt, quā perfecta & exquiſita quædam notitia animæ & corporis, quæ latitudine ſua, & complexu, tam huius, quam illius ambiat, ſiue infirmitates & detrimenta, ſiue etiam perfectiones, & dignitatum ornamenta. Quā quidem ſcientiam, ex parte eius aliqua, naturales intellectus noſtri vires nobis pariunt, plenius autem, & perfectius eam Chriſtianę fidei cœlitus immiſſum lumen patefecit & expoſuit. Vt enim inquit D. Auguſtinus: *Non noueramus niſi naſci hominem, & mori: reſurgere hominem, & viuere in æternum, non noueramus: ſuſcepit* (nimirum Chriſtus) *quod noueras, & demonſtrauit, quod non noueras.* Atque hanc ipſam (vt ſic dicam) veram ſapientiam, ſi cæcus aliquis error vel deſidioſa obliuio nobis præripuerint: non ſolū exinde res humanæ in ſumma verſabuntur perturbatione, & denſiſsimis quaſi tenebris obuoluētur, verum & vniuerſi huius ordo, atque ipſa rerum conſtituta ſeries, omnino tandem inuertentur. Demus enim hominem faſtigium illud & culmen dignitatis, ad quod ipſum Deus euexit incognitum habere: an non hincinde eueniet, vti præſtantiſsima illa animæ ſubſtantia, quæ ipſius Dei viua & expreſſa imagine eſt inſignita, quæque terrarum orbi, & corporis omnibus affectionibus dominari & præeſſe deberet, cum ſumma turpitudine, & ſui abiectione, ſordium plane, & rabidarum perturbationum mancipium ſit euaſura? Quid enim fœdius, & humana excellētia indignius, quam ſpreto vel incognito Deo authore, & vltimo omnium fine (vt de quibuſdam loquitur Apoſtolus) ventrem tanquam Deum colere, aut erecto pecuniarij appetitus idolo, omnia animæ ſtudia, cogitationes, & labores, cum ſummo quodam decore impendere? Sicut & ècontrario quoque, qui ad honeſtas actiones peragendas, minus exploratum habet, quam infirmæ, quam debilitatę, & ferme confractæ naturæ ſuæ vires modo acceſſerint, is haud vnquam in cœlum intendens, ad diuinam opem ſupplici prece confugiet: quin potius viribus confiſus proprijs, ingeret, & immittet ſe audacius in illa etiam vitæ negotia, quorum difficultate tandem ſuperatus ac deiectus, ſero nimis caſu ſuo ſtultitiam & arrogantiam agnoſcat. Quocirca recte D. Auguſtinus huiuſce cognitionis ſui duas partes definiuit. Quarum prima ſit mente ad amuſsim tenere ac ſcire, quibuſnam rebus ſubijciendi ſimus: altera vero ea intelligere, quibus imperare debeamus. Sic autem loquitur. *Vt quid ergo ei præceptum eſt, vt ſeipſum cognoſcat? credo vt ſeipſum cogitet, & ſecundum ſuam naturam viuat*: id eſt, vt ſecundum naturam ſuam ordinari

D. Aug. in pſal. 60.

Ignoratio nis ſui mala.

Philip. 3.

Colloſ. 3.

Duæ partes cognitionis ſui. D. Augu. l. 10. Trin. c. 5.

dinari appetat sub eo, cui subdenda est, supra ea quibus præponenda est: sub illo, à quo regi debet. Videmus enim, in politicæ ac ciuili societatis ordinibus, singulos hominum in consessu sedes illas & subsellia occupare, quæ personæ quam susceperunt, & dignitati melius congruunt, & consentiunt. Ita quoque in hac rerum omnium machina, quam summus architectus construxit Deus, cuncta in certas quasdam series, & classes ab ipso distributa existunt: ex quibus præclarus iste rerum ordo, & vniuersi huius eximia pulchritudo efflorescunt. Quamobrem ad humani officij munus, hoc comprimis spectabit: vti quod medius sit homo quodammodo inter substantiam corpoream & spiritualem constitutus: sic vitæ suæ rationem instituat & componat, vt ne ex illis quibus ipsum natura ditauit, & ornauit donis insolentius se efferat, vel propter varias istius vitæ calamitates, & languores, quibus ferme conficitur, duram quandam sua sponte amplectatur seruitutem, illamque propriæ naturæ, & ingenitæ nobilitati suæ plane contrariam (fortunę asperitate victus) dimissionem sui turpiter suscipiat.

Hanc autem aptis & accommodatis in locis rerum constitutionem duplicem possumus discernere: prima ita ex ipsius naturæ imperio, & summæ cuiusdam necessitatis legibus seruanda præscribitur, vt nullo quidem pacto alicui possibile sit, limites ac decretos terminos egredi aut transilire. Animaduertimus enim ita comparatum esse à natura, vt planeta isthęc altera sit loco excelsior, & splendore illustrior. Atque inter ipsa elementa, tum quantum ad ipsius naturæ qualitatem, tum etiam ordinis situm & posituram, aliud alteri antestare & antecedere videmus: Quod in his quoque quæ ex horum coitione conflantur, deprehendere possumus. Neque tamen hinc efficitur, vt quæ inferiorem sortita sint conditionem, aliquid detrahere moliantur de superiorum dignitate, aut quę cæteris prælucent, ignobilioribus aliquam violentiam inferant: Sic enim non esset constans, perennis, & perpetuus rerum decursus. Quid enim ipsis Angelis, qui proxime ad diuinam naturam suę substantię claritudine & præstantia accedunt excelsius & sublimius excogitari poterit? Nihilominus primi isti splẽdores, prompti & expediti sunt ad omne charitatis & amoris officium nobis exhibendum: quo humano generi, dimisso, & humili aliquod ab illis emolumenti conferatur. *Nonne omnes sunt administratorij spiritus,* inquit Apostolus Paulus, *in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?* Cœlum quod terra infinitis propemodum gradibus præstat, benigna & copiosa influentia illam fertilem & fœcundam reddit: in cuius gremium rerum omnium copiam effundit, & vbertatem. Elementa oppositis licet qualitatibus instructa sint,

Ordo rerum duplex physicus & moralis.

Hebra. 1.

ſint, tamen mutuo quodam complexu ſeſe inuicem fouent & tutantur. Anima hæc noſtra, quæ diuina ferme eſt ſubſtantia, nihilominus corporibus craſsioribus quidem, & impurioribus infuſa, vitam illis, ſenſum, vegetationem, motum, & rationem elargitur. Idcirco quod homo inter hæc mundi aſpectabilia ſit pars quædam eius longe præſtantiſsima: ex naturę ipſius decretis gradum illum & locum obtinet, quibus cunctis, quæ in materia concretionem habent, ſit antepoſitus. Quā quidem dignitatis ſuæ apicem, quomodocunque demum ipſe animæ ſuę mores efformarit: ſi naturę & ſpeciei conditio ſpectetur, à ſe abijcere nunquam poterit. Altera autem eſt collocationis ratio, quam non tam naturalem, quam moralem nominamus: in quibuſdam ex pręſcripto rationis actionibus ſtudioſis poſita & conſtituta: à qua ſi prauis moribus animus diſceſſerit, ita rerum ordo & diſpoſitio inde immutabitur, vt quę ſummo in loco alioquin ſita & collocata ſunt: ea deijciantur, & omni plane excidant dignitate. Hūc autem diſpoſitarum rerum ordinis modum, & formam non natura ipſa excogitauit aut defixit, ſed arbitrij actionibus potius liberis, ac humanis Deus naturę author cōmiſit. *Sub te* (inquit) *erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Quamobrem, ſi aliquando ita contingat, vti immoderata aliqua mentis perturbatione exoriente, illius vi atque impetu voluntas ad ea deferatur concilia, quę rationis rectę iudicio aduerſantur, loco protinus, & gradu ſuo homo pulſus, inſanis affectionibus, & earum obiectis ſubijci ſe permittit. Sin vero vitam ſuam ſic inſtituerit, vti omnes virtutis numeros expleat, & ex ratione, non libidine viuat: tunc imperium illud, quod in alias res accepit, recte demum adminiſtrabit, authoritatem ſuam illęſam & imminutam ſeruabit, locum denique proprium tuebitur & pręſtantiam.

Gen. 4.

Perſ. Satyr. 3.

. . . . *quem te Deus eſſe*
iuſsit, & humana qua parte locatus es in re
diſce.

Quatuor ſpectantia ad cognitionem ſui.

Quamobrem vt ſubductis ſingulis rationibus, integram quaſi ſummam tandem conſtituamus: hanc ſui cognitionem quatuor partibus contineri dicimus. Quarum prima hoc nobis præcipit, vti ſcientia quadam adſequamur res illas, quæ ipſum hominem componunt, & conſtituunt. Secunda illud præſtat, quo harum partium vires & proprietates inueſtigentur. Ad tertiam ſpectabit finem aliquem vltimum actionibus noſtris præfixum diſquirere, & quam ſagaciter odorari. Denique quartæ proprium munus erit, ea omnia ratione animoque luſtrare, quæ ad huiuſmodi finis indeptionem maxime conducunt. de quibus diſtincte, & ſingillatim poſtea inſtituendæ erunt diſputationes.

Quantum

Quantum ad virtutem, & ipsius hominis officium, sui cognitio conferat?

CAPVT II.

MIRVM profectò videri poterit, quam acris, quamque vehemens addiscendi cupiditas quorundam animos incesserit, cuius quidem rei desiderium ita penitus aliquando illis insedit: vti in longe dissitas regionum oras varijs confectis itineribus, infinitis propemodum exantlatis laboribus hoc vnum votis & studijs suis præfixerint, quo exilem aliquam & tenuem earum etiam rerum notitiam perciperent, quæ extra hominem omnino positæ sunt & collocatæ. Huiusmodi cupiditate literaria inflammatus ille fuit, de quo scribit D. Hieronymus: Qui intrauit Persas, pertransiuit Caucasum, Albanos, Scitas, Messagetas, & opulentissima Indiæ regna penetrauit: vt Hierarchũ in throno sedentem aureo, inter paucos discipulos, de natura, de siderum motu, de dierum cursu docentem audiret. Neque est, quod huc in medium modo adducam varias Græcorum, tum ad Ægyptios, tum etiam ad Chaldæos, imo & Latinos commigrationes eruditionis caussa susceptas. De quibus Iosephus disseruit: ne Græci se disciplinarum omnium inuentores, cum fastu ingenijs ipsorum consono venditent. At horum potius vitium & superfluam quandam curiositatem designauit D. Basylius, & sugillauit, cum dicat: *Naturæ proclinitate prægestimus nosse cœlum quid sit, quam quid nos ipsi.* Nam si vel vtilitatem spectemus, vel etiam scientiæ nobilitatem, nihil profectò in caussa esse videbitur, ob quod externarum rerum studio animus noster ita esset à se quasi auulsus & abreptus, aut in illis exquirendis, se ipso neglecto, tantum laboris collocaret. In hac etenim vita, sicut ad virtutem conducibilius nihil, ita neque prestantius ipso genere cogitari mente poterit, vel actione suscipi, quam sit suimet ipsius exacta quædam cognitio. Hanc siquidem vel natura ipsa omnium notionum primam defixisse & constituisse visa est. Si enim ea primo in loco indagatione solerti à nobis exploranda sunt, quæ aut nobilitate reliquis prælucent, vel intellectui humano, vtpote illi viciniora, familiarius & frequentius obuersantur: cum nobis luce clarius constet, nihil in hoc vniuerso aspectabili, cum hominis excellentia atque dignitate conferri posse: neque aliquid demum esse nobis coniunctius, vel agnatum magis, quam illud ipsum quod sumus: certe non video, cur non seclusis alijs animi occupationi-

Appetitus addiscendi.

D. Hieron. ep. ad Paulin lib. 2. ep. 2. Philost. in vita Apollonij.

Ioseph. l. 1. cont. App.

D. Basyl. homil. 16. de primigen. hom dign.

Cognitio sui inter notiones animæ prima.

bus, in eo potissimum sit desudandum nobis, quo abdita humanæ naturæ mysteria sedula inquisitione explicentur, quo quam diligentissime eiusdem principia, effectus, proprietates, & reliqua ad eam spectantia, certa quadam ratione atque arte pertractentur: quorum quidem ignoratio, summa meo quidem iudicio censebitur inscitia, etiam in eo qui cætera omnia exquisite mente caluerit. Nam quod turpissimum censeri debet, in rebus suis, in quibus præcipuum inest pondus ad illud, quod omnium extremum est & perfectissimum, hospes adhuc erit & peregrinus. Propterea vt scribit Euseb. Cæsar. fidele & omnibus saluberrimum illud ab ipso Deo expositum fuit concilium, quod in porticu Delphici templi tabulis inscisum, his verbis exprimebatur, γνῶθι σεαυτὸν, cognosce teipsum. Deo autem ita consulenti, hac vnica particula templum adeuntes respondebant εἶ, est. de qua sic loquitur Plutarchus: *Non numerum, neque ordinem, nec coniunctionem aliquam, nec aliquid aliud imperfectum, ea dictione significari existimo; sed perfecta quædam ad salutantem mihi responsio videtur.* Ex quibus coniectare licet, quantum antiquissimorum sapientum calculis ęstimatum fuerit, suimet ipsius cognitionem, ad virtutem conferre. Nam quod de ipso Deo proferimus, dicentes εἶ, qui est: eo vel maxime ipsius perfectionis amplitudinem enuntiamus. Cętera enim omnia, cum aliquando exorta fuerint, sintque deinceps interitui obnoxia: si cum illo comparentur, qui ab infinitis retro actis sæculis priscus extiterit, quique nullæ mutationi futuræ subiaceat, vix esse dici poterint. Eodem plane modo, si ad nos ipsos mentis nostrę oculos reflexerimus, nihil inueniemus quod ad hominis officium magis conducat, aut ad virtutem acquirendam plus ponderis & momēti obtineat, quam quid nos ipsi simus perspectum & exploratum penitus habere.

Euseb. Cæsar. præparat. euang. c. 7.

Cognitio sui præceptum Dei.

Plutarc. apud Euseb. loco sup. Iuuenal. satyr. 11.

Hieron. ep. ad Rustic.

. . . . . *è cœlo descendit*, γνῶθι σεαυτὸν.

Iuuenal. Satyr. 11.

Nam vti ab ipsius causę fundamentis exordiar, hominis officium vniuersum quatuor ordinibus quasi, seu relationibus conclusum videbitur. Quarum prima, illam actionum nostrarum ad virtutis regulam iustam, & constantem proportionem dicit, vt earū singulæ conuenienter ipsius hominis naturæ respondeant: vtpote vitiosa lenocinia voluptatum à sensibus abdicare, & tanquam decoris nostri labeculas opprimere, rationem in omnibus superiorem prętare, nullo demum crimine nocumentum nobis consciscere. Alia vero eam vitę normam inuoluit, qua alius alij comparatus, iuste, pie, & amice omnia moliri iudicetur. Tertia in illa definit, quę homine existunt inferiora, & ipsi lege quadam immutabili naturę subiecta. Veluti de rebus suis recte disponere, efficere vt externa bona virtuti in omnibus inseruiant & famulentur. Quarta denique ad

Officium hominis ex quatuor constat.

superiora

ſuperiora hominem refert, & ad illud, quod omnium eſt pręſtantiſſimum, in quo finis ipſius pręcipue verſatur, & quaſi è terris ad cœlos hęc ipſum euehit & transfert: pietate autem, religione, fide, ſpe, & charitate tota continetur. Verum huiuſmodi pręclara ſumma cum virtute coniuncta munera obire nullus demum recte poterit, niſi qui ſeipſum prius exacte cognouerit. Fieri enim nequit, vt qui animi officium illud eſſe ignoret, quo ſenſus cohibendi ſunt, & rationi dimittendi: formam vitę ſibi conſtituat honeſtam, aut deuictis voluptatibus, mentis principatum actione conſtanti tueatur. Cęterum qui ſe diligentius expenderit, & quaſi trutina & ſtatera prudentis animaduerſionis examinauerit: is turpitudinis quandam notam ſibi perpetuo inurendam arbitrabitur, ſi modo incuria aliqua ſuperiorem ſui partem rabidis ſinat perturbationibus cedere, voluptatúmve mollitie illectam, à virtute ſubduci. Quandoquidem optime intelligat vel naturæ ipſius opificio, animam in excelſa quadam & ſublimi ſede atque arce eſſe collocatam: quę corpori, & ab hoc profectis affectionibus imperare debeat, ac illis omnibus leges imponere. Atque vti de his ſolum in pręſentiarum loquamur, quę ipſum hominem (ſublato etiam ad exteriora omni eius reſpectu) intuentur: ſi hanc notionem ſui ſemel excluſerimus, ſtatim quęlibet noſtra actio modum atque ordinem recti excedet, neque alia vitæ ſtudia, quam quæ cum ſummo periculo vel dedecore ſunt coniuncta, à nobis ſuſcipientur. Ignominiæ ſane maculam ſubiret is, qui regia præfulgens dignitate, purpura exutus, manibus etiam ſceptrum abijciens, ſago poſtea ruſticano veſtitus, vomere terram verteret, aut mancipiorum officia alia exerceret. Vel ſi armis clarus, & conſpicuus Imperator belli, tollerantia induratus, ac victorijs orbi illuſtris, mulierum mores, munditiem, cultum, & leuitatem imitanda ſibi proponeret: peruerſum quid (abſque dubio) & perſonæ quam ſuſtentat ineptum plane omnium ſententia agrederetur. Haud aliter (mea quidem ſententia) is demum ſe geret, qui abiecta cognitione ſui, vitæ ſecum rationem aliquam inſtituit. Fieri enim non poteſt, quin hac ſemota, ſeipſum quoque negligat, & in omnem tandem vitiorum turpiſsimam ſeruitutem conciliorum temeritate incurrat. Ad iſtius autem abiectionis, vel confictæ ſolum, aut animo conceptæ aſpectum exhorreſceret plane ille, qui ingenitæ nobilitatis ſuæ rationem aliquam habendam ſtatuerit. At neque hæc ſui ignoratio grauiſsimo carebit periculo. Videmus enim interdum deſtitutos mente, ira & furore nonnunquam ita eſſe percitos, vt nudi licet ſint, imperterritos tamen hoſtilibus armis ſeſe vltro obijcere, ferrum aut flãmam non extimeſcere. Quæ quidem non attentarent, ſi vires proprias ſecum cogitarent, aut

Ignoratio ſui periculoſa.

aduersariorum vim intelligentia aliqua perceptam haberent. Haud secus illis euenire solet, qui quod ne coniectura quidem propriæ facultatis rationes adsequantur, quæ potestatem ipsorum longe excedunt, insolentius aggrediuntur: proinde non solum effectu decreto frustrati, verum & insigni aliquo damno inde conflictati, in vituperium, in dedecus, in cladem aliquam ad extremum impingunt. Quocirca hac sui cognitione duo inter cætera exploranda definiuit author apud D. Augustinum: *Duo* (inquit) *nobis necessaria sunt, vt cognoscamus quales sumus ad malum, & quales ad bonum.* Vt itaque mediocritatem in his seruemus omnibus, quæ à nobis peragenda sunt, multum nobis conferet hæc sui cognitio. Ex hac enim ad excutiendam socordiam & desidiam, virtutum actiones omnes dimanant, cuius etiam concilio instruimur, vti ne viribus imparia vnquam moliri velimus, aut ne in exequendis vitæ negotijs nimis elati simus aut temerarij. Hinc præclara illa virtus, & Christiani splendoris veluti quidam lucifer, quam humilitatem nuncupamus, medium legitimum humanis conatibus constituens, huic cognitioni sui, tanquam basi & fundamento vel maxime subnititur. *Ad humilitatem* (inquit D. Thomas) *proprie pertinet, vt aliquis seipsum reprimat, ne feratur in ea, quæ sunt supra se: ad hoc autem necessarium est, vt aliquid cognoscat id, in quo deficit à proportione eius, quod suam virtutem excedit.* Istius autem virtutis luce cum mens imbuta fuerit, & quamprimum cognitionis huius radius animo illuxerit, fiet statim vti fugientem è Sodomis Loth imitemur. Non enim consequemur salutem in illa depressa planitie, vbi impuri sodomitę, & voluptatum cæno obducti conflagrarunt: verum neque in excelso montis culmine periculum flammę effugiemus, sed potius in Segor, humilitatis nimirum excepti domicilio, tam montium præcipites ruinas, quam vallium fœdas euitabimus contagiones.

D. Aug. de spirit. & anim. c. 52.

Humilitas ex cognitione sui.

D. Thomas. 2. 2. q. 161. a. 2. in corp.

Genes. 19.

Quod autem ad alterum spectat, in quo ordinem quendam & respectum reciprocum inter ipsosmet homines designauimus: si cognitio sui eo vsque indagine peruenerit, vti intelligat ex eadem terræ huius gleba omnes plane homines indiscriminatim ortum, & nobilitatis prosapiam deduxisse, eundem quoque vitæ exitum & laborum finem expectare, eidem vti communi parenti ac principi Deo subijci, eisdem viuendi legibus ad virtutem institui, contingere non poterit, quin cum perceperit animus tali ipsius naturæ vinculo ita constrictos & colligatos esse omnes homines inter se, ad amorem & beneuolentiam mutuis beneficijs præstandam excitetur. Sed neque hoc solum ex sui cognitione fiet, vti affectione sese inuicem homines prosequantur, verum etiam vt honore & reuerentia illis morem gerant, qui in altiore dignitatis loco & principatus

Cognitio sui ad vitam ciuilē requisita.

patus faſtigio collocantur, qui Reipublicæ clauum & gubernacula tenent, atque rerum ſummæ imperitantes moderantur. Nam qui ſeipſum nouerit, is facile ſciet, hoc ipſum hominis naturam poſtulare. Vt enim vita ciuilis, & inter ipſos homines, qui iiſdem legibus teneri debent, cum tranquilitate, & dulciſsimo pacis otio, ſocietas ſeruentur: neceſſe erit quoſdam conſtituere, qui cæteris præſint, alios vero, qui horum mandata prompte conficiant & exequantur.

Venio nunc ad tertium, quod poſitum dixi in relatione quadam ipſius hominis ad alias iſtius mundi partes, quibus nunc cinctus eſt & circundatus. Quoniam infinita propemodum ſunt, quorum ardente deſiderio humanus animus exęſtuare ſolet vehementius: inter quæ etiam homini aliqua noxia reperiuntur, quæque fugienda ſunt potius & repudianda: idcirco omnino neceſſarium erit rationem aliquam exponere, cuius admonitu, & quaſi ductu, eorum actione noſtra delectus fiat, quæ humanis officijs, & ipſius hominis dignitati magis accommodata exiſtunt. Nihil autem ad hoc plus conferre videtur, quam ſi cōditionem noſtræ naturæ nobis perſpectam effecerimus. Qui enim cuiuſlibet rei perfectam aſſequutus eſt ſcientiam, qua res ipſa penitus cognoſcitur, is facillime diiudicabit, quidnam ipſi aptius reſpondeat, quidve eidem aduerſetur & repugnet. Huiuſmodi enim ratiocinatione Saluator noſter aliquando vſus, adſeruit parentes filijs, multo autem magis Deum petentibus ea ſolere munera impertire, quæ iudicantur ipſorum naturis rectius conuenire: eaque negare, quæ eſſent ipſis nocitura. *Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? aut piſcem, nunquid pro piſce ſerpentem dabit illi? aut ſi petierit ouum, nunquid porrigit illi ſcorpionem?* Optime ſiquidem norunt parentes, ſerpentes & ſcorpiones interitum potius filijs ſuis allatura: quod ab ipſa natura inſitum illis ad vitam ſuſtentandam paſtus appetitum, recte calleant huiuſmodi refugere & auerſari. Salamandram, (cum eius naturam exploratam habemus) ſi in ignem coniecerimus, nihil inde nocumenti conſequuturam putabimus: ſin vero manum vel pedem flammis intulerimus, protinus deuaſtandam intelligemus. Quare vt inter hæc bonorum circumfluentia genera, quibus vita noſtra abundat, ita nos ipſos comparemus, vti ea ſola adſciſſere velimus, quæ prodeſſe nobis poterunt: iuuabit omnino tam corporis, quam animæ rationem diligentiſsime expendere, & harum partium naturas exquiſita aliqua ſcientia tenere. Cum enim ſemel nobis clare conſtiterit, eam eſſe noſtri excellentem dignitatem, qua veluti regia reſplendentes purpura reliquis omnibus authoritate & imperio antecellimus: indignum plane fortuna noſtra & gradu ſentiemus, minus recta aliqua

Adminiſtratio rerum pendet à cognitione ſui.

Luca 11. Vide Auguſt. ep. 121.

Plin. nat. hiſt. lib. 10. cap. 67.

Hominis dignitatē tuetur sui cognitio.

actione, quasi ex alto decidere, & nihil è terris elatum suspicientes, infimis rebus turpiter obsequi & parere. Enimvero ex vitiosis actionibus, & à recta ratione auersis, summam eamque grauissimam seruitutem homini inferri, quis non animaduertit? Ita enim rerum ordinem corrupti & deprauati mores inuertūt, vt quod lōge sub ipso homine positum est & constitutum, illud euadat tandem, in quo vltimus actionum finis, & totius vitæ scopus ab ipso collocetur. Non enim is erit homo amplius, qui imperium tenet, qui iure suo vtatur, quamdiu vitæ ratio ex libidine solum deducta animi mores efformat: sed potius res illæ, quarum amore intemperanti flagrat, ipsum tanquam vinculis constrictum seruum aliquem aut captiuum detinebunt, eoque deprimènt & deijcient, vti terræ fecibus intimo animi sui affectu totus incumbat & inhærescat. Nam si homo is esset, qui principatum obtineret, tunc ipsa ratio, in qua hominis dignitas mirifice elucet, ita actiones ipsius institueret, vti virtutum præceptis optime quadrarent & consentirent. Cæterum turpis molitio, & à recta ratione aberrans, ita menti aduersatur, vti illam omnino loco pellat, deijciat, imperij habenas temeritate quadam concitatæ perturbationis manibus eius excutiat. Quocirca qui huiusmodi nefarijs actionibus vim rationi inferunt, illamque è sua alta sede deturbant, Ionam imitari videntur prophetam. Hic namque eo animi sui concilio motus nauem conscenderat, quo tanquam fugitiuus seruus Dei ipsius imperio sese infeliciter subduceret. Ita qui vitiose degunt, hoc vel aliud semper assumunt, in quo vti in vltimo fine conquiescant, atque ab ipso Deo quodammodo diffugiant. A qua dimissione sui, cum summa turpitudine coniuncta, illa nos demum cognitio poterit auocare, quæ naturæ humanæ excellentiam contemplatur. Fieri enim nullo pacto poterit, vti postquam eximia illa hominis præstantia sui speciem oculis nostris iniecerit, & semel nobis affulserit, illis subijci velimus amplius, quibus potius imperare deberemus. Hoc etiam nomine vel maxime vitia detestanda censebimus, quod ceruicibus nostris grauissimum inducant seruitutis iugum, nosque ita errore obcęcatos & dementatos plane reddant, vt cum Esau, amplissimum patrimonium vilissimo quodam iusculo postponamus: neque à Deo Optimo & Maximo, liberorum instar, panes, pisces, oua, & huiusmodi bona, quibus nostra vita sustentari solet, exoptemus; sed potius lapides, serpentes, & scorpiones desideremus, quibus tam animæ, quam corpori extremum malum inferatur. Habenda est idcirco imprimis ratio humanæ dignitatis: vnde ex Sapientis concilio nobis ipsis, non honoribus, non diuitijs, non fortunę casibus attendamus. Hæc enim circa nos sunt, & longo nobis inferio-

Iona c. 1.

Luca 16.

ra: de

ra: de quibus nec videtur magnopere laborandum. quod & D. Ambrosius istis nos admonuit: *Tibi ergo attende, & teipsum scito, hoc est, non quales lacertos habeas, non quantam corporis fortitudinem, non quantas possessiones, quantam potentiam, sed qualem animam ac mentem, vnde omnia concilia proficiscuntur, ad quam operum tuorum fructus refertur.* Nam si reliqua bona fortuna & casus nobis eripuerint, tametsi in admiratione sint hæc apud plebem imperitam, nihilosecius cum nos ipsos exacte cognouerimus, ea facile contemnemus, eorumque dispendium leuiter feremus. Vt enim inquit Cicero: *In hac ille magnificentia rerum, atque in hoc conspectu, & cognitione naturæ, dij immortales cum se ipse noscet, quod Apollo præcepit Pithius, quàm contemnet? quàm despiciet? quàm pro nihilo putabit ea, quæ à vulgo ducuntur amplissima?*

D. Amb. l. 6. hex. c. 7.

Cicer. l. 2. de legibus.

Postremo denique hæc sui cognitio, quantam ad diuinas actiones efformandas vim habeat, nemo credo est, qui non facile persentiscat. Nam vt scribit Cicero: *Qui seipsum norit, primum aliquid se habere sentiet, diuinum ingenium in se suum, sicut simulachrum aliquod dedicatum putabit, tantoq; munere deorum semper dignum aliquid faciet & sentiet.* Cum enim totius humanæ vitæ extremum terminum cognouerimus, qui his, quæ sensibus obijciuntur nostris, longe sit excelsior & diuinior, quemque nihil aliud esse posse, quam ipsummet Deum perspexerimus: ad officium nostrum vel maxime conducere arbitrabimur, diuinis legibus nos obsequentes reddere, honoribus Deo deferendis omne vitæ studium, omnemque eius curam consecrare. Hæc etenim cognitio cœlum quodammodo rescindit, actionum nostrarum metam & sublimem scopum, ad quem collimare debemus ob oculos statuit & proponit. Si namque nullus sit qui telum recta dirigat, nisi prius oculis metam ipsam lustrarit: nemo profecto hominum reperietur, qui vitæ suæ instituto illud quod optimum est adsequatur vnquam: nisi prius certa aliqua scientia hoc ipsum indagauerit, & menti altius defixum tenuerit. quo semel inuento & excogitato, tunc quasi proram manu tenentes, oculosque in ipsam cinosuram figentes, felicem totius vitæ cursum conficiemus: tandem vero omnium iucunditatum portu excepti, veram inde beatitudinem consequemur.

Cicero l. 2. de leg.

Virtutes Theologicæ à cognitione sui dependent.

Animæ cognitionem nobis difficiliorem eſſe oſtenditur, & obſcuriorem, adiuncti corporis ratione.

CAPVT III.

HEBRAICI populi eximia illa dignitas, & apud Deũ gratia qua valebat ſingularis, humanum profecto illũ oculum omnino effugerent, qui tyrannici Principis dira ſeueritate depreſſum, inedia & laboribus confectum, in alieno, idque barbarico, & inculto ſolo oberrantem contemplaretur. Quis enim tandem ſecum exiſtimaret, quorumcunque mortalium ipſi Deo homines longe chariſsimos, diuinarum promiſsionum ex teſtamẽto hæredes conſtitutos, radijs cœleſtis cuiuſdam cognitionis illuſtratos, ipſius Chriſti proſapia nobilitatos, omnium denique chariſmatum affluentia ditatos, in has demum miſerias & calamitates infortunio deueniſſe: vti luteis vaſis formandis, paleiſque ventorum turbine diſsipatis recolligendis, victum queritarent, ac vitam miſero quodam labore ſuſtẽtarent? Eodem plane modo, qui acerbitates illas, & moleſtiarum genera, illa inquam omnia incommoda, quæ humana mens corpori incluſa indies patitur, diligentiori animaduerſione expendunt, ægre admodum adducuntur vt credant, ad illam dignitatis apicem hanc noſtram animam tot malis obiectam, diuino opificio euectam eſſe: vti ipſius Dei naturam, in carnis fragili mole, veluti in rudiori tabella exprimat, aut adunbret: vel quod æternitate dimenſa perpetuo ſubſiſtat, neque vnquã aliquo interitu ſit defluxura. Si namque vim animæ intellectilem primo in loco intueamur, hanc adeo reſtrictam, repreſſam, & anguſtis quibuſdam cancellis coërcitam reperiemus, vti intelligamus ad ea ſolum, quæ in materia concreta ſunt, & coagmentata ipſam operatione ſua pertingere, & neſcio quorum phantaſmatum, quaſi nebulis è ſenſuum lacunis exorientibus obductam, ab aperta veritatis luce repelli perpetuo, dum aliquid deſpicere conatur. Illa præterea appetendi facultas (vti experimur) quæ ambitione haud culpabili cœlorum verticem tranſcendere deberet, nunc rabidis quibuſdam perturbationibus impetita ac ſuperata dimittitur & frangitur; nunc vero fœdioris voluptatis emollita blanditijs, (veluti hamo altius viſceribus infixo) huc atque illuc dulci quodam malo pertrahitur. Tot interdum ipſa anima morbis cõflictatur, tot fluentiũ & refluentium caſuum Euripis latera eius quotidie concutiuntur: mortis etiam aſpectu, quo nihil formidabilius, ita percellitur, vti nihil ipſa anima inconſtan-

Animæ in corpore ſimilitudo cum populo Hebræo in ſeruitute. Heb. 1.

Animæ incommoda ex corpore.

inconſtantius aut infelicius cogitari poſſe videatur. Hanc vero animarum ex corporibus enatam & profectam conditionem adeo iniquam & miſeram ſententijs ſuis ex ſecta Origenis homines rati ſunt, vti animas in hæc corpora, tanquam in quædam ergaſtula, ad pœnas peccatis debitas luendas affirmarent eſſe detruſas. Alij autem illam opinionem ſuſceperunt, qua iudicarunt diſſoluto corpore animam quoque defluere, in tenues auras abire, imo in nihil tandem euaneſcere.

At quoniam ſimilitudinis rationem aliquam, inter animam corporis mole oppreſſam, & Hebræũ populum extrema quæque ab exteris perferentem conſtituerimus: ad hanc illuſtrandam magis, proderit omnino eiuſdem populi acerbos caſus, quos in captiuitate Babylonica ſuſtinuit, enucleatius paullo recenſere. Deploranda ſane fuit Hebræorum hæc deuaſtatio, & totius ferme illius gentis exterminatio acerbiſsima, quæ vel cordi adamantino commiſerationem incutere, & doloris aculeos intime poterit infigere. Diruto etenim templo, & exciſa ciuitate regia, in externo ſolo, idque Babyloniæ, exules & extorres Iudæi vitam ærumnis confectam plane traduxerunt, ſeu potius diuturniorem mortem prolixiori exilio propagarunt. Qui cum infinitis propemodum malis vrgerentur, vti tamen illis riſum facerent, quibus miſere parere cogebantur, in mandatis acceperunt canticum atque hymnum non niſi de canticis Syon occinere. An non anima hæc noſtra Syon quaſi eiecta domicilio & arce, hoc eſt de ſublimi contemplationis ſpecula deturbata cenſeatur, corpori huic infixa, hiſque cymereis tenebris ignorantiæ circunfuſa? Sed neque alibi ſedem defixit, quam in ipſius Babylonis emporio, quippe in quo rerum omnium confuſio, & totius vitæ noſtræ cernitur perturbatio. Si enim corporis rationem cogitemus, quid aliud quam animæ exilium, & captiuitatis iugum eidem iniectum nobis occurrent? neque enim ita cœlum à terra ſpatij interiectu diſsitum eſt & ſeuulſum, ſicut anima ſubſtantiæ ſuæ differentia à corporum conditione, ab hæc inquam mole craſsiori qua detinetur, diſcreta & ſeiuncta. Duæ etenim naturæ iſtæ, quaſi duo populi exiſtunt, quarum altera hoſpitio excepta externo, anima nimirũ, omnino peregrinatur. Sublimius quippe hæc anima, corpus autem vile & abiectum. Anima ſpiritualis, corpus concretum quid, & terrenis contagionibus obnoxium. Anima à corpore auulſa, veritatis lucem, & omni amœnitate circumfluẽtes eliſeos campos inquirit. Corpus autem hoc quid aliud, quam terræ debitum vectigal, vermium eſca, & inferius deprimendum? Iam animæ peregrinationem deſcripſimus, adiectam quoque eidem ſeruitutem inſpiciemus. Babylonicos Dominos, noſtri corporis ſenſus merito appello: qui imperium ſane acerbiſsimum

Iudæorum miſeria in captiuit. Babyl.

Pſal. 136.

Anima in corpore quaſi in ſeruitute Babylonica.

Corporis & animæ diuerſa natura.

Corporis imperium in animam.

mum continuo in animam exercent, huc atque illuc, pro libidinis intemperanti varietate eam impellentes. Nunc etenim visus seuere in prçceptis animæ tradit coloribus intendere, & ex his voluptatem aliquam venari. Auditus iubet in percipiendis soni numeris, apte & ex συμμετρία modulatis, ipsam sedulo occupari. Præcipit olfactus, vt arte quosdam confectos odores vel peregrinum murem per immensa terræ marisque spatia mercatu suo acquirat. Gustus mandat, vt in esculentis & poculentis comparandis omne studium & curam ponat. Tactus vero imperat, vti eius solicitudine sensibus adhibeantur titillationes, quibus suauius ipsum corpus tractetur. Quæ quidem omnia per sensus nostros ingressa, cum ad interiorem concupiscendi facultatem peruenerint: Deus bone, quos fluctus, quas turbas & tragœdias concitare solent? Hinc amor animæ vires emollit, eneruat, & dissoluit plane. Odium, absynthio suo & felle, iucunditatem omnem exterminat. Ira veluti flamma crepitans, fumo admixta, accendit, inficit, & deuastat animæ pulchritudinem. Spes in altum vi quadam eam rapit. Desperatio curarum fluctibus obruit, & sub orcum recondit. Babylonis profecto imperium vti in nobis agnoscamus, necesse erit. Quare obstrepentibus huiusmodi affectionum turbis, vbi omnia summa quadam confusione permiscentur: quomodo anima hoc modo perturbata, in hoc sui exilio cantilenam natiuam voce canora proferre poterit, aut aliquid se dignum in vita præstare? An non sedere cogitur (parum enim esset, si ad fugam parata staret, vel si iam in ipso cursu festinaret) super flumina Babylonis, vbi voluptates & sensuum oblectamenta instar rapidissimi cuiusdam torrentis decurrunt? proinde mirum non erit, si in salicibus suspensa omnis veræ ac liquidæ iucunditatis eius organa existant. Nam hæc nostra corpora veluti salices quædam, humore fluenti vegetatæ, facultates animæ detinent vinculis constrictas & quasi suspensas ferunt. Quis itaque animo & cogitatione hæc, quibus humana mens inuoluitur & implicatur, mala secum perpendens, florescentem eius speciem, & eximiam pulchritudinem in tanto corporis dedecore, cōtēplari poterit? Si enim ex Platonis sentētia, humanum corpus Græco vocabulo σῶμα dicatur, quasi σῆμα, sepulchrum: quod in sepulchro nihil eximium imo nec viuum aliquid aut vegetum delitescere semper existimamus: animæ quoque conditionem, sepulchri istius obiectu impediti, ac si præclarum aliquid esset, persentiscere & definire iudicijs nostris nunquam valebimus. Immersa namque luto, vel Apellis penicillo delineata Helenæ effigies, colorem omnem & venustatis elegantiam amittet. Ita anima corporis lue & contagione affecta & deformata, longius ab illa sui forma recedit, qua alioquin à cor-

Plato in Cratilo.

pore

pore ſecreta, tanquam lucidiſsima gemma præfulgeret. Imo ita corpori iam penitus adhæreſcit, & agnata eſt, vt in corpoream & craſſam quandam ſubſtantiam viſa ſit tranſijſſe: Eodem plane modo ac ſi infans aliquis, regio ſanguine illuſtris, ab incunabulis in paſtorum caulis & antris educatus, barbarus tandem & agreſtis ex conuictu illo euaderet. Commentum eſt poëtarum, Dianæ præſtigijs Acteonem humana fuiſſe exutum forma, & in feram transformatum, à ſuis canibus demum, quòd in ipſo nullum prorſus herilem authoritatem agnoſcerent, decerptum & dilaniatum miſere perijſſe. Vnde autem iam euenit, vti tot feræ & immanes plane cupiditates in animam gregatim incurſent: niſi quòd hæc dignitatis purpura ſpoliata, à ſeipſa quodammodo degenerauerit, & feros quoſdam mores immanemque alicuius naturam oſtenderit? ideoque iam-iam peritura ſero nimis exclamat.

Corpus animam quodammodo mutat.

Ouidius Metam. l. 4.

. . . . . *Dominum cognoſcite veſtrum.*

Quamobrem non cuiuſuis aut vulgaris alicuius ſtudij erit, ad pleniorē ipſius animę notitiā penetrare: Si enim corpus ſpectemus, cuius craſsiori anima inuolucro cōtegitur, illam eſſe drachmam deperditam affirmabimus, quā mulier ex relatu Euāgelij acceſa lucerna & verſa domo diligēter inueſtigauit. Ad exquirendam idcirco animæ ipſius naturam, cognitionis ſingulari quodam lumine indigemus: poſtmodum omnes è corpore enatæ ſordes, quibus veluti pulueribus & fuligine ipſa deformatur, erunt ſeponendæ. Sic D. Baſylius admonuit: *Sed præſtantiori quadam ſapientia opus eſt, qua ſeipſum quiſque quidnam ſit, noſſe valeat: id vero his, qui minime repurgata mente ſunt, difficilius eſt, quam in ſolem aſpicere lippienti.* Si enim aurum terræ viſceribus implexum, vel margaritæ conchis marinis incluſæ, ſpeciem pulchritudinis ſuæ noſtris non ingerunt ſenſibus, priuſquam feces omnes illis agnatas, vel ignis ardor decoxerit, mallei vis diſperſerit, vel lima aliqua abraſerit: neque ſublimis animæ noſtræ effigies nobis effloreſcere videbitur, niſi tenebras illas, quas corpus ipſi offundit, & quaſi contractam ex eius commercio fuliginem, alta & exquiſita quadam ſcientia rerum naturas diſcernente eiecerimus. Quam quidem notitiam adeo difficilem, implicatam, & obſcuram arbitratus eſt omnium ſummus Philoſophus ille Ariſtoteles, vti dicat: *παντῃ κάι παντως τον χαλεπώτατον, λαβὲιν τινα πιςτην περὶ αὐτὴν. Difficillimum eſt, aliquam fidem habere de ipſa.* Hincnamque venit, quòd ita ſententia & opinione de animæ ſubſtantia diſputans Ariſtoteles, ſępiſsime fluctuarit. An enim hæc eſſet immortalis atque humani corporis vera forma, illi intrinſice indita: an mortalis potius, vel ſaltem eidem extrinſice aſsiſtens, anxie & trepide inquiſiuit. nec immerito. Si enim aliquam exerceat anima

Luca 15.

Anima cognitio difficilis.

D. Baſyl. de leg. lib. proœm.

Ariſtot. 2. de anima textu 4.

Anima difficilis inquiſitio.

An sit corporis forma necne. operationem, quæ nullum prorsus à corpore exigit adminiculum: vti credimus contingere, dum intelligimus, & rerum causas contemplamur: vacillabit philosophus, & mentem eius diuersæ trahent cogitationes ancipites subdubitatem, an ad corpus aliquo modo spectet necne. Sin autem exploratum habeat, eam corporis esse formam, tunc à corpore ita pendere suspicabitur, vti eo dissipato & conuulso, ipsam quoque pariter intercidere opinari incipiat.

Vnde corporis hæc cum anima coniunctio, obscuriorem nobis facit eius intelligentiam: cum videamus mirabili quadam consonantia substantias ita dispertitas, atque ipso genere discretas, in vnum suppositum tam amice coalescere. Proinde nec incongrue quidem affirmare possumus, ita corpus animæ vmbram quandam adijcere: sicut & terra lunæ nebulam effundit, dum sui interiectu splendorem eius nostris eripit obtutibus. Verum D. Thomas duplicem quandam viam & methodum nobis repandit, qua in animæ notitiam vtcumque deueniamus. *Vno quidem modo* (inquit) *particulariter, secundum quod Socrates vel Plato percipit se habere animam intellectiuam, ex hoc quod percipit se intelligere. Alio modo in vniuersali, secundum quod naturam humanæ mentis ex actu intellectus consideramus.* Ex operationis itaque genere, ipsius animæ nobilitas & præstantia nobis elucent: quantumuis illi corpus crassum hoc & terrenum adhæreat. Sicut enim post solis occasum, tametsi solis ipsius substantiam haud oculis intueamur: nihilominus ex tenui illo diffuso lumine, quo inferiora illustrantur, aliquatenus solis splendorem animis ęstimamus: Ita licet propter corporis interiectam crassitiem aperte & explicate intueri non possimus animæ fulgorem, & eius eximiam magnitudinem: tamen ex vi & energia operationum, qua etiam in corpore collucet, quamque cogitatione nostra deprehendimus, illam non nisi excellentis & sublimis cuiusdam esse naturæ facile diiudicamus. Sit politus & excultus iste Iacob fratris sui Esau vestibus indutus, hirsutus totus & hispidus, atque plane agrestis: licet Esau manus esse videantur, vox tamen quæ rationis est instrumentum, quaque homo à cæteris animantibus distinguitur, Iacob nobis monstrabit & referet, roris cœli terræque pinguedinis hæredem signabit: atque vt nominis ratio indicat, corruptionis supplantatorem. Hęc enim est illa vitta aurea, de qua Ecclesiastes, quæ hydrię licet, vasi nimirum fictili corporis innexa sit, & propterea in puteum voluptatum, veluti in obscurum & cœnosum locum dimittēda sępius, nihilominus aurea est, cum corpus vile & abiectum interim existat: quæque ad Deum authorem sui, immortalitati donata tandem recurret. *Antequam rumpatur funiculus argenteus, & recurrat vitta aurea, & conteratur hydria super fontem,*

D. Thom. 1. parte q. 87. art. 1. in corp.

Duplex ratio cognoscendi animam.

Genes. 25.

Eccle. 12.

fontem, & confringatur rota super cisternum, & reuertatur puluis in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.

Quoniam itaque cognitio, quam de animæ præstantia susceptam habemus, non nisi ex eiusdem operationibus, vtpote quibusdam signis & indicibus deducitur, fit vti animæ substantiam ipsam haud perspectam habeamus: nisi ratione quadam confusa & magis vniuersali, quæ cogitationem non tam defert ad essentiam intelligendam, quam eius existentiam. Cuius rei disquisitio paucis modo erit peragenda. Constat itaque animam, cum cætera omnia sua mente lustrarit, penitus seipsam non intueri. Quemadmodum enim oculus sibi obiectum colorem perspiciens, aciem suam ipsius non despicit: ita neque animus, dum reliqua omnia scrutatur, seipsum penitius exploratum habet. Nihilominus quod hæc sui perfectior & accuratior cognitio, naturæ ipsius animæ maxime accommodata videatur: inuestiganda erit obstaculi & impedimenti ratio, ex qua vis animi intellectilis ab hac sui aperta notitia arceatur. Ex Aristotelis quidem placitis, huiusmodi causa asignari poterit. cum enim anima de sententia ipsius, non aliter se, quam cætera cognoscat: nisi sibi illam effinxerit & excuderit speciem, quæ animæ veluti propria nota sit & character, qui ipsam ad viuum repræsentet, nullo quidem modo mens animæ visum & perspicuum intuitum adsequetur vnquam: species autem omnis, quam anima corpori illegata valet exprimere, à phantasmatibus solum deriuanda est & euocanda. Hæc autem phantasmata, simulacra existũt tantum sensu perceptibilium rerum. Intellectus enim, qui agens nuncupatur, spetiem non elicet nisi ex re aliqua sensibili. Huius autem ordinis nequaquam est hominis animus. vnde diuus Thom. *Dictum est autem, quod quamdiu anima corpori est vnita, intelligit conuertendo se ad phantasmata: & ideo nec se ipsam potest intelligere, nisi in quantum fit actu intelligens per speciem à phantasmatibus abstractam.* Species autem isthæc duplici de causa ad intelligendum postulari videtur, (vti ex Ioannis Scoti disputatione colligere possumus) primo quidem, ex parte ipsius obiecti intelligibilis, hoc enim (vt ipse loquitur) transferendum est de serie & ordine sensibilium ad classem intelligibilium, nam sicut intellectiua facultas spiritualis prorsus est & immaterialis: ita quoque eiusdem obiectum omne ratione efformata spetiei intelligibilis, spirituale, & immateriale euadere debet: vti inter potentiam eiusque obiectum debita quędam proportio decernatur. Verum si hanc argutiam spectemus, anima vt se ipsam clare intelligat, spetie omnino non indigebit. Est enim hæc suapte natura intelligibilis & spiritualis: proinde non sicut cætera, quæ sensibus obuersantur, ita & ipsa opificio intellectus agen-

Quare animus in hac vita suam substantiam aperte non intelligat.

D. Thō. 1. p. q. 83. ar. 2.

Scot. in 1. S. D. 3. q. 6.

tis, ad aliquem alium rerum ordinem erit transferenda. Altera vero ratio, qua ſpeciei neceſsitatem ad intelligendum adſtruit Scotus, huiuſmodi eſt: Ad hoc (inquit) vti aliqua operatrix, vis, & facultas, quæ plura pręſtare poterit, eaque diſtinctiſsima, aliquid tandē definiti moliatur: interuenire debet formę acceſſus, quo determinetur, ac ad vnū deſtinetur. Intellectus autem, quantū ex ſe, omnino eſt indifferens, ad quodcunque intelligibile percipiendum: neceſſario idcirco ſuſcipi debet ſpecies aliqua, quæ huius, non alterius rei propria exiſtens nota & genuina impreſsio: ad hanc intellectionem, non aliam, mentis aciem inflectat. Nihilominus huiuſmodi argumentatio id videtur adſumere, quòd in diſquiſitione poſitum eſt ac controuerſia. Sciſcitabor namque cur naturæ auctor Deus hanc ſpetiem animæ propriam in ipſa creatione illi non indiderit? Nam hæc animæ & eius ſubſtantiæ perſpicua cognitio, quam inquirimus, ipſi quodammodo videtur naturalis: ea propter hac carere non debuit, niſi culpa aliqua ſua huiuſmodi pœnam ſibiipſi intuliſſet. D.Thom. adhuc obſcurius de hac re ſtatuit ac definit. Is enim de cognitione animæ à corpore ſeiunctæ diſputans; ſic loquitur: *Sed cum fuerit à corpore ſeparata, intelliget, non conuertendo ſe ad phantaſmata, ſed ad ea, quæ ſunt ſecundum ſe intelligibilia: vnde ſeipſam per ſeipſam intelliget.* Si itaque anima ſegregata à corpore, ſpetiei loco ſuam propriam habitura ſit eſſentiam: hancque ipſam nunc quoque retineat in corpore: modo ipſa conſtituetur (vt loquuntur) in actu primo, & cum idonea determinatione principij, vt ſeipſam clare intelligat. Cum porro animæ ſubſtantia obiectum quoddam eſt commenſuratum proportione debita ipſi menti, nihil obſtare videtur, quo minus ipſa ſe dilucide intueatur. Niſi dicamus tandem, ad huiuſmodi explicatę cognitionis actum eliciendum, concurſum ſuum generalem humano intellectui nolle Deum impertire: quod nimis ſane eſſet violentum, ab ipſa natura, placidoque eiuſdem curſu, quo cuncta feruntur, alienum plane & abhorrens. Anima enim quam primum ex hoc corporis ergaſtulo euolauerit, ſtatim naturam ſuam & ſubſtantiam aperte intuebitur: ac ſi eiuſmodi cognitio ipſi eſſet naturalis, & ad illam ſpectans omnino. Fortaſsis itaque pœnę loco ducendum erit, quòd in hac vita tam præclara cognitione deſtituamur. Ita de ſententia D. Auguſtini coniectat Ioannes Scotus: *Reſpondeo, intellectus noſter, pro ſtatu iſto, non eſt natus moueri immediate, niſi ab aliquo imaginabili vel ſenſibili extra prius moueatur. & quare hoc? forte propter peccatum: ſicut videtur Auguſtinus dicere. hoc tibi fecit infirmitas: & quæ cauſa infirmitatis, niſi iniquitas?* Longe idcirco nunc abſumus ab illa clara perfectaque animæ cognitione, quam corporibus exuti tandem conſequemur, interim (vt ait Pla-

D.Thom. ſupra.

D. Auguſtin lib. 15. Trin. cap. vlt. Scot in 2. d. 3. q 8.

Plato) ita animæ formam vmbratilem mentis oculis lustramus, sicut pueri, qui in aquis corporum effigies aspiciunt & contemplantur. Non tamen prorsus inficias eo, quin & ipsius corporis egregia atque concinna structura aliquam nobis pariat ipsius animæ cognitionem. Huius enim compositio & motus animam quid diuinum esse testantur. Veruntamen quòd vlterius in hac excellenti cognitione progredi nequeat intellectus, eius imbecillitatem ita merito deplorat D. Bernardus: *Sed miranda prorsus & miseranda humanarum conditio animarum: quæ licet tam multa foris ingenij viuacitate percipiat, nulla tamen perspicuitate semetipsas, sicut sunt, noscere aut cogitare sufficiant; sed egent omnino figuris & ænigmatibus quibusdam corporearum similitudinum: vt ex visibilibus & exterioribus possint vel aliquatenus inuisibilia atque interna conijcere.* Hinc Greg. Naz.

Plato lib. 6. de repub.

D. Bernard. serm. de carn. cut. & oss. anim.

D. Greg. Naz. Carm. vit. sua.

Vita mihi est alibi, verum sub corpore crasso,
Quod mentis tenebras, sapientum turba vocauit.

Subductio & auocatio mentis ab exterioribus negotiis plurimum conducunt ad cognitionem sui, quæ ab orthodoxa fide constituta animæ præsidia, sectariana perfidia, in grauissimum eiusdem animæ detrimentum amoliri conatur.

CAPVT IIII.

DVO præsertim sunt (vt satis scripturæ testimonio comprobatum est) quibus integrum ipsius hominis officium continetur. Quorum primum est, mali occasiones, & incentiua, tanquam scopulos, præcipitia, & altos gurgites declinare: alterum vero, studiosis virtutum actionibus strenue seduloque incumbere. Non enim perinde sicut in militari acie, qui turpiter diffugiens stationem & locum deserit, extremi dedecoris notam sibi inurit: ita quoque qui Christianæ militiæ nomen dedit, sibi vel professioni suæ labem consciscit ignominiæ, si hostium impetus subductione sui aliquando effugerit & deuitarit. Quin potius tunc vel maxime aduersas vires rescindit & frangit, quando post diuturnam iactationem, celeuma decantás, tranquillitatis portum ex alto se recipiens, vti tutissimum vitæ perfugium tenuerit. Hinc est quòd Christianæ perfectionis præcipua quædam ratio in hoc posita sit, vt ijs omnibus bonis, quibus suos mundus iste blande excipere solet, denudari velit homo ac spoliari,

Abdicatio rerum ad virtutem multum facit.

liari, leuiorique alia ad ea quæ summa sunt ac cœlestia deinde aspirare. Propterea Christus Dominus (è cuius verbis & vitæ instituto omnia ad virtutem capescendam emolumenta vitiaque profliganda munimenta & præsidia proueniunt) huiusmodi apud Prophetam nominibus in-
Esaia 8. signiri voluit: *Et dixit Dominus ad me, sume tibi librum grandem, & scribe in eo, stylo hominis, velociter spolia detrahe, cito prædare.* Quamobrem anima (quæ quod omnium est longe præstantissimum, firmo quodam proposito, & voto consectari statuerat) baptismalibus vndis emersa, omnino candida
Cantic. 5. & speciosa in hasce voces prorupit: *Expoliaui me tunica mea.* ac si diceret:
Collos. 2. Christiano nomine imbuta, veterem (vt ait Apostolus) exui hominem; cum serpente pellem detraxi: vt quæ antea propter peccatum, anima-
Genesis 3. lium exuuijs induta, in hunc mundum ærumnosum tanquam in exilium essem amandata: modo mihi, tanquam altero Protheo renouata mei forma, regressus pateret in paradisum. *Quomodo induar illa?* Fietne aliquando vt in cogitationem inducam meam, sordidas illas & laceras quas abieci vestes resumere, quibus iam splendide exornata, deturpari potius ac dehonestari videar? Alterius procul dubio conditionis occupationes vitæ meæ modo existunt, quam vt voluptates aut diuitias comparare studeam. Quin potius Phœnicem imitabor, qui rediuiuus iam pullus effectus, plumisque instructus, cineres & parentis bustum relinquens, pernici volatu elatus soli applaudit: Ita mortalitatis cineres & concupiscentiæ rogum deserens, ętherea cœlestiaque intellectus petam contemplatione. *Laui pedes meos,* Iordanis fluento, Christi Domini diuinissima carne sanctificato: si quas maculas & sordes contraxeram, eas penitus absterfi. *Quomodo coinquinabo illos?* Non est quod amplius ad hanc contagionem & vitæ feces reuertar: alio mens mea est auocanda, & è terra
Lucæ 13. quasi sublata, in ramis illius sinapis in altum excrescentis collocanda, vbi nidus inter cœli volucres est requirendus: Vel potius præclarum illud
Cantic. 5. exemplum columbæ (de quo in Canticis) mihi proponendum erit, in quod intuear: *Oculi tui sicut columbæ, super riuulos aquarũ, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenißima.* Christiani siquidem hominis tales deberent esse mentis oculi, quales sunt columbæ: videlicet simplices, puri, è turbis semoti, & qui vagi amoris fascinio non pateant. Propterea cum oculis columbarum, earundem & pennas sibi dari, tantopere sanctissi-
Psal. 54. mus Propheta Dauid exoptauit, cum dixerit: *Quis mihi dabit pennas, sicut columbæ?* At quorsum Rex augustissime, inexhaustis tuis thesauris, rerum omnium ad votum & voluptatem tibi affluentium copiæ, auro gemmisque radiantibus, leues hasce fragiles pennas arbitraris præferendas? quòd si pennas ita desideres, cur non alias potius quam columbæ,
humilis

humilis quidem & abiecti animalculi? *Et volabo* respondet, Non Crœsi diuitiæ, non Sardanapali deliciæ, non Alexandri gloria, hanc animam ad superos vnquã poterũt euehere: sed potius terræ illigatam grauissimo quodã pondere prement, ac inferius semper in hoc luto detinebunt. Sin autem mihi columbinæ pennæ darentur, libere protinus auolarem, & à vitæ istius perturbatione abreptus, in Angelorum choros & choræas me placide insinuarem. Non quidem superbas exopto alas aquilæ, & Iouis illius alitis, quæ defixis in solem oculis: hoc est in gloriam hanc fucatam & popularẽ intendens, acri quodam motu sursum pẽnas euibrat. Neque voracis corui aut vulturis plumas quidquam æstimo: ad putrida enim ac feculenta conuolant voluptatum cadauera: atque dum prædam insequuntur auide, de regressu in arcam nunquam cogitare solent. Sed neq; ferocis accipitris alarũ remigiũ quęro, sub cuius vnguibus imbelles & timidæ auiculæ cõtremiscunt, solius idcirco colũbæ pẽnas imploro, quibus in solitudinem delatus, cum otio & tranquilitate animæ, diuinorum contemplationi vacare potero. *Et requiescam*. Nunc forensibus districtus negotijs, perturbationum æstu quodam diuexor: occupationes quotidianæ melioribus studijs incumbentem animum continenter interpellant, fortunæ varij casus frequentius concutiunt, rerum vicissitudo anxium & sollicitum perpetuo tenet. Neque est, quod in hac rerum agitatione, quietem aliquam vel laborum periodum expectem: vincam licet, & quascunque demum difficultates superem: Cadmæa nihilominus se efferet victoria. Cum enim Cadmus trucem illum serpentem, ignem naribus efflantem extinxisset, illico ex eiusdem dentibus, quasi semine in terram coniecto, nouorum hostium amplissima quædam & ferrea seges cœpit excrescere: Ita si hanc vitij huius hidram deuicerim, si hanc mihi iniectam tentationem firmitate animi repulerim, alia quædam identidem acies explicata in mei perniciem educetur. Quod si demum ad optatum euentum quidpiam perduxerim, alterius rei cupiditate ita inflammabor, vti lætitiam prope nullam percepturus sim ex ijs, quæ mihi prospere affluxerunt. Sin autem columbæ haberem pennas, ausim dicere: *Volarem & requiescerem*. Huius enim columbæ pennæ deargentatæ, propter rerum eximiam scientiam, quam mentibus adfert, & dorsum eius in pallore auri, propter summam charitatem, qua laborantibus subsidio esse solet. Solitudinis itaque hæc duo sunt insignia, scientia & charitas. Hæc eadem religiosorum ornamenta.

Genesis 8.

Ouid. Metamorph. 4.

Psalmo 67.

Istius columbæ oculos superius dictum est lacte fuisse lotos. Duo autem sunt, quæ in lacte à nobis expendenda videntur: vt hyeroglifici huius vim & significationem exprimamus: coloris nimirum candor, sapo-

Lac hyeroglif. animæ sanctioris.

risque dulcedo. Candor quidem indicium est animæ puræ & illibatæ, omnis prorsus labeculæ expertis. *Lauabis me*, (inquit Psalmista) *& super niuem dealbabor.* Dulcedo autem illum repræsentat ex diuinorum gustu in animo admirabilem quendam sensum iucunditatis: quo in Dei familiam adscitus, perfundi solet vberrime. Proinde neque mirum, si qui vsque adeo expurgatam & defęcatam habeant mentem, postea resideant iuxta fluenta plenissima. Scribunt naturales historici hunc morem à columbis esse vsurpatum: vt si quando rapacis accipitris vngues vereantur, celeri volatu ad limpida quædam flumina conuolent: hinc enim illis euenit, vt quamprimum eorum capitibus rapax illud animal ceperit imminere, eiusdem vmbram statim in aquis deprehendant, qua admoniti, subito se deinde abripiunt, & in angusta quædam loca, veluti petræ foramina se abdunt. Quid autem aliud aptius hæc fluenta columbis gratissima significent, quam rerum humanarum diuinarumque cognitionem? in quam si ad columbarum imitationem perpetuo mentis nostræ oculi defigantur: tunc si modo φυλόφθορος dæmon, aut immane aliquod vitium in nos inuolarint, tanquam deformis & horrendi cuiusdam monstri spectrum aspicientes, illud fugiemus, & in foraminibus illius petræ, quæ Christus est delitescentes, non erit de reliquo quòd quidpiã aduersi expauescamus.

Psal. 50.

Sin vero mentem negotijs forensibus & popularibus nunquam subduxerimus, idem nobis aliquando eueniet, quod ingeniose ludens Homerus, de dea Venere finxerat. In congressu etenim illo Æneę cum Diomede, quòd Æneas Diomedis viribus iam ferme oppressus esset, mater eius Venus ex fabula poëtę ipsum commiserata, vti suppetias periclitanti filio tempestiue adferret, offusa quadam nube, & expanso peplo illum protexit, oculisque furentis Diomedis fraudulenter admodum subtraxit. Quod impatienti animo dum ferret Diomedes, Venerem videns esse doli effectricem, in illam acutum spiculum contorsit, quo & volam manus ipsi traiecit, atque sic vulneratam Deam de iniuria cum Ioue expostulaturam dimisit. Inde autem parum solicitus Diomedes, nequaquam arma & concertationes ad ipsam spectare dixit, sicut ad Bellonam & Mineruam fortissimas feminas, propterea errori debitas pœnas inflicto vulnere tulisse affirmauit. Ita si nos, qui ex vitæ instituto, & iam professione in publicum emissa, hoc molimur & contendimus, vt à sordibus animæ, prauis videlicet moribus, longius distemus: Si mentem è turbulento illo vitæ genere non auocemus, & ad quietem haud transferamus, sed præpostere cum Venere illa immittamus nos in aliena concilia, detrimentum illud tandem perferemus, quo grauius

Homer. Iliad. 6.

Cura tẽporalium rerum aliena est ab animæ instituto.

grauius nihil accidere nobis posse iudicetur.

Quare vt animus ea imbuatur sapientia, quæ hominis ipsius naturam, causam eiusdem altissimam effectricem, vltimum denique finem contemplatur: quadam subductione sui omnino indigebit. Vbi enim confusi strepitus, promiscui ac inconditi clamores auribus insonant, ibi pulsatæ lyræ suauis concentus non percipitur: nam vt oculi eodem coniectu cœlum terramque minime intuentur, ita nec anima contentione æquali, voluptati & virtuti operam simul nauare poterit. Enimuero si mens earum rerum perceptionibus & quasi simulacris impressa & signata fuerit, quæ exteriores sensus libentius admittunt, rerum diuinarum notiones difficulter admodum postea suscipiet; non solum exinde, quod iam præoccupata sit aliarum formarum accessu, verum etiam, quod appetitus perturbationes, quæ oriri solent ex sensu perceptis, mentis aciem ita in aliquam voluptatem defixerint: vti libere & expedite in alia, præsertim quæ superioris ordinis existunt, dirigi aut deferri amplius non possit. Indefesso enim, prompto, & acri quodam studio de illis cogitamus, quæ sensibus vberiorem adferunt iucunditatem. Ita Gregorius ille Magnus: *Prauæ enim mentes temporalium rerum tumultus intra semetipsas versari non cessant, etiam cum vacent: in cogitatione enim seruant depicta quæ amant, & quamuis exterius nihil faciant, apud semetipsas tamen sub pondere inquietæ quietis elaborant.* Quapropter quem Deus diuinarum disciplinarum maxime capacem esse velit, ita alloquitur: *Audi filia, & vide.* Quasi diceret, ne patiare aures tuas sensuum clamoribus obtundi: quin potius eo te conferas velim, vbi à strepitu semotus, vocem meam è supernis resonantem exaudias. Quam cum audiueris, tūc respice, & vide. Hactenus enim nihil quidem vidisti, sed potius ementitis quibusdam formis, sensuum conatibus expressis, falli ac decipi te passus es. *Et inclina aurem tuam.* Noli in altum erigere aures cum Philosophis superbe sapientibus; sed potius animi dimissione præceptis meis attentionem præbe. Nec te audire cupio stellarum aut cœlorum voces: sed inclina te, & Christi in præsepio iacentis infantuli dicto sis audiens. Ita Christianus potius censebere, quam Philosophus. Tūc etiam, vt ait Propheta: *Videbis, & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum.* Videbis quæ vera sunt, afflues bonorum copia, miraberis felicitatis tuæ immensitatem, dilataberis gaudio & iucunditate. Hac de causa legem tulit Deus Iudæis, quæ illis esset norma viuendi, non in ciuitate aliqua aut emporio: quod huiusmodi loca plerumque vitijs sint infecta: sed in vasta solitudine, quæ forma esset innocentiæ, vti adnotauit Philo Iudæus. Ad diuinas itaque cogitationes introducendas, tunc nobiscum feliciter actum erit, quādo mens veluti rasa

Animus sibi non attendit externis curis districtus.

Greg. in 3. cap. Iob.

Psalmo 44.

Isaia 60.

Philo Iud. l. de decem præcept.

tabula efficitur, expunctis deletiſque omnibus ijs notis, quas externæ vitæ occupationes variæ, illi aliquando impreſſerint. Optime enim *Ariſt.3.de anima.* Ariſtoteles oſtendit humanum intellectum, nullam in ſe ſenſibilem complecti naturam: ſic enim vt ipſe ediſſerit, cuiuſlibet notionis capax nō eſſet. Ita ſi mens informata ſit illis perceptionibus, quæ ſenſibilium propriæ ſunt, inepta plane deinde erit ad earum rerum contemplationem, *D.Aug. tract.17. in 5.caput Ioannis.* quæ à ſenſuum iudicijs remouentur. Vnde D. Auguſtinus: *Difficile eſt in turba videre Chriſtum, ſolitudo quædam neceſſaria eſt menti noſtræ, quadam ſolitudine intentionis videtur Deus. Turba ſtrepitum habet, viſio iſta ſecretum deſiderat.* Hinc Philoſophi, qui naturæ ortum & progreſsiones tantum ſunt *D Hieron. l.2.contra Iouin.* demirati, (vt ſcribit D. Hieronymus) forenſibus negotijs abdicatis, ſeceſſus quoſdam delegerunt, in quibus melius ac liberius contemplationibus ſuis vacarent. Pythagoræi vaſtam eremum petierunt, Platonici & Stoici in templorum porticibus & alijs remotis angulis quæſtiones ſuas agitarunt. Et ipſe Plato non Athenis muſæolum quæſiuit, ſed in vico quodam plane deſerto, imo aëri inſalubri ac peſtilenti obnoxio. Quare pleniorem notitiam hominem vel ſui vel aliarum rerum conſequi non poſſe affirmauit, niſi ſe à corpore (quantum fieri poteſt) ſeiunxerit. & *Plutarc. de conſol.* Plutarchus: *Si autem fieri non poteſt, vt cum corpore quicquid dilucide cognoſcamus: de duobus eſt alterum, aut nuſquam ſcientiam conſequi licet, aut defunctis tantum: tunc enim ipſe per ſe à corpore ſeiunctus erit animus.*

Qui itaque virtutum ſtudijs hactenus feliciter incubuerunt, hi ab ipſo corpore (quantum illis integrum fuit) plane receſſerunt. Nam (vt inquit *D.Hieron. l.2. contra Iouinianum.* D.Hieronymus.) *Inutile ſane eſt crebro videre, per quæ aliquando captus ſis, & eorum te experimento committere, quibus difficulter careas.* Iſtius vero ſolitudinis encomion celebrat Propheta. *Dabo* (inquit) *in ſolitudinem cedrum, & *Eſaiæ 41.* ſpinam, & lignum oliuæ: ponam in deſerto abietem, vlmum, & buxum ſimul.* *Monaſtica vitæ laus.* Quibus nominibus (teſte D. Hieronymo) eorum inſigniores virtutes, *D.Hier.in cap.Iſaiæ 41.* qui ſolitudinem incolunt deſignantur: ſubiungit enim Propheta: *Vt videant, & ſciant, & recogitent, & intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc.* Et idem Propheta alibi: *Lætabitur deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo, & *Iſaiæ 35.* florebit quaſi lilium, germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans, gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron.* Et quæ tandem cauſa huius lætitiæ? *Ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri.* Hoc quidem vitæ genus, religioſis quorundam inſtitutis, Catholica Eccleſia diligentiſsime ſemper excoluit: atque hanc innocuam ſolitudinem, qui in Chriſti familiam peculiari aliquo fauore aſcripti fuerunt, ipſo voto delegerunt. Sicut *4.Reg.6.* enim olim filij Prophetarum ad Iordanis ripas concedentes, ibi tuguriola raptim conſtruxerunt; in quibus à cœtu hominum diuulſi, rebus diuinis

uinis mente attentius ac corpore constantius inhærerent: Ita nostri Religiosi Iordanis ripas adeunt: imo quod Christus Baptismum, quo initiamur omnes, in Iordane consecrauerit, nos Christianos esse voluit Rechabitas. Ad huiusmodi enim secessum verbis sponsæ inducimur: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, mane surgamus ad vineas: videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt: si floruerunt mala punica; ibi dabo tibi vbera mea.* Cant. 7. Non hæc tamen à me dicta ita accipi velim, quasi existimarem ciuitates & hominum consortia esse fugienda: sed ea solum disputaui in hanc sententiam, quibus significarem, neminem ad notitiam sui perfectiorem deuenire posse, nisi se aliquando turbis & actioni forensi subduxerit. Hanc autem subductionem non omnibus perǫque facilem esse pronuntio: quinimo aliquibus difficillimam assero, illis maxime, quibus animus ferociens perturbationibus concitatur. Ea propter Patriarcha Isaac non prius in agrum egreditur contemplationis gratia, quam dies esset vergente sole in occasum inclinatior. Gen. 24. Calor etenim concupiscentiæ & æstus ille Ætneus deferuere debet, vti homo apte comparatus sit ad hanc solitudinem incolendam. Quam quidem in corde ipso tunc demum inuenies, quando seclusis alijs vitæ occupationibus tibi ipsi solum attenderis. Ad hoc autem quantum conferat institutio monastica, omnes facile possunt intelligere: cuius disciplina coërcetur animus omnino, neque corporis vires fusius euagari permittuntur. Hanc vero formam componendi mores sectarij cœtibus suis penitus excluserũt. Propterea neque illis aliquid monacho tetrius. Vnde ipsorum omnia soluta admodum sunt & laxa, carni, mundo, & satani aperta. Conantur vero dogmatis prauitate solitudinis huius munimentum nobis eripere. De his autem, quod alias copiosius acturi sumus, quæ hic dici poterant, in alium locum transferemus.

Luculentissimis rationibus probatur disciplinas Philosophicas magnum adferre adiumentum ad cognitionem sui, hominisq; officium recte præstandum: de quo etiam sectarij perperam sentiunt.

CAPVT V.

HOminem Deus, sicut in alto quodam gradu & dignitatis summo fastigio collocauit, in quo constitutus, tanquam Princeps cæteris

animantibus imperitaret, ſibique omnia ſubijceret: Ita ad hanc retinendam authoritatem mirabile rationis lumen illi infudit, quo cuncta ex ſublimi ſpecula inferius poſita deſpiceret & contemplaretur. Verum præclarum hoc munus rationis non ſolum nobis conceſſum eſt, vti eo vitam hanc ſuſtentemus, illamque ex earum rerum vſu & adminiculo, quarum Domini ſumus, propagemus: quin potius, vti ex illis ipſis rebus ea morum & probitatis præcepta deſumamus, quibus vita honeſta recte poſsit inſtitui & efformari. Quod ſi nihil ad virtutem plus opis conferat, quam ipſius Dei cognitio, hanc quoque Philoſophia, quæ in naturæ contemplatione occupata eſt, nobis pariat: merito iſtius deſiderio atque ſtudio accendi & inflammari debemus. Hæc namque præclara notitia mentibus aliquando illapſa noſtris, eas ſolerti opere transferet imprimis ad contemplationem & cogitationem eorum, quæ pedibus ſubſternuntur: mox ad alia progredietur, ea nimirum quæ nos ambiunt quoquouerſum: demum rationes eorum aſſequetur, quæ in altum ſuſpenſa capitibus noſtris imminere videmus. Dum autem hæc vniuerſi huius ordinem pulcherrimum, effectus multiplices, & latentes progreſſus ſpeculatur: eximiam quandam Dei ipſius, vtpote omnium cauſæ & opificis notionem in animam pariter ingeret: quamque mundi iſtius partibus, veluti quibuſdam characteribus expreſſam, mens tandem iudicabit. Quod egregie quidem docuit D. Athanaſius: *Cæterum iſtiuſmodi ordo documento eſt, non ſponte res creatas prodijſſe: ſed cauſam effectricem præceßiſſe, ex qua diſpoſitorem authoremque Deum intelligimus.* Poſtquam autem numen aliquod ex hac rerum contemplatione inueſtigauerimus: cuius ſubſtantiæ immenſitas per omnia ſit expanſa, cuius virtute in lucem vniuerſa emergant, cuius ſapientia & prouidentia regantur atque contineantur effecta: tunc ex hac varia & multiplici rerum venuſtate & præſtantia aſſpectabili, quæ nos amore & admiratione capere atque afficere ſolent, tanquam ex quibuſdam veſtigijs & impreſsis notis, intelligentia noſtra inferremus, Deum à quo hæc omnia primitus emanarunt, infinitis quidem gradibus illis pulchriorem eſſe & meliorem; tandem quod nihil poſsit Deo excelſius cogitari à nobis, homine dignum; & officij eius præcipuam partem arbitrabimur, illius legibus & ſacro imperio nos ſubiectos reddere, ab ipſius nutu & voluntate pendere, ad illius denique cultum & venerationem ſtudia & noſtrarum actionum ſummã transferre.

Philoſophia inſtituit ad cognitionem Dei.

D. Athan. de hum. verbi.

Philoſophia religionem parit.

Philoſophia exculta ab antiquis & ſanctis.

Huiuſmodi quidem Sapientię deſiderio inflammati fuere pij illi, & Deo longe chariſsimi Patriarchę: qui in contemplandis deſcribendiſque cœleſtium corporibus, ſummam operam & induſtriam collocarunt.

Cum

Cum enim diuinę omnipotentię virtus in singulis quibusque rebus appareat & eluceat: tum maxime in cœlorum sphæris ac stellis conspicua est & illustris. Quorum eximia species & pulchritudo ita mentem hominis allicere & euocare solent, vti spretis quæ pedibus subiacent, quamplurimi admiratione quadam suspensi, illa non aliter quæ superna sunt suspexerunt, quam vti Dei ipsius regiam splendidissimam, diuinissimæ artis eximium quoddam specimen humano generi exhibitum, tutissimum quoque portum nostrum, rerum omnium abundantia circumfluentem, ad quem compressis aliquando & sedatis huiusce vitæ fluctibus homini sit confugiendum. Hoc pacto Seth, Adami filius, mathematicis & Astronomicis disciplinis sedulo incubuit, quarum amore adeo incendebatur, vt ex summis ab ipso impensis laboribus, scientię emolumentum non sibi tantummodo acquirere voluerit: verum quod earum peritiam posteritati quoque vtilem & pernecessariam fore arbitratus fuerit: orbis diluuionem diuinitus edoctus præsentissens, duas ingentis magnitudinis columnas erigi curauit, lapideam vnam, lateritiam alteram, quę vel aquarum fluctibus vel ignium flammis eruta semel Philosophiæ monumenta eriperent, nobisque ea certis quibusdam caracteribus redderent consignata. Vt testati sunt quamplurimi, Iosephus, Ado, Nauclerus, & alij. Sed neque minorem curam adhibuit Noë, ne excogitatæ de cœlestibus rationes, & adinuenta scientia, posteritati excideret. Quod quidem de ipso testatur Berosus, sacerdos Chaldaicus, si tamen penes nos sint eius opera, author sane antiquissimus, cuius etiam mentionem sępius faciũt, Iosephus, Tertullianus, Clemens Alexãdrinus, Eusebius Cęsariensis. Sic autem loquitur: *Senex omnium pater Noa, iam antea edoctus Theologiam & sacros ritus, cepit eos erudire humana sapientia, & quidem multa vtilia rerum secreta mandauit literis.* Deinde: *Docuit item illos astrorum cursus, & distinxit annum ad cursum solis, & duodecim menses ad motum lunæ.* Hunc Noacum Berosus appellat Ianum: fortassis ea ratione adductus (vt scribit Genebrardus) quod vini vsum hominibus primo indicauerit. Nam Hebraicę vinum, Iain appellatur, quamuis Titus Liuius hoc inuentum Numę Pompilię potius adscribat. Sicut & Pausanias suis Atheniensibus. Postea propter singularem harum disciplinarum perceptionem, patriarcha Abraham celeberrimum sibi nomen comparauit. De quo sic scribit Philo: *Homo cœli erat sublimis ætheriæque naturæ scrutator, in effectibus eorum causis & id genus alijs Philosophando: ex quo studio & appellationem præsentem sibi quæsiuit: Abraham enim interpretatur sublimis.* Cum autem natiuum solum verteret, actus in exilium, & in Ægypto peregrinaretur, barbarum quoque illum populum hisce disciplinis erudiendum curauit.

Iosephus 1. antiqui. c. 2. Ado cron. ætat. 1. Naucler. geneb. 2. Iosephus l. 1. antiq. c. 2. l. 1. contra App. Tertul. in apol. c. 20. Clem. Alex. 1. strom. Euseb. l. 10. præparat. Berosus l. de antiq. Iani pat. Genebrad. ætate 2. Gen. 9. Liuius decad. 1. Abraha scientia. Pausanias in Attic. Phil. l. de gigant. Abraham vnde dictus.

Iosephus 1. antiq. c. 8. rauit. Ita Iosephus: *Ob has dissertationes in precio habitus, vt qui magnam tam intelligendi, quam loquendi docendique facultatem præ se ferret: & numerorum scientiam & syderum benigne illis communicauit. Nam ante Abrahami ad se aduentum, Aegyptij rudes erant huiusmodi disciplinarum, quæ à Chaldæis ad Aegyptios profectæ, hinc apud Græcos tandem peruenerunt.* His omnino adiungere debeo diuinum illum legislatorem Moysen: qui vt Acta Apostolica testantur, eruditus fuit in omni sapientia Ægyptiorum. De quo hæc Philo: *Moyses itaque numeros & Geometriam, vniuersamque musicam, Rithmicam, harmonicam, metricam, siue contemplatiuam, siue per voces prouenientem, modis varijs accepit ab Aegyptijs doctoribus: maxime vero occultam Philosophiam descriptam literis, vt vocant hieroglyphicis: hoc est notis animalium, quæ ipsi venerantur pro numinibus.* Quibus studijs narrat Iustinus martyr Moysen animum ideo applicuisse, quod suo tempore maximo in honore & precio essent apud Ægyptios.

Moysis multiplex scientia. Actum 7. Phil. de vita Moys. l. 1.

Iust. Mar. l. quæst.

Quantum vero sublimium corporum huiusmodi contemplatio valeat ad ingenerandam & imprimendam in hominum animis opinionem de Deo, eiusque admirabili prouidentia: ad hoc astruendum abunde faciet vnius Aristotelis sententia. (plura enim adferemus libro 3.) sic autem ipse differit verbis Ciceronis: *Si essent qui sub terra semper habitauissent, bonis & illustribus domicilijs: quæque essent ornata signis atque picturis, instructaque rebus his omnibus, quibus abundant hi, qui beati putantur: nec tamen vnquam exissent super terram: accepissent autem fama & auditione esse quoddam numen & vim deorum. Deinde aliquo tempore, patefactis terræ faucibus, ex illis abditis sedibus euadere in hæc loca, quæ nos incolimus, atque exire potuissent: cum repente & maria cælumque vidissent, nubium magnitudinem, ventorumque vim cognouissent, aspexissentque solem, eiusque cum magnitudinem, pulchritudinemque, tum etiam efficientiam cognouissent: quod is diem efficeret toto cælo luce diffusa: cum autem terram nox oppacasset, tunc cælum totum cernerent astris distinctum & ornatum: lunæque luminum varietatem, cum crescentis, tum senescentis, eorumque omnium ortus & occasus, atque in omni æternitate ratos immutabilesque cursus. Hæc cum viderent, profecto & esse Deos, & hæc tanta opera deorum esse arbitrarentur.* Ea enim in quæ mens cœlos contemplando incidit, cum ipso genere præclara atque illustria iudicentur: tum quoque ad religionem & pietatem multum instituunt. Nam quod vniuersa hæc ab vno diuinæ virtutis perenni fonte profluxisse ratio nostra existimet, quo maiores, plures, atque præstantiores hisce rebus vires & qualitates impressas deprehendimus: eo Dei perfectio (cũ quæ in alijs dispersa sunt, ac varia, & propemodum infinita, summa quadã simplicitate & vnitate in eo coërceantur) admiranda magis, suspicienda, ac veneranda nobis proponitur.

Aspectus cœlorum ad virtutẽ conducit. Arist. apud Cicer. l. 2. de nat. deor.

Vel

Vel ſi lubet ſolius hominis naturam tantum philoſophia duce indagare, quæ nobis Theſeum filum in hac inquiſitione præſtare ſolet: Quid niſi mirabile in corporis eius ſtructura & fabrica, quid niſi concinnum, elaboratum, & aptiſsime cohærens, quid niſi ad diuinum aliquem finem (quod vel externa eius forma indicat) inſtitutum & efformatum in eodem ſe oſtendet? Atque vti de ipſius animæ notitia, quam nobis tradit & explicat Philoſophia, pauca iam dicam: ex huius diſciplinæ præceptis eiuſdem ſpiritualem naturam, immortalitatem, & interminum quoddam æuum inueſtigamus: potentias & operationes eius ſingulas diſcutimus, infinitam memoriæ vim, intellectus acumen incredibile, appetitus impetum, & acerrimam energiam expendimus. Ex quibus omnibus ſatis docemur, non ad voluptatem percipiendam, ſed virtutem potius acquirendam, hominis animam eſſe deſtinatam: neque hiſce terrenis ſedibus eam ſemper eſſe detinendam, ſed corpore exutam, ad ſuperna emigraturam, eiſdem intelligimus. Ita Plutarchus: *Hominum animæ, quamdiu hic à corporibus & affectionibus continentur, nihil habent cum Deo conſortij, niſi quatenus philoſophiæ adiumento, velut per ſomnium, intelligentia eum attingunt. At poſtquam ſolutæ migrauerunt in cœlum, purum, & viſui atque perpeſsionibus non obnoxium: ibi tum eorum ductor ipſe Deus eſt, ab ipſo pendentium ſpectantiumque abſque vlla ſatietate & deſiderio ineffabilem hominibus datam pulchritudinem.* In eandem quoque ſententiam Cicero: *Ita ſit mater omnium bonarum rerum ſapientia, à cuius amore, græco verbo, Philoſophia nomen inuenit. Qua nihil à dijs immortalibus vberius, nihil florentius, nihil præſtabilius hominum vitæ datum eſt. Hæc enim vna nos cum cæteras res omnes, tum quod eſt difficillimum docuit, noſmetipſos noſceremus: cuius præcepti tanta vis, tanta ſententia eſt, vt ea non hominum cuipiam, ſed Delphico Deo tribueretur.*

Philoſophia vtilis ad cognitionem ſui.

Plutarc. in Oſir.

Cicer. l. 2. de leg.

Clarius autem quam firmum ſit animæ munimentum Philoſophia conſtabit, & quam apte copioſeque hominem ad virtutem erudiat, ſi præclaræ huius ſcientiæ, quam antiqui tradiderunt, partitionem accuratius expenderimus. Hanc itaque princeps Philoſophorum Plato in tres partes diuiſit: quarum prima ea eſt, quæ rerum ipſarum naturas diligentiſsime explorat & rimatur: quam phyſicam dicere ſolemus. Altera, quæ morum præcepta & vitæ ciuilis honeſtęque inſtituta explicat: quam græco verbo ethicam dicimus. Tertia, quę de vnoquoque argumento viam & rationem diſſerendi tradit: atque hanc logicam nominamus. Huiuſmodi autem partitionis Platonicæ rationem inde deductam arbitratur D. Auguſtinus, quod triplicem in Deo mente noſtra deſignare poſsimus perfectionis quaſi gradum & modum. Imprimis enim de Deo enuntiamus quod ſit, quod ſubſiſtat: mox quod omnia mente & intelli-

Philoſophiæ partitio deſumpta ex ipſa vita humana ſiue etiam ex natura Dei.

Plat apud Cedren. in Alex. Suidas verbo Philoſ.

D. Aug. l. 8. de ciuit. c. 4.

gentia ſua comprehendat: denique quod præſtantiſsimis actionibus ex moliatur ſemper quæ optima ſunt. Hæc autem ſingula munera benigno quodam affectu homini elargitus eſt Deus: ob quæ ad ipſius creatus & efformatus imaginem congrue dici poterit. Quocirca quamprimum quis philoſophiam animo admiſerit, illud conſequetur, quo omnes animæ ipſius facultates exornentur, quo expreſſa diuinæ maieſtatis in eodem effigies excolatur. Imo D. Hieronymus multo altius repetit hanc Philoſophiæ in ſuas partes diſtributionem, & è ſacris literis Græcos eã mutuatos exiſtimat. *Et quomodo Philoſophi ſolent diſputationes ſuas in phyſicam, ethicam, logicamque partiri; ita & eloquia diuina aut de natura diſputant, vt in Geneſi & in Eccleſiaſte, aut de moribus, vt in Prouerbijs, & in omnibus ſparſim libris; aut de Logica, pro qua noſtri theoricen ſibi vendicant: vt in Cantico Canticorum, & Euangelijs; licet Apoſtolus proponat, aſſumat, confirmet, atque concludat, quæ propria artis Dialecticæ ſunt.* In ſimilem quoque ſententiam diſſerit D. Auguſtinus. Appoſite idcirco Græci, vt ſcribit Pierius, emblemate Herculis eorum ſtudia & labores deſignarunt, qui ad has tres Philoſophiæ partes capeſſendas multum ſudoris & contentionis ponerent. Tricipitem enim Cerberum obſcuris Erebi antris Herculis viribus extractum, Philoſophiam tribus ſuis conſtantem partibus ſignificari dixerunt. Herculem vero huic operi ideo præfecerunt, quod niſi immenſis laboribus, & magna quadam vi, ex tenebris ignorantiæ mentem humanam ad Philoſophiæ lucem poſſe adſpirare inde ſignificarint. Finxerunt pręterea Herculem in Cerberum hunc triſulcum iaculum feroci manu contorſiſſe: vt oſtenderent, nihil adeo terræ penetralibus incluſum & reconditum eſſe, quod Philoſophiæ ſtudio aliquando non eruatur. Dum autem Iunonem cœleſtem Deam telo Herculem petijſſe tradunt: nihil tam altum declarare voluerunt, támve ab humanis ſenſibus remotum, quod Philoſophia tandem non inueſtigetur. Denique cõmentum illud de Hercule furente, quo dicitur ipſum immania & truculenta monſtra contrucidaſſe & decerpſiſſe, hoc præ ſe ferre exiſtimarunt: quod nimirum mens Philoſophicis imbuta diſciplinis, rabidas perturbationes non ſecus atque monſtra & Hydras coërceat, deuincat, profliget. Hæc enim ſcientia rerum exculta, feroces protinus exuit mores, & ad omne humanitatis officium præſtandum expedita parataque euadit.

D. Hier. epiſtol. ad Paul. Orbic.

D. Aug. 11. de Ciuit. c. 25.

Pier. l. 5. verb. canis.

Philoſophiæ ſymbolum Hercules.

Ouid.

Adde quod ingenuas didiciſſe fideliter artes,
Emollit mores: nec ſinit eſſe feros.

Et apud Euripidem. *Nam animi virilis, & generoſa vis*
Diſciplina pari poteſt: ſiquidem & infans diſcit
Loqui & audire quorum caret notitia.

Eurip. ſupl.

Quod

Quod si nullum aliud argumentum nobis suppeteret, quo Philosophiæ studium in omnibus comprobatum, ac summa laude dignum efficiatur: hæc vnica ratio magnam vim apud prudentem aliquem, & sanioris sententię virum obtineret: vtpote qua satis liquido constat, huiusmodi disciplinam ab ipso Deo primitus dimanasse. Qui enim arctiore quodam amoris & obsequij vinculo illi adstricti fuere, nimirum Iudæi: ij tanquam quædam orbis lumina, omni plane scientiarum genere eruditi & exculti insigniter claruerunt. Non enim Græci, qui Romanis hanc palmam ab ipsis præreptam gloriantur, (vti illorum fastum paucis comprimamus) philosophię primi extitere inuentores: sed potius à Chaldæis, Phęnicibus, Cyris, Ægyptijs (quos, Iudæos præceptores & institutores habuisse, nemo vnquam dubitabit) sua omnia muneris loco hauserunt. Quod enim antiqui proferunt Gręci, dum suos annales literarios altius repetunt, in Cadmum ferme totum recidit, qui primus in Græciam literas inuexit. Diu auté ante in orbe viguisse literarum vsum, docet Xenophon. Nam Quintus ille Cadmus ex literis sexdecim solum secum detulit, quasque Homerus anno quingentesimo à Troiæ ruinis, reddidit emendatiores: quo quidem excidio Troianorum non multum antiquior extitit ille Cadmus: ante quę tempora diu Phęnices, Cyri, imo & Scythę literis exculti, ingenuis quoque artibus operam nauarant. Negat pręterea Iosephus Gręcos à Cadmo literas accepisse: nam huius rei (inquit) eos fidem facere nō posse, aut ex archiuis sacerdotum, vel publicis armentarijs, & bibliothecis. Demus etiam illis antiquissimum poëtarum Orpheum, qui (vt scribit Theodoretus) carmina sua arborum corticibus insculpsit; argumentum inde summę primæque antiquitatis deducere non potuerūt. Nam Orpheus iste vnica solum ætate bellum Troianum anteuertit. Moyses autem Hebræorum legislator multum eo extitit antiquior. Nam autore Theodoreto, Porphyrius ille Christiani nominis infensissimus hostis, scripsit quendam Philalathen, sacerdotem Ægyptium, legem ipsam à Moyse descriptam vidisse: qui cum vixerit temporibus Semyramis, per mille annos Troyanum bellum antecessit. Eodem plane modo Tertullianus narrat, quendam Ægyptium, dictum Manehon, (de quo etiam Iosephus) cum nullus apud Græcos scriptor floreret, cōmentarium edidisse de Hebræis, quos suo idiomate Seos appellauit: hoc est regios pastores. Ægyptij vero sua ferme omnia ab Hebræis mutuati sunt, quod manifestum faciunt illorum ad Iudæorum ritum circumcisio antiquitus vsurpata, ciborum delectus, & apud illos forma litandi: quæ describuntur ab Herodoto. Verissimum idcirco est, illud Lydiæ Crœsi pronunciatum de Græcis apud Platonem: *Vos Græci,*

Principium Philos. à Iudæis profluxit.

Xeno. de æquinoctijs.

Ioseph. l. 1. contra Appionem.

Theodoret. l. de princip.

Theodoret. supra.

Tertul. in apolo. cap. 20.

Ioseph. li 1. cōtra Appio.

Herodoto. lib. 5.

Plat. in Timæo.

semper pueri estis, & senex nullus inter vos. Quod nimirum non nisi à paucis diebus artes suscepissent liberales: quodque aliorum ope in earum perceptione vsi fuerant. Imo ipsas etiam literas, & verborum elementa, Græcos ab Hebræis desumpsisse, luculenter ostendit Eusebius Cæsariensis: quod etiam probat ex similitudine alphabeti Græci cum Hebræo. Hebraice Aluph, Græce Alpha; Hebraicè Beth, Græcè Bita. Hos autem characteres Hebraicos non aduentitios fuisse, aut extrinsecus assumptos, exinde probat Eusebius, quod vniuscuiusque elementi nomenclatura rem aliquam proprie significet: vti Aluph disciplinam, Beth domum: denique ex illis omnibus integram ipse conficit sententiam: quod in aliorum idiomatum elementis vix quispiam (vti credo) deprehendet. Cæterum vt omittamus alphabetum, & ad res ipsas progrediamur: dogmata apud Græcos maxime celebrata ab Hebraicis fontibus omnino fluxerunt. Quod de placitis ipsius Platonis affirmat Aristobulus in libro ad Philematrem, vt scribit Clemens Alexan. & Theodoretus. Vnde diuulgatum illud τί γάρ ἐςι Πλάτο, ἢ Μούσεις Ατιχίσον? quid Plato, nisi Moyses loquens Attice? De Homero vero narrat Iustinus martyr, ipsum ad formam paradisi sacris literis descriptæ, finxisse à Vulcano Achillis clypeum fuisse fabrefactum: vbi & multa alia Græcorum adducit Hebraicis omnino consentientia: quod & faciunt Eusebius & Cyrillus Alexandrinus. Quocirca Pythagoras, Socrates, Plato, & Aristoteles: & ex Græcis quã plurimi in Ægyptum peregrinati sunt sępissime, tanquam ad literarum emporium, & antiquiores musarum Athenas.

Euseb. lib. 10. præpar. cap. 2.

Clem. Alex. lib. 5. strom.

Theodoret. lib. de cura. Græco. affec.

Iust. Mar. exhort ad gentes.

Homerus Iliad. 18.

Euseb. lib. 10. præparat.

Cyril. Alex. lib. 1. cõtra Iulian.

Verum neque nos, qui Occidentalem Europam incolimus, ad quos vltimò doctrinæ fluenta, turgescentibus apud alios alueis, deducta vidētur: tantum Græcis concedendum putamus, ac si illos magistros dicere aut agnoscere velimus. Habemus enim ijs Antesignanos multo antiquiores: quorum opera liberales artes primo didicimus. Scribit enim Berosus, anno quarto Nyni, legibus atque literis Thuyscon gygantem imbuisse Germanos: quale etiam beneficium in Celtas, Samothees, & Celtiberos Tubal contulisse docet. Thuysconis meminit Cornelius Tacitus, quem etiam fuisse filium Noë testantur quamplurimi. Quemadmodum & alium quoque habuisse filium tradunt ipsum Noë, dictũ Ionicum, in Astronomicis peritißimum. Hoc quidem argumentum fuse prosequitur VVolphangus Lazius, qui inde etiam adstruit, ab Hebræis Germanos primum fuisse in literis institutos: quod plurima verba Germanica Hebraicis sint simillima. Gratia exempli *Leb* hebraice significat cor. Germani idem dicunt *Leben*. Hebręi terram appellant *erets*, Germani *ardan*, & Angli ab illis oriundi *earth*: *shou* Hebraice, idem est quod redire

Vnde Philoso. principium in Europa occidentali?

Berosus lib. 5. antiquit.

Cor. Tacitus lib. de situ Germaniæ.

Naucler. gener. 11.

VVolphang. Laz. li. 1. de migrat. gent.

redire facere Latine; & verbum Anglosaxonicum *shou* illud ipsum exprimit. Horum autem nominum prolixam quandam seriem contexuit VVolphangus: quibus recensendis consulto supersedemus. Quod autem spectat ad Gallos, eadem Berosi authoritate liquet illos literis informatos fuisse à Comero & Samotheo fratribus Germanis, & filijs Iaphet. Horum idcirco literæ antiquiores extiterunt Græcorum. Scribit namque Xenophon deportatas à Cadmo in Græciam literas simillimas fuisse characteribus Galatharum & Neonium. Atque fortassis Gallos à filijs Noë, cum ipsa prosapia, nomen quoque traxisse vero simile erit. D. quidem Hieronymus existimauit Gallos dictos, quasi γαλακταῖδνος, lacteos, propter eximiam illam speciem & pulchritudinem, qua nitere solent. Vnde Tertullianum vxori suæ præcepisse legimus, vti ipso vita defuncto, pudicitiæ suæ à Gallicis vultibus caueret: & vt inquit Amianus Marcellinus, *celsioris staturæ, & candidi pene Galli sunt omnes, & rutuli, luminumq́; toruitate terribiles*. Idem tamen ex cuiusdam sententia narrat verbo Græco Gallos nuncupatos Galathas: quod oriundi essent ex Gallo Siculo rege, cuius mater dicebatur Galathæa. Nihilo cecius à ratione penitus nō abhorret, quod opinatur hac de re VVolphangus Lazius. Credidit autem iste dictos Gallos à verbo Hebræo Golah, quod significat fluctum seu ascensionem: eo quod filij Noë, ex quibus originem traxerunt Galli, diuino beneficio è tumentibus maris fluctibus salui & incolumes euaserint. Atque hinc Galli, VValli, Guelphi, & Belgæ profluxêre. Venio nunc ad Hispanos, quos literis imbutos fuisse à Tubal supra ex Beroso retulimus. Floruit autem Tubal in Bætica Hispaniæ regione per mille annos, ante quā apud Græcos literę vllæ exstarēt: vt apertissime ostendit Pomponius Mela. Tradit etiam Plinius Persas, Phęnices, Iberos, & Panos in Hispaniam sæpius traiecisse: & tanquā fabulosum explodit, quod quidam narrant de Hercule, vel Saturno, Græcis: ac si primi hi essent Hispanorum institutores. Cæterum de Tubal scribit Berosus, quod incoluerit ipse montem quendam Bæticum, quem suo nomine appellauit postea Iobelda, vulgo nuncupatum (licet corrupte) *Gibraltar*: cuius nominis inditi à Tubal, etymologiæ rationem inuestigat ex tribus syllabis, quibus componitur, Iob, el, da, quæ significant, *magum deificæ voluptatis*, propter eximiam illam altamque doctrinam, quam creditur Tubal Hispanis tradidisse. Idioma etiam Hispanicum in aliquibus Hebræum authorem videtur designare: præsertim verbum illud Marani: quo nomine eos omnes notant, qui à fide deficiūt. Nam vt scribit Albertus VVidmanstadius, Hebræi Iudaismo suo dediti, felici rerum successu elati, soliti fuêre hanc vocem emittere; Maran, quæ significat, Dominus noster.

Berosus l. 5. antiq.

Xenoph. in equinoc.
Cæsar 6. comment.
Galli vnde dicti.
D. Hiero. epistola ad Demetriad.
Tertul. l. 1. ad vxorem.
Am. Marcel. cron. l. 15.
Liu. decad. 3. l. 3. flor. li. 1.
Appian. Alex. lib. Illyr.
VVolphang. l. 5. de migrat. gent.
Hispanorum institutio in literis.

Pompon. Mel. in descrip. Bæt.
Plin. l. 3. nat. hist. c. 3.

Albert. VVid. l. 11. de lingua corrup.

Alij vero Hebræi, qui Chriſti fidem ſuſceperant, inſultantibus illis reſpõdebant, Maranata, id eſt, Chriſtus iam venit & Meſsias. Vnde Chriſtiani illi, infideles Hebræos vocarunt Maranitas: à quo vocabulo nomen deſumpſerunt Paleſtinæ incolæ, dicti Maronitæ: quòd Chriſti fidem ſemel ſuſceptam abiecerant. Hiſpani vero eo nomine Marani, omnes fidei deſertores in vniuerſum ſolent inſignire.

Præſtantiſsimi viri, per quã ſtudioſi Philoſophiæ.

Quis itaque à ratione inter homines tam prorſus alienus reperietur, vti ludicras & inanes omnino pronunciet eſſe diſciplinas philoſophicas? illas inquam, quibus Patriarchæ ſanctiſsimi inclaruerunt, & quas nobis ediſcendas magno quodam ſtudio ipſi tradiderunt? Exiſtimandum potius erit ab ipſomet Deo, tanquam ſingulare decus & ornamentum, imo pręcipuum noſtræ vitę ſubſidium, eas deſcendiſſe. Has etenim, qui orthodoxam fidem excolendam ſuſceperunt, qui infantiam Eccleſiæ tutati ſunt, acri & contento opere, cum ad hominum mores recte componendos, tum ad ipſam de diuinis ſententiam contra hæreticorum ſtrophos firmius aſſerendam, adhibuerunt. Falſo idcirco Iulianus ſocordiæ, deſidiæ, atque inſcitiæ notam Chriſtianis orthodoxis calumnia inurendam duxit, quaſi hiſce ſcientijs penitus imperiti deſtituerentur: Ita quoque Celſus & Porphyrius noſtra ignorantes, vt teſtatur Origenes, infamiam nobis commento ſuo conflarunt: verba Iuliani faſtum exprimentia, hæc recitat Gregorius Nazianzenus. *Noſtri ſunt ſermones, & noſtrum græcari, quippe qui Deos quoque colamus: veſtra eſt autem infantia & barbaries, nec quidquam aliud quam credere ſapientiæ veſtræ eſt.* Sed quid contra hos intonet D. Hieronymus, audiamus. *Diſcant Celſus, Porphyirus, Iulianus, rabidi aduerſum Chriſtum canes, diſcant eorum ſectatores, qui putant Eccleſiam nullos Philoſophos & eloquentes, nullos habuiſſe doctos, & quales viri eam fundarint, exſtruxerint, & ornarint: & deſinant fidem noſtram ruſticæ tantum ſimplicitatis arguere: ſuamque potius imperitiam agnoſcant.* Cum autem orthodoxorũ quorundam nomina recenſuiſſet, qui in literis excultioribus egregios progreſſus fecerant, ipſiſque Philoſophis rerum notitia præluxerant, ſubiunxit in hæc verba: *Qui omnes in tantum Philoſophorum Doctrinis atque ſententijs ſuos refarciunt libros: vt neſcias quid in illis primum admirari deberes: eruditionem ſeculi, an ſcientiam ſcripturarum.* Iſti quidem, vt inquit D. Auguſtinus, Ægypti ſpolijs potiti, ab ipſiſmet philoſophis, infidelitatis ſuæ tenebris obcæcatis, quæ apud illos in pretio erant dogmata extorquentes, quaſi opima præda onuſti, ipſumque Ægyptum à tergo relinquentes, in mare rubrum, Chriſti nimirum baptiſmum ingreſsi: tandem ad montem Syon & Eccleſiam ſanctam & Catholicam peruenere.

Philoſophiæ periti antiqui orthodoxi.

Orig. cont. Celſ.

Greg. Naz. orat. 1. in Iulian.

D. Hiero. de ſcrip. eccleſ.

D. Aug. de doctrin. Chriſt. l. 2. c. 4.

Et quis erit, qui inficias ibit, philoſophiæ perceptiones multum iuuare, cum

re, cum ad fidem excipiendam, tum etiam eandem excolendam? Nam vt ait Clemens Alexandrinus: *Ipsa quoque Philosophia Græcos pedagogi more docebat: sicut lex Hebræos. Ad Christum ergo præparat Philosophia.* Et post: *Perspicuitas itaque opem fert ad tradendam veritatem, & dialectica, ne prosternemur ab hæresibus, quæ faciunt incursiones: & est quidē per se perfecta & nullius indigens seruatoris doctrina: cum sit Dei virtus & sapientia: accedens autem Græca Philosophia, non veritatem facit potentiorem, sed debilem aduersus eam efficit sophisticam argumentationem, & propulsans dolosas aduersus veritatem insidias, dicta est vineæ apta sepes & vallis: & hæc est quidem ex fide veritas, tanquam panis necessarius ad viuendum, quæ autem præcedit disciplina est obsonio similis & bellarijs.* Quid? an non in absurdissimos errores, cum Christianæ fidei veritate ex diametro repugnantes, quamplurimi prolapsi sint, quod philosophiam penitus ignorarint? hoc Manichæis hæreticis alijsque gentilibus vsu venisse testatur D. Chrysostomus. *Si de creaturis scissent Philosophari Manichæi, nunquam materiam corruptibilem & materialem, quæ cum esset effecta, esse ingenitam, deoque dicerent coëternam. Si de creaturis scissent recte Philosophari Gentiles, nunquam coluissent, & seruissent creaturæ potius, quam Creatori.* Hypostasin à natura in diuinis alij non recte distinguentes, cum in diuinarum personarum emanatione, tum etiam in vnius personæ cum carne nostra coniunctione, grauissime errarunt, vt Ariani & Nestoriani. Quæ autem Lutherus & Caluinus propagarunt dogmata, ipsa philosophia non quidem recondita, sed aperta & facili redarguuntur. Negari tamen interim omnino non potest, quin qui olim Ecclesiæ Christi cum Golia insultarunt, eosdem Philosophorum pręsidijs munitos in aciem prodijsse: illos præsertim, qui platonica quædam commenta sequuti, otiosis diuinationibus fidem habuerunt, de quibus Tertullianus: *Aufer ab hæreticis quæ cum ethnicis sapiunt, vt de scripturis solis quæstiones suas sistant, & stare non poterunt.* Ea propter orthodoxi patres in eam sententiam sæpius disseruerunt, qua ostenderent fidem, veluti Reginam quandam, philosophiæ debere legem modumque imponere, ac statuere pro libito & imperio suo, hoc vel approbandum vel resecandum. Ita D. Hieronymus, qui eleganter alludit ad illud Deuteronomij: *Si autem adamaueris captiuam mulierem, id est* (inquit) *sapientiam secularem, & eius pulchritudine captus fueris, decalua eam & illecebras crinium, atque ornamenta verborum, cum è mortuis vnguibus, seu laua eam prophetali nitro, & tunc requiescens cum illa, dicito sinistra eius sub capite meo, & multos tibi fætus captiua dabit, ac de Moabitide efficietur Israëlites.* Et alibi: *Quid adeo mirum, si & ego sapientiam secularem, propter eloquij venustatem, & membrorum pulchritudinem, de ancilla atque captiua Israëlitidem facere cupio, & si quid in ea mortuum est idolatriæ, voluptatis, erroris, libidinum*

Philosophia Theologiæ vtilis. Clem. Alex. l. 1. strom.

D. Chrysos. homil. de ieiunijs.

Tertul. l. de resurrect.

D. Hieron. epist. 26. Deut. 21.

D. Hieron. epist. ad mag. Orat.

vel præſcindo, vel rado, & mixtos puriſsimo corpori vernaculos ex ea genero Domino Sabaoth? Quod factitatum docet à D. Paulo, Origene, Methodio, Euſebio, Ioſepho, & alijs, qui in literis philoſophicis verſatiſsimi extitere, quibuſque ipſi inſtructi, felicius hæreticos & impios homines expugnarunt: vt Celſum, Apollinarem, Iulianum, Appionem, & alios. Memoria quidem dignum videtur, quod de hac re diſputauit vir eloquentiſsimus Gregorius Niſſenus. *Habet enim Philoſophia* (inquit) *ſæculi partes, humanaq; diſciplina carnale quoddam præputium, quo circunciſo, quod relinquitur, Iſraëliticæ inuenietur eſſe nobilitatis. Vt exempli cauſſa immortalem eſſe animam Philoſophi perhibent, id pium eſt: de corporibus in corpora tranſire volunt, & de rationali natura etiam in rationis expertem tranſilire multi aſſerunt: hæc quaſi præputium circoncidenda ſunt, proculque omnino abijcienda. Deum eſſe non negant Creatorem omnium, à quo cuncta dependent: vere aſſeuerant, ac rationibus (quantum fieri poteſt) demonſtrant. Sed Creatori materiam, veluti agenti artifici ſupponunt, multaque alia huiuſmodi ſunt veris excogitata rationibus; ſed abſurdis atque falſis opinionibus maculata: quæ ſi tollemus, propitius nobis Dei Angelus fiet.* Emolumentum etiam quale nobis ſit à philoſophia luculenter narrat Origenes: atque eius partitionem in tria membra appoſite videtur explicare. Sic autem loquitur: *Interpretatur autem Ochoſe, tenens, & ficol os omnium. Ipſe autem Abimelec, pater meus Rex, qui tres (vt ego arbitror) imaginem totius Philoſophiæ tenent, quæ apud eos in tres partes diuiditur, Logicam, Phyſicam, Ethicam, id eſt rationalem, naturalem, moralem. Rationalis eſt illa, quæ Deum omnium patrem confitetur, vt eſt Abimelec: Naturalis illa eſt, quæ fixa eſt, & tenet omnia velut ipſius naturæ viribus nitens, quam profitetur Ochoſac, qui dicitur tenens: Moralis eſt, quæ eſt in ore omnium, & ad omnes pertinet, & pro communi ſimilitudine præceptorum in omnium ore verſatur: quod deſignat iſte Ficol, qui os omnium interpretatur. Hi ergo omnes in huiuſmodi eruditionibus inſtituti veniunt ad legem Dei, & dicunt videntes vidimus, quia eſt Dominus tecum, & diximus fiat coniuratio inter nos & inter te, & conſtituamus tecum pactum, ne facias nobiſcum mala: Sed quemadmodum nos te non ſumus execrati, ita & tu benedictus Domino.*

Greg. Niſſ. de vita Moyſ.

Orig. homil. 26. in Gen. Gen. 26.

Ignobile idcirco ac illiberale plane ducimus conſilium illud Ludouici ſecundi Gallorum Regis: qui ita à filij ſui Caroli inſtitutione literas repellendas ſtatuit, vti ex Latinis hanc vnicam ſententiam ab ipſo diſci voluerit: *Qui neſcit diſsimulare, neſcit regnare.* Gothi etiam barbari ſimili iudicio à Regibus ſuis, idque lege lata abdicandas literas ſenſuerunt: affirmantes tunc Græcos armis ineptos extitiſſe, cum artium ſtudijs diſtinerentur. Falluntur autem iſti apertiſsime. Ad ciuilem enim adminiſtrationem ac ad militarem diſciplinam mirifice faciunt literæ, vti experientia & ratio ipſa conuincunt & perſpicuum reddunt. Hoc etiam ignorationis

Sanſouin. l. 1. del gouer general fol. 7.

tionis nomine, non minus in ipſam naturam humanam iniurios, quam in religionem perfidos & impios ſeſe noſtrorum temporum hæretici oſtentarunt. Quibus ſocordia, inertia, res vxoria, imo potius furendi & debacchandi immaniſsima libido ita cerebrum excuſsit, vti ingenuas artes eliminandas & exterminandas eſſe ſententijs ſuis definierint. Nihilominus hi excuſsis pennis volatus pernicitate, id eſt ſuperbia ſua, non aquilas modo exæquare, verum & ſuperare contendunt. Ex ſciſsis neruis ſe Olimpicos eſſe profitentur, erutis oculis, orbis næuos & maculas ſe è longinquo contemplari aſſerunt: denique amiſsis alijs omnibus ornamentis, conuulſiſque ipſarum virtutum fundamentis, de vno ſuo ſpiritu, vt inflatæ veſicæ, gloriantur. De ſpiritu inquam illo, cuius impulſu confirmatas & vſu receptiſsimas Eccleſiæ traditiones, in rebus ad Dei cultum ſpectantibus, auſi ſunt reijcere; Conciliorum decreta, veluti delirantium fabulas, aſpernari; patrum ſententias ſuis ipſorum ſententijs & ineptijs reſcindere, exigere; Scripturarum ſacras paginas (ſi ad ſtomachũ illorum non fecerint) detruncare, mutilare. Vehementiſsimus ſane ſpiritus & œſtrum importunum ad præcipitia & naufragia miſeris inferẽda, ex inferni caueis dubio procul erumpens. Spiritus quidem iſte, quod ipſorum cerebrum iam penitus occupauerit, philoſophiæ locum non concedit: ſi fortaſsis compendiolo aut ſummulæ aliquid detur ab ipſis ſtudij, magnum apud eos cenſetur impendium, imo fortaſsis diſpendium. Vaniſsimi ſane homines, & ipſis pulueribus ac paleis leuiores. Iſtorum protoplaſta Lutherus, vt ſcribit Alphonſus à Caſtro, ſcientias, quæ in ſpeculatione verſantur, non ſecus ac turpiſsimos errores deuitandas affirmauit. Crederem equidem, dum hæc proferret Lutherus, ipſum ſuumque ſpiritum vino fuiſſe obrutum, ſomno, quam ſpeculationi aptiorem. Ex eadem dementia Melancthon (vt de ipſo teſtatur Prateolus) ſolum Dei verbum à ſuis voluit cogitari: neque iuuentutem cenſuit alijs ſtudijs imbuẽdam, quam diuinis. Simili quoque modo Carolſtadius exoſas ſibi oſtendit diſciplinas philoſophicas: de quibus hæc Prateolus: *Carolſtadius & Philippus Melancthon VVittembergenſibus ſcholaribus perſuaſerunt, vt combuſtis humaniorum literarum libris, ſibi quiſque conueniens aliquod aſſumeret mechanicum opificium. Fecerunt plerique quod erat ſuaſum. Carolſtadius in proxima quadam villa VVittembergenſis agri agricola factus eſt ruſticanus, Philippus vero in piſtrino pinſendi artem meditatur.* Vnde inſana & barbara hæreſis, cum nulla prorſus mala extimuerit, cœlum licet deſuper ruat, vel inferius tartarus ſuos igneos euomat globos: à fame ſolummodo Saguntina ſibi cauendum exiſtimauit. Eapropter in hæc famis detrimenta duo orbis Germanicæ lumina conſpirarunt: Carolſtadius quidem in agro, Philip-

Philoſophiã non excolunt hæretici.

Alph. Caſt. l. 1. cont. hæreſ hæreſi 13.

Prateol. hæreſi 23.

pus vero in pistrino: in quem perbelle sane quadrat dictum illud Varronis ex Satyra. *Si quantum operis sumpsisti vt tuus pistor bonum faceret panem, eius duodecimam Philosophiæ dedisses, ipse bonus iam pridem esses factus. Nunc illum qui norunt, volunt emere millibus centum, te qui nouit, nemo centussis.*

Gellius l. 15. c. 19.

Contra eos disputatur, qui sententiis suis eovsque humanam efferunt animam; ac si ex ipsius Dei substantia decisa esset quædam particula, vel potius ipsemet Deus omnia ratione administrans.

CAPVT VI.



QVVM de cognitione sui in vniuersum sumpta satis disputatum videatur: consequens omnino est, vti singillatim de partibus ipsius hominis, earumque agendi facultatibus, pauca edisseramus. Atque si nobilitatis habenda sit ratio, primo in loco de ipsa anima tractandum erit. Quoniam vero (vt superius admonuimus) illum effectum sui cognitio profert, quo mediocritatem quandam dum mens intuetur, inde se nimis nec efferat, neque à dignitate decidens, se turpius abiectiúsve dimittat: idcirco curandum præcipue, ne vltra conditionem, & ab ipsa natura constitutum terminum, falsa aliqua opinione delusi, animam aliquando euehamus. Quod omnino transilijsse & neglexisse videntur illi, qui animam hanc dixerunt esse vel diuinam ipsam substantiam corporis moli coniunctam, vel certe eiusdem diuinæ naturæ quasi particulam quandam decisam & dilumbatam. Quid enim obsecro hoc aliud est, quam elatione sui luciferianæ superbiæ verticem transcendere: cum hoc pacto eo temeritatis & audaciæ deuenerint homines; vti ipsi Deo similes esse ac dici velint, si non & dij nominari? Huiusmodi immoderatam sui æstimationem (passim vt fatetur Cicero) Philosophi Platonici primo introduxerunt: à quibus etiam nec ipse opinione multum dissentire videtur. inquit enim: *Deum igitur scito esse te: siquidem Deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui prouidet, qui tam regit, moderatur, & mouet id corpus, cui præpositus est, quam hunc mundum princeps ille Deus: vt & ipsum mundũ ex quadam parte mortalem ipse Deus æternus: sic fragile corpus animus sempiternus mouet.* Phylo quoque Iudæus hominis animam sæpius appellat ὑποσπαγμα, καὶ ἡ ἀποάγασμα τοῦ θεοῦ: scintillam aut radium diuinitatis. Hæreticis autem,

Animam aliqui Deum esse dixerunt.
Cicer. Tusc. 9.
Cicer. Som. Scip. Macrob. lib. 2. in Som. Scip. c. 12.
Phil. de Sabb.

autem, nimirum Gnosticis atque Manichæis, admodum procliue fuit, errantium philosophorum vestigijs inhærere, qui hoc ipsum adserue runt: vt testantur D. Irenæus & Theodoretus. Quo etiam nomine Priscillianistæ in consilio Bracharensi, anathematis sententia percelluntur. *D. Iren. li. 1 cap. 24. Theod. lib. de natur. hom.*

Duplici autem ratione, eaque discrepante, hoc stabilire conati sunt. Principio aliqui agnoscentes Deum esse naturæ cuiusdam incorporeæ, ipsum tamen in omnibus corporibus vnam eandemque formam esse pronunciarunt: quod D. Augustinus Varroni ascribit. Alij vero, quod nullã substantiam spiritualem inueniri posse existimarint, Deum ipsum per varias quasdam sui partes corporibus accedere dixerunt: vti Manichæi docentes Deum lucem esse quandam quantitate dimensam: cuius multiplices particulæ quasi decisæ, corporibus præessent, ac illis moderarentur: sicut ab eodem Augustino testatum habemus. *D. Aug. de ciui. lib. 7. cap. 6.* Atque hunc errorem, tametsi ita aperte vero repugnantem, hæretici (qui ad quodlibet tutandum præsidia quærunt perpetuo non nisi ex sacrario) scripturarum authoritate comprobare voluerunt. *D. Aug li. 4. ciu. cap. 13.* Acerrime autem illud Geneseos vrgebant, *& insufflauit in faciem eius spiraculum vitæ*. *Gen. 2.* Insufflatio enim illa, quam in animalibus cernimus, cuius similitudine diuinam insufflationem Scriptura exprimit, aliquid semper ex se licet exile & tenue transmittit & effundit, quod prius in illo extitit, à quo insufflatio fuit progressa: quodque in aëris quoque calefacti, alterati, & euentilati respiratione perspicuum est. *Anima quomodo spiraculum Dei.* Quamobrem cum nulla in Deo despici posśint accidẽtia, quæ ab ipso dimanent, si quid huiusmodi insufflatione humano corpori ipse indiderit, id nihil esse valebit, nisi ipsius propria substantia & natura. Neque argumentum hoc effugiet quis, si modo dicat insufflationis voce significari solum animæ ab ipso Deo creationem. Nam hoc pacto etiam terram insufflatione conditam affirmabitur: cum constet hanc effectione quadam ab ipso Deo similiter exijsse. Scriptura tamen in solius animæ humanæ efformatione insufflationis mentionem facit: peculiaris idcirco huius rei alia exquirenda ratio est. Vero autem consentiens omnino non videtur esse, quod tradunt Lira & Paulus Burgensis, asserentes Deum hominis forma indutum tunc temporis apparuisse, atque humano modo, dum animam crearet, flatum seu spiraculum ex ore emisisse. *Lir. Paul. Burg. in 2. cap. gen.* Nam ex hac sententia flatus seu illa Dei insufflatio causa effectrix non fuisset ipsius animæ. Quis enim credat rem adeo leuem aut mobilem, imo creaturam tandem aliquam (vti communis iam tulit Theologorum sententia) vim quandam creatricem obtinuisse? At contextus ipse luculenter satis indicat huiusmodi insufflationem aliquid recenter exortum, veluti causam quandã eius, primo excitasse: Nam nõ dicit quomodocunq; (insufflauit)

ac si insufflatio illa ad creationem animæ solum extitisset consectaria: sed insufflauit in faciem eius spiraculum vitæ. Hæc idcirco insufflatio causa fuit spiraculi vitæ, quod anima est ipsius hominis. Quibus si quis occurrat, ac dicat, insufflationis vocem ideo consultoque scripturæ insertam, vti illa spiritualis animæ substantia, veluti quodam hieroglyphico apte designaretur: (nihil enim magis aut propius ad spiritualis substantiæ naturam & conditionem accedit, quam flatus seu spiratio) is non multum efficiet. Ex eo enim sequetur, nihil prohibere quo minus Angelos æque spirituales, ac hominum animas, parili insufflatione conditos asseramus. Quod tamen sine omni rationis momento quis videbitur apud se constituere. Huic etiam grauissimo testimonio è scripturis petito, aliud argumentum quoque adiunxerunt. Si enim (inquiunt) intellectum ipsius hominis inspiciamus, quid non mirabile, quid non diuinum potius cogitationi nostræ occurret? Hic namque rerum omnium naturas suo lumine & acie peruadit, longe ab effectis semotas causas acri quodam intuitu disquirit, terram perlustrat vniuersam, cœlos partitur, artes excogitat, tuendæ societatis inter homines præcepta tradit, mores honeste ac decenter instituit, vitam hanc omnibus necessarijs sustentat & fouet, ornamentis quoque illustrat, ac mille blanditijs recreat & reficit. Quodq; maxime in nobis admirationem excitet, dum studiose hæc omnia præstat & peragit, nunquam defatigationem subit aliquam, nunquam languescit, aut eius vires labore aliquo exhauriuntur. Nequaquam adepta scientia veluti iniecto quodam onere deprimitur, neque si huius rei notitiam suo connixu adsequutus fuerit, ea ita eius sinum replebit, vti ineptior inde euadat, aut contractior ad aliarum quoque rerum (etiamsi progressus fieret ad infinita) excipiendas notiones. Quod si voluntatis similiter expansam & fuse explicatam capacitatem, amplasque eiusdem vires cogitemus: quid obsecro in hac vita, vel honoris splendore tam insigne, aut gradu excellentiæ altum & exaggeratum, vel iucunditatis illecebra delinitum, quod omni ex parte ac plene satiat, vel expleat eiusdem infinitam propemodum appetentiam? Vlterius semper hæc quærendo progreditur, modicum & minutum fatetur quodcunque ei subieceris: tametsi vniuersum orbem ipsi in prædam obtuleris: vt nihil dicam modo de memoria, quæ innumerabilium rerum formas, quibusdam notis consignatas, ita tenaciter retinet ac continet, vti obliuione aliqua interim nō effluant vel dilabentur. Sic etiam coërcet omnes, vt in angusto quodam mentis spatio terrarum vniuersa moles, distincte & *Cicer. q. 1. tuscul.* particulatim veluti in tabella quadam colore & figura expressa eluceat vigeatque. Vnde Cicero: *Quid autē diuinius vigere, sapere, inuenire, meminisse?*
ergo

ergo animus, qui vt ego dico diuinus, vt Euripides audet dicere, Deus est.

Veruntamen hæc quorundam existimatio à veritate ipsa prorsus est auersa, apertis etiam & luculentis ipsius scripturæ testimonijs reuincitur ac refellitur: tametsi ijsdem fraudulento quodam & arte composito prętextu hæresis (vti eius ingeniũ semper tulit) inniti videri hactenus laborarit. *Et inspirauit* (inquit scriptura) *in faciem eius spiraculum vitæ.* Hæc inspiratio proculdubio actionem quandam ab ipso Deo profectam designauit, cui vti terminus, in quem eadem desinat, aliquid pariter respondere debet, quod etiam ab ipso Deo, vtpote actione aliqua eius effectũ, separari ac distingui euidens erit. Diuina namque substantia omnino produci nequit, nisi solum personali emanatione, ratione characteris notionalis. Necessario idcirco dicendum, hoc vitæ spiraculũ ipsam esse hominis animam, Dei virtute productam, & corpori humano diuinitus infusam ac inspiratam. Vt autem verum fatear, non omnes orthodoxi interpretes in huius loci elucidatione in eam conspirant sententiam: vti spiraculi nomine substantiam animæ velint intelligi. Nam Philastrius existimauit spiraculum hoc fuisse potius animæ gratiam, & sanctitatem quandam accidentariam, qua mirifice refulsit Adam, cum à Deo primo crearetur: quodque confirmat ex illo Christi Domini facto, qui insufflatione oris gratiam quandam spiritualem Apostolis est impertitus. Deinde scripturæ series sic habet: *& factus est homo in animam viuentem.* Fieri autem (inquit) non potest homo in animam viuentem: nisi prius homo extitisset, & proinde animam quoque ratione præditam obtinuisset. Infert idcirco spiraculum illud vitæ, gratiam & iustitiam notasse: ex quibus hominis vitam spiritualem constare nemini obscurum erit. Reliqui tamen omnes ferme Theologi locum hunc de ipsius animæ substantiali efficientia à Deo intellexerunt. Ita D. Chrysostomus, qui docet spiraculum illud vim quandam fuisse homini impressam ad operandum. Cui etiam consentit Eucherius: *Nõ quia* (inquit) *illud spiraculum conuersum est in animam viuentem, sed quia operatur animam viuentem.* In eandem quoque sententiam Theodoretus & alij quamplurimi.

Philast. in catal. hæres. c. 99.

D. Chrys. homil. 12. in Gen.
Euche. in 2. c. Gen.
Theod. in 2. cap. Gen.

Multiplici quoque ratione Theologi errorem illum refutarunt, inter quos D. Thomas hac vtitur argumentatione: *Anima humana quandoque est in potentia ad sciendum, quandoque in actu: sed diuina natura est actus purus, idcirco anima non est diuinæ naturæ.* Verum vt ratio isthæc aliquid conficiat, ex necessaria suppositione hoc vnum extra controuersiam poni debet & constitui: nimirum actum intellectionis, quem Deus in homine eo posito exprimeret, in diuinam ipsam naturam, tanquam in quoddã subiectum necessario suscipi debere: alioquin D. Thomæ argumentum in lubrico

D. Thõ. 1. p. q. 90. a. 1.

lubrico versabitur. Nam vices agere poterit omnipotentia Dei cuiuslibet alterius caussæ efficientis: quo pacto valebit sine corpore luminoso illuminare, absque interuentu calidi calefacere, idque sine vlla mutatione sui. Sciscitatur ea propter quare Deus vt interim mutationẽ nullam subeat, in humano corpore nequeat actum intelligendi elicere, quemadmodum sine aliarum rerum adminiculo, ipse immutabilis existens, earũ effectus omnes producere valet? Quod si quis dicat intellectus operationem esse quid spirituale, & propterea natura sua exigere subiectum quoque spirituale, in quo resideat. Cumque ex illa sententia nullum aliud esset in homine, præter ipsummet Deum: deberet is actum hunc recenter expressum in suam substantiam admittere: quo quidem pacto vere mutaretur, & à priuatione (vt loquuntur) ad habitum transiret. Adhuc tamẽ res erit in ambiguo. Nam substantia animæ nostræ res est spiritualis: nihilominus ipsum corpus retinet pro subiecto: sic etiam poterit & eiusdem intellectio. Veruntamen vim & pondus suum absque dubio habet hæc D. Thomæ ratiocinatio. Nam cum intellectio sit res prorsus spiritualis, si corporeum subiectum postularet, certam & statutam quoque corporis partem veluti propriam sedem requireret: quod de illa affirmari nequit. Nam ad eius expresionem non magis hæc pars corporis confert, quam altera: imo corpus absolute nihil conducit ad mentis intelligentiam. Quamobrem quod huic actui intellectionis subiectum aliquod sit decernendum: neque hoc poterit esse aliqua pars corporis, ipsum Deum necessario vt subiectum afficeret, atque ex consequenti, mutationi quoque obnoxium redderet. Neque argumentum effugiunt, qui dicunt intellectionem quamcunque homini aduenientem esse ipsammet Dei notitiam, qua cuncta ab æterno cognouit. Nam cum eodem prorsus modo intellectus diuinus singulis corporibus coniũgatur: nulla inter ipsos homines cognitionis reperietur discrepantia, nullibi inscitia aut ignorantia constarent. Neque satis bene explicabitur quomodo humana natura in certa aliqua demum specie constituatur: si affirmetur semel animam nihil esse aliud quam Deũ ipsum corporibus nostris immersum. Est enim Deus integra quædam & absoluta substantia, quæ tanquam elemẽtum aliquod cum alio occurrente tertium componere nõ valet. Sin vero ab ipso rationem formæ & partis demamus, ipsumque extrinsecus solum corporibus asistentem fingamus: non hominis profecto, sed Dei potius erit intelligere, velle, & recordari: quæ tamen homini ipsi cõmunis omnium notio attribuere solet. Careret quoque homo virtute & vitio: neque laus aut vituperium illi ex factis obtingerent, si nihil ipse intelligendo aut appetendo moliretur.

At isto-

At iſtorum argumentis modo occurrendum. Quod ad illum locum Geneſeos ſpectat: iam dictum eſt in ſufflationis nomine animæ productionem ſignificari. Neque ſine cauſa in eos acriter inuehitur D. Augustinus, qui ad ſpiritualem quandam gratiam inique illam transferunt, & à vero detorquent. *D. Aug. 13. ciuit. c. 22.* Verbum enim Hebræum *neshma*, habitum, flatum, vel etiam ſpiritum denotat, quibus nominibus anima in ſacris ſcripturis paſsim nuncupatur. *Vniuerſi homines, & cuncta in quibus ſpiraculum vitæ eſt, in terra mortua ſunt.* *Gen. 4.* Hebraice legitur *neshma* Chaim, ſpiritus vitæ. Si idcirco huius vocabuli flatus aut inſufflationis genuinam ſpectemus ſignificationem: varijs modis ipſam animæ ſimillimam inueniemus: & propterea congrue apteque dictum: *Et inſufflauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* *Gen. 2.* Verbum enim Hebræum *neshma* motionem proprie exprimit, quæ ipſius animæ naturæ præcipuè conuenit: cuius proprium eſt vitam, quæ maxime in motione conſiſtit, (viuentis enim eſt ſeipſum mouere) corpori afferre: quam quidem motionem Scriptura explicatius enuntiauit cum dicat, in faciem Adami Deum vitæ ſpiraculum inſpiraſſe. vel vt vertunt Aquila & Symmachus: ἐν μυκλῆρους ἀυτοῦς in nares ipſius: quibus ſpirandi reſpirandique operatio perficitur. Itaque *neshma* non tam animæ abſolutam ſubſtantiam declarat, quam eandem vti corporis motricem: proinde rem quampiam tamdiu viuere dicimus, quamdiu ſe agitat & mouet. *Neshma* autem annectitur Ruach, quæ vox ſignificat ſpiritum. *Et omne, in cuius facie erat Neshma, Ruach, flatus, ſpiritus.* *Gen. 7.* Huiuſmodi enim motionis operatio ab anima, quæ ſpiritus eſt, proficiſcitur. Itaque tametſi Deus hoc ſpiraculum vitæ inſufflauerit, non propterea ſubſtantiæ ſuæ aliquid in plaſmatum corpus immiſit aut transfudit: quod neque in animalium quam videmus ſpiratione contingit: quæ nihil eſt aliud quam emiſsio aëris calidi, aut vaporis in tenue quid caloris vi elaborati. Quod ſi ſuſpicietur quiſpiam inſufflationem illam Dei ſaltem alicuius rei præexiſtentis fuiſſe in aliud, nimirum in corpus manationem: ac ſi anima prius diuina ſubſtantia eſſet incluſa, deinde egreſſu quodam corpori inſerta: exiſtimandum erit in ſufflationis voce explicari tantummodo & effigiari quodammodo ſpiritualem animæ ſubſtãtiam, eas ob cauſas, quas ſuperius attulimus: quomodo Philo Iudæus hanc vocem videtur intellexiſſe. *Phil. lib. de fabric. mundi.* *Etenim quod inſpirauit, nihil aliud erat, quam diuinus & ſacer ſpiritus, qui ex beata illa & felici natura, huc, ad generis noſtri vtilitatem, coloniam deduxit.* Diuinam nuncupauit animam Philo, quod ab hac terrena concretione eſſet omnino ſegregata. Ex quibus etiam liquet ratio, ob quam cætera, quæ dimentionibus extenduntur, minime dicantur inſufflatione Dei creata aut conſtituta. Quod enim homo

ex duplici

ex duplici componatur ſubſtantia, materiali vna, ſpirituali altera: ad hanc differentiam ſubindicandam, prius corpore effecto, cum anima illi adiungi deberet ſubſtantia prorſus diſsimilis, rectiſsime dicitur: *Et inſufflauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Quam quidem vocem, dum Angeli conderentur, opus non fuit adhibere: eo quod ipſi ſint integræ & completę ſubſtantiæ ſpirituales: nec alieno cuipiam immixti.

Gen. 2.

Illud autem, quod in anima intelligendi appetendique vim quaſi infinitam oſtendit: ſolum probat hominem vel ab ipſo Deo naturæ opifice ad altiorem finem conſequendum eſſe directum & inſtitutum: quam vt hiſce contentus ſit, quæ ſenſibus noſtris obuerſantur, vel quæ per corporis anguſtas rimas interius ingreſſa, ad animum peruadunt. Eapropter mirum non erit, ſi ab hoc, ad aliud perenni quodam curſu, & ſtudiorum ſuorum multiplici viciſsitudine continuo deferatur: neque vnquam neruos remittat, aut ſe ab omni conatu contineat: nam vt ait Pſalmiſta: *Tunc ſatiabor, cum apparuerit gloria eius.*

Pſal. 16.

Impugnantur illi, qui docent Deum immediatam animæ productricem cauſam non extitiſſe, vel ex præiacta aliqua materia in hanc lucem emerſiſſe.

CAPVT VII.



Vemadmodum qui vſque adeo ſententijs ſuis animam humanam extulerunt, ac ſi non effecta omnino à quopiam, ſed potius diuina aliqua ipſa eſſet natura, in alto quodam faſtigio illam collocarunt, vnde grauiori quodam lapſu cæca ac præceps decideret: ita qui eandem ſenſerunt non ab authore Deo excitatam aut productam primitus, quin potius Angelorum opera primum emerſiſſe, eam concilio eiuſmodi depreſſerunt, vti ingenitæ nobilitatis inſcitia inde eſſet impedita, & ad omnia deinceps pręclara virtutis actione decernenda, languida iaceret & deſidioſa. Non enim parum nobilitatis noſtræ & innatæ claritudinis recta æſtimatio confert ad virtutē. Sicut enim ſanguinis illuſtre ſtēma virtutis purpura rectiſsimè dici ſoleat: quod nimirum eximium quoddam decus virtuti adiungat, illamque cæteris ſpectabiliorem reddat: ita quoque virtutis ſtimulus appellari rectiſsime poterit, quo acrius ad vitæ honeſtatem expetendam homines impelluntur. Sanguinis etiam nobilitate illuſtres, quemadmodum

Animæ nobilitas incitamentum ad virtutem.

dum longius vitæ genere & instituto ab operibus vilioribus & popularis negotij sordibus recedere solent: quasi hæc maculam aliquam illis inferrent, & ignobiles plane constituerent: Ita ex opinione nobilitatis illius, qua anima nostra effulget, comparati esse debemus: vti honestatem actionis, quæ sola nobis gloriam parit, auidissime velimus consectari: vitia autem, & morum prauitates, quæ vitam nostram inficiunt, deturpant, agrestem faciunt & ferinam, refugere omnino & auersari. At quis est, qui facile non animaduertat stemmatis & originis insignem quasi claritudinem humanæ animæ accessisse: Si modo perceperit, ab ipsomet Deo, nullius alterius effectricis causæ adminiculo interueniente, ortum & genus eam deduxisse? Quid enim nisi affabre effectum & venustissime expolitum, à tanto artifice prodibit? Quid nisi excelsum & quasi diuinum illud erit existimandum, ad cuius efficientiam nec solis iubar, nec cœlorum influxus, sed neque Angelorum vires quidpiam opis conferre potuerint: quandoquidem ad illud excitandum Dei solius singularis vis & potestas immensa fuerint requisita? Sicut enim qui pingendi artem profitetur, apud se statuens suæ peritiæ specimen aliquod pluribus exhibere, quo sibi nomen famamque inter homines compararet: discipulis, quos in ea scientia erudiendos susceperat, curam fortassis mandaret colores subtilius conterendi, vel etiam corporis figuram & vestium lineamenta penicillo effingendi: nihilominus vultum ipsum, in quo totius operis elegantia elucere deberet, ipsemet sua manu depingeret atque deliniaret: Ita tametsi Angelorum ministerio aliquid concedamus: affirmantes eos materiam præbuisse, vel quid simile operatos ad humani corporis plasmationem: Deus tamen ipse præcipuam partem, ipsam nimirum animam, proprijs quasi manibus effinxit. Hoc etenim opere & se egregium quidem artificem nobis ostendere voluit, nosque vicissim tanto ornatos dono & ditatos, in hoc rerum theatro illustriores constituere. Verum sit itaque Angelos aurum conflasse, expurgasse, & in annuli quasi formam deduxisse: solus tamen Deus præfulgidam hanc animæ nostræ gemmam confectæ corporis palæ artificiosissime inseruit. Optimi idcirco ac præstantissimi parentis loco ipsum Deum habemus, cuius factura sumus & opus manuum eius. Quamobrem quod filij suorum parentum mores naturali quodam ductu & propensione imitari soleant: animæ sine dubio ad egregia facinora eximia quædam vis impressa est, atque diuinitus eidem iniecti igniculi existunt, qui in nobis cœlestium rerum studium perpetuo concitarent.

Anima dignitas ex causa creante.

D. Thō. 1. p. q. 91. a. 2.

. . . . . Nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam: vnde prosapiam nostram digne

Horat. l. 4. car. od. 4.

ostenderemus, & parentis nostri perfectionẽ vtcumque exprimeremus. Dum autem hoc modo de nobismetipsis pręclare appositeque sentimus, qui fieri poterit vt vitiorum atque voluptatum mancipia turpi & ignobili vita sponte aliquando euadere velimus? Cogitemus animo stirpem & progeniem nostram: intueamur radicem in cœlo defixam, ex qua nascimur & sobolescimus: manum illam sublimem, quæ animam veluti semen quoddam terreno corpori mandauit, contemplemur. Nec permittamus insignem hanc nobilitatem prauis moribus obscurari, abiectissimarum rerum cupiditate corrumpi penitus, denique amitti & nobis excidere. Hac namque cogitatione Apostolus Paulus Atheniensium animos ad ipsius Dei veram notitiam erigere sategit ex Arato Poëta mutuato testimonio: *Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro & argento aut lapidi sculpturæ artis & cogitationis hominis diuinum esse simile.* Quasi diceret: si aliquando opinionem illam admiseritis, vt existimetis hanc nostram animam, qua viuimus & ratiocinamur, Dei ipsius esse quoddam opus: multo excellentius quoque de ipso Deo sentietis, quam vt rei inanimatæ, crassę, & corporeę ipsum similem iudicetis.

Actuũ 17.

Hæc etiam nostræ animæ ex diuina virtute propagatio, cum à nobis recte percepta fuerit, immenso quodam amore in ipsum Deum sine dubio voluntatem inflammabit. Si enim ordinem & rerum seriem expenderimus, quam sacra scriptura recensuit, conditionis nostræ historiam contexens: tanquam benignissimum quendam parentem Deum esse videbimus, illoque prorsus affectu à nobis prosequendum intelligemus, quo ipsa natura filios erga parentes suos pios constituere solet ac morigeros. Nam posteaquam mundi singulæ quæque partes essent constructæ, aptissimeque inter se compaginatæ: corpore etiam, vtpote ipsius animæ domicilio, ac regia absoluto & perfecto: tunc demum anima in præclarum hoc orbis patrimonium & corporis sui sedem affabre elaboratam inducitur: non Angelorum quidem virtute aliqua, sed sicut mos est parentibus, filijs ab illis propagatis hæreditatem committere: ita ipsemet Deus clementissimus animæ parens, eam in orbem terrarum ac corporis tabernaculum propria sua virtute inuexit. *Et insufflauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Sæpius tamen contingit hominis ipsius culpa, hanc nostræ nobilitatis ac prosapiæ notionem, aut prauo aliquo errore eiectam iri, vel ignoratione penitus à mente arceri. Sicut enim puero, qui claro genere illustris esset, inter barbaros & efferatos homines vitam traducenti, ob conuictum illum agrestem, originis ipsius splendor nequaquam in cogitationem incideret: Ita si depressa extinctaque ratione, sensus regiminis sceptrum & imperium arripuerint: non solum cum barbaris quasi homi-

Animæ creatio à Deo hominem mouet ad ipsius Dei amorem.

Gen. 2.

hominibus ipsa anima versabitur: quin potius cum ipsismet brutis & truculentis bestijs societatem conciliabit. Quibus enim alijs nominibus aptius aut verius rabidos & vesanos illos ex libidine vitæ mores appellarem? de quibus Propheta: *Et terra infecta est ab habitatoribus suis.* Et alibi: *Isaia 24.* *Et orientur in domibus eius spinæ & vrticæ, & paliurus in munitionibus eius, &* *Isaia 34.* *erit cubile draconum, & pascua strutheonum: & occurrent dæmonia, honocentaurus, & pilosus clamabit alter ad alterum: ibi cubauit lamia, & inuenit sibi requiem.* Ex quo fiet, vt si quid stirpis bonum sit, id omne vitio degeneret deprauatæ voluntatis: atque ex conuictu consuetudineque minus excultis & honestis, animæ veram & genuinam nobilitatem fœda quadam obliuione necesse est obliterari.

In quod grauissimum malum, dæmonis versutia hæretici quoque ad insanum errorem acti, hominem conijcere satagerunt: dum in eam sententiam ipsum inducere laborarint, qua existimaret non ipsius Dei propria ac immediata virtute, sed Angelorum potius molitionibus effectam animam in hanc lucem prodijsse. Huiusmodi opinionem Platonicis Philosophis arrisisse, affirmantibus Angelos humanarum mentium esse satores, quamplurimi senserunt. Tamen D. Augustinus scribit eos existimasse solum ad corporis efformationem operam suam Angelos præstitisse: quod & schola iam admisit Theologorum. Cæterum authore Philastrio, Seleucus, Hermias omnino in hunc scopulum impegerunt. Istorum tamen hac in re temeritas, & in dedecus nostri generis suscepta sententia, sacrarum scripturarum authoritate liquido refutatur. Passim enim scriptura effectionem animæ Deo vti efficienti attribuit. *Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* *Qui finxit singillatim corda eorum.* *Spiritus reuertetur ad Dominum suum, qui dedit illum.*

Animam aliqui negarunt à Deo creatam.

D. Aug. 12. ciuit. c. 26.

Philast. de hæres.

Gen. 2.

Psal. 32.

Eccle. 12.

Verum non tantum ex hoc ipsius animæ eximia quædam elucet præstantia: quod à solo Deo absque alterius secundæ causæ efficientia profluxerit: sed & inde quoque vel maxime, quod nihil præfuerit veluti materia, ex cuius sinu & potẽtia educeretur: quin potius quod ex nihilo plane extiterit: eoque productionis genere constituta, quæ creatio dici solet, quæque principium quoddam infinitum exigat, quale in solo Deo esse mens nostra cogitabit. Quocirca ea est nostræ animæ excellentia, vt quicquid in hac vastissima rerum machina continetur, sicut nec efficiens causa esse potuerit eius, ita neque materiam aliquam suppeditare, ex qua ipsa oriretur. Errauit eapropter vehementer Tertullianus, qui ratus est haud aliter embryonis animam ab anima patris fieri, quam per decisionem seminis eiusdem corpus à corpore paterno conficiatur. Quo quidem pacto ipsa anima esset ex traduce, & non ex nihilo. Ad hoc autem

Anima an ex materia.

Tertul. l. de anima.

tem refutandum obſcurum videtur argumentum omne, quod è ſacris li-
Pſal. 32. teris peti ſolet. Illud quidem Pſalmiſtæ: *Qui finxit ſingillatim corda eorum,*
pleniſsimam & veriſsimam habebit ſententiam, licet ex præiacenti ali-
qua materia eductam animam affirmemus. Figulus enim, qui ex maſſa
lutea vaſa efformat, opus ſuum effingit, tamen ex materia. Sed neque
Eccle. 12. aliud quidpiam probabit, quod habet Eccleſiaſtes: *Et reuertetur puluis in
terram ſuam, ſicut erat, & ſpiritus reuertetur ad Dominum ſuum, qui dedit illum:*
Hæc namque veriſsima eſſe poterint, interim anima ex traduce oriatur.
D. Auguſt. epiſtola ad Optat. Quare concludit D. Auguſtinus: *De animæ origine nondum in ſcripturis ſacris
reperiri.* Nihilominus ſi verba ipſius ſcripturæ exactius paullo & preſsius
diſcutere velimus, quibus Moyſes hanc animæ à Deo propagationem
explicauit, fortaſsis probabiliſsimis coniecturis inde veritatem ipſam e-
liciemus. Imprimis verbum illud *inſufflauit* ſubindicare videtur, quod ſi-
cut inſufflatio res eſt ferme ſenſu imperceptibilis, ita quoque animam ip-
ſam, quantum ad eius ſubſtantiam, ſpiritum eſſe, qui omnem noſtri ſen-
ſus effugiat notionem. Ex quo etiam conſtat ſpirituali quadam efficien-
tia formatam fuiſſe: neque ad rationem aliarum formarum ex gremio
alicuius ſubiecti euocatam. Species autem illa productionis, quæ maxi-
me cenſetur ſpiritualis: quamque nec mente aut intelligentia adſequi
poſſumus, creatio eſt. Anima idcirco ex nihilo creata primo ſubſtitit.
Scriptura porro docet hominis corpus fuiſſe à Deo plaſmatum, animam
vero factam: quam differentiam duplici verbo Græco ſignificari a-
D. Baſyl. homil. 11. *in hexam.* nimaduertit D. Baſylius: ἐπλάσθη ἡ σάρχ, ἐποίθι ἡ ψύχι: quaſi caro ideo di-
ceretur plaſmata, quod ex materia aliqua, nimirum terra, emerſerit: ani-
ma vero facta, quod creatione naturam & exiſtentiam ſortita fuerit.
Iob 10. Vtrumque autem verbum aptiſsime vſurpauit D. Iob, *manus tuæ fecerunt
me*, animæ cauſa, *& pſalmauerunt me*, ratione corporis. Quod ſi quis iſtis
contentioſe velit reſiſtere, ab illo quærerem, quænam illa tandem deberet
eſſe materia, quam is animæ productioni ſubijceret? Non quidem hæc
eſſe poterit ipſius Dei ſubſtantia: quæ ſi loco materiæ eſſet, mutationi
quoque obijceretur: neque ex ſententia Philoſophorum actus eſſet pu-
rus, ſecretus ab omni priuationis defectu. Sed neque animæ materia erit
Angelica ſubſtantia: nam anima cum ſit forma, materiam illam vti ſub-
iectum afficeret, ex qua emanat: quod nullo modo Angelorum ſubſtan-
tijs accidere valebit. Denique ipſum corpus, vel quodcunque aliud
demum concretum aſsignari nequit, vti animæ materia. Nam anima
cum ſit res prorſus ſpiritualis, in ſui effectione à re quauis corporea mi-
nime dependebit. Hæc tamen conſequutio nō videtur adhuc ſatis mani-
feſta. Nam ſi rationi conſentaneum ſit, (quod omnes ferme recentiores
docent

docent Theologi) nimirum gratiam, qualitatem supernaturalem educi ex potentia animæ: id est ea effici actione diuina, quæ animæ vt subiecti atque materiæ concursum & sustentaculum requirit: anima similiter tametsi substantia spiritualis, ita a Deo effici poterit, vt materia aliqua etiã crassa & corporea ad eam actionem necessaria constituatur, & ex qua ipsa producatur. Sed modo non ea cura nos distringit, vt profiteamur ostẽdere animam omnino vlla Dei virtute effectrice educi non posse ex potentia aliqua corporea: hoc enim solum inpręsentiarum statuimus, nimirum ex principijs Philosophiæ liquere satis animam creari à Deo, nec excitari ex aliquo subiecto: quod etiam scripturæ sacræ comprobatum reddunt: pręsertim si illis patrum sententias adiunxerimus. Quamobrem vti creationis ratio, qua animam ipsam effici definiuimus, clarius innotescat: tria in cogitationem nostram venire debebunt. Quorum duo animæ effectionem aliarum formarum productionibus parem & similem faciunt: tertium vero eandem omnino discernit & distinguit à cæteris. Principio quidem à Deo non creatur anima, nisi post quam naturale agens omnes debitas & naturæ eius congruentes dispositiones in corpus introduxerit. Deinde non ita fit à Deo, vt in aliqua temporis morula, vel realis durationis puncto, à corpore abstracta extiterit. Denique licet fiat à Deo, idque in ipso corpore veluti in materia & subiecto: tamen eiusdem adminiculum non exigit, & propterea ex nihilo creatur. Aliæ autem formæ omnes ita producuntur vi actionum, à quibus fiunt; vt necessario actiones illæ requirunt subiectum aliquod, quo suffulciantur & sustententur: quo etiam dempto & semoto, euanescerent protinus actiões illæ. Diuina autem actio, qua hominis anima fit, tametsi à corpore vti subiecto suscipiatur, nihilominus in eodem temporis puncto, in quo ipsa à Deo emanat, si corpus deflueret, aut subtractũ esset, ex vi tamen actionis illius anima superstes existeret. Quare non fit hæc ex materia vti ex causa: proinde vi creationis & ex nihilo emergit. Quo pacto à cæteris productionibus aliarum formarũ diuina hęc animæ excitatio longissime secernitur.

Animam substantiam esse quandam ab omni materiali concretione seiunctam, luculentis rationibus asseritur.

CAPVT VIII.

NON parum aut modice quidem animæ præstantissima forma atq; species ex eo elucet, quod prorsus immaterialis existat, & ab hac

terrena, crassaque corporum coagmentatione secreta & aliena. Hinc etenim manifestum euadit, longe excellentioribus bonis hanc ipsam affluere debere, & ad sublimiora etiã appetitus ingenito desiderio cõtendere, quã quę hac rerum mole aspectabili coërcentur. Quamobrem qui in classe & ordine corporalium rerum eam collocarunt; fingentes quantitatem extensam, loci ambitu circumscriptam: de tanta dignitate & animæ excellentia, qua conspicua est, multum detraxerunt: atque natiuo eiusdẽ splendori diminutionem haud mediocrem attulerunt. Grauiter idcirco lapsi videntur quamplurimi Philosophi, qui suo dogmate concreta quædam principia atque elementa decreuerunt: ex quibus anima ipsius hominis oriretur ac pullularet: quamque Græce ψυχὴν, quasi ψῦχρον, frigus appellatam voluerunt: quod ab aqua originem eius atque initium extitisse illis steterit sententia definire. Origenes vero alia de caussa animam ψυχὴν, quasi ψῦχρον, nuncupari existimauit: exinde nimirum, quod volũtatis vitio prior ille charitatis & in Deum amoris feruor, quo aliquando flagrarat, modo deferbuerit: ea propter veluti frigidam aut tepidam ex peccato, ad tanti sceleris & defectionis luendas pœnas, in hæc corpora detrusam cogitauit. Alij animam dici ζοην autumarunt à verbo ζεῖν, feruere: ac si anima ignea esset quædam substantia, vel ex stellis delibata: quæ non nisi violenter, tanquam flamma innata agilitate in altum exiliens, hisce corporum repagulis esset coërcita. Aristoteles vero opinatus est animam esse ἐντελεχείαν σωμάτων. de cuius vocis genuino sensu, quem ipse exprimere voluit, non me fugit plurimos opinionibus inter se dissidere. Suidas enim ab Aristotele existimauit animam vocari ἐντελεχείαν, quasi corporis formam, & perfectionem: Idemq; esse ἐντελεχείαν atque ἠτελειότην censuit. Gregorius autem Nissenus (in philosophicis sine omni controuersia doctissimus, ἐντελεχείας nomine Aristotelem ratus est intellexisse ipsam corporis temperiem; quasi anima ex primarum qualitatum commixtione enata, illam, quæ vitæ aptior esset, conseruaret, atque à defluxu cohiberet. Quo quidem pacto anima omnino esset extensa & materialis. Eandem quoque sententiam visus est Galenus suscepisse: cum dicat animam esse viuenti aptam corporis temperaturam. A quibus non multum quoque abhorruit Tertullianus, qui animam corpoream esse substãtiam disertissime docuit. Quare Græco vocabulo minus recte & apposite opinatur ipsam appellari πνεῦμα, spiritum: quin potius contendit dici debere πνοὴν, flatum. Vt enim à spiritu coërcito flatus proficiscitur: ita quoque anima hominis à spirituali ipsius Dei virtute ac ore veluti flatus quidam promanauit. Quæ tametsi hoc etiam modo substantia esset materialis, nihilominus quod hæc valde tenuis, exilis, elaborata quasi & subtilis-

Anima materialis secundum aliquos.

Animæ nomen.

Orig. l. 2. periarchō.

Suid. ver. ψυχή. Greg. Niss. l. de anima.

Galen. l. de temperatura. Tertul. l. de anima.

ſubtiliſsima exiſtat: congrue flatus nomine eam adſtruit deſignari. Hinc etiam volunt aliqui Latinam vocem anima, deductam à Græca ἀνεμος, quæ ventum ſeu flatum denotat. Confirmari putat Tertullianus ſuam ſententiam ex illis verbis Geneſeos: *& inſufflauit in faciem eius*. Ex quibus conficit animam ſubſtantiam eſſe quandam inſtar flatus per corpus diffuſam: Porro ſcripturarum teſtimonijs comprobatum eſt, (inquit) perditorum animas in locis inferis actione quadam natiua ignis materialis exacerbari ac torqueri. Proinde ſimili modo anima ipſa materialis exiſtit: nullam enim vim exercere poterit concretum, & materiale agens, niſi in paſſum, quod ex materia quoque & quantitatis dimenſione conſtaret. Aliorum vero, in eandem ſententiam cum Tertulliano differentium, hæc ſunt argumenta. *Gen. 2.*

Si anima prorſus cuiuſpiam ſpiritualis eſſet naturæ; materia quam ipſa vtpote forma concupiſcit, ſimiliter deberet eſſe ſpiritualis. Sicut enim ſpiritualium & materialium rerum ſpecies ipſo genere inter ſe diſſociantur: ita ſi ad exiſtentiam earundem cogitationē noſtram conuertere velimus, eo modo ſecerni animaduertemus, vt ſuis etiam diſtinctis indiuiduis perpetuo partiantur. Eapropter cum anima naturali quadam corporis compage contineri ſe permittat: imo ad hoc vinculum naturę mirabili quadam ſui inclinatione propenſa & facilis accedat: conditionem ipſius corporis ſequi videtur. Etenim nihil ita in vnum pellit, aut inter ſe diuerſa coniungit, atque naturæ ipſius æqualitas ac ſimilitudo. Similis itaque & vicina corpori erit anima, quod tam hæc, quam illud materialium rerum ſerie includantur. Quorſum etiam ingruente illa, quam ſecum defert mors, partiū diſiunctione, tantopere anima eam ſubterfugit, & ex eius opinione, timore quodā perculſa, trepidat & exhorreſcit? Nam ſi anima eſſet ſubſtantia aliqua ſpiritualis, tunc intelligeret ſe à corpore ſeuulſam & ſegregatam, (veluti cuiuſdam tenebricoſi carceris patefactis clauſtris) habituram poſtmodum alium quendam exiſtendi modum ſolutiorem & liberiorem: quique naturæ ipſius aptius multo reſponderet. *Anima materialis videtur ex appetitu corporis.*

Non iam ſe moriens conquereretur: *Lucret. lib. 3.*
Sed magis ire foras, veſtemque relinquere, vt anguis
Gauderet prælonga ſenex, aut cornua ceruus.

Operandi autem genus, quod animæ proprium eſt, ſi cogitemus: nihil ſane in illo præſtantius aut ſpectabilius videbitur, quam intelligere & contemplari. Hæc vero animæ agitatio corporis mole non perficitur: imo exiliens in altum animæ vis, quibuſdam anguſtijs, corporis ratione coërcetur. Quamobrem ad illum potius vitæ formam ingenti quadam

dam promptitudine & alacritate (si quidem spiritualis esset) ferri deberet, in qua omnes intelligendi vires liberrime posset expromere: quam tamen reformidat & fugit omnino. Idcirco adhæreſcit anima corpori, & illi penitus agnata censebitur: quandoquidem ita corpore miſceri cupiat, & eius indumento perpetuo veſtiri.

Anima videtur materialis corporum affecta incommodis.

Verum neque ex hac animæ cum corpore vnione, ipsa imperium omnino obtinuit in corpus: cum eam inde corporeis malis ſubiectam potius videamus: quod in ſpiritum vix cadere poſſe quiſpiam exiſtimabit. Deprehendimus enim iuxta multiplicem ipſius corporis temperaturam, varia ingeniorum munera & quaſi ſpecies exoriri. Vbi enim ſicciora & calidiora corpora progignuntur, ibi acriora & ſubtiliora vigent ingenia. Perturbationum etiam effectus, qui in corpore exiſtunt, ad ipſam animam quoque deueniunt: quod perſpicuum eſt in his, qui morbo aliquo afficiuntur: hi quippe non minus anima, quam corpore langueſcunt, & conficiuntur. Quæ omnia è corporibus erumpentia incommoda nequaquam animam contingerent, (cum materialia ſint & concreta) niſi anima ſimiliter materialis eſſet, & craſſa atque multarum rerum coitione coalita. Nam Angelus (vt gratia exempli dicam) aqua circundatus & incinctus, vel locali pręſentia illi contiguus, nullam in ſe admittet mutationem, ſi vel aqua illa velocius à quopiam cietur, vel iniecto cæno turbida reddatur: quandoquidem ſubſtantiæ ſuæ cauſa ſpiritualis, talis impreſsionis nec capax ſit. Humana autem anima nunc quaſi ſe dimittit, poſtmodum ad operandum expedita euadit: nunc tardius progreditur, deinceps concitatius ſe mouet: nunc clarius intelligentia veritatem perſpicit: mox obſcurius: ſi corpus vel optima, vel mediocri, vel nulla fruatur ſanitate: ſi iuuenili feruore incaleſcens ſubſultet, vel ſenili frigore conſtrictum ſubſidat, & torpere iam incipiat ac rigeſcere.

Anima inde videtur materialis, quod filiorum vita mores exprimat parentum.

Quantam etiam vim obtineat anima in corpus, hinc vel maxime liquet: quod videamus liberos non tam corporis figura & habitudine membrorum externam parentum ſpeciem exprimere, quam etiam mores eorum, ſiue virtuti conſenſerint, ſiue etiam vitio paruerint, vitæ ſuæ ratione imitari & quodammodo effingere. Quod non aliunde venire poſſe ſuſpicabitur quiſpiam, niſi animam concretam eſſe ſubſtantiã, & propterea corporis affectionibus facile mutabilem & ad varia corporis ratione flexibilem pariter exiſtimet.

Longe tamen altior & ſublimior cogitanda eſt humanæ animæ natura, (quidquid quorundam Philoſophorum ratiunculæ ex aduerſo contenderint) quam vt materiali quadam coagmentatione conflatam & cõcretam ſtatuamus. Ad inſigniorem quippe gradum eam virtus diuina

extulit,

extulit & euexit. Sicut enim omnia, quæ à Deo tanquam principio & origine promanant, ipsum (vt affirmat D. Thomas) quodammodo imitantur: Ita peculiari quadam ratione anima hæc nostra, carnis tametsi mole obsessa, diuinæ substantiæ imitatrix existit. Est etenim Deus, si ipsius substantiam spectemus, natura quædam simplicissima, partitione vacans, pura & spiritualis: eodem plane modo anima, ex nulla terrestri commixtione constans, immaterialis est, & à corporis conditionibus libera & immunis. Quocirca cum huiusmodi naturam obtinuerit Deus Optimus & maximus, ideo dum singulis quibusque rebus adest, non per aliquas sui partes, sed indiscretus, totus, ac integer eas omnes tranat & peruadit. Sic anima quoque, quod corporis membris coextensa non sit, (vt loquuntur) tota est in toto corpore, & tota in qualibet illius parte. Præterea Deus in cœlis sedem thronumque defigens cuncta, quæ subiecta sunt mente lustratur sua, curam omnium agit: neque minus prouidentia rusticanis præest negotijs, quam imperatoriæ maiestatis arcanis consilijs. Pariter anima ratione insignita, vti ipsius hominis vita melius decurrat, faciliusque sustentetur: non solum præstantioribus corporis ipsius partibus vitam, sensum, motumque largitur; verum etiam ignobilioribus propria quædam munera attribuit. Denique Deus licet omnia cōtineat & administret, & vt inquit Apostolus: *Non longe sit ab vnoquoque nostrûm: in quo mouemur & sumus:* Omnem tamen mentis nostræ captum effugit: & tantus splendor cum sit, in tenebris tamen posuit latibulum suum: Ita anima, cuius authoritate corporea hæc moles ducitur & regitur, cuiusque virtute & auxilio singulę corporum fiunt molitiones, videri à nobis non poterit.

D. Thom. 3. cont. Gent. c. 19 & 20.
Anima similis Deo.
Actuū 17.

Sed neque in scripturis luculentius aliquid adstruitur, quam (quod omnes iam ferme arbitrantur) animam nimirum esse cuiusdam substantiæ spiritualis. *Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Ex quo loco Theodoretus probat animam esse spiritum, flatus seu spiraculi nomine expressum. Cum enim hac voce ipsius animæ substantia optime significetur: tum quoque eiusdem operationes ad viuum describi videbuntur: si diuini huius flatus sæpius à Deo emissi mirabiles effectus, quos sacra refert scriptura, repetere velimus. In rerum primo ortu diuinus quidam spiritus super aquas agitatus, vel confusionem indigestionemque, qua omnia permixta & perturbata erant, apta vnius cuiusque rei in proprium locum distributione facta, è medio sustulit: vel ipsismet aquis (vt opinatur Tertullianus) vim quandam vitalem indidit, ac procreatricem; qua prima viuentia aquis innascerentur. Ita statim atque Deus hunc animæ spiritum corpori infuderat: protinus eodem corporis moles effor

Animam esse spiritum docent scriptura.
Gen. 2.
Theod. in illum locum.
Anima similis spiritui emisso sæpius à Deo, de quo passim scriptura
Tertull lib. de Baptism.

mata fuit: eiusque singula membra distinctis proprijsque actionibus destinata: & quod mirabilius videatur, iacenti & inerti corpori vitam sensumque impertiuit. Cum diluuium vniuersam rerum faciem coalita adgestaque fæce deturpasset, fluctusque immanes viuentium omnium animas extinxissent, flatus, seu ventus à Deo exspiratus, noxium illum absumpsit & exhausit humorem: terram spectabilem exhibuit, atque in illam delato solis radio, fæcundam effecit: tandem fructibus amænam & vberem extulit. Ita si quid actionis præclaræ, si quis splendor aut decus in corpore nostro effulgeant: id omne diuinus iste animæ spiritus perficit & exequitur. Virtutum pulchritudine hæc corpus exornat, cœlesti gratia, veluti è supernis euibrato radio, coruscum constituit: denique ex terræ gleba obscurissima aurum reddit, crystalli quasi crustis pulcherrime distinctū & elaboratum. Spiritus seu flatus beneficio, testatur scriptura, primo animam fuisse conditam & constitutam: similiter post diuulsionem eius à corpore, renouatam copulam cum eodem, Deus ventus quodam symbolo Prophetę Ezechieli visendam exhibuit. Spirãte enim
Ezech. 1. vento vidit iste Propheta membra emortui cuiusdam corporis iuncturis suis rediuiua inuicem cohærere, neruis colligari, efflorida cute indui, feruidum purpureumque per corporis ceruleas & turgentes venas sanguinem decurrere : tandem humo integrum hominem excitatum & erectum, pedibus consistere aspexit. Ita cum anima postliminio ad corporis iacentem molem & morte confectam regressa fuerit, illam suscitabit illico, vitæ imo beatitudini donabit. Sicut etiam (vti supra annotauimus) tenuis iste spiritus per aërem diffusus, ad naturam rei incorporeæ proxime accedens, substantiam animę spiritualem exprimit & repręsentat aptissime: ita quoque eiusdem operatio & agitatio animæ motus declarant ac manifestant. Inclusus etenim spiritus etiam terræ ipsius visceribus, quadam vi & impetu sibi continuo egressum parat: grauissima quæque corpora secum attollit sursum, neque ita comprimi potest aut recludi, quin semper innata sibi leuitate ad superna contendat: ita anima conditione suæ substantiæ licet graui corporis mole depressa sit & obruta: nihilominus ductu naturæ in superiora intendens, quæ pedibus teruntur, quæ ad corpus affluunt, fastidit, contemnit, & quasi in alieno detenta solo fugam perpetuo meditatur : tandem corpus euehit & erigit quodammodo: cum nempe spreta voluptate, vitæ castimonia excultum & subactum constituerit: tunc autem vel maxime, quando beatis illis cœlestium spirituum agminibus inferet, & in illa admirabili luce collocabit. Est idcirco animus vitæ nostræ spiraculum, & ad diuinam efformatus similitudinem quidam spiritus nullis corporeis contagionibus subiectus.

iectus. Quod & alia quoque ſcripturæ loca abunde teſtantur. *Quis nouit* *Eccle.* 12.
ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum? Et Chriſti Domini hæc fuere ver-
ba in cruce pendentis: *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum.* *Matth.* 2
Et alibi idem ad Apoſtolos dixit: *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem in-* *Luca* 23.
firma. Denique Apoſtolus Paulus: *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum.* Qua- *Gal.* 5.
re recte Ariſtoteles de hac re diſſerens, non tam Philoſophi, quam Theo- *Ariſt.* 10.
logi numeros viſus eſt expleſſe: cum humanam mentem dicat: ἄριστον, *Ethic.*
συγγενέστατον θεοῖς: optimam Deoque ſimillimam ſubſtantiam.

At neque Philoſophię quidpiam deeſſe poterit ad hoc ipſum certa ra-
tione demonſtrandum. Docet etenim hæc operationes animi proprias
cuiuſcunque demum temperaturæ corporeæ vires longiſsime excedere,
principiumque multo diuinius requirere, quam quod ex aliquo craſſo &
concreto conſtare poterit. Atque vt ab intellectu exordium ſumamus: *Anima ſpi-*
hic quidem in alta exquiſitaque rerum defixa eſt & occupata inquiſitio- *ritualis, eo*
ne. Vniuerſalia proinde indagat acumine ſuo infinitis propemodum ſin- *quod pluri-* *ma cognoſcat*
gularibus communia: quæ quidem (vti conſtat) omnis materiæ & con- *ſemota à*
cretionis ſunt expertia. At profecto corporis temperies aliqua nihil de- *materia.*
mum præſtaret actione ſua, pręter quam quod ſenſus moliuntur. Hi au-
tem ſingularium ſolummodo rerum notiones comprehendunt & effin-
gunt: non eſt idcirco vis intelligendi corporis aliqua complexio, vel
primarum qualitatum temperamentum: ſed quemadmodum naturæ v-
niuerſales à particularibus differentijs liberæ ſunt & ſolutæ: ita mens ha-
rum indagatrix, nullum exiget in corpore definitum organum, cui
aſtringatur, cuiuſve ad intelligendum petat adminiculum. Quo pacto
facultas intellectilis, ſicut & eius obiectum, ſeparata exiſtens à concre-
tione ac conditione quauis ſenſibili, omnino erit ſpiritualis. Porro intel-
lectus longius adhuc progreditur, dum ex partibus huius vniuerſi, ea-
rumque motibus, tanquam ex impreſsis quibuſdam veſtigijs, aut exara-
tis characteribus, in notitiam venit ſubſtantiæ omnino puræ & incor-
poreæ. Ita namque Ariſtoteles aliquando diſſeruit. Forma limitibus in- *Ariſt.* 8.
cluſa & in materia extenſa, æterno aliquo tempore mobile haud valet *Phyſ.*
agitare: quocirca cum cœlum perpetuo ac perenni quodam motu in or-
bem verſetur: virtus huiuſmodi motrix non cœlis ipſis aut eorum for-
mis impreſsis attribuetur: ſed potius quibuſdam intelligentijs conueniet,
ab omni materia & quantitate ſeiunctis. Et vnuſquiſque hominum (ſi
modo ad ea quæ oculis occurrunt intelligentiam ſuam aduertat) ita ſe-
cum ratiocinabitur. Cuncta hæc quæ videntur, quod reſtricta ſint & de-
finita, permutationi quoque obnoxia, virtute propria ex nihilo oriri non
potuerunt. Proinde conſtituendum erit commune horum omnium

principium, quod infinitum ſit, nullis terminis incluſum, aut ſenſu aliquo inueſtigabile. Complexio autem ſeu quæuis alia virtus in corpore extenſa, non niſi ad res ſenſu perceptibiles hominis duceret cogitationem. Atque ex hac Dei inueſtigatione ſolius hominis propria arbitratur Cicero euidenter ſatis probari animam eſſe ſpiritualem ſubſtantiam, ipſi Deo cognatam, imo ſimillimam. *Itaque ex tot generibus, nullum eſt animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei: ipſiſque in hominibus nulla gens eſt, neque tam immanſueta, neque tam fera, quæ non, etiam ſi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum ſciat. Ex quo efficitur illud, vt is agnoſcat Deum, qui vnde ortus ſit quaſi recordetur & agnoſcat.* Illam præterea rerum ſeriem & continuatam quandam cohęrentiam, qua longiſsime petiti effectus & à ſuis principijs & cauſis plurimum diſsiti, inter ſe connectuntur, humana intelligentia contemplatur, deſpicit, & intuetur. Quam quidem nulla plane vis ſenſus aut complexionis videre poterit ac diſquirere: niſi ipſis quoque brutis animantibus, in quibus viget tantum ſentiendi facultas, diſcurſum, διάνοιαν, & iudicium attribuere velimus. Eſt itaque in mēte noſtra ſpirituale aliquid, quod ab vno in aliud ſua deferatur intelligētia: quodque haud materiæ ſit immerſum, aut organo aliquo corporis definitum.

Cicer l. 1. de leg.

Animam eſſe ſpiritualē eius probat diſcurſus.

Non tamen me præterit (quod neque veritatis elucidandæ gratia ſubterfugere aut reticere debeo) nonnullos argumento iam explicato reſponſione occurrere: qua etiam pleniſsime illi ſatisfactum arbitrantur. Dicunt itaque experientia ipſa notum eſſe, quod ſi quis aciem mētis ſuæ defigere conetur in contemplationem ipſius Dei, vel intelligentiarum, aut cuiuſcunque demum naturæ abſtractæ & vniuerſalis: nunquam poſſe hominis intellectum (quantumcumque laborarit aut neruos intenderit) horum ſubſtantiam puram & ſimplicem ita intueri: vti omni forma ſenſibili ac ementita ſpecie abiecta & depulſa, res ipſa nuda euolutaque cogitatione aliqua inſpiciatur. Enimvero etiam nolentibus nobis huiuſmodi fucatæ ſpecies animo perpetuo occurſant, ſeſe ingerunt, & illud in quod intendere cupimus falſis quibuſdam coloribus depingunt, fictitia luce perfundunt, & inani extenſione dilatant: Vmbram denique interiectam non rem ipſam ſpectandam proponunt. Quapropter à ratione obiecti vix firmum argumentum duci videtur, quod luculenter oſtendat animam intellectualem eſſe omnis materiæ & compoſitionis penitus expertem: ſenſibilia enim ſunt tantum, quæ à nobis cognoſcuntur, quæque rerum materialium concretionem non excedunt, ex ea ſaltem facie, qua nobis obijciūtur. Veriſsima hæc quidem ſunt: nec renuere poſſum. Hinc tamen penitus ſuperius argumentum propoſitum non apparet enerua-

tum.

tum. Nam tametſi noſtra ratio eam, dum corpore continetur, ſortita ſit conditionem: vti quæcunque notione aliqua ſua perceperit, ea adumbrata & quodammodo aliena forma, quam ipſis rebus falſo adijcit imaginatio, veſtita & expreſſa ſint: tamen vt animaduertit D. Auguſtinus, iuxta puram, ſinceram, propriamque ipſorum naturam exacte cognoſcit intellectus, omni ſenſibili ſpecie & forma hæc eſſe deſtituta: tametſi quod ſenſibus impediatur, characterem illum ſpiritualem conſequi non poſsit. At niſi intellectus ipſe materia, omniſque extentionis mole eſſet vacua, nunquam iudicaret aliquid eſſe ab huiuſmodi concretione ſeiunctum, ſed potius ſenſuum iudicio continenter adhæreret, neque vlterius quidpiam inueſtigaret. Animaduertimus autem notiones ſenſuum veluti errores rationis lumine plerunque patefieri, coargui, conuinci, illiſque oppoſitum, quæ nobis ipſi renunciant, eſſe veritati magis conſentaneum eodem comprobari. Senſus etenim clariſsimum hunc ſolem, orbis oculum, dum ex viſu ipſum metitur, vnius pedis dimenſionem vix illi concedit: Ratio autem totius terræ magnitudinem longiſsime excedere & ſuperare euidenter docet. Similiter ex aſpectu lunæ iudicamus interdum quandam eius partem omni prorſus luce eſſe priuatam: verum ratio non ita rem eſſe nobis oſtendit: ſed ſic videri ſolum à nobis, idque ex corporis lunaris ſpherica figura, cuius pars aliqua ſoli obuerſa & eidem admodum vicina, ob ſitum, quo à luna ipſi diſtamus, ſenſibus noſtris non obijcitur. Oculorum etiam intuitus ſua æſtimatione falſus, repugnante interim mentis iudicio, ſub aquas remum inflectit: Idem fictitios colores nubi roſcidæ & columbæ collo affingit: terræ orbis centro aliud ſuffulcrum ſubmittit: neque æquis ponderibus libratam, aqua aut aëre liquido ambiri perſentiſcit. Quæ quidem nobis clariſsimo indicio eſſe poterunt, vim intellectilem animis inſitam, non ita ſenſibus aut corpori eſſe illigatam: vt non eo feratur cognitione interdum ſua, quo illi non valent pertingere. Sit itaque verum, nos Angelos ipſos vel rerum naturas vniuerſales ſemper ſecundum modum & formam ſenſibilium mente conſpicere: imo ipſas rerum conſequutiones, veluti quoſdam ordines ſenſibiles apprehendere: tamen quod hæc omnia (vt diximus) dum inueſtigat intellectus, iudicet prorſus eſſe immaterialia, pura, & ſegregata naturis ſuis à qualibet concretione, ex huiuſmodi conditione obiecti, quam exploratam habet intellectus, rectiſsime infertur, hunc ſpiritualem eſſe, ſicut illa ſpiritualis exiſtit.

D. Aug. de quantitate animæ c. 10.

Anima ſpiritualis, eo quod repugnet ſenſibus.

Actus etiam, quos elicit & exprimit mens noſtra, hoc ipſum ſatis manifeſtum reddunt. Ariſtoteles quidem exinde probat intellectum certo definitoque corporis organo non eſſe alligatum: eo quod neque obiectũ

Ariſt. 2. de ani. textu 122.

Anima spiritualis, eo quod nō dependeat à corporis organo.

habeat alicuius vnius ſenſus perceptione comprehenſum. Potentia namque viſiua, quæ oculo determinate inſidet, non omnia ſenſibilia ſuo actu attingit, ſed ea ſolum, quæ lucis vel coloris rationem aliquam ſortiuntur. Intellectus autem nullo conſtituto aut certo ſenſibili obiecto coërcetur: ſed omnia plane rerum genera operationis ſuæ ambitu complectitur. Caret itaque organo corporis, & ex conſequenti immaterialis eſt & ſpiritualis. Verum rationem hanc Ariſtotelis Ioannes Scotus, tanquam infirmo ſubnixam fundamento, euertere & infringere molitur: atque vt in cæteris, ita quoque hac in re ſe oſtēdit ſatis acrem, oculatum, & ſubtilem Philoſophum. Hinc itaque confici ſolum aſſerit Scotus, intellectui attribuendum non eſſe genus aliquod vnum ſenſibilium, quaſi integrum eius obiectum: propterea quod ipſe non habeat certum aliquod organum, in hac vel altera parte corporis collocatum: non autem hinc euinci dicit, vniuerſum ſenſibilium ordinem intellectum cogitatione ſua tranſcendere aut ſuperare: quandoquidem interim totius corporis adminiculo, loco organi, vti poterit: licet non hac aut altera eius parte. Et eodem plane modo quemadmodum viſio inde probatur operatio materialis, quod definiti organi conatum in humano corpore exigat: Ita quoque vis intellectilis iure materialis æſtimabitur, ſi modo ad intelligendum totius corporis ſubſidium requirat. Neque proinde intellectus organum ſibi non vendicabit, quod rerum omnium formas & differentias percipiat. Nam imaginatio deſignato organo inſeritur, nihilominus diſcrepantias quaſlibet ſenſibilium ſua notione deprehendit. At fortaſsis (vt ſuſpicatur D. Thomas) ſi intellectus ex aliquo conſtaret materiali & corporeo, ineptus eſſet ad ſuſcipiendam rerum omnium cognitionem: Sic enim ipſe diſſerit: *Manifeſtum eſt quod homo per intellectum cognoſcere poteſt naturas omnium corporum: quod autem poteſt cognoſcere aliqua, oportet vt nihil eorum habeat in ſua natura. Quia illud quod ineſt ei naturaliter, impediret cognitionem aliorum: ſicut videmus quod lingua infirmi, quæ infecta eſt cholerico & amaro humore, non poteſt percipere aliquid dulce: ſed omnia ei videntur amara.* Cum idcirco humana mens res omnes ſenſibiles ac craſſas intueatur, iſtorum omnium natura carere debet: ne impediretur à ſuſceptione notitiæ indefinitæ: Nam (vt inquit idem D. Thomas) natura determinata organi corporei prohiberet cognitionem omnium corporum. Veruntamen ſi quis animæ aliam quandam ſubſtantiam, ab his tamen, quæ percipit, diſtinctam: craſſam tamen & concretam opinione ſua attribueret: non videretur is adhuc ratione expoſita refutatus. Tamen vt verum fatear, exiſtimo nemini probabile eſſe poſſe, quod anima toto corpore, tanquam organo ad intelligendum vtatur. Partes enim ſingulæ corporis

Scot. in 4. ſent. d. 53. q. 2.

D. Thō. 1. p. q. 75. art. 2.

cum

cum sint alterius & alterius temperiei: coniunctim ad vnum eundemque simplicem actum intellectus concurrere non possunt: quandoquidem naturis discriminatæ diuersos conatus adhiberent, neque idem actus forma quædam indiuisa in illis omnibus vnquam residebit. Denique nemini apparebit verosimile, manum & pedem aliquid conferre ad intellectionem. Est itaque intellectus segregatus ab organo corporeo, & proinde ipsa anima eo insignita immaterialis censebitur.

Quod quidem adhuc luculentius ostendetur, si obiecta quædam intellectus mente in particulari cogitemus; quæ existunt ab omni coagmentatione, & crassiori substantia penitus absoluta. Inter quæ (vt docuit etiam D. Augustinus) nihil ita exemptum & auulsum elucet à materia ac ipsa virtus; cuius admirabilem pulchritudinem ac venustatem intellectus veluti quidam oculus intento curiosoque aspectu contemplari solet. Nam si ipsos sensus veluti duces & pharos in hac præclara cognitione sequi velimus, ad virtutis ipsius obiectam speciem animus timore quodam perculsus exhorresceret, retrocederet, illamque deuitaret potius quam expeteret. Quandoquidem sensus nobis referant eam tot spinis densatis vndique circumseptam, in asperis quibusdam locis & vepretis collocatam, maleuolentiæ & vulgari opprobrio expositam, fortunæ denique acerbitati omni obnoxiam. Istis tamen spretis & conculcatis, cætera omnia animus virtuti postponenda iudicat, lucrumque inde colligẽdum definit, si amissione bonorum vel etiam vitæ dispendio ipsa sola ac nuda comparari possit. Vt enim inquit D. Augustinus, de Christi martyrum inuicta animi constantia edifcerens: *Nonne cum sanguis fœdaret omnia, cum morsibus belluinis viscera fundarentur, non habebant oculi nisi quod horreãt: quid ibi erat quod amaretur, nisi quia erat in illa fœditate dilaniatorum membrorũ integra pulchritudo iustitiæ?* Abijcit itaque mens sensuum iudicia, erroris illa conuincit, nebulas, quas rebus ipsis inducunt, sua luce dispellit; fidem illis non adhibet: sed dum virtutem intuetur, gemmam quãdam fęce deformatam reperiens, è vestigio natiuos splendores radiosque eius deprehendit, venustatem tantum admiratur, eiusque amore atque cupiditate ita tenetur, vt quæ cum sensibus prius colluserant, die noctuque in voluptatem eosdem defixerant, vltro aspernetur, nuntium illis remittat, pedibus conterat, & vnicam virtutem, licet corpori nuditatem & nomini infamiam adferat, amplissimum ducat patrimonium. Ad hanc autem excellentem virtutis formam molitiones sensuum haud vnquam pertingere valebunt. Imo his contraria potius nobis renunciant: dicentes videlicet virtutem incultam esse & squalidam, absynthio delibutam, non pigmentis splendentem, non respersam aromatibus, non ornatam diuitijs,

D. Aug. l. de quantitate animæ c. 33. Anima immaterialis, eo quod cognoscat virtutem.

D. Aug. in Psal. 64.

non

non fama aut opinione hominum celebrem: denique non in foro aut in curia eam versari, non purpura & murice fulgere, sed obscuram potius, & in angulos quosdam coniectam animaduertunt. Si itaque intellectus & ratio vlterius non progrederentur, quam quo sensuum perceptiones deueniunt: imo nisi horum sentẽtijs & relatis penitus repugnaret, nunquam virtutis elegantiam despiceret. Ea propter intellectui vis quędam concedenda spiritualis prorsus & diuina, quæ virtutem intueatur, quam sensus nequit omnino conspicere. Sicut & è contrario ratio nihil iudicat tã fœdum & deforme, atq; vitium: ideoque in ipso Veneris vultu nęuos quosdam & maculas videt luxuriosæ turpitudinis, quæ illam omni fęce ac lerna impuriorem constituant: æstum libidinis percipit iuuenis alicuius florentem speciem, veluti erugine & fumo inficientem ac colluuie respergentem: in patinis ciathisque aureis Sardanapali, in floribus ipsius Heliogabali, in ipsis delitijs, placentis, lautisque epulis, intemperãtiæ angues, serpentes, bufones, & si quid deformius est, contemplatur. Quæ autem vulgus admiratur & suspicit, vti acclamationes, applausus, sedes curules, imperium, sensuum lenocinia: hæc omnia aut turpia esse, vel certe vilia, hominisque authoritate indigna, ratio euincit & concludit. Quis obsecro sensus, quod primarum qualitatum temperamentum fluxum & dissipabile, de huiusmodi poterit legitime iudicare, ac sententiam ferre?

Anima spiritualis, eo quod vitium cognoscat.

Aliud porro est operandi genus, quo pollet animus, cæterisque formis prælucet: spectabile quidem, & ad hoc idem probandum omnino procliue. Non enim minus excelsa erectaque ad virtutem excolendam hominis existit voluntas, quam eiusdem mens & ratio, ad eandem dignoscendam explorandamque prompta & expedita. Hinc etenim fit: vti interdum incredibili quodam ardore, hæc appetendi facultas excitata non tam festinet, quam præceps ruat ad opus præclarum & cum virtute coniunctum. Non voluptatum vincula, quibus Cæsarem Cleopatra inter flores constrinxerat, non pericula, non flammæ, non fauces, non præcipitia, efferentem se voluntatis vim, incusso aliquo timore reprimere poterunt, aut efficere, vt ab incepto decretoque virtutis officio desistat; vt à rationis iudicio & constituta lege vel leuiori aliquo sui flexu declinet. Ad hoc sane fastigium nulla sensuum energia ascendere valebit. Non enim caro & sanguis (vt sua sententia aliquando definiuit Saluator) cœlos intrabũt. Nec suspiceris primarum qualitatum temperamentum varium & inconstans, tam aspera, tam dura, tamque sensibus permolesta, vnquam expetiturum. Sine dubio altior illa vis est, quę virtutem tantopere prosequitur; quæq; etiam à virtutę auersa illam tamen admiratur ac colit:

Anima immaterialis, eo quod appetat virtutem.

Ioan. 6.

vt enim

vt enim inquit Seneca: *Virtus in omnium animos lumen suum emittit, & qui non sequuntur, eam vident.* Neque nisi diuinum quid hanc apud Sophoclem sententiam potuit exprimere: *Seneca l. 5. de beneficijs. Sophoc. in Philoct.*

Postponit cuncta Iupiter parens
Pietati alia: Pietas enim mortalibus
In morte quoque comes est, & occumbant licet,
Aut vitam agant, ea tamen haud vnquam perit.

Aut quod Eleazarum in immanes trucesque incidentem homines, qui ipsum mortis ac tormentorum metu à patrijs legibus abducere voluerunt, excelso illo animæ proposito defixit, nihil cum corporis temperie facile dissipabili commercij habebit: quandoquidem dum acerbissimos cruciatus perferret, generoso animo has voces emiserit: *Domine, qui habes sanctam scientiam, manifeste tu scis; quia cum à morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores: secundum animam vero propter timorem tuum libenter hæc patior.* *2. Mach. 6.* Quid etiam fuit, quod Machabæos pueros, si teneræ carnis vires animo meditemur, ad omnia acerba pauidos & trementes; sartaginibus illis, ollisque æneis succensis & ob oculos ipsorum positis, in virtute & pietatis instituto firmauit; nisi quid spirituale? Aut quid ipsorum matri animos & vocem indidit, vt liberos hortaretur ad mortem perferendam, dum toties ipsa carnificis manu moritura esset, quoties ex filijs aliquis mortem oppetiturus? An corporis temperies? aut è sanguine enatus tenuis aliquis spiritus, hoc præstare potuerint? Haud vnquam profecto. Quinimo opus fuit diuina quadam virtute, quam Deus crassis nostris corporibus inseuit, quamque hæc Machabæorum mater, dum filios alloqueretur, non minus Philosophice quam pie agnouit: *Nescio qualiter in vtero meo apparuistis: neque enim ego spiritum & animam donaui vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi: sed mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem & spiritum, vobis iterum cum misericordia reddet & vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges eius.* *2. Mach. 7.* Atque vt omittam dicere humani corporis temperiem rem esse leuissimam & inconstantem qualitatem, ipsius aëris inspiratione, ciborum generibus, cœlorum influentijs facile permutabilem: si nulla alia in anima esset vis præter hanc, languescente corpore, aut eodem parumper immutato, appetitus omnis virtutis deficeret & excideret. Verum in rectis quibusdam institutis ita videmus animæ esse constantiam quandam obfirmatam: vt nullis intentatis malis, eminente morte, defluente corpore, posset ab illis repelli: quin potius vulnere virescit, ipsaque morte floret, inter offusas caligines clarius emicat, inter immania cœli tonitrua, terræ eruptas fauces, elementorum elisam vim vincit & triumphũ agit.

Altiorem idcirco originem petit hæc animæ firmitas, quam vti in venarum lacunis discurrat, corpori diffundatur, aut veluti exilis aliquis spiritus è iecore vel corde ebulliat.

Anima spiritualis, quod cognoscat ac diligat pulcrum: quodque musicis delectetur.

Cicer. l. 1. offic.

Istis simile omnino videtur, quod deprehendimus in nobismetipsis: dum ex specie pulchrum aliquod oculos nostros cogit, & ad eius amorē nos inuitat & allicit. Hic namq; venustatis, elegātię, & proportionis debitæ aspectus proprium videtur munus rationis, cuius est hoc cum altero conferre & cōparare: proinde homo solus hanc speciē pulchritudinis intuetur, eiusq; cupiditate ducitur & inflammatur. Ita Cicero: *Nec vero illa parua vis naturæ est, rationisque, quod vnum hoc animal sentit quid sit ordo, quid deceat in factis, dictisque qui sit modus. Itaque eorum ipsorum, quæ aspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venustatem, conuenientiam partium sentit.* Delectatio etiam illa, quam ex musicis animus percipit, videtur esse argumentum neque obscurum cuiuspiam naturę spiritualis: proinde merito Græci illos ingeniosiores duxerunt, qui accuratius concentuum modos & harmonias aure excipiunt. Non enim hæc sensus tantum assequuntur: sic enim ex illis etiam & bruta voluptatem caperent: sed mens potius & intelligentia, cuius est συμμετρίαν ac proportionem deprehendere. Quare vt inquit Macrobius: *Anima delinimentis canticis occupatur, vt nullum sit tam immite, tam asperum pectus, quod non oblectamentorum talium teneatur affectu.* & postea: *Ita denique omnis habitus animæ cantibus gubernatur, vt & ad bellum progressui & item receptui canatur, cantu & excitante & rursus sedante virtutem, dat somnos ademitque, necnon curas & immittit & retrahit, irā suggerit, clementiam suadet, corporum quoque morbis medetur:* tametsi huius rei ineptam cum Platone istis causam asignet: *Quia in corpus defert memoriam musicæ, cuius in cælo fuit conscia.*

Macrobius l. 2. in somn. scipionis c. 3.

Anima spiritualis quod prædita libero arbitrio.

At præterquam quod voluntas ita virtutem expetat ac vitia detestetur: peculiarem quendam modum operandi retinet, qui similiter indicium est substantiæ spiritualis. Videmus etenim animantium rationis expertium facultates ita crasso corporis organo innexas & implicatas: vti ad vnam solummodo formam appetendi naturæ quodam pondere & ductu destinentur. Quamprimum enim huiusmodi animalia sua ęstimatione aliquid sensibus ipsorum iucundum deprehenderint: euestigio ad illud in ijs appetitus temerario & cæco quodam impetu inconsiderate rapitur: adeo vt obniti non posint inclinationi & cursui naturæ. Quamobrem recte D. Thomas non tam sese mouere hæc sensuit viuentia: quam ab authore naturæ Deo in suos ipsorum fines dirigi & concitari. Humana autem voluntas, etiam postquam sensus omnes sua suffragia in aliquam partem emiserint: imo cum ipsa ratio sententiam dixerit, & in

D. Thō. 1. 2. q. 1. a. 1. 1. cont. Gēt. c. 44.

vnam

vnam quasi lancis partem momenta omnia contulerit, non ita compedum nexibus est ligata, non angustijs vllis coërcita: vti non posit ex imperio hoc vel illud decernere, amare, vel auersari: neque vt seruus aut mancipium aliquod imperatis obsequitur: sed veluti princeps sceptrum erectum in manibus tenens, consultis fidem adhibet, aut negat: eliget demum quod illi operęprețium videbitur. Quæ quidem facultas, si naturæ similitudine ad corpus accederet, nequaquam ea consectaretur, quæ corpori grauia sunt & permolesta: neque delectum ita solutum haberet, vt per omnia libere posit deferri. Ignis enim à quolibet alio mixto crasiori, naturæ suæ conditione plurimum discernitur: ænea tamen sphera inclusus: quam quis manu complecteretur, simul atque globus ille explicatis digitis dimittitur: pariter quoque necessario descendit. Verum non ita animus corpori inclusus sese dimittit ad sordes voluptatum, etiam cum corpus in illas incubuerit: sed in huius potestate situm erit molem corporis confirmare, iacentem erigere, erectum in sublimi Musarum Pernasso, aut in edita virtutis sede collocare: imo efficere vt eius conuersatio sit in cœlis. Quæ quidem vis ad discrepantia officia, ipsam animam spiritualem quandam esse substantiam apertisima quadam ratione demonstrat. *Philip. 3.*

Anima immaterialis, quod operationes habeat reflexas.

Superest adhuc peculiaris alia quædam forma operandi animæ solius propria: quæ ipsam spiritum esse arguat ac definiat. Mens enim non solum eorum suscipit notitiam, quæ extra ipsam posita sunt, verum etiam cogitatione quadam reflexa operationes, quas semel elicuit, in seipsa expressas despicit & contemplatur. Intelligimus enim nos intelligere, illudque volumus nos velle, quod expetendum magis rationis iudicio percepimus. Vt autem in rebus quantitate dimensis, ac inter viuentia, ea ob musculorum teneritudinem spirituumque viuacitatem subtiliora sunt, aëris aut ignis naturæ viciniora, quæ in girum & orbem sese facilius circinant & contorquent, quæque ita sunt inflexa, vt in angustum aliquod compingantur: eodem plane modo dum animaduertimus animam humanam supra se quodammodo elatam, in proprium sinum retortis oculis respicientem, incredibili quadam agilitate se in spiras multiplices complicantem, facile & procliue nobis erit iudicare illam nulla crasiori mole esse pręceditam, sed omnino syncerам & spiritualem. Reliquorum enim sensus, vno homine excepto, ita proni subiectis rebus inhærent, vt ab ipsis quodammodo trahi & pelli videantur: neque expressas molitiones suas intuentur, expendunt aut examinant: sed foras omnis illorum cognitio euocatur. Homo autem cum de re quapiam notionem excuderit, diligentius eandem ad rationis regulam trutinat, disquirens an

rebus ipſis apta ſit vel ſecus, extenſo perpendiculo curuitatem, ſi quæ, deprehendit & corrigit, erecto ſtylo vmbram dirigit & efformat. Atque hæc quæ à nobis diſputata ſunt, ſatis videntur probare ſpiritualem ipſius animæ naturam & conditionem: reliquum eſt vt obiecta diluamus.

Coniecturæ illæ apud Tertullianum non multum habent momenti: ſiue enim animam flatum dicamus, ſiue ſpiritum, parum referet: modo nominibus illis ſpiritualem animæ ſubſtantiam ſignificemus. Quod autem intulit idem Tertullianus de cruciatu animarum vi ignis: breui aliqua oratione diſcutere non poſſum. Eſto autem ignem illum actionem aliquam phyſicam non poſſe in animam exercere, cuius acerbitate vel morſu diuexetur: exterminetur etiam quæcunque demum animæ ab igne illata qualitas, qua vitietur aut deturpetur: interim facile erit aſſerere, quod docet Scotus, ignem nimirum tanquam Dei inſtrumentum impedire poſſe vim animæ intellectilem: vel eam ita defigere in cogitationem ſui: vt animæ integrum non ſit alijs ſtudijs interim vacare, quod ſane in ſubſtantijs intellectualibus moleſtiſsimum quid vnuſquiſque arbitrabitur. Denique cum D. Thoma opinari licebit, perditorum animas ita igne veluti carcere incluſas, vti alio egredi nõ poſsint, & eius æſtimatione miſerrime torqueri.

Quod autem dixerunt alij probabile non eſſe ſpiritualem ſubſtantiam ita propendêre in concretum corpus, vti animam videmus inclinari ad craſsiorem hanc materiam: dicendum erit: tametſi ſubſtantiæ conditione hęc duo ſint longiſsime ſeparata; nihilominus condidit Deus animam ita corporis ſuapte natura amantem: vt non niſi ægre & acriori quodam doloris ſenſu affecta ab ipſo diſcedat. Vt enim procreandæ ſobolis gratia illam effinxit Deus inter virum & feminam corporum habitudinem: ex qua ſingulari quodam amoris vinculo & mutuæ conſuetudinis nexu conſtringerentur: ita virtutis exercendæ cauſa, & ad debitum ordinem rerum in hoc vniuerſo conſtituendum, (ad quæ duo animæ cum corpore coniunctionem omnino facere poſtea demonſtrabimus) animam tametſi ſpiritum, ita temperauit & formauit Deus, vti in corpus eſſet inclinata, & in hanc terrenam molem immenſa cupiditate effuſa: cuius familiaritatem cum diuturniori vita experta fuerit, & ex conſortio eius multiplicem perceperit iucunditatem: mirum non eſt, ſi mortem, quæ diſceſſum adducit, exoſam plurimum habeat & horrendam.

Galen. l. quod mor. anim. ſeq. temp. corp.

Quæ autem à corpore progreſſa mala animam ipſam afficiunt, & diuerſitatem ingeniorum effingunt, ſcio quamplurimos perplexos & in ancipiti ſententia diu tenuiſſe. Huiuſmodi enim argumentum Galeno abſque

abſque dubio doctiſsimo Philoſopho ſcrupulum & negotium attulit: vnde & in hæc verba loquutus eſt: *At incorporeæ ſubſtantiæ, quæ per ſeipſam eſſe poſſet: neque qualitas aut ſpecies corporis ſit, differentiam nullam intelligo: quamuis ſæpius ſuper ea re cogitarim & accuratius perquiſierim.* Animaduerterat Galenus, ingentem quandam vigere inter homines ingeniorum diſcrepantiam, quam à corporibus fieri non poſſe exiſtimauit: ſi modo vniuſcuiuſque ingenium ſit res aliqua ſpiritualis & omni concretione deſtituta. Proinde dubitauit an tale ingenium & mens eſſet corporeum quid, necne; atque ita corporum ratione varium & multiplex. Extra cõtrouerſiam quidem eſt, corpora interdum animæ mores conſtituere, eiuſque ſtudia hac aut illac transferre: cuius quidem mutationis in anima exiſtentis principia & cauſas ita partiuit D. Auguſtinus. *Aut ſecundum corporis paſsiones, aut ſecundum ſuas anima dicitur mutari. Secundum corporis: vt per ætates, per morbos, per dolores, labores, offenſiones, per voluptates. Secundum ſuas autem, vt cupiendo, lætando, metuendo, ſtudendo, diſcendo.* Quod & Plinius quoq; animaduertit. *Sunt* (inquit) *homines in laſsitudine proniores ad iracundiam & in ſiti.* & poſt: *Nullius non ira, luctuſque triſtitia & omnis animæ impetus cibo mollitur: ideoque obſeruanda ſunt, quæ non ſolum corporum medicinam, ſed & morum habent.* Vt autem harum affectionum animæ origines altius repetamus; imprimis exiſtimandum non erit quidpiam adiacentium aut affluentium ad corpus, præſenti aut proxima aliqua actione animæ ipſius ſubſtantiæ quidpiam poſſe imprimere: ineptus enim ſpiritus ad ſuſcipiendum aliquem impetum à corpore. Verum neque corpus animæ tametſi vicinum & illi penitus agnatum, partium ſuarum temperie, vtpote ſanguinis incremento, caloris efferueſcentia, ſpirituum agitatione, nulla denique eius qualitate, ſubſtantiæ ipſius animæ aliquid valebit inferre. Cum autem tres ſint in anima facultates, officijs & actionibus ſuis inter ſe diſpertitæ: intellectiua nimirum, appetitiua, & ſenſitiua: quando ratione corporum opinionum quoque aliqua & morum diſsimilitudo in ipſa anima exoritur: illa animæ pars ab extrinſeco primo tangitur & afficitur, quæ propius quaſi ad ipſum corpus accedit, illique cenſetur arctius adſtricta: ex qua poſtmodum ad intellectum & appetitum illata illa impreſsio traijcitur. Nam quod iſte poſteriores facultates ſint cæteris paullo elatiores, & à corpore magis auulſæ, priores vero, vtpote ſenſitiua & imaginatiua, carni penitus immerſæ videntur; ideo in defungendis ſuis muneribus corporis requirunt adminiculum, & certam quandam eiuſdem partem exigunt vti organum & inſtrumentum ad operandum. Senſus autem permoti, imaginationem deinde mouent: hæc intellectum excitat: intellectus cogitatione aliqua informatus, volun-

D. Aug. de mort. anim. c. 5.

Quæ animæ ſunt pendent à corpore.

Plin. nat. hiſt l. 22. c. 24.

Quomodo corpus immutat animam.

tatē pariter euocat & impellit. Proinde hoc pacto ex conditione corporū & eorū, quæ ad corpus appellūt, manare poterit vniuersa illa morū & ingeniorum discrepantia, quam cernimus non solum in diuersis hominibus, verum & in vno eodemque homine, variatis temporibus, aut corporum immutatis qualitatibus. Atque ex eadem causa descendit, quod liberi parentum mores imitentur. Hæc etenim similitudo, ab ipsorum corporibus animam in quædam studia & vitæ consilia inclinantibus, poterit proficisci.

Galen. supra. Aliud præterea est, quod Galeno acutissimo viro dubitationem attulit: dum nimirum secum inquisierit: quonam modo anima, siquidem res spiritualis, corporeis artubus possit immisceri, ac per illos diffundi & extendi. Hoc sane reputauit intellectu permolestum & implicatum: vnde dixit: *Sed nec quomodo si corporis nihil esset, in totum ipsum valeat extendi intelligere potui.* Quare vt de hac re quid probabilius dici poterit definiam: existimarem animam suæ substantiæ ratione nullum locum occupare, aut vlibi esse. Hoc vero aliqui exinde animę conuenire dicunt, quod spiritus sit: quærentes quanam ratione spiritus, aut quod suapte natura indiuisibile est & insecabile, per spatium aliquod distendi aut expandi poterit? Nisi etiam (inquiunt) dicere velimus punctum mathematicum vel atomos epicureorum sui præsentia huiusmodi interualla opplere. Ceterum quod mihi hoc persuasum reddit, aliud est. Nam si animæ substantiæ semel attribuamus quod corpori aut loco sit præsens: tunc quoniam ea omnia, quæ naturali & necessario quodam effluxu sibi locum parant & constituunt, certis quibusdam limitibus & cancellis circunscribuntur: quos egredi aut transilire non possunt, (quo modo finitum aliquod per immensum dispandi nequit) animæ quoque designandus erit locus aliquis certus & definitus, quem eius substantia ad modum naturæ locum occupans, requirat: sicut & corporum quantitati tantus locus definite respōdet. Neque cogitare poterit aliquis animam in loco occupando variam esse aut multiplicem: non enim à voluntate ipsius pendet loci occupatio, sed ex natura substantię eius. Hæc idcirco definitum locum ita sibi vendicabit, sicut in corporibus quantitatis dimensio. Quod si verum sit, sentiendum quoque erit, quasdam animas exiguis pumilionum corporibus inclusas, vim quandam & violentiam ipsis illatam persentiscere. Illud etenim dicitur violentiam pati, cuius vis & facultas ita detinetur aut cohibetur, vt nequeat illam actionem expromere, quam naturæ impetus desideraret: quod in anima quidem cerneretur, si detrusa esset in corpus aliquod exile aut decurtatum: cuperet enim se fusius dilatare. Quocirca ex Neotericis Philosophis non pauci intermedium quendam animæ af-

Anima quomodo in corpore aut loco.

fingunt

fingunt modum, quaſi copulam, cuius interuentu anima vere & realiter in corpore eſſe dicatur: quamque ipſemet Deus producat, dum actione ſua animam corpori inſerit. Atque hanc excogitatã rationem ſi ſequamur; facile deinceps erit explicare quomodo abſque violentia aliqua anima ſit in maiori aut minori corpore: quãdoquidem modus ille & nexus ſit multiplex & variabilis.

Ex quibus cum conſtituerimus ſpiritualem animæ ſubſtantiam: ex ijſdem quoque præclara quædam documenta ad mores componendos ſpectantia, deduci poterunt. Animæ etenim ſublimis hæc ſpecies & quaſi fulgor oculis noſtris obiectus, excitare nos deberet ad illam vitæ rationem ineundam, quæ illis omnibus excelſior & elatior eſſet, quibus corporum ſenſus capiuntur: quorumque deſiderio appetitus exęſtuat & inflammatur. Nam ſi ab omni impurata concretione & contagione quauis ſecreta ſit hæc noſtra anima, altioremque rebus cunctis corporeis ſubſtantiam ſortita fuerit: profecto actionem quoque ſibi propriam & genuinam, ac ſuæ naturæ maxime conſentientem vendicabit: cuiuſque obiectum eodem modo à mixtione ſenſibili alienum exiſtat: à qua ſi aberrauerit aut receſſerit, non parum dignitati propriæ inde detractum iri vnuſquiſque perſpiciet. Nam ſi princeps ille dedecus ſibi & vituperium inferret: qui nefarijs abiectiſque occupationibus nobilitatis collucentem purpuram deturparet, qui abiecte nimis & ſordide viueret, qui denique antiquiſsimæ ſtirpis ſplendori recentes turpitudinis & infamiæ næuos tenebraſque vitæ prauitate induceret: quanto magis abiectum homineque plane indignum cenſebitur, præſtantiſsimæ ac diuiniſsimæ huiuſce partis, nimirum animæ curam abijcere, ſublime hoc decus, imo Dei ipſius effigiem in lacunas lutulentas, ſordes, fęceſque voluptatum deuoluere ac præcipitare? verum quamdiu animus iſtic ſpiritualis & purus plus æquo & iuſto in ſenſus eſt indulgentior, illiſque colludens immoderate obblanditur: ſi dicerem tamdiu hominem cum ipſis brutis verſari, neque aliquid pręſtare humani officij: ſed efferatis moribus in ſimillimas figuras ferarum & pecudum transferri: nihil à vero alienum affirmarem. Non enim longius hominis conditio à bruto animali recedit, quam liquida & ſyncera animæ ſubſtantia à ſenſuum delectationibus & impuris ipſorum delitijs diſtat & ſeparatur. Quamobrem cum anima naturę ſit cuiuſdam illibatæ & quaſi cęleſtis, illis moribus & vitæ actionibus perficienda & illuſtranda erit: quę ſimiliter illibatum quid & cęleſte referunt. Eapropter ad hoc efficiendum ſemina quædam virtutum animę ſunt diuinitus iniecta: quæ ſi quis ſtudio excoluerit, effundent ex ſe vberrimos & amœniſsimos fructus, ex quibus etiam Deo ipſe charus euadat. Nam vt inquit

Anima ſpiritualis requirit vitam ſpiritualem.

Arist. 10. Eth. c. 8. Aristoteles: *Qui ex intellectu operatur, huncque excolit, atque optime afficit, is esse Deo charissimus videtur.*

Si anima spiritualis, noceri non poterit à malis corporeis.

Et quemadmodum ex spirituali animæ natura, quam hactenus inquisiuimus, satis constat eiusdem dignitatem collocatam non esse in earum rerum vsu, quæ corpori sunt subiectæ, sed potius ab istiusmodi vtpote vilioribus & abiectis plane auocandam, ad meliora altioraque transferendam: Ita ex eodem veluti principio ea morum præcepta desumuntur, quibus animus confirmatus in medijs ipsis flammis, vel etiam Phalaridis tauro inclusus, cum omnia mala & acerbitates in illum incursarint & impetum fecerint: cum iucunditates omnes defluxerint & abscesserint, in virtutis nihilominus proposito & tranquillo rationis statu consistat immobilis; in eadem semper sententia permaneat & instituto virtutis. Anima namque spiritus cum sit, quid morbus? quid paupertas? quid inimicorum tela? quid mors licet acerbissima & inopinata? Quid denique mala omnia intentata in hunc spiritum aliquid moliri poterint? Vestis dilaceratur. at quid? cutis intacta manet. Cum fragore colliduntur nubes, cœlum suo loco non pellitur. Littora cum omnem marini æstus impetum sustinuerint, non conteruntur aut dissiliunt. Salamandram igneis globis implicatam, adhuc illæsam ac vegetam: solarem radium in obscæna delatum loca, fulgentem videmus. Anima cœlum est, littus, Salamandra, & solis radius. Quid plura? omnibus superior. Hinc neque corporis vlla contagio animæ formam & pulchritudinem vnquam corrumpet. In nostra capita omnia orbis mala & ruinæ congestæ spiritum hunc, hosque regentem artus superare aut extinguere minime valebunt. Itaque siue aduersa truculenter in nos inuaserint: siue felicia grato & iucundo quodam appulsu nobis affluxerint: neque istis melior euadit animus, neque illis fit deterior. Spiritus enim cum sit, hisce corporeis concretisque rebus non tangitur. Ea propter quod in animæ gloriam vnice cedit, virtus sola est, rerum diuinarum humanarumque cognitio: & quod eiusdem detrimentum esse queat, id vitium & proprij officij ignoratio.

Plin. natural. hist. lib. 10. cap. 67.

De animæ immortali ac perenni natura disputatur.

CAPVT IX.

AB hac de animæ immortalitate iam apud omnes suscepta sententia, non solum honestæ intemerατæque vitę rationem omnem pen-

dêre: verum etiam & ipsius ciuilis societatis firmamentum eidem inniti, facile erit vnicuique iudicare. Quod & ex illis, quę inferius disputabimus, manifestum apparebit. Scio equidem hac de re quamplurimos, Platonicæ præsertim scholæ homines, prolixos quosdam tractatus contexuisse: sed verbosius meo sane iudicio, stylum quasi inter incudem & malleum dilatantes, disseruerunt: quam vt solide & expresse aliquid demum comprobarent. Nos autem præcipua solum argumentorum pondera libræ nostræ inferemus: quæ minuta sunt, leuia, obscura, vel vt sic loquar, Platonica aut prætermittemus, vel disputationis ventilabro cum puluere & paleis dissipabimus. Si itaque primo in loco ex ijs ratiocinari velimus, quæ in sacris literis vti fidei principia sunt consignata & definita: nihil luculentius illis comprobatum reperiemus, quam quod anima hominis sit immortalis, nec interitui vnquam obnoxia. Instituti autem nostri solum erit modo, ex Philosophorum placitis apud nonnullos labantem hác veritatem suffulcire, aut certe eam magis adhuc corroborare, magisque testatam & confirmatam reddere.

Gen. 37. Iob. 21. Sapientiæ 2. 3. 4. 5. Matth. 10. Ioannis 12. 1. cor. 5. Phil. 1.

Quamplurimi vero in Philosophicis etiam cum laude satis versati, hac in re sententijs suis grauissime errarunt. Inter quos & Plinius cespitasse visus est, qui non nisi ex crasso quodam iudicio de illo animæ statu, quem corpore exuta obtinebit, loqui aut sentire potuit. Atque ita sciscitatur: *Quod anima corpus persequitur materiam, vbi agitatio illi? quomodo visus, auditus, aut quid agit? qui vsus his, aut quod sine his bonum? quæ deinde sedes, quantave multitudo tot sæculis animarum velut vmbrarum? puerilium ista deliramentorum, auideque nunquam desinere commenta sunt.* Aristotelem vero omnium Philosophorum coriphæum neoterici ab errore de mortalitate animæ multis vindicare laborarunt: quibus nec ipse magnopere repugnarem: solum in medium adducam de ipso antiquorum patrum aliquot testimonia. D. Gregorius Nazianzenus sermones Aristotelis de anima institutos appellat mortales: quo etiam nomine Iustinus Martyr diu antea Aristotelis de anima opinionem notarat & repudiarat: quod & postea fecit Gregorius Nissenus. Quare vt scribit Theodoretus: Aristoteles discriminis aliquid ponere voluit inter ψυχὴν & νοῦν, animam & mentem. Ita vt existimarit animam, qua corpus perficitur, corruptibilem esse: mentem autem prorsus incorruptibilem & æternam. *Intellectum* (inquit Theodoretus) *diuinam esse partem affirmarunt: cum quibus sentit & Nichomaci filius: tametsi corruptibilem animum esse dixerit. Aliud enim intellectum ab ipsa anima opinatus est.* Idem quoque de Plotino refert Gregorius Nissenus, atque dicit ipsum existimasse integrum hominem ex tribus esse conflatum, anima, intellectu, & corpore. De intellectu vero istis Aristotelis

Qui animã existimarũt mortalem aut de hac re dubitarunt. Plin. l. 22. nat. hist. c. 24.

D. Greg. Naz. orat. 1. Theol. Iustin. Mart. orat. exhort. ad Gent. Greg. Nis. l. de anima. Theod. l. 1. de cur. Græc. affect.

ſtotelis ſententiam adſequutus videtur: *Ariſtoteles hunc quidem poteſtate adeſſe homini, atque actu deforis nobis ſuperuenire arbitratur, neque ad naturam hominis & eſſentiam conferre: ſed ad perfectionem cognitionis naturarum & contemplationis cooperari.* Atque vt ego coniector: iſti omnes per mentem ab anima diſcriminatam, ſeu mentem deforis aduenientem, poteſtate ſolum præſentem, & intelligentiam rerum homini adferentem, ipſummet Deum ſignificare voluerunt: quem vti formam quandam, per ſingula rerum genera diffuſam & manantem dixerunt. Hoc etenim ſubindicare videtur ab illis frequenter vſurpatus loquendi modus, quo mentem nuncupare ſolent diuinam quandam ſubſtantiam, vel ipſius Dei particulam deciſam & dilumbatam: vt ſuperius recenſuimus. Vnde fortaſsis etiam Auerroes communem illum ſuum intellectum in omnibus hominibus excogitauit. Eodem autem modo, quo Ariſtoteles & alij animam ſecernunt à mente: idem faciunt Tertullianus & Epiphanius, qui etiam ex Apoſtolo hoc adſtruunt: *Pſallam ſpiritu, Pſallam & mente.* Credibilius tamen eſt hos patres ita diſcrepantiam poſuiſſe inter animam & mentem, vt animæ nomine ſubſtantiam ipſam, nomine autem mentis ſeu ſpiritus potentiam intellectilem deſignarint. Libenter etiam in hanc ſententiam concedētes quoſdam Poëtarum tam Græcorum quam Latinorum proferrem: vt Lucretium, Horatium, Euripidem, Sophoclem, & alios: niſi quod dum alienas perſonas agunt & ludunt, non tam ex animi proprio ſenſu ſint loquuti, quam eorū, qui rebus aduerſis fracti & deiecti, Diuinæ prouidentiæ diffidere inceperunt: atque ſic nihil poſt mortem boni aut mali homini amplius ſupereſſe temere affirmarunt. Quorum voces & lamenta more Poëtarum ad concitandos audientium animos exaggerarunt: & proinde venia aliqua vtcumque donari poterunt: cuiuſmodi eſt illud Senecæ:

Tertul. l. de bono & malo anima. Epiphan. in anchorat. 1. Cor. 14.

Seneca in Troad.

Poſt mortem nihil eſt, ipſaque mors nihil.

Et mox: *Mors indiuidua eſt, noxia corpori, nec parcens animæ.*

Vt autem iam ex media Philoſophia animæ immortalitatem comprobemus: non eſt reticendum, quod Ioannes Scotus vir acutiſsimus & acerrimus hac in re exiſtimauit: qui præſidia Philoſophiæ infirma eſſe putauit, vti ex illis euidenti aliqua ratione demonſtrari poſsit animæ immortalitas. Proinde ad certitudinē & firmitatem opinionis, qua creditur anima immortalis, requiri omnino dicit fidei lumen diuinum: cui applaudunt Iandunus & Caietanus, quos omnes Melchior Canus, vt à vero aberrantes grauiſsime redarguit, & verborum acerbitate, quam orationis elegantiam & vim putat, Scotum aſpergit. Scoti autem diſputatio in vniuerſum hunc ſcopum non petere videtur: vti probare inſtituat nullis

Scot. in 4. d. 43. q. 2. Iand. 3. de anima. q. 5. & 29. Caiet. in epiſt. ad Rom c. 9. Melch. Canus l. 12. de locis Theol. c. 15.

nullis plane rationibus Philoſophicis vtcumque demonſtrari poſſe animam humanam eſſe immortalem: ſed contendit ſolum ad hoc euincendum, non ſatis idoneas aut ſufficientes eſſe rationes adductas à D. Thoma; quas ſeuere nimis & rigide (vt illius eſt ingenium) expendit & trutinat. Optaſſem potius vt Melchior Canus omiſſo illo orationis, in fide facienda minime neceſſario, aut etiam grato ornatu & ambitu, rationes illas contra Scoti impugnationes, ſolidas & integras eſſe oſtendiſſet. Quod cum à nobis pro virium ratione præſtandum ſit: hoc veluti certum quoddam diſputationis fundamentum collocandum erit: quod & in Concilio Lateranenſi ſancitum fuit: nimirum argumenta ea omnia, quæ ex Philoſophorum diſciplinis deſumpta, animæ immortalitatem impugnare videntur: etiam ex Philoſophorum placitis ſolui poſſe ac dilui. Sic itaque primo ad aſſerendam animæ immortalitatem diſputari ſolet. *Concil. Lateran. ſub Leone 10. ſeſſ. 8.*

Forma illa, quæ in operatione ſua elicienda corporis adminiculum non requirit, eadem, diſsipato conuulſoque corpore, ſuperſtes exiſtet & integra. Nam cum operationis ſpecies indicium ſit & nota quædam ipſius naturæ, ſi quæ animæ ſit operatio ipſius propria, corporis organo non adſtricta, neque ad illam quidquam opis corpus conferat, ſed retardat potius & impediat: anima veluti forma operatrix talem ſubſiſtendi modum, vtpote ſibi conuenientem, poſtulabit, quo cum corpus interitu & partium diſſolutione defluxerit: viua nihilominus perfectaque manere poterit. Huiuſmodi autem rationis intellectiuæ partis operationem eſſe, omnium ſententijs eſt definitum: ad quam exprimēdam, integrum principium & effectricem cauſam anima ſola pleniſsime ſuppeditat: eſt ergo ipſa immortalis. Hoc autem argumento (ex Ariſtotele deſumpto) vtitur D. Thomas: quod quidem Scotus, vt probabile admittit, vt demonſtratiuum negat. Dicit enim affirmari poſſe intellectionem, tametſi nō ſit operatio alicuius determinatæ partis in corpore, eſſe tamen operationem ipſius totius: & propterea conſectarium erit, vt ſi totum compoſitum intereat, animam quoque pariter intercidere & perire. Veruntamen his Scoti dictis nihil obſtātibus ratio vſurpata à D. Thoma ſolidiſsima eſt & ſuis neruis ſuccincta. Cū enim ſuperius probatū ſit obiectū cognitionis illius, qua viget ac valet anima eſſe vniuerſale quid, auulſum ab omni charactere ſingulari: etiā ſpirituale, cuius ordinis exiſtunt Deus Optimus & Maximus, intelligentiæ, virtus, vitium, pulchritudo, Muſicæ numeri, honor & ęſtimatio: euidens quoque erit totum corpus hominis nihil cōducere ad horum perceptiones. Quid enim obſecro corpus aliquod quātitatis mole graue & extenſum commercij habebit cum rerum humana-

Anima immortalis, quod habeat operationem non pendentē à corpore.

D. Thom. 1. p. q. 75. art. 6.

rum diuinarumque contemplatione, cum virtutis studio, quod corpori vsque adeo contrarium est & molestum? verum potius, quod affirmat Sapiens: *Deprimit mentem terrena cogitatio multa cogitantem.* Quare si animę operatio secreta sit à nixu corporeo, ipsa etiam extra corpus poterit cōsistere ac operari. Imo optabit ex diuisione à corpore, alium quendam vitæ statum, in quo libere posśit vim suam intelligendi explicare & exerere: atque in sua natiua luce seipsam, Deum, intelligentias, cæteraque à concretione abstracta contemplari. Hinc etenim recte Plato cōfirmari posse docet hominum animos ad imminentem mortem trepidantes: quandoquidem corporibus exuti, optima quæque & præstantissima mente atque intelligentia sint percepturi.

Sapien. 9.

Ex ipsa quoque natura & substantia animæ facile videtur probari eiusdem immortalitatem. Si enim corruptioni subiaceret: hoc vel ex eo contingeret, quod anima habens aliquod contrarium, eius aduentu expulsa extingueretur: vel inde, quod à corpore ipso, vtpote subiecto, quasi necessario quodam sustentaculo dependens, absque eius integritate minime posset consistere. Cæterum animæ quid contrarium dici aut fingi demum à quopiam valebit? cum porro naturæ hæc sit spiritualis, (vti præcedente quæstione à nobis demonstratum est) non exiget sibi adiunctum corpus, vti sui causam materialem, qua veluti suffulcro sustentetur: neque in ipsa effectione sui (& vt loquuntur Philosophi) in fieri, ex eodem orietur. Quod enim natura sua est spirituale, id causam non postulabit crassum quid & concretum, quale est corpus. Proinde habebit anima absolutam quandam consistentiam & permanentiam, etiamsi morte ipsum corpus abscesserit. Scotus autem infirmam & mancam arbitratur huiusmodi consequutionem: anima substantia est spiritualis, cui etiam nihil existit contrarium: ergo immortalis. Nam tametsi (inquit) spiritualis sit, nihilominus quædam forma est ipsius corporis, & pars totius compositi: modus idcirco ille, quem iam retinet in corpore, illi omnino censebitur naturalis, atque naturæ ipsius debitus: ita vt sine miraculo ex diuina virtute nequeat ab illo separata subsistere. Veluti quodlibet accidens, ob illam, quam petit in subiecto inhærentiam, si subiectum eius violatum fuerit & excisum, in rerum natura amplius non supererit. Qui quidem occasus & defectio accedēti euenirent, tametsi nihil sibi prorsus contrarium haberet. Idem idcirco suspicabitur quispiam de ipsa anima, corpore dilabente. Hæc tamen Scoti argutia (vt mihi quidem videtur) solum probat, quod cum anima sit pars integri hominis, ipsam etiam à corpore separatam in illud esse valde inclinatam & propensam. Nō autem inde conficitur, quod ipsa anima sit interitui obnoxia, quēadmodum

Anima immortalis, quod spiritualis, nec habens contrariū.

modum & corpus. Nam cum hæc, ſubſtantia ſit ſpiritualis & ipſius hominis pars principalior;corpus potius ſequi debebit ipſius conditionem, ita vt aliquando eius cauſa incorruptibile quoque euadat: quam vt anima ita corporis naturam imitetur, vti ſicut corpus interitui obiacet, ſic ipſa quoque ſubiecta ſit defluxui & interitioni.

Ex magnitudine etiam obiecti, circa quod anima verſatur, ſatis probabiliter diuus Thomas eiuſdem adſtruit immortalitatem. Excelles (inquit) ſenſibile quemlibet ſenſum corrumpit & peſſundat, (vt docet Ariſtoteles) ipſaque experientia probat. Verum ſi intelligibile quodcunque excellens & ſupremum fuerit intellectui obiectum, nullum ei adferet detrimentum: imo (vt animaduertit Ariſtoteles) cum leuiores quaſdam & probabiles vtcunque coniecturas in hac vita conſecuti ſumus de ipſo Deo, de ſubſtantijs ſeparatis: ac ſi ingentis pretij theſaurum inueniſſemus, lætitia quadam & iucunditate incredibili animus perfundi ſolet: cuius acies perſtricta aut hebetata neque erit, vel ex ipſo Dei conſpectu, quem vti felicitatem noſtram & contentionis periodum ac metam votis exoptamus. Eſt itaque anima intellectiua immortalis. Huic argumento occurrens Scotus, reſpondet: neque ipſum ſenſum vlla obiecti excellentia aut magnitudine debilitari vel opprimi: nā (vt teſtatur Ariſtoteles) ſi ſenio confectus exacta iam ætate, iuuenis oculo frueretur, res tam explicate clareque videret vt iuuenis: idcirco ex motione locali ac ſpirituum diſsipatione, quæ ex magnitudine obiecti organo adueniunt, non ipſe ſenſus, ſed organum tantum vitiatur: & exinde quoque ipſa deficit ſenſatio, quæ organum illud poſtulabat. Intellectus autem cum nulla definita corporis parte tanquam organo vtatur, ſed toto ipſo corpore, nullius obiecti, quantumuis excellentis interuentu obruitur aut eneruatur: niſi ipſum totum conuulſum fuerit & diſtractum. Quare (vt verum fatear) hoc argumentum, ſi aliquid efficiat, in idem plane recidit in quod ſuperius: atque ſic ſuam quoque legitimam habebit conſequentiam, veritati noſtroque inſtituto conſentientem. Nam ſi anima ſit ſubſtantia ſpiritualis, nullius obiecti magnitudo illi poterit officere: eadem etiam de cauſa neque vtetur corpore, vel toto tanquam organo Quocirca cum hoc corpus fuerit corruptum, anima intacta & illibata reſtabit.

Anima immortalis ex ratione obiecti facultatum eius.

Ariſt. 3. de Anima.

Ariſt. lib. de Cæl. & mund. text. 34.

Sed neque aliquid in ſe videtur anima complecti, vnde origo eſſet corruptionis alicuius: eſt enim materiæ hæc penitus expers Materia autem à Philoſophis tranſmutationis principium appellatur: eo quod eius appetentia vnius formę acceſſu omnino non ſit ſatiata. Quamobrem cum anima materiali omni concretione careat, nihil in ſe habebit, vnde eius corruptio propagetur. Scotus vero in hoc diui Thomæ argumentum

Anima immortalis, quod careat materia.

tum incurrit, aſſeritque: quod ſi aliquid huiuſmodi ratiocinatio probaret: etiam efficeret, formam ipſius ignis extingui non poſſe aut intercidere. Hæc etenim (vt liquet) ex materia aliqua non eſt coalita. Quemadmodum idcirco inde forma ignis corruptibilis euadit, quod tanquam accidens, materiæ conſortium poſtulet; eaque de cauſa abſtracta ſtatim interit: eodem plane modo hominis anima, materia licet omni deſtituta: quod tamen ſit ipſius hominis pars, eiuſque afficiat corpus: ſi hoc conuulſum fuerit, nihil miri ſi anima quoque pereat. Ceterum argumentum hoc diui Thomæ iſtis Scotus minime eneruauit. Animaduertere ſiquidem potuiſſet, longe aliam eſſe rationem accidentis in ſubiecto, ac animę in corpore humano. Nam accidens contrarij aduentu ita pellitur, vt ſubiectum non ſit vllius impreſsionis aut actionis forinſecus illatæ: ideoque vt excidat, nõ requiri materiam tanquam aliquid ſui. Anima vero ſi corrumperetur, deberet eſſe ſubiectum & materia illius impetus agentis, quo eſſet conficienda: quod ipſi [illegible] ſpiritus ſit, competere non poteſt. Quare ex eo quod ſit ſubſtantia ſpiritualis, neque habeat aliquid ſibi contrarium, euidenter conſtabit ipſam eſſe quoque immortalem.

Ex motu corporis aliqui probarunt animã immortalem. Plat. in Timæo. Cicer. Tuſcul. 1. Macrob. lib. 2. in ſom. Scip. cap. 15. Cicer. in ſom. Scip.

Hoc autem animæ interminum æuum ex ipſius operationibus adhuc luculentius probari & oſtendi poterit. Plato quidem & Cicero exiſtimant illam corporis agitationem, cuius principium & cauſa eſt anima, eiuſdem animæ immortalitatem euidentiſsimo quodam ſigno patefacere & adſtruere. Quod quidem genus argumenti, (licet Ariſtoteles impugnet) Macrobius tamen Platonis cauſam agens acerrime pro illo depugnat. Quod (inquiunt) à ſe mouetur, illud neceſſario incorruptibile, cum in hoc motu perficiendo nihil patiatur ab extrinſeco, & ea ipſa de cauſa non obiacebit alicuius contrarij infeſtationi, proindeque immortale. Animam autem ſeipſam mouere (quam Plato dicit ἀυτοχίνητον) perſpicuum eſt. Vnde Cicero: *Solum igitur quod ſeſe mouet, quia nunquam deſeritur à ſe, nunquam ne moueri quidem deſinit: quin etiam cæteris, quæ mouentur, hic fons hoc principium mouendi.* Quod autem ad hanc rationem ſpectat: fateor, quod ſi quis ſecum perpendat ſerio quidnam ſit ſeipſum mouere, abſque omni impreſsione forinſeca, atque in omnem partem quaquauerſum ſe verſare: vel ſi cogitatione perpendat agilitatem illius virtutis, quæ corpus craſſum & magnum circunducit, eleuat, aut deprimit: mirabile & arcanum quoddam iſtius motus principium iudicabit. Nihiloſecius cum hæc ratio æque probet brutorum ac hominum animas eſſe immortales, (quod opinari fidei ſancitis vetitum eſt & interdictum) non multum illi à quopiam erit deferendum. Quare ad alia vt firmiora tranſeundum.

Iam

Iam omnibus innotuit, singulis hominum vehemens quoddam desiderium iniectum semper manendi; quæ quidem appetitio, cum sit ab ipsa natura attributa, frustranea non debet esse aut cassa: consequetur idcirco effectum, eo quod anima perpetuo sit mansura: & in eius gratiam corpus quoque tandem restaurandum. Si enim homini etiam virtute prædito inculcatum esset, illique iam constaret, excursa exactaque istius vitæ morula, debere ipsius animam in nihil recidere & cum corpore interire: nihil credo esset, ad cuius cogitationem magis exhorresceret: & huiusmodi relatum tam moleste ferret, vti ipsi omnis sensus iucunditatis etiam ex virtute eriperetur. Quod ita esse debere in nullius cogitationem incidet, si modo vel tenui aliqua mentis notione, aut hominis naturam, vel Dei prouidentiam considerarit. Hæc tamen Scoto non multum arrident. Respondet enim, vt homo actu aliquo elicito, eoque recto & morali, denique actione humana appetat semper esse, prius rationis vis illi ostendere debebit hoc esse effectu possibile & omnino euenturum. Cæteroquin (inquit) in ipso homine quamplurimæ appetitiones exprimuntur, quæ ab errore aliquo profectæ nunquam optatum finem consequentur. Nam ex Apostoli sententia, nullus est qui velit mori, aut corporis istius indumento spoliari: sed potius superuestiri desiderat quilibet: id est corporis aliquod appetit ornamentum, & contra ea, quæ illi sunt molesta, præsidium: tamen nihil impediēte hac appetitione, statutum est omnibus hominibus semel mori. Denique ex ipso appetitu, iam ardore libidinis efferuescente, erumpunt infiniti propemodum motus: quos etiam natura effundit, quibus tamen nihil constituitur, quod ab illis acquiratur. Fortasis etiam (vt dicit Scotus) brutorum sensus interitum auersati, elicito quoque desiderio cupiunt semper viuere & mortem declinare. Quare firmum argumentum non ducitur ex huiusmodi in homine appetitu immortalitatis. Strenuus sit athleta Scotus, hanc tamen rationem, omnium ferme suffragijs assertam, nondum profligauit. Cum enim animaduertimus in quolibet hominum hoc desiderium æternitatis flagrare, in quo nullus defectus aut culpæ ratio deprehendi possint: perspicuum erit ipsum Deum naturæ authorem huiusmodi desiderium in homine excitasse, cuius adminiculo, quod præstantissimum est, aliquando consequeretur. Ideo enim Deus consultoque hoc desiderium æternitatis in nobis accendit, vti illo perciti & inflammati, quæ inferiora sunt & depressa leui pede contingentes, ad ea quæ summa & sempiterna sunt veloci & acri quadam contentione festinaremus. Quod autem infert Scotus de illo odio, quo omnes mortem prosequuntur: satis euidenter quidem probat contra Pelagium mortem ita natura exosam, non natura,

Appetitus æternitatis animam esse immortalem docet.

2. Cor. 5.

Heb. 9.

Sap. 2. tura, sed culpa primitus fuisse inuectam. *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarũ.* Et proinde istius mortis quotidiana expectatio, interminatio est cuiusdam dirissimi mali, & quasi elatum ceruicibus nostris flagellum: ex cuius aspectu cum culpam pristinam agnoscimus, tum pœnam præsentaneam reformidamus. Neque verum est brutorum animas, quæ nullam habent notionem æternitatis, illam expetere: solum quod in morte acerbum est refugiũt: & cum creentur in vsus hominum, satis illis prouisum fuerit, si continuata generatationum serie, ipsa species eorum conseruetur, interim indiuidua fluant & dilabentur.

Quod si mortis contemptionem & in virtute multorum animos confirmatos cogitemus, qui mortem potius expetierunt & quorumlibet dirissimorum perpessionem, quam ab officio, deflexu aliquo prauo discederet: apertissime videbimus ipsam hominis animam infinito æuo esse destinatam. Vir autem fortis & generoso animo præditus, publici boni causa id postulante, propriam vitam negligit, periculo & hostium iaculis occurrit: nec renuit letho occumbere. At nisi æternum aliquod premium talis expectandum putaret, quo ipsius anima, defuncto iam virtutis officio, donaretur, temere & inconsulto vitam ita prodigeret. Appetitio idcirco virtutis, animę immortalitatem satis probabit. Qui etiam virtutem studiose insequuntur, ac vitia voluptatesque declinant, parum habentes vitę istius commoda & ornamenta: ieiunijs se extenuant, laboribus se fatigant & conficiunt, denique libenter vitam cum morte commutant. Quorum exempla & fortitudinis trophæa vbique terrarum florent, & indelebili historiæ charactere posteritati commendata, adhuc spirant & viuunt in hominum memoria. Verum hanc quoque rationem molitur Scotus concutere. Si anima (inquit) mortalis esset, caduca & labilis: nihilominus vnicuique incumberet communem suorum ciuium vtilitatem vitæ propriæ anteponere: neque ad hanc vitam tutandam vllo quidem modo discedendum esset à præscripto virtutis: quandoquidem maius & grauius damnum sit vitium, quam mors. Esto, debere vnumquemque Reipublicæ causa vitam mortis periculo exponere, etiamsi anima corruptioni esset obnoxia: quis tamen interim existimabit sine aliquo sensu æternitatis nobis ingenito à natura, tot præclaros viros ad ipsam mortem & lanienam imperterritis animis conuolasse? aut iam quamplurimos reperiri, qui in simili rerum publicarum discrimine, similia heroicæ fortitudinis post se facinora relinquerent? Est itaque naturalis quidam appetitus æternitatis: quo sublimes & excelsi animi vitæ propriæ rationes publicis commodis postponendas esse voluerunt. Quem si eximamus, nihil video, quod hominem in virtutis proposito diu confirmet,

Anima immortalis, quod appetat virtutem.

firmet. Præcipuum etenim momentum ad virtutem videtur esse æternitatis expectatio: neque fama aliqua, conscensus in capitolium aut triumphus hominibus virtutes persuaderent, nisi ipsi crederent virtutum fructus esse immortales. Rectissime enim Dionysius Halicarnasseus: *Si corrupto corpore simul etiam animæ substantia: quæcunque tandem ea est, interit: haud video quomodo beatos credere debeam, qui nullo ex virtute fructu percepto, etiam pereant propter eam.* Videmus enim modo virtutem omnibus ferme istius vitæ bonis viduatam & à paucissimis excultam: cuius rei quæ alia ratio? nisi quod regina hæc, veluti Diana venatrix, per ardua scandat & cliuosa: quam sine sudore, vituperio, & rerum nostrarum dispendio consequi plerumque non possumus. Verum quotus quisque erit, qui pro explorato habens, non solum acerba quæque in hac vita virtutis amore esse perferenda: verum etiam eiusdem emolumenta, morte ipsa debere intercidere, vt ne quidem tantorum bonorum vestigia funeri superessent: virtutem hanc magnopere curaret? aut quis sapiens vanitatis causa, tantam tam seriam operam in re omnino fluxa collocaret? vana enim ea merito appello, quæ in nihil relapsa omnino erũt aliquando extincta. Vnde D. Augustinus: *Nisi credidissem restare post mortem animæ vitam, & tractus meritorum, quod Epicurus credere noluit: Epicurus palmam in animo meo accepisset.* Quod & videtur Cicero insinuare. *Sed quanquam sapientibus conscientia ipsa factorum egregiorum amplissimum virtutis est præmium: tamen illa diuina virtus non statuas plumbo inhærentes aut triumpho, arescentibus laureis, sed stabiliora quædam & viridiora præmiorum genera desiderat.*

Dionys. Halicar. l. 8. antiq. Roman.

D. Aug. l. 6. confess. c. vlt.

Cicer. in Lal.

Quod si huiusmodi appetitus immortalitatis homini non esset ab ipsa natura iniectus: nequaquam vbique terrarum dispersi, licet moribus efferi & barbari funeris pompa & solennitate defunctos suos non minus splendide, quam religiose hactenus fuissent prosecuti: Quibus existimarunt, ceremonia quadam debitum quendam honorem defunctis, quem & ipsi postularent, impendi, atque eorum memoriam in hominum animis vigere: imo putarunt veteres quieti defunctorum nõ satis bene consultum fore, absque funeris ritu & celebritate. Causam autem, ob quam ipsimet defuncti hoc à posteris quærunt, istis declarat Cicero: *Nemo enim mæret suo incommodo, dolent fortasse & anguntur, sed illa lugubris lamentatio fletusque mœrens ex eo est, quod eum, quem diteximus, vitæ commodis priuatum arbitramur, idque sentire.* Videmus etiam vnicuique in hac vita degenti curam quandam æternitatis incumbere, & desiderium quoddam in omnibus flagrare, quo post funera & busta viuamus. Atque ad hoc bonum nobis procurandum, varijs occupationibus distringimur. Aliqui amplis ædificijs constructis vel erectis obeliscis mortem expugnandam sensue-

Cura corporis, argumentum immortalitatis sicut & appetitus famæ.

Virgil. 6. Eneid.

Cicer. l. de senect.

runt; & vitam in æuum quoddam propagandam. Alij vero conſcriptis librorum commentarijs nomẽ & famam aucupati ſunt, quibus ſe à mortis tyrannide & ſepulchri tenebris tutarentur: atque vel inuito funere, ſuperſtes adhuc viuerent & florerent. Hanc æternitatis gloriam Ennius Epitaphio quæſiuit:

Cicer. 1. Tuſcul.

Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletu,
Faxit cur? volito docta per ora virum.

Anima immortalis, quod memoriã hominum appetat.
Herodot. lib. 2.

Ex eodem appetitu immortalitatis proceſſerunt ſumptuoſæ & ingentes illæ monumentorum conſtructiones: quæ cum ipſo tempore operis firmitate contenderent: cuiuſmodi cura & ſolicitudo tenuit Cheopem illum Ægypti Regem: de quo ſcribit Herodotus: qui ad ſuperandam mortem, decennij ſpatio centum millia hominum in ſepulchro ſuo conficiendo operarios habuit quotidie.

Anima immortalis, quod vicina morti non immutetur.

Ea quoque noſtræ animæ vis eſt, vt defluente corpore ex morbo aliquo, vel etiam ſenio confecto: haud deficiat vel retardetur: imo tunc vel maxime viget. Cũ enim ægritudo aliqua ipſum corpus penitus exeſerit & deuaſtarit, omnem eius humorem exſuxerit: nihilominus in illo extremo naturæ ſtatu collocatos videmus mente optime diſcurrere, de virtute atque de rebus diuinis præſtantiſsime diſputare, vehementer quoque ſuos ad pietatem aliaque honeſta concilia adhortari: & ſi quos in anteacta vita lapſus fecerint: illos acri quodam dolore ſumme deplangere & deplorare. Si autem eſſet anima à rebus corporeis prognata, corpore quidem male affecto, aut grauiter concuſſo, vis mentis langueſceret illico, demum exſcinderetur: quod prudentiſsime quidem animaduertit

Cicer. l. 1. de diuin.

Cicero. *Itaque appropinquante morte, multo eſt diuinior anima. Nam & ipſam, qui ſunt morbo graui & mortifero affecti, inſtare mortem putant. Itaque occurrunt plerunque imagines mortuorum, tuncque vel maxime laudi ſtudent. Eoſque qui ſecus quam decuit vixerunt, peccatorum ſuorum tum maxime pœnitet. Diuinare autem morientes illo etiam exemplo confirmat Poſsidonius, quo refert Rhodum quendam morientem, ſex æquales nominaſſe, & dixiſſe qui primus eorum, qui ſecundus, qui deinceps moriturus eſſet.*

D. Chryſ. hom. 4. de Fato.
Anima immortalis, eo quod ſit Deus rebus prouidens.

Denique ſententiam de animæ immortalitate coniunctam omnino perſpicimus cum proprietate diuinæ prouidentiæ: vt bene adnotauit D. Chryſoſtomus. Qui enim animam extingui debere autumarunt, ij Deum non eſſe, vel ipſum humanarum rerum prouidam curam non agere dixerunt: videmus autem improbos quoſque hominum in bonos quotidie incurſantes: quorum vi, dum virtuti inſudant optimi, penitus opprimuntur: aut penuria alijſque vitæ incommodis conficiuntur. Cæterum ſi nihil hac vita decurſa præmij reſtaret, cuius expectatione in tãta

rerum

rerum acerbitate, piorum mentes sustētarentur, nemo profectò suspicaretur Deum virtute excultos homines sibi charos habere, vel etiam pessimos odio prosequi, aut vllis excipere pœnis, post tot scelera ab illis patrata, post otium & delicias, quibus in hac vita abūdarunt. Quamobrem qui Deo prouidentiam attribuunt, homini quoque rectè viuenti post mortem mercedem constituunt; sicut & flagitiosis pœnam. Hinc Apostolus Paulus quos viderat sub graui necessitatis & aduersitatis mole laborantes, & quasi oneri succumbētes, inijciens illis æternæ retributionis spem, erexit, refocillatus est, & quasi suauiter spirante aura æstuantes refecit & recreauit; asserens, quod si in ea solum intendamus, quæ nobis in hac vita obtingunt, optimos quosque cunctis hominibus, qui in rerum viuunt & delitiantur abundantia, despectiores & infeliciores videri: sin autem animos attollamus ad superna, quæ nos expectant bona, ita abunde nobis diuinitus prouisum existimabimus, vti alacri & forti quodam animo, quantumuis mala omnia in nos impetum fecerint, nudi & pauperes viam mandatorum Dei percurramus. Eodem quoque modo & Plato vt ciues suos, quos instituendos susceperat, iustos redderet & bonos: defuncta hac vita cęlestes quasdam sedes separatis animabus excipiendis constitutas dixit. Quod & obseruabit etiam Cicero in illa sua vigilantissimi Scipionis Theologia: qui præmij cęlestis cogitationem tractatui virtutum præmisit: vti illius intuitu ad virtutem homines acrius incitarentur. De quo eius consilio hæc Macrobius: *Ad hunc porro iustitiæ affectum pectoribus inculcandum, nihil æque patrocinaturum vidit: quam si fructus eius non videretur cum vita hominis terminari.*

1. Cor. 15

Plato l. de Rep.

Macrob. l. 1 in sōnium Scipionis.

Nihil autem magis, vt sæpius mecum existimaui, quorundam hac de re sensus ambiguos reddidit: quam quod coniectare non potuerint, quisnam demum status animabus illis corporibus exutis obtingeret: quibusve operationibus & studijs distinerentur. Quod sane perinde est, ac si quis admiraretur, quid delphinus in illis marinis spatijs, quid aquila in liquido aëre apertoque cœlo, quid ceruus in montosis, herbidis, & desertis tractibus factitarent. Est etenim anima substantia quædam spiritualis, quæ cum abrepta fuerit ab hac corporis mole, ad libertatem potius aspirasse videbitur. Et cum eadem sit substantia quædam intellectiua, multo melius in aperta rerum luce constituta, hoc intelligendi perspiciendique munere defungetur: quam possit corporis inuoluta tenebris, aut eius angustijs coarctata. Imo potius demirabitur quispiam illam animæ conditionem, quam modo habet in corpore. Hæc enim cogitatio Ciceronem magis perplexum habuit & dubium. *Mihi quidem naturam animæ intuenti multo difficilior occurrit cogitatio, multoque obscurior: qualis animus*

mus in corpore sit, tanquam in aliena domo: quam qualis cum exierit, & in liberum cœlum, quasi in domum suam, venerit.

Opinio de animæ natura immortali origo est omnis honestæ actionis.

Atque ex hac de animorum immortalitate opinione afferta & comprobata, veluti ex vberrimo limpidissimoque quodam fonte, rectissima quæque vitæ instituta profluunt & dimanant. Si namque hanc nostram animam immortalem semel credamus: illam non voluptatibus perfruendis, non vanissimis honoribus æstimatione vulgi decretis aucupandis, non diuitiarum thesauris compilandis; ab ipsa natura destinatam arbitrabimur: sed potius in illis negotijs & concilijs conficiendis versari debere, quorum fructus & laus eandem, cum ex hoc corpore euaserit, concomitantur. Enimvero bruta animantia quod spiritum, quo eorum corpora agitantur, tempore definitum & circunscriptum habeant: ea solum rerum genera auide consectantur, quæ cum fluente & intereunte ipsorū vita pariter fluunt & intercidunt. Proinde sensibus indulgent, ventri ac veneri emancipantur. Verum cum hominis animus defectioni non sit subiectus: longe alia profecto debent esse eius studia: dispares omnino conatus; & tales, quales æterni & immortales censeantur: siquidem anima æterna est & immortalis. Huiusmodi autem existunt virtutum officia: quorum rationes non ad sensuum iudicia, vtpote regulam, reuocandæ: sed ad mentis intelligentiam, immortalem ac diuinum illum radium, flammeumque oculum, quem Deus corpori inseruit. Hinc etiam fiet, vt si quæ in hac vita rerum ac bonorum vicissitudines accedunt ac recedunt, nostramque vitam implicatam tenent, cum eis conferre velimus, quæ post hanc vitam expectamus: exigua aut nulla prorsus nobis esse videantur. Atque inde intelligemus non esse quod quis immoderatius se efferat, si bona affluxerint, vel se abiecte dimittat, si defluxerint, siue in nos mala omnia eruperint. Si enim oceanū cogitemus, nostra Thamesis angustioribus inclusa ripis decurrere videbitur: si cœlorum amplissime diffusa spatia mente metiamur: hoc terræ centrum veluti pūctum quoddam, sui paruitate oculorum aspectum effugiet: si solem intueamur, ceteros quoscunque erectos pharos & faces, scintillas esse putabimus. Ita animæ immortalitatem æstimantes, vitæ istius cursum festinantem ad mortis periodum, breuissimū statuemus: quo confecto alia superesse bona, eaque æterna votis nostris expetenda definiemus: cum quibus, conferentibus istius temporis spatia, dies, menses, anni, lustra, secula vt momenta, quę simul oriuntur & occidunt, apparebunt. Ita quoque animam hanc immortalem esse sentientes, quæ à nobis consequenda sunt bona, vita hac decursa, à breui eiusdem morula dependêre intelligemus. Hic quidem cursus peragitur, alibi brauium obtinetur; hic precium impenditur,

tur, alibi cœlestis gemma comparatur; hic peregrinatio à Domino, alibi requies in illo: tanti est momenti hoc vitę nostræ momentum. Quemadmodum enim ab ipso insecabili centro in infinitum protensæ dispersæq; lineæ vt à principio profluunt: ita ab huius vitæ puncto & morula omnis statuitur ratio æternitatis: hoc indiuisibili quasi atomo coërcetur, quicquid forte vnicuique obtinget præmij aut supplicij. Quamobrem sicut qui fruuntur hospitio, propositum iter ita in animis versant continuo & reuoluunt: vt ne cogitare quidem illis integrum sit de otio illo, sedibus, aut commodis, quibus externus locus eos excipit: ita si opinio æternitatis mentibus nostris altius insiderit: hæc quæ huius vitæ bona ducuntur, veluti puerorum ludicra, enatas in aqua bullas, excussas è silice scintillas, vt autumnales & horarios arborum fructus spernenda & leui pede transcurrenda docebit: quod immensum est, quod nullis temporum interstitijs clausum aut terminatū, efficiet vti in nostra cogitatione maneat vigeatque. Animam vlterius immortalem si quis dederit, Deum pariter esse & alios quoque spiritus fatebitur: proinde præcipuam officij partem collocatam arbitrabitur in ipsius Dei amore & contemplatione. Hinc vita religione excolitur, exterminātur vitia, quæ cum Deo exosa intelliguntur, tum quoque supplicium iuste demereri. Neque respiciet seipsum solum homo, vel suum proprium bonum tantum cogitabit, cum se immortalem esse sciuerit: verum etiam ipsam ciuilem societatem excolet, aliosque homines, veluti fratres prosequetur, posteritati studebit: ex quibus constat susceptam de animę immortalitate sententiam, omnis virtutis & recti consilij causam esse & seminarium.

Quænam sint animæ partes & facultates, quibus eam natura ad operandum instruxit?

CAPVT X.

HOMINIS summam perfectionem in actionibus ipsius animæ positam esse, luculenter à Philosopho in Ethicis est ostēsum. Has autē operationes, qualesnam sint, aut esse debeant, vt perspiciamus: prius operæpretium erit inuestigare, subtiliusque disquirere, quænam existant in vniuersum animæ facultates & partes, quibus ad efficiendum aliquid actione sua, comparata est & instructa. Nullus siquidem medicus consulto considerateque medicinam ægroto porrigit, nisi prius eiusdem vim & naturam præsenserit, *Arist. 1. Ethic. cap. 2.*

ipſius quoque morbo affecti vires animo penſarit. Neque artifex prudenter opus molitur, vel illud affabre abſoluit, niſi inſtrumentorum rationem certam habeat & exploratam. Ita à ſapiente viro, cuius vitæ inſtituendæ modus primo in loco curandus decernitur, ipſius naturæ humanæ præſidia erunt inquirenda, facultates & virtutes, quibus ad operandum habiles ſumus, accuratius indagādæ. Hinc enim fiet, vti ea deinceps morum pręcepta facilius tradātur, & dilucidius mente percipiantur, quę ad præclaras nos inſtituunt & informant actiones.

Animæ pars duplex, & quæ cauſa talis partitionis.

Celebris itaque & diuulgata eſt ea animæ partitio, qua in partem rationalem & ſenſitiuam: ſiue in partem ſuperiorem & inferiorem diuidi ſolet: cuius diſtributionis origo ab eiuſdem animæ molitionibus exorta eſt. Operationes etenim animæ duplices deprehendimus: quædam ita ſolius hominis proprie exiſtunt, vt eidem attribuantur ſecundum illam formam & partem, qua à brutis ſecernitur: eapropter iſtarum functionum principium ad rationalem ſiue hominis ſuperiorem facultatem ſpectare dicitur. Iſtius ordinis ſunt intelligere, libere & conſulto aliquid appetere, vel odio aſpernari. Aliæ porro ſunt actiones nobis cum brutis animantibus plane communes, ad partem proinde ſenſitiuam vti originem reuocantur: qua quidem à rationis expertibus haud diſcriminamur. Huiuſmodi ſunt delectationum appetitiones, incitatus iræ motus, æſtus illi amoris & alij impetus temerarij, qui inter animæ perturbationes numerantur. Quos quidem appetitus noſtri conatus, propriam diſtinctamque à rationali facultate vim exigere, inde rectiſsime oſtendit D. Thomas: quod ſemper adiunctam habeant ipſis corporis quandam permutationem: maxime autem cordis, in quo veluti in ſede & arce præcipue collocantur, illoque vt primario vtantur inſtrumento: huius autem in corpore mutationis cauſa eſt imaginatio boni malive. Non enim hi motus prius in nobis exurgunt, quam ab imaginatione in aliquod iucundum, triſte, vel acerbum delata, fuerint euocati. Statim vero atque imaginatrix virtus appetitui aliquid obiecerit, quod aptum natum eſt corpus iucunditate aliqua perfundere, aut doloris ſenſu exacerbare, cruciari, protinus in ipſo corpore hominis exoritur ſpirituum quædam agitatio, ſanguinis ipſius ad interiora concurſus, vel ad exteriora excurſus. Atque ex hac ratione oſtendit Plutarchus partem rationalem & ſenſitiuam in homine plurimum differre: eorumque refutat ſententiam, qui perturbationes haſce rationali parti inſertas arbitrantur: ac ſi hæc eadem propter varias ſubinde mutationes, dum rationi obſequitur rationalis, dum autem affectionibus ſuccumbit, ſenſitiua diceretur: quod falſum eſſe docet ex hac corporum agitatione, quam adferunt motus iſti appetitus. In eādem

D. Thō. 1. 2. q. 22. art. 3.

Plutar. li. de virt. morali.

dem quoque ſententiam diſſerit D.Gregorius Niſſenus: qui partem animæ inferiorem ſeu ſenſitiuam verucis comparat in carne ſuccreſcentibus & carnoſis tuberculis ſolidis partibus adhæreſcentibus. *Quæ omnia cum circa animum ſunt, tamen anima non ſunt, ſed veluti quædam verucæ excogitatrici parti adhæreſcentes.* Et quod motus iſti parte rationali excluſi initium deſumant non à ratione ipſa, ſed ab obiectu ſenſibilium, eorumque ſola imaginatione, ab Ariſtotele alijſque Philoſophis appellantur irrationales. *Appetitiones irrationales ſunt ira aut cupiditas.* Euadunt tamen aliquo modo rationis ac libertatis participes: quæ licet in ſeipſis tanquam aliquid ſui non retineant; nihilominus hæc à ſuperiori animæ parte in hanc inferiorem eiuſque motus omnes deriuantur. Ita etenim rationis & voluntatis imperio dimittuntur: vti ad mediocritatem reducti, virtuti famulentur & inſeruiant plurimum: quo modo intelligendum Platonem appellantem animæ partem ſenſitiuam brutam, docet Plutarchus. *Non quod ea prorſus bruta ſit, ſicut ea animæ vis, qua ſentimus, alimur, vegetamur: ſed quoniam nihil rationi obediens, in carne immerſa ſurda apparet.* In hanc etenim partem ſuperioris imperium redundat: vt teſtatur ſcriptura: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Sicut namque ſeruus immoderate ſe gerens, quem ad commodum & emolumentum Domini ſui vel natura vel ius gentium contulit; ad eius conſpectum gradum quaſi ſuſpendit ac dimittit ſe: Ita inferioris partis affectiones & motus rabidi, quam primum regia animæ poteſtas, quæ in ratione & voluntate maxime elucet, exertá vim ſuam deprompſerit, Domini vultum quaſi agnoſcentes, illico ſe ſubducunt reprimuntque.

D. Greg. Niſſe. l. de anima & reſurrect.

Ariſt. 1. Rhet. c. 10.

Quomodo pars hominis inferior eruta.

Plutarch. l. de virt. morali.

Gen. 4.

Plato autem tres animæ ſedes conſtituit λόγικον, θύμικον, ἐπιθύμικον: rationalé, irraſcibilem, & concupiſcibilem. A qua animę generali partitione, Rhetoricæ quoque diſtributiones profluxere: vt ſciamus diſciplinam hác, naturam ipſam peperiſſe. A Rhetoricis tria enim conſtituuntur cauſarum genera: demonſtratiuum, deliberatiuum, & iudiciale; quorum vnumquodque proprium & peculiarem effectum aliquem ſpectat in vna ex tribus iſtis animæ facultatibus. In genere quidem demonſtratiuo, quo omnia referuntur ad delectationem, in parte concupiſcibili intenditur motus aliquis amoris, gaudij, & deſiderij Quocirca ad hoc præſtandum commodius, in ipſo ingreſſu orationis ad cauſam, accommodate animi inflectuntur auditorum in admirationem rei pertractádæ. In genere vero deliberatiuo, in quo præcipue cernitur vis quædam ad fidem faciendam: in parte rationali perſuaſio quædam efficitur: proinde idoneæ apteque in ipſo exordio orator dociles & attentos reddit auditores. Denique in genere iudiciali, odium, ira, aut clementia moueri ſolent: quæ affectiones

Plat. Tim.

Animæ tres partes, ſicut & in Rhetorica tria cauſarum genera.

fectiones ſunt partis iraſcibilis: indeque quantum fieri poteſt, curat orator, in ipſo veſtibulo orationis ſibi beneuolos reddere auditorum animos. Imo (quod & alias adnotauimus) ex hac triplici animæ parte, exorta eſt illa Philoſophiæ diſtributio in Phyſicam, Ethicam, & Logicam. Cum autem ſuperius diſtributa ſit à nobis anima in partem rationalem & ſenſitiuam, intelligendum eſt hanc ipſam partem ſenſitiuam adhuc eſſe duplicem; concupiſcibilem & iraſcibilem: quod à Theodoreto animaduerſum reperimus. *Plato & Pythagoras in duas partes animam diuidunt, rationalem & irrationalem: quam mox ſubdiuidunt in concupiſcibilem & iraſcibilem. Ariſtoteles quinque officia animæ ſtatuit, appetere, nutrire, ſentire, gradi, & cogitare.* De parte concupiſcibili, cuius motus ipſa natura ſunt priores, prius diſputandum: In qua illi vigent impetus, qui hominem deferunt & impellunt in bonum aliquod ipſius ſenſibus iucundum. Hos recenſet D. Thomas, amorem, odium, deſiderium, abominationem, delectationem, triſtitiam, ſeu dolorem. Quorum omnium obiectum delectabile quid conſtituitur. Cum vero diuerſa & multiplici ratione appetitus moueatur in hoc ipſum iucundum: non vnus & ſimplex exiſtit eius agitatio, ſed plane varia & diuerſa. Nunc etenim ex bono, quo fruitur vt præſenti, delectationem capit: nunc autem quod illud abſens ſit, eiuſdem deſiderio tenetur: ſin vero auulſum & abreptum fuerit, acri quodam doloris & triſtitiæ morſu diuexatur. Vnde propter has varias formas actionum, quibus appetitus tendit in bonum delectabile, variæ & plures ſunt in eodem agitationes & perturbationes. Quoniam vero quamplurima occurſant, quæ concupiſcenti appetitui impedimento eſſe poſsint, quo minus illis perfruatur bonis, quæ vehementius expetit: propterea natura aliam quandam adiunxit illi facultatem, nimirum iraſcibilem: quæ concupiſcibilis eſſet vindex & propugnatrix. Cuius quidem vi ſuperantur ea, quæ nobis moleſta ſunt, aut obſtacula exiſtunt contra voluptates percipiendas. Efficit itaque hæc, vt concupiſcenti appetitui ſit liber ingreſſus ad ea, cuius flagrat amore & cupiditate ducitur. Propterea hæc facultas iraſcibilis illos ſibi vendicat motus, qui propellunt hominem ad bonum aliquod arduum & difficile ſuperandum, vel illi contrarium malum abigendum, cuiuſmodi ſunt: ſpes, deſperatio, audacia, timor, ira: & quod ira in hac parte principatum teneat, ac ſe magis oſtentet, recte dicitur ab ea iraſcibilis. Indigent vero hi omnes motus ſigno aliquo erecto & quaſi claſsicæ ſtrepitu, quo excitentur. Eapropter Plato cum in anima hominis quadrigam quandam collocaſſet, geminos equos adiunxit, nimirum bonum & malum: quorum impulſu quadriga illa moueretur. Ex illorum etenim aſpectu & propoſitione concitantur omnes

Partitio Philoſophiæ deducta à partibus animæ.

Theodoret. lib. de nat. hom.

Quare diuerſi motus appetitus concupiſcibilis.

Munus partis concupiſcibilis.

Bonum & malum in æſtimatione, origines omnium motuum in appetitu ſenſitiuo.

nes plane motus, tam iraſcibilis, quam concupiſcibilis appetitus. Eliciunt namque hæc, & interdum præcipitant appetitum ad cupiditatem, hac aut illac eum deferunt: quæ ſi abſceſſerint, neque vſpiam apparuerint, tanquam ignis ſub alto cinere recõditus, ita & hi motus conſopiti videbuntur. Ad quos itaque regendos & cohibendos, multum referent iudicium boni malique, diſceſſus quoque ab illis rebus, quę ſenſibus noſtris ſumme bona aut mala eſſe apprehendantur. Nam his obiectis ſtatim rapitur mens, & turbine quadam appetitus deuoluitur in præcipitantiam. Cæterum ſi quis eorum ſe conſpectui ſubducat, tutus & ſecurus eſſe poterit. Lignum tametſi aridum, aut quodlibet aliud ignis fomentum haud inflammatur, niſi ignis acceſſerit: ita licet hi motus ſuapte natura in nobis ineffrænes ſint & rabidi, tamen niſi bonum & malum cogitationibus noſtris occurrerint, nullos in nos facient impetus, vel tranquilitati noſtræ quidquam officient: denique nullas excitabunt tragœdias in hac ſcena pectoris noſtri. Verum non ſolum Philoſophis & oratoribus hæc animæ diſtributio in tres partes innotuit, ſed & antiquis noſtris Theologis explorata pariter fuit & perſpecta: quam & è ſacris literis deſumptam arbitrantur. Hæc enim refert Clemens Alexandrinus: *Cum ſit itaque* *Clem. Alex. lib. 3. pæd. cap. 1.*
anima triplex genere, intelligentia, quæ ratiocinandi facultas appellatur, internus homo eſt: qui huic homini, qui videtur, imperat: eum ipſum autem alioquin Deus agit. Ira autem quæ eſt fera & immanis, haud ita procul à furore habitat: in varias autem formas ſe immutans. Tertia eſt cupiditas, quæ pluſquam Protheus, Marinus dæmon, varius nunc hanc, nunc illam, nunc aliam figuram ſuſcipit, & ad libidines, ſtupra, & adulteria allicit. *Partitio animæ in tres partes ex ſcriptura deſumitur.* Diuus etiam Ambroſius admirabili illa quatuor animalium viſione Ezechieli Prophetæ oſtenſa, hanc quoque animæ diuiſionem illuſtratam exiſtimauit. *D. Ambr. 3. lib. de virg.* *Hic quoque anima deſcribi accepimus: cuius quatuor animalia, quatuor affectiones ſunt.* Et poſt: *Habet autem quatuor affectiones, id eſt ſimilitudini hominis, leonis, vitulæ, & aquilæ comparandas. Quas formas librorum Euangelicorum proprietate accepimus figuratas. & ideo hic quoque in homine rationabilis, in leone impetibilis, in vitulo concupiſcibilis, in aquila viſibilis: per figuras animalium, ſpecies affectionis expreſſa eſt. Nã in omni ſapiente viro prudẽtes Græciæ eſſe nominarũt: λογιστικον, θύμικον, ἐπιθύμικον, διορατικον.* Quo pacto D. Ambroſius ab alijs in tres partes animã diſtributam, in quatuor diuiſit. *Quatuor animæ partes quadriga Platonis.* Vnde melius etiam intelligi poterit illa Platonis in anima quadriga, quæ quatuor rotis voluatur. Et eodem plane modo viſionem hanc Ezechielis pulcherrime interpretatus eſt D. Macharius. *D. Machar. homil. 1.*

Partes animæ cum iam conſtituerimus: munus quoque officij noſtri hinc erit definiendum. Videmus itaque in ciuili ſocietate, in quam multi

Quæ ratio officij ex hac animæ partitione?

coëunt & confluunt, omnia solere perturbata euadere, nisi alicuius authoritate promiscua multitudo cohibeatur & contineatur. Nec quidem vnicuique indifferenter absque delectu imperium committi animaduertimus; sed his solum, qui rerum tractandarum notitia magis pollent, vel qui in ipsa administratione quasi augustius imperium consequi possint. Ea propter cum plura sint in vna eademq; hominis anima, (vt vidimus) quæque proprias & dispertitas ac circa diuersa distractas agendi obtinent vires: ne confusa fiant omnia & implicata, quædam decernenda sunt veluti superiora, quibus regere incumbet: alia demum designanda vt inferiora, quæ superiorum consilia & decreta exequantur. Hæc autem vniuersa, que in anima expendimus, si inuicem contulerimus, constabit imperium rationi tantum veluti principi deferendum. Nam sensitiua pars nobis cum brutis est communis, incitatior, fœdior, labilis & vaga: quæque interuentu sensibilium huc atque illuc œstro quodam rapitur.

Forma humanæ vitæ monarchica.

Forma idcirco nostræ vitæ debet esse monarchica, & in ipsa ratione tantum conspicua. Neque verendum erit, quod sicut Imperatores aut Reges ex imperio plerunque superbe se efferentes, & in alios tyrannidem exercentes, deteriores euadere solent: hoc quoque rationi imperanti in vita nostra euenturum: Nam hæc ratio adeo constans firmaque existit optimarum actionum regula, vt nisi à seipsa desciscat actione, deficere nõ possit à iustitia & morum probitate. A quibus tunc solum deflectit, quãdo è throno suo decidẽs cupiditati & sensibus paret. Alioquin si immota in sua arce & sede constiterit: ex imperio indies melior, ad bene recteque operandum promptior efficietur. Quod & clarius multo constabit, cum animæ partem superiorem, quam rationalem appellamus, discusserimus.

De præcipuis animæ facultatibus, intellectu nimirum, voluntate, & memoria atque ex his, de similitudine hominis cum Deo.

CAPVT XI.



IN istis animæ facultatibus summam ipsius hominis collocatam esse dignitatem, qua cæteris animantibus longissime ipse præstat, facile animaduertere licebit: in quibus sane humani imperij purpura & diadema inclarescunt. Et quod ex istis singularis

sit homo

ſit homo cuiuſdam excellentiæ, propterea in ipſo rerum ortu, reliquis in lucem iam eductis, vltimo loco hiſce bonis ornatus & ditatus homo extitit & emerſit. Hac quidem diuinarum effectionum ſerie, & ordinis diſpoſitione, humana præſtãtia vt ſpectabilis mirifice commendatur. Haud ſecus enim ab ipſo Deo in terrarum orbem inductus fuit homo: quam Rex aut Imperator in regiam prius ornatiſsime inſtructam, regijſque vſibus idoneam. Quamobrem cum ſingulis huius theatri partibus proprias vires Deus indidiſſet, (ſeruata tamen ea proportione, qua aliud loco & natura alteri antecellit) præcipuis quibuſdam dotibus nobilitandus fuit homo: & quæ in alijs diſperſa, in ipſum videbantur congerenda: veluti omnium principem & finem: in cuius gratiam reliqua etiam condita fuerant & conſtituta. Itaque ſi cœlum, ſi terra, ſi elementa alia & ab his mixta coalita, ſpecie ſua luceant & floreant, varia ac pulchra ſint: procul dubio ipſemet homo, cui hęc ſubdũtur, luce amictus velut cœlum ſplendebit, virtutum flore & viriditate depictus, tanquam terra venuſtatem ſuam oſtentabit: denique multiplici quadam forma & action s figura diſtinctus apparebit, ſicut & ea, quæ coitione elementorum concreta videmus. Hac etenim de cauſa cum perfectis cæteris rebus, totius operis breue & ſuccinctum quaſi compendium edere voluerit Deus: & in anguſtam tabellam cogere ſuſpenſum cœlum, orbibus deſtinatos angelos, appenſam terram, effuſa maria, incluſa elementa: ad hoc vſus eſt commodiſsime hominis fabrica. Hic quidem ſumma qua perſtringuntur, hic tabula in qua delineantur vniuerſa. Intelligit enim homo cuncta mente, & cogitatione perſequitur: quod & faciunt Angeli: in omnem partem & ſitum extendit ſe & expandit, quemadmodum & plantæ: ſenſu rerum formas comprehendit, quod & brutis animantibus attributum eſt. Vnica idcirco hominis anima rerum naturas adeo pugnantes ac loco diſiunctas in ſe continet & coërcet. Cœlum, longiſsimo quodam tractu à terris diſsitum, expreſſam habet in hominis anima ſimilitudinem ſui. Quod enim in cœlo admiramur & ſuſpicimus, id eſt, quod ſit Dei regia & auguſtiſsimæ Trinitatis tabernaculum. Verum decus hoc cœlo cum anima eſt commune. In ea etenim, ſi pura ſanctaque fuerit, inhabitat Deus: vnde Philo: *Nec in terris auguſtius templum inuenit Deus, quam animam rationalem.* Porro cœlum, cum ſtellis & aſtris pulcherrime ſit ornatum, benefica ſua influentia vim omnem atque vitam ſubiectæ terræ impertitur: eodem plane modo anima, ſuis inſignita & inſtructa potentijs, ſalutari influxu corporis terram virentem ac viuentem reddit, fertilem facit & floridam. Imo cæterorum quoque elementorum formam quandam & characterem in ſe anima complectitur. Cum enim in corpus ve-

Hominis dignitas ex ordine creationis.

Homo totius mundi typus.

Similitudo animæ & cœli.

Phil. Iud. lib. de nobil.

Anima ſimilis elementis.

luti ad quoddam centrũ, in quo quiescat, hæc propendeat, cuiusdam terrestris grauitatis naturam videtur retinere: neque aliter sane quam terra sparsa diuini illius satoris manu, virtutum semina excipiens, bonarum actionum exuberantes fructus profundit. Dum vero corpus hoc continet, ne eius partes diffluant; & per easdem abstrusa permeat, illasque veluti frugiferas efficit: aquæ ambientis, nutrientis, & penetrantis terram, symbolum gerit. Cum autem corpoream hanc molem attollit, atque rationis luce collustrat, aërem imitatur. Denique quod amore inflammatus animus hac atque illac pernici cursu feratur: tanquam hieroglyphicum, ipsum ignem repræsentat.

Anima similis Deo. *Gen. 2.* *D. Basil. homil de primig. hom. dig.* *Matth. 5.* *Differentia imaginis & similitudinis Dei.* *Imago Dei in anima non corpore.* *Niceph. li. 11. hist. cap. 14.* *Tertul lib. de resur. & li. cont. prax.* *Phil. lib. de fab. mũdi.* *Refutatur Philo de imagine Dei in homine.* *Ioan. 1.* *August. in cap. 1. Ioan. & de gen. ad lit. cap. 14. & 15.*

Hæc vero exigua esse videbuntur, si intueamur animam altius adhuc elatam ipsi quoque Deo similem euasisse: quod quidem animę ornamentum sublime & diuinum scripturæ adijciunt. *Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.* Quem locum elucidans D. Basilius, differentiam constituit inter imaginem & similitudinem. *Nam quod* (inquit) *ad imaginem Dei facti sumus, nobis suppetit prærogatum ex ipsa statim primigenia conditione, vt autem similitudine insigniamur, id demum relinquitur nobis acquirendum certa animi destinatione.* Quo pacto interpretatur illud Saluatoris: *Estote perfecti, sicut & pater vester perfectus est.* Itaque ex sententia D. Basilij: imago Dei in nobis naturæ ipsius est donum: similitudinis vero ratio studiosis actionibus comparanda. In hac re omnino exploratum & concessum esse debet: nimirum diuinam in nobis imaginem in ipsa anima esse expressam, atque huius munere hominem Deo similem apparuisse. Eliminandus est idcirco vesanus ille quorundam hæreticorum error, qui Anthromoporphitæ nuncupati, (vt scribit Nicephorus) ad imaginẽ Dei hominis corpus effigiatum voluerunt: à quibus nec multum dissentit Tertullianus. Quomodo enim obsecro spiritus purus, syncerus, qualis Deus est, similis esse poterit corporis moli? nisi ita decipere velimus, vt Deum corporeum sententijs nostris fingamus. Cæterum neque Philo Iudæus istius in homine diuinæ imaginis notionem propriam adsequutus videtur: cum ideo dicat hominem ad Dei similitudinem efformatum, quod ad exemplar & formam idealem, quæ in mente Dei relucebant, tanquam illi similis apteque respondens, conditus fuerit & expressus. Hoc etenim rebus omnibus à Deo propagatis peręque conuenit, fiunt enim vniuersa, & expresiones quædam existunt ad similitudinem Idæarum, quæ sunt in mente Dei: de quibus etiam Theologus Euangelicus loquitur: *In ipso vita erat.* Iuxta interpretationem D. Augustini. Nam cum Deus mente & intelligentia cuncta sit molitus, nec temere in opus à se effingendum impegerit: prius hoc expressum, consignatum, & illu-

ſtratum habuit forma quadam idæali in ipſius mente relucente, vt cum D. Thoma omnes docent Theologi. Verum quando in ſacris literis ſermo inſtituitur de imagine diuina hominis animæ impreſſa, procul dubio nomine iſtius imaginis intelligendum aliquid, quod peculiari quadam ratione ſit homini adſcribendum: & quo ipſe cæteris omnibus præſtare & anteſtare dicatur. Non eſt ergo hæc tantum conformatio hominis ad ideas diuinas, quę ſingulis rebus competit: aliud idcirco quidpiam exquirendum, ob quod proprie ſolus homo conditus ſit & expreſſus ad imaginem Dei; quodque nulli alteri rei, præterquam animæ affixum comperiemus. Ita Clemens Alexandrinus: *Num ergo merito dictus eſt homo factus eſſe ad Dei imaginem? non quod attinet ad figuram conſtructionis, ſed quoniam Deus quidem ratione omnia architectatur: homo autem qui euaſerit cognitione præditus, ratiocinandi facultate bonas & honeſtas peragit actiones.* In ipſa quoque anima Dei imaginem reſidere & reſplendeſcere docet D. Auguſtinus. *Vbi eſt fides, vbi eſt ſpes veſtra, vbi charitas veſtra, ibi habet Deus imaginem ſuam.* Tametſi D. Epiphanius ſibi inexploratum profiteatur, in quanam hominis parte hæc Dei imago ſit inueniẽda. Vulgata autem Theologorum ſententia aſſeritur, in ipſa hominis anima conſpicuam eſſe ſacroſanctæ Trinitatis imaginem: ob triplicem eius vim operandi, per intellectum, voluntatem, atque memoriam. Sicut enim diuina natura indiuiſa in ſe, tribus diſtinctis perſonis conuenit: ita ex animæ vna ſubſtantia dimanant tres illæ facultates, quæ re ipſa cum eadem ſubſtantia coincidunt. Imitatur quoque anima Deum etiam in alijs; vtpote quod exiſtat, quod viuat, quod intelligat, quemadmodum & Deus: præcipue tamen quod mente & intellectu polleat, Dei in ſe retinet imaginem: vti affirmat D. Baſilius: *Faciamus hominem ad imaginem noſtram: hoc eſt homini impertiamur ac prorogemus affluentem rationis copiam.* Atque adeo perſpicuum & liquidum fuit, impreſſam homini Dei imaginem: vti id Triſmegiſto innotuerit: quem veriſimile eſt hoc ab Hebræis edoctum. *Omnium pater, genitrixque mens, cum ſit vita & natura, peperit hominem ſibi ſimilem: quem tanquam propriam prolem dilexit.* Niſi enim Deus ſingulari quodam amore hominem fuiſſet proſecutus, nequaquam ipſum tam præclaro munere rationis exornaſſet, aut inde ſibi ſimilem effeciſſet. Vnde Cicero: *Iam vero virtus eadem in homine ac Deo eſt: neque alio vllo ingenio præterea. Eſt autem virtus nihil aliud quam in ſe perfecta & ad ſummum perducta natura: eſt igitur homini cum Deo ſimilitudo.* Quod enim in Deo videtur maxime ſpectabile, ipſius authoritas eſt, qua & cuncta adminiſtrat: hominis autem imperium in alias res, quod diuinam poteſtatem adumbrat, illi non niſi ex vi rationis & intelligentiæ competit: cuius participatione idem

Quare in Deo idea.

Clem. Alex. 6. ſtrom.

D. Auguſt. enar. in pſal. 48.

D. Epiphan. hæreſ. 70.

Imago Trinitatis in anima.

D. Baſil. hom. 10. de hom. dig.

Triſmeg. Pemand.

Cicer. lib. 1. de leg.

Homo ſimilis Deo ex authoritate rationis.

quaſi apparet homo in terris, quod Deus in cœlis.

D. Chryſoſtom. hom. 9. in 1. cap. gen.

Vnde conſtat vim humanam præcipue attribuendam rationis & intellectus perſpicentiæ; atque ex illa præſertim efflorere in homine imaginem Dei: *Didiciſtis* (inquit Chryſoſtomus) *quid ſit ſecundum imaginem, nempe quod non ſit ſubſtantiæ dignitas, ſed dominij ſimilitudo: & quod non ſecundum imaginem formæ, ſed ſecundum rationem dominij dixerit: ideo & ſubdidit: & dominentur piſcibus maris & volatilibus cœli, & beſtijs & reptilibus terræ.* Hinc itaque quod homo colluſtratus ſit lumine rationis, cæteris omnibus animantibus præeſt authoritate: ibi ſceptrum, vbi mens & ratio. Nihil autem mirabilius videtur, quam quod hoc rationis lumen anguſtis cerebri incluſum cancellis ita euagetur & ſe effundat, vt ad extrema quæque pertingat, vt ea regat ac moderetur, quæ magnitudine iugentia, numero infinita, virtute inexpugnabilia: quæq; ſi ipſius imperium detrectarint, ſtatim conuellit, diſſipat, & diſperdit. Hæc autem omnia hominis præclara rationi conceduntur: & ob hanc hominem ipſa bruta formidant & reuerentur. Nam quæ natura homini negauit, ea ratio facillime ipſi parat ac ſuppeditat. Non ita viribus aut corporis firmitudine valet homo, vt ex brutis quamplurima: non ita vt ea, ad propulſandam quamlibet extrinſecus illatam iniuriam, quibuſdam tegumentis aut alijs præſidijs communitur. Nudus idcirco ac tenerrimus vtero excluſus, plorãs vitam auſpicatur. Illi deeſt leonis denſatis villis hirſuta & aſpera cutis: auium plumis vel ouium velleribus caret ad arcendum rigorem frigoris: piſcium ſquamæ illi nec adſunt aut artus ceruini ad fugam comparati: nihilominus in hac tãta penuria, ſola ratione ſe defendit, nutrit, artes excogitat: & ſi aliquod ex illis efferatis animalibus homini adduxeris, ſimul ac regiam illam ſpeciem conſpicatus fuerit, dimittet ſe, abijciet arma, trepidabit, diffugiet: imo quæ robore & vaſtis corporibus cæteris antecellunt, hominis conſpectum nec perferre quidem poſſunt. *Ipſi Delphini* (vt inquit D. Baſylius) *præ natatilibus magnanimitatem ſpirant, rege quolibet non indignam, dicto ocius hominem ſi contempletur propius ſibi adſiſtere, fugitans ſuppudeſcit ac veretur.* Et poſt: *Cum perſpicis leonem illum quidem grauem & infredentem rugitu, cuius vel nomen intolerandum & pergraue eſt: cuius rugientis frendor terram ipſam intremiſcere facit: quænam cæterorum animantium præſentis adeo animi eſt ad quiduis tolerandum, vt huius ſuſtineat impetum? nec vnum quidem in animalibus vſpiam repereris, cui tantum ſuperſit virium: vt ſe confidat ſuſtinere poſſe ſubitaneam leonis impreſſionem. Atque hunc ſic violentum perexigui viuarij ſæpimentis includi videri licet, quis hunc incluſit & coërcuit? is nimirum, qui huic vaſtæ molis animanti ſuopte ingenio commentus eſt carcerem. Quis hac varietate laqueorum, cancellarum, ſtraminum inſtar, aperuit ſimul & prouidit*

Vis humana intelligentia mirabilis.

D. Baſyl. hom. 10. de hom. dignit.

Hominis authoritas in bruta ex ratione.

reſpirationem

respirationem isti belluæ, vt ne suomet præfocetur anhelitu, vna & eadem opera & copiam illi fecit respirationis liberæ, & hoc interuallari sæpimento, custodiáve illi prospexit, ne quo se proriperet? quis is? nónne homo? is pro re ludicra habet longe efferatissimas feras: nam etiam pardales eludit, chartam ob oculos bestiæ oppandit ex editiori loco, quæ penicillo pictoris effigiatum hominem repræsentet: & hæc quidem frustatim concerpit chartam: cum is interim, qui subtus chartam delitescit, risu prosequitur belluæ vesanientem stoliditatem. Quod si altiora petamus, illosque aëreos tactus oculis contemplemur: in quibus præpetibus pennis ac pernici volatu spaciantur volatilia, hominis quoque vim ac potestatem eo pertingere animaduertemus. De qua re pulchre etiam D. Basilius, *De volatilibus porro quid tibi vis edisseram? & quidem homo alacri assensu nequaquã se attollit in aëra, remigio alarum destitutus: at certe per vim intellectilem cũ illis vna euolat. Nihil vsquam est, quod remoretur rationem, quænã vastissimo abysso delitescunt perscrutatur: venatur quæ sunt humi, quæ aëra circumvolitant, priusquam præuideatur, intercipit atque occupat. Nunquid obseruasti auiculam insidẽtẽ extremæ pinnulæ cuiusdam rami, & ex eo stridulo rumore, quasi cachinno persequentem illic cõmeantes? hæc enim spem sibi ponit in pernicitate alarum. At certe vnum è pueris licuerit videre, qui obseruata aui, mox facem arundinum conquerens, vnam substernat alteri, visco illiniat, & agglutinet harum acumina. Ac hic quanto maximo potest astu, per ramos foliaq; fallit visci præsentiam, obseruat deinde oculum auiculæ in sublime spectantem. Itaque prahendit leui attractu volucrem per aëra consuetam: & quæ eatenus per æthera ferebatur, visco implicata captiua abripitur.* Quoniam vero huiusmodi vnicuique satis nota sint, ipsáque quotidiana experientia probentur, idcirco in istis recensendis diutius non immorabimur: sed ad alia potius humani intellectus munera explicanda, quæ illustriora censeantur, progredietur oratio. — *D. Basil. Sup.*

Satis ostensum videtur, ob vim rationis homini ingenitam, factum esse, vt in illo viua quædam ipsius Dei imago appareret, cæterorumque animantium dominus inde existat. Quamobrem eodem prorsus hieroglyphico notari ac depingi recte homo poterit, quo Ægyptij olim ipsum Deum expresserunt: symbolo nimirum erecti sceptri, cuius fastigio & apici infixus oculus omnia vndequaque contemplabatur. Nam homo quidem, quod ratione insignitus sit, authoritatem diuinitus accepit in cętera animantia: eadem etiam, omnia sua acie ante vel pone, superius vel inferius sita circumspectat. Quis autem est, cuius animum ingens quædam admiratio non subierit, qui vim hanc intelligendi in homine immensam plane rite expenderit? Hæc etenim nullis repagulis aut obiecta rerum mole excluditur: nulla rerum multitudine aut varietate defatigatur. Quinimo peruadit omnia transcenditque: cœlos partitur in — *Vis intellectus ad remotissima.*

sphæras,

ſphæras, terras in horizontes. Quid dico? pernici volatu & ſubtilitate vſque ad Dei thronum ac ſedem pertingit: abyſſum maris explorat, terræque viſcera excutit ac repandit. Quo quidem pacto intellectus cum aquila volitat, cum delphino natat, cum ceruo diſcurrit; & cum illis animalibus, quæ terræ meandris ac receſsibus implicantur, inferius deſcendit, ſtellas numerat in cœlis, axes, polos, æquinoctialem, eclypticã, maximas ſolis receſsiones deſcribit ac deſignat: ſyderum atque planetarum curſus ita quibuſdam terminis includit, vti omnes eorum rationes ex amuſsim teneat. Huiuſmodi perſpicentia ingenij viguit Hiparcus, qui vt narrat Plinius, in ducentos annos futuros cœleſtium orbium motus, diuinus vates præcinuit: formas mox metheororum hæc exquirit: aëris qualitatem inueſtigat, aues aucupio perſequitur, piſces hamo aut rete capit, terram reſcindit, & ibidem obruta metalla effodit, abſtruſas herbarũ vires ac gemmarum ſimul qualitates perſpectas habet: Omnium denique notionem aliquam ſua comprehendit intelligentia. Et vt inquit D. Chryſoſtomus: *Facillime ad altiſsima longiſsimeque ſemota loca aduolat: etiam ſi velit ad extremos orbis terminos peruenire, aut in cœlum aſcendere, nihil eſt quod vetet, adeo ipſi alas leues dedit.* Neque quemadmodum rebus corporeis, dum operantur, defatigatio euenire ſolet: Ita quoque contemplando & longiſsime ſeparata peruadendo mens noſtra langueſcit, aut aliqua imbecillitate conficitur: ſed potius ea facilitate, quæ immenſo interiecto ſpatio à nobis diſiuncta ſunt, cogitatione ſua adſequitur, ac ſi lateribus noſtris adhæreſcerent, & omnino coram obijcerentur. Facultates autem corporum ſenſitiuæ, quarundam rerum acceſſu interdum excluſæ & repulſæ, ad proprios fines non pertingunt. Pectorum namque lacertorumque exertæ vires ſæpius franguntur: herculeum robur concidit, & tartarei pulueris inflammatione è tormentis bellicis exploſa & eiaculata pila, in lanam incidens, ſiſtitur. Cæterum mens cognitione ſua in ſolidiſſima quæque corpora ſe inſinuat, marmorum venas & cruſtas ſubintrat, ceſpites, aggeres, aut moles diſpellit ac diſsipat, remotiſsima claudit, omnia circumit, ſingula comprehendit. Quod ſi contingat corpus hoc vnius tenebricoſi anguli anguſtijs eſſe coërcitum: tamen occluſis oculorum foribus, obſeratis auribus, & ligatis manibus pedibuſque, interim poterit quis mente per totum terrarum orbem libere vagare, ex pulcherrimarum rerum cogitatione delectationem capere; cœlos, maria, terrarum tractus, gentes omnes, more, habitu, ac ceremonia diſcrepãtes, ad ſe deuocare: denique mundum in ſua mẽte effingere, & quaſi ſecum in carcerem compingere. Neque hæc laborem aliquem aut temporis diuturnitatem poſtulabunt, ſed dicto citius excurrens intellectus, omnium bonorum

Plin. nat. hiſtor. lib. 1. cap. 6.

D. Chryſ. homil. 7. in verb. Eſaiæ.

Intellectus non defatigatur aut expletur.

Intellectus in ſe orbẽ continet.

norum ipsi adferet satietatem. Vnde D. Basilius: *Homo inquam animal in terra honore dignissimum: quod secundum Angelos ordini vtentium ratione alle-ctũ est, homo inquam, imagine Dei cohonestatus, qui varias artes vi rationis excogitauit. Eorum quæ in terra sunt tenet scientiam; plantarum, radicum, ac fructuum facultates nouit: mare ausus est permetiri, aëris naturam, originem ventorum, astrorum positionem, horum motiones, interualla, concursus, rerum terrestrium ratam distinctionem, ciuiles leges, præfecturas ducendorum exercituum, artes nouit ad vitam fulciendam necessarias: tum denique ad ornamentum & ostentationem subseruientes.* Hinc autem factum esse arbitror, vt à quodam Philosopho pronuntiaretur, se nunquam minus solum esse, quam cum solus esset: quandoquidem opera & virtute intellectus omnia veluti præsentia haberet, quibuscum ageret & versaretur iucundissime. *D. Basil. in 2. cap. Esa.*

Istis quidem & aliud accedit: neque minus admiratione dignum: nimirum quod nulla plane rerum notitia humanus intellectus vnquam expleatur, nulloque scientiæ multiplicitate, veluti pondere aliquo, deprimatur: sed quibuscunque demum notionibus informatus, agilis semper existat, ad operandum promptus & exacuatus. Vnde quoque mihi visum est, diuinæ immensitatis ipsius intelligentiæ capacitatem, formam aliquam in terris exprimere. Ita namque Dei substantia partibus adest istius mundi singulis, vt per infinita si darentur spatia, ea ipsa æque facile posset comeare. Eodem modo intellectus noster vndique se diffundit, ex omni parte dilatat, nullis terminis vel cancellis definitur vis eius immẽsa percipiendi. Et quemadmodum (vt scribit D. Thomas) quod Deus omnia intelligat, ideo illis intime præsens euadit: cum hac ratione in ipsius conspectu & sub eius oculis collocata sint: ita hanc Dei immensitatem dum humanus intellectus imitatur, & quasi ęmulatur: omnia sibi ob oculos constituit, ipsos etiam terræ recessus, cœli arcana, pectorumque consilia. Duplici autem forma intellectus hác Dei immensitatem adumbrat: primo quod se expandat & dilatet ad omnia rerum genera percipienda: deinde quod in se recipiat includatque eorundem expressas & excusas notiones: idque non perturbate, sed distincte & ordinatissime. Quæ enim ab intellectu percipiuntur, ea insculptos quasi menti habent quosdam sui characteres, viuas & proprias similitudines, in quibus elucent pulcherrime. Laude vero idque merito efferimus pictores illos, qui angusta in tabella integros describunt exercitus, siluarum densa exiguis spatijs includunt: si tamen vel hastarum cuspides, confertas capitum galeas, arborum quoque extremos ramos & folia penicillo deduxerint. Hinc celebratur Calicratides, qui ex ebore formicas confecit; Myrancides pariter, qui ex ebore quadrigã formauit, quam alæ vnius muscę inũ-

Ingens vis animæ, quæ vastissima ac infinita in se coërcet.

Mens imitatur Dei immensitatem.

D. Thom. 1. par. q. 8. art. 3.

Mens se expandit ad omnia, & in se recipit omnia.

brarent & contegerent, floret in hominum memoria. Laudatur illius etiam opera, qui (vt scribit Cicero) Iliada Homeri tenuissimis membranulis ac tam paruo volumine inscripsit: vt in nucis vnius nucleo includerentur. Hæc autem collata cum intellectu hominis, parua omnino videbuntur. Hic etenim cogitatione sua campis, montibus, ciuitatibus, regionibus, regnis iustas & natiuas attribuit dimensiones: quas tamen omnes integras in se veluti in tabulis insculptas habet. Zeuxem dicunt pingendi arte apud Græcos celebrem, tenuissimam quandam lineam penicilli tractu duxisse adeo quidem exilem angustamque, vti omnis prorsus latitudinis expers ab inspectoribus crederetur. Discedente autem ipso paulisper, forte fortuna Apelles officinam eius subintrans, oculis (vt sunt artificum) curiosis in illam lineam incidit, qua conspecta, motus operis exquisita forma, penicillum in manum sumpsit, atque intra margines illius lineæ aliam veluti filum quoddam protraxit: quæ prioris lateribus includebatur, quo facto discessit. Reuersus autem Zeuxes, statim atque illam lineam est intuitus, se victum cernens, admiratione quadam perculsus, asseruit vnum Apellem eiusmodi lineæ potuisse tantum esse effectorem. Verum si terrarum vastissimam molem cum humano cerebro contuleris: maioris negotij tibi videbitur illam huic inferre, quam descriptæ à Zeuxe lineæ aliam tenuiorem inserere. Ea propter Philosophus humanum intellectum rasæ tabulæ comparat: non quod horum aut aliorum expressas formas posset suscipere: sed omnium plane. Vnde D. Augustinus: *Per rationalem habilis est homo illuminari ad aliquid cognoscendum infra se, & supra se, & se in se, & Angelos iuxta se, & quicquid cœli ambitu continetur infra se.* At ne suspiceris intellectum in ea solum rerum genera cogitatione sua incurrere, quæ sensibus nostris obuersantur: immaterialia quoque & spiritualia inuestigat acumine suo, persequitur & adsequitur felicissime. Aristoteles enim ex cœlestium corporum motu, separatas quasdam intelligentias qualibet materiali concretione destitutas inuenit. Impossibile ratus virtutem aliquam magnitudine extensam, sine defatigatione aut emolumento, circulos illos in orbem versare posse aut velle. Recte idcirco concludit, cælestibus illis sphæris præesse quosdam spiritus materiæ expertes, qui illas voluerent ac reuoluerent perenni quodam cursu, ortus & occasus vicissitudine. Similiter D. Thomas ex partibus huius vniuersi, quatenus (vt ipse loquitur, per intellectum & voluntatem diuinæ omnipotentiæ quædam existunt assimilationes,) euidēti satis ratione ostēdit, in hac rerum fabrica quosdā esse spiritus, seu intelligibiles substantias, quibus simplicitas puritasq; diuinæ naturæ modice saltem ac temperate effingantur & adumbrentur.

Linea Apellis & Zeuxis.

Mirabile quod sensus humani orbem coërcent.

Arist. 2. de Ani. text. 37.

D. Aug. li. de spir. & anima.

Arist. 8. Phis. 12. Metap. li. 1. cel. cap. 9.

Mens hominis spirituales substātias inuestigat.

D. Thō. 1. part. q. 50. art. 1.

Hactenus

Hactenus disputatione elucidata vtcunque est vis intellectus speculatiua, nunc de eadem differendum, quatenus ciuiles & morales institutiones describit & efformat: in quibus haud minus, ac in alijs, eam spectabilem videbimus. Non enim aliter vitæ humanæ cursum dirigit & inflectit ratio, quam nauim clauus. Legem etenim singulis corporis partibus ita constituit, vt ex eius imperio munera sua obeant & præstent. Sed non solo corpore continetur istius rationis auctoritas: quin & voluntatem quoque complectitur ac tenet, cui sensus corporis & vires eiusdem subduntur, quam sic regit & moderatur, vti vitia in hoc motu suo, veluti scopulos, voluptates vt arenas & vadosa declinet: intellectu quidem iubente exurgit voluntas parata & expedita ad obsequium. Neque ad conspectum cuiuscunque obiectæ difficultatis trepidat aut reformidat: si regium hoc signum & vexillum mens in altum semel extulerit. Quot fuere qui mortem lubenti animo generose & fortiter Dei atque patriæ causa oppetierunt? verum non nisi suadente ratione hoc factitarunt. Quot vitæ genus insequuti sunt, non solum delicijs destitutum, sed asperitate victus horridum? ratione tamen admonente hoc sunt aggresi. Quot ineffrenes animi motus ad philosophiæ regulam composuerunt: & quod maius est, inueteratas & penitus inustas prauorum morum consuetudines excusserunt? ratione autem imperante hoc feliciter sunt assequuti. Quod si alicui contingat à recta virtutis via aberrare, in deuia quædem & deflexa culparum discedere, non illum permittet diutius mens in errore versari, non patietur in cœno & sordibus ipsum perpetuo contabescere, sed ab illo neglectum officium ei in memoriam reuocans, iniecta quadam acrimonia ob patratum delictum, conscientiam eius affliget, torquebit, mordebit, exedet: quousque consilium mutauerit, & à decreta nequitia destiterit: vrgebit semper & extimulabit ad meliora, adeo vt homo ex hac conscientia pudefactus, interdum maiori quadam vi se attollat sursum, & è vitiorum lacunis emergat purior, quã si innocens nunquam cecidisset, aut illibatus, fæces illas casu minime contigisset.

Vis intellectus in moralibus ac ciuilibus.

Intellectui obsequuntur corpus & voluntas.

Neque ex hoc rationis imperio, priuatæ tantum actiones virtutum ad normam recti exprimuntur, (vt inde sibi solum quis iuste & honeste viuat) verum etiam infinitam propemodum hominum multitudinem, in qua sexus conditione, consuetudinis ritu, vitæ actione, dissimiles & cõtrarij reperiuntur: hæc vis rationis ita moderatur, vt commune bonum illæsum consistat: vt ciuilis hominum societas mutuis officijs deuincta floreat, in pace & otio delicietur. Quid mirabilius, quam quod princeps aliquis rationis lumine collustratus, tot ciuitatibus, prouincijs, regnis be-

Rationes publicæ à mente dependent.

ne prospiciat, atque in terris Deum imperio imitetur in cœlis? hoc autē rationis est opus: si hostes in fines ditionis inuaserint, suos ad bellum armabit: si priuatis seditionibus ciues inter se exarserint, efficiet princeps prudentia sua, vti odia deponant, & mutuam charitatem colant. Vnus tot, qua illi collibitum fuerit, impellet: & cum nihil ita soleat hominem exagitare, atque libido imperādi, (quod homo natura sua sit animal maxime imperiosum) nihilominus lege, interdum etiam vultu solo ipsius principis, fastuosus quilibet compressus dimittet se, ac turgidos illos spiritus in auras immittet. Quod autem ad ciuiles hasce actiones spectat: cęlatus animus, & cogitatorum dissimulatio, firmissima cum omnium sententia esse præsidia comprobentur: tum etiam vulgari Prouerbio ita decantatur. Videmus autem hominem rationis artificio sic compositum, & mille adscititijs coloribus fucatum, ita se in omnem formā cum Protheo intorquentem, in omnem speciem coloris cum Cameleonte se effigiantem, ad omnem malitiam & fraudem cōsilia sua versantem: vti semper dubites, an calidus sit vel frigidus, ater an albus, amicus vel inimicus, probus an nequam: nunc etenim vultu blandus, oratione melleus tibi videbitur: nomen amicitiæ, charitatis, ac sanctitatis ementitus: cum tamen si interiora recluseris, odij flammam, sanguinis tui & cædis sitim aspiceres ardentem. Interdum etiam seuerius amicus te verbis increpabit duris, toruo vultu respiciet: ita tamen vt intrinsecus suauis sit, & dissoluatur penitus amore tui: licet verum sit, quod cecinit Tibullus:

Mens causa dissimulationis.

Tibull. lib. 3. eleg. 7.

Difficile est tristi fingere mente iocum.
Nec bene mendaci risus componitur ore:
Nec bene sollicitis ebria verba sonant.

Quod itaque inflatio illa in Cameleonte præstat ad colorum varietatem, hoc in homine efficit ratio ad actionis figuram. Et sicut Panthera (vt narrat Elianus) pecudum armenta, effusa & exspirata ab ipsius corpore suauitate ad se allicit: & ne truculento horrendoque ipsius difformis capitis aspectu deterrita diffugerent, illud contegit, & inflexu quodam abscondit: Ita si quid in ipso homine alijs ingratum & odiosum videatur: ratio id omne arte aut vafricie celat. In hunc modum (vt scribit Æmilius Probus) apud Græcos Alcibiades ingenio fuit versatili & ambiguo: qui cum Spartis degens corpus duriter exercuit, cum Ionijs mollis, animo iucundo & dissoluto deliciabatur: cum Thracibus ebriosus, cum Persis splendidus: Ita Cameleon ratione præditus, se in omnem figuram efformabat. Cui apud Latinos omnino similis Catilina: de quo hæc Cicero: *Quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate auarior? quis in largitione effusior?* De hac autem in homine simulata spe-

Elian. lib. 3. de animal. c. 40.

Æmil. Prob in Alcibiad.

Cicer. in Cælian.

lata ſpecie grauiter apud Euripidem conqueritur Medæa: dolore inde affecta, quod cæteris ferme rebus impreſſæ ſint quædam notæ, ex quibus ſcire quis poterit, an veræ vel adulterinæ exiſtant: homini autem, quod ingenio ſit vario & volubili, non nota aliqua aut caracter adfixus ſit: ex quibus ipſius latentes ſenſus dignoſci poſſent.

Eurip. Med.

Heu Iupiter, quid mortalibus auri, certa dediſti indicia,
Quæ probumne an adulterinum ſit arguant.
Viris autem, quo exploremus qui ſunt mali,
Nullus character eſt impreſſus corpori?

Merito idcirco ab antiquis Philoſophis (vt ſcribunt Clemens Alexandrinus & Gregorius Nazianzenus) nuncupatus eſt homo, φῶς, lux, eo quod anima rationis luce omnia deſpiciat: atque vt exiſtimat Plato, appellatus eſt à Græcis, ἄνθρωπος, à verbo ἀναθρεῖν, quod ſignificat videre & recogitare: cæterum de intellectu hucuſque ſatis dictum ſit.

Clem. Alex. lib. pædag. Greg. Naz. orat. de Baptiſ. Euſeb. lib. 11. præpar. cap. 4. Plato in Tim.

Quod ſpectat vero ad voluntatem, de qua proximo loco diſputādum videtur: pauca ſolum & breuiter perſtringam: in qua quidem quatuor, veluti inſigniores notæ animaduerſionem noſtram merentur. Primum, quod hæc virtutis laudiſque ſit principium & origo. Si quæ enim virtus in nobis effloret, ſi quod decus capita noſtra exornet, ea à voluntate proficiſcuntur, quam ſi quis ademerit, non magis hæc ad hominem, quam ad brutum animal ſpectabunt. Alterum eſt, quo voluntas noſtra in actione illa quam elicit, vim aut neceſsitatem pati non poſsit. Licet enim in alijs facultatibus voluntati ſubiectis, plurima fiant contra impetum ac deſiderium voluntatis: nihilominus ad actum proprium, quem ipſa exprimit, ita ſe habet, vt ad illum nullo modo inuita aut coacta feratur. Vnde D. Thomas: *Sicut ergo impoßibile eſt, quod aliquid ſit ſimul violentum & naturale: ita impoßibile eſt, quod aliquid ſimpliciter ſit coactum, ſiue violentum & voluntarium.* Tertium eſt, quod ea nimirum poteſtate vigeat voluntas, vt nō ſolum corporis facultates moueat & impellat ad agendum: verum etiam ipſum quoq; intellectum operi accingit deſtinatque. Licet enim (vt præclare docet D. Thomas) voluntas moueatur ab intellectu, dum illi finem & obiectum proponat, quibus incitetur ad aliquid expetendum, (non enim fertur voluntas niſi in præconceptum) eaque de cauſſa (vt ſchola loquitur) ſicut exercitium actus voluntarij pendet ab ipſa volūtate, ita ſpecificatio eiuſdem ab intellectu: tamen quod proprium ſit ſolius voluntatis in finem intendere ſub ratione finis: non tātum reſpicit fines particulares, ad quos ſingulæ naturæ facultates directæ ſunt & ordinatæ: verum etiam finem vltimum & vniuerſalem totius hominis, in quem cæteri referuntur: idcirco vim habet voluntas deſtinandi omnes animę facultates,

Quatuor in hominis voluntate præcipua.

A voluntate virtus & præmium.

Voluntas cogi non poteſt.

D. Thom. 1. part. 482. art. 4.

Voluntas cæteris animæ facultatibus imperat.

D. Thō. 1. 2. q. 4. art. 1.

Intellectus dependet à voluntate quoad exercitium: voluntas ab intellectu quoad ſpeciem actus.

atque inter illas intellectum quoque in vltimum finem naturæ humanæ. Nulla enim potentia alia à voluntate finem intuetur sub hac notione; quod quidem illustrat D. Thomas similitudine cœli & Regis, in hæc verba: *Cœlum enim quod agit ad vniuersalem conseruationem generabilium & corruptibilium: mouet omnia inferiora corpora, quorum vnumquodque agit ad conseruationem propriæ speciei, vel etiam indiuidui. Rex etiam, quia intendit bonum commune totius regni, mouet per suum imperium singulos præpositos ciuitatum: qui singulis ciuitatibus curam regiminis impendunt. Obiectum autem voluntatis est bonum & finis in communi. Qualibet autem potentia comparatur ad aliquod bonũ proprium sibi conueniens, sicut visus ad perceptionem coloris, intellectus ad cognitionem veri: & ideo voluntas per modum agentis mouet omnes animæ potentias ad suos actus, præter vires naturales vegetatiuæ partis, quæ arbitrio non subduntur.* Quoniam vero in genere finium Deus sit finis præstantissimus, & quasi finis vniuersalis: idcirco voluntatis erit, tam intellectus quam aliarum facultatum operationes in ipsum Deum, vti vltimum finem, deferre ac destinare. Quartum & postremum est: eiusdem voluntatis quædam libera vis & validissima libertas. Ex qua nullis occurrentibus malis (ni ipsa velit) ab officio virtutis impediri poterit. Mortis & omnis carnificinæ horror cum in quempiam grassatus fuerit; amor tamen, qui in voluntate dominatur, animos recipiet à pauore: atque quælibet intrepidè aggredietur: quia fortis est vt mors, immo morte fortior dilectio. Nõ blanda concupiscentia, ad voluptatem pelliciens, hanc vim emollit voluntatis: non exterius intentata mala illam expugnant: sed quem voluntas amore aut odio armauit, impauidus ille etiam nudus inter districtos gladios volitabit: ad præcipitia ipsa, veluti ad deliciarum prata, festinabit: de qua re plura inferius disputanda.

D. Thõ. 1. part. q. 82. art. 4.

Media voluntate omnia hominis in finem referuntur.

Voluntatis vis inuicta.

Cant. 7.

Demum quod ad memoriæ insignem virtutem attinet: quis illam iure non suspicit & demiratur? est enim hæc fidelis custos eorum omnium, quæ elapsa defluxere: quæque sensus aliqua sui specie perculerunt. Atque ex istorum in memoria digestorum intuitu, omnem suam scientiam intellectus, quam experimentalem dicunt, mutuatur: in rebus administrandis principatum & arcem tenentem. Et ex hac præteritorum recordatione plurimum quoque delectari solet humanus animus. Istius quidem memoriæ sinus tam vastus est & expansus, vt infinita propemodum in se complectatur, visa & sensata omnia ab ineunte ætate, vsque ad senectutem decrepitam seruet tenacissime: illoque ordine hæc despicienda proponit, quo vel gesta vel sensu excepta fuere. Hac firma fidelique memoria rerum ac verborum instructus orator: tutus rostrum conscendit: vbi sermonis nitore ac libertate vsus, vehementius audito-

Memoriæ vis.

rum

rum animos cōcitabit, vnus multis præerit, ac infinitam concionem, quà illi libuerit, impellet.

Cum itaque humanæ conditionis eximiam præstantiam istis compertam habeamus: hinc innotescit vitam nostram haud instituendam ex arbitrio appetitus aut sensuum imperio: quandoquidem in nobis ratio suprema sit. Sed neque in alijs bonis adipiscendis collocanda erunt nostra studia: quam in illis, quæ rectæ rationi cōsentiunt & cum illa conspirant. Cuiusmodi non sunt voluptates fœdæ, sensuum illectamenta: sed virtutes solum, quarum pulchritudinem & colorem non sensus sed ratio contemplatur. *Vita ex ratione non sensu.*

Differitur de præclaro naturæ humanæ ornamento ex eius libero arbitrio: quod cum hæretici è medio auferre conentur; ipsius communis naturæ hostes apertè sese ostendunt ac produnt.

CAPVT XII.

CVM nefarius ille humani generis hostis omnium plane virtutum semina voluntati nostræ diuinitus iniecta, eiusque opera & industria honestissimarum actionum vberrimos fructus iam editos esse animaduerteret: vti decus hoc ac gloriam praua aliqua opinione infuscaret ac corrumperet: atque homines ad bene viuendum languidos & eneruces redderet: conatus est partim strophis Philosophorum, partim vero hæreticorum furijs cuiusdam fatalis necessitatis assensum hominum animis inferre. Vnde non libero arbitrio laudem aliquam aut virtutis emolumentum accidere, sed quod necessitate pressi essemus & constricti, otiose à fato omnia expectanda fore, crederemus. *Quare sæpius impugnatum liberum arbitrium.*

Philosophi quidem ex cœlestium corporum in hæc inferiora perenni influxu, humanarum actionum fatum quoddam prouenire dixerunt. Ita inter hæreticos Bardasenes quoque ex schola Valentini (vt scribit diuus Augustinus) arbitratus est. Priscillianus etiam & alij idem sensuerunt: affirmantes negotiorum omnium rationes, quibus humana vita distinetur, in cælestibus sphæris, veluti tabulis, siderum positura, vti characteribus descriptas esse & incisas: adeo vt in illud homines summa necessitate adigantur, in quod cœlestium corporum virtutes illos destināt, *Philosophi impugnant liberum arbitrium influentia cælorum. August. de hæres. cap. 35.*

& quasi

Prouidentia Dei quidam excluserūt liberum arbitriū.

& quasi præcipites ferunt. Alij vero, ne Deo rerum omnium notitiam & susceptam curam adimere viderentur, ipsius Dei prouidentiæ, tanquam causæ necessario influenti, nostrarum actionum euentus omnes ascripsérunt: existimantes singula ita ex fato cuilibet obtingere, quemadmodum diuinæ prouidentiæ legibus decretum & sancitum fuerit. Quod vt significarent luculentius, tres Parcas introduxerunt, quarum muneribus vniuersa Dei prouidentia contineretur. Illarum primam nuncuparunt Lachesin, à verbo græco λαγχάνω latinè contingo: eo quod vnicuique ex statuto diuinæ prouidentiæ sors quædam adueniat: non quod putarint casu aliquo aut fortuito quidpiam incidere in humana negotia: volunt enim omnia in decretis diuinis firmissimè atque definite esse defixa cum necessitate euentuum: sed sortem appellarunt ideo, quod hominis potestati aut consilijs subiectum non sit hanc aut illam vitæ rationem inire & consectari. Alteram dixerunt Atropos: à verbo τρέπω, verto. Quandoquidē perenni quodā cursu susque deque euenta omnia ferantur, rerum, temporumque vicissitudini pareant, neque in eodem loco aut statu subsistant diu: bona siue mala, læta an acerba extiterint. Tertiam nominarunt Clothan, à verbo κλοω, inuoluo: ea nimirum de causa, quod quæ diuinis decretis stabilita sint, ita hominem implicent & inuoluant: vt omnis illi pereat excussaque sit libertas: ac ipsum quasi catenis ligatum & pondere quodam depressum teneant. Immediatam vero tantæ necessitatis causam, vim quandam assignarunt genethliacam, homini ab ipso ortu eius inditam, illumque in vitæ decursu concomitantem; siue hæc sit cuiusdam genij boni malive in nos imperium, siue planetis occulta qualitas inserta. Hanc vero de fato sententiam (vt scribit Eusebius Cæsariensis) tulit oraculo vocali vsus ipse dæmon. Cum enim cuiusdam viri bello supra modum addicti, qui ipsum diligerent amici, videntes quod in horas innumeris vitæ periculis obijceretur; atque hactenus in cassum consilia monitaque, quibus à turbulento & martio illo vitæ genere sæpius auocatus fuerat, recidisse: scissitati sunt Delphis ab oraculo, quænam esset causa, quod ita bello, cæde, & sanguine iuuenis ille delectaretur: ipsis respondit dæmon:

Tres Parcæ.

Vis genethliaca.

Dæmon fatum agnoscit.

Euseb. 5. lib præpar. cap. 8.

. . . . . . Mars eum genethliacus concitat.
Esse enim certum, stabile, inuiolabile semper
Quidquid nent fucis parcæ, Rex iussit Olimpi.

Manichæus negat liberum arbitrium.

Manichęus vero (vt omnes humani arbitrij hostes tanquam monstra quædam è suis latebris ad conspectum solis euocemus) aliunde hāc in homine libertatem comminutam deletamque esse voluit. Continuata quadam serie ab ipso Simone mago diaboli primogenito, ad manichæū

vsque,

vſque, de duobus principijs teterrima quędam ſententia eſt deuoluta. Vnde docuit iſte binas eſſe in homine mentes, bonam vnam alteram malam: & quidem à mala aſſeruit nefarias omnes turpeſque actiones promanare: eaque neceſsitate, vt ab homine cohiberi aut euitari non poſsint. Manichęo his noſtris temporibus applauſit Lutherus, Ioannes quoque Caluinus ſub eius vexillis merens, Chriſti nomen & communem omnium naturam impugnauit. Iſti quidem eodem ſenſu concilioque liberum arbitrium negarunt: diſpari tamen argumento: volunt etenim hi delictũ protoplaſtę naturam humanam ita violaſſe & perfregiſſe, vti liberum eo arbitrium ſingulis hominum excuſſerit: finis autem quem iſti proſpectant, (tametſi in ſpeciem ſacris quibuſdam verbis eum occultent) licentia eſt ad peccandum, ad delinquendum, ad quidlibet demum actione ſuſcipiendum, quod à voluptate ſuadeatur. Hęc tacitis cogitationibus agunt, imo apertis librorum ſententijs profitẽtur. Quid? an non Lutherus longius in errore progreſſus eſt, quam vllus temerarius licet & inflatus Philoſophus, vel inſanus quilibet hucuſque hæreticorum? Iſtius libidini errandi ſatis nõ fuit, quod aſſeruit liberi arbitrij munere ſpoliatam eſſe naturam noſtram: verum etiam bonas quaſlibet actiones, voluntati à Deo ſolo, tanquam efficiente cauſa, forinſecus impreſſas eſſe ſtatuit, ac ſecum definiuit: perinde ac voluntas noſtra tanquam truncus iaceret exanimis, ac ſe paſsiue tantum in honeſtis concilijs haberet. Satis demirari non poſſum ſtultitiam & inſaniam iſtius hereſiarchę & apoſtatæ. Quid enim ſępius in ſacris literis inculcatum, quid clarius explicatum? quam quod ipſi homines diuina gratia coroborati Deum ament & colunt, quod pœnitentiam agant, & reliquarum virtutum munera exequantur? quę ſane nullus præſtare diceretur, niſi voluntas ipſius conatum quendam vitalem adhiberet: quemadmodum nec is nominaretur Apelles, cuius dorſo alius colores Apelle dignos inferret. Sed huic barbaro occludatur os authoritate diui Auguſtini ſic proloquentis: *Non ſicut in lapidibus inſenſatis, aut ſicut in eis, in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, ſalutem noſtram Deus operatur in nobis.* Verum intellexi, hoc Lutheri muſtum ipſimet ignominiam & caſum peperiſſe, ſuis quoque aſſeclis pudorem incuſsiſſe: iam enim dicunt paſſim ſectarij hunc grauem lapſum Luthero, tanquam altero Noë Patriarchæ, condonandum: ſententiam idcirco eius parum corrigentes, hominum actiones ſupernaturales, veluti fidei, ſpei & caritatis, ſpontaneas ac vitales conatus eſſe volunt, nullo tamen modo liberos.

Liberum arbitrium negatur licentia cauſa.

Voluntas ad bona opera non ſe habet paſſiuè.

D. Aug. li. 2. de peccat. mer. & remiſſ. cap. 5.

Orthodoxi vero operationes haſce contendunt non ſolum ſpõtaneas eſſe, hoc eſt à voluntate profectas, vti à vitali quodam principio ac mente cognoſ-

Quid orthodoxi ſentiũt de libero arbitrio.

cognoſcente ſingula (vt loquitur Philoſiphus) verum etiam liberas eſſe: ita vt illas poſsit homo ſuſcipere, vel iiſdem abſtinere, Deo excitanti conſentire, aut ab eiuſdem gratia diſſentire: denique bene agere ac peruerſe. Quæ cum à nobis aſſerantur, grauiter & atrociter in nos ſectarij (ſed ex ſumma extremaque inſcitia) veluti in Pelagianos inuehuntur: hoſtes vocant paſsionis Chriſti & Babylonicæ turris, in Dei contemptum, temerarios extructores. Cæterum oſtendemus primo orthodoxorum ſententiam de libero arbitrio, ab erroris Pelagiani vel vmbra quidem longiſsime diſtare: mox ea dilucide exponemus, quibus hæc illorum doctrina continetur: tandem probabimus ipſius Dei, virtutis, Reipublicæ, orbis, naturæ teterrimos eſſe hoſtes, qui liberum arbitrium, honeſtarum actionum cauſam & principium infringunt, & peſsimo quodam dogmate conuellunt. Neque præſtigijs verborum connixi, ſed veris ſolidiſque ex naturis ipſarum rerum deſumptis argumentis vſi, hoc efficiemus.

Quid actio ſpontanea.

Imprimis autem definiendum videtur quidnam ſit actio ſpontanea, & quo diſcrimine à libera & voluntaria operatione ſecernatur. Spontanea quidem actio conatus eſt ab ipſa voluntate expreſſus, effectuſque eiuſdem vitali quodam influxu, cum cognitione eorum, quæ ad eam actionem ſpectant. Atque iſtius rationis ſunt in vniuerſum omnes plane voluntatis appetitiones, etiam temerariæ & inconſideratæ, neceſſariæ, atque liberæ: ſiue fiant à ſapiente aut à mente capto, à vigilante aut dormiente: denique ſponte id omne volumus, quod volumus.

Quid actio libera.

Voluntaria autem & libera actio illa eſt, cuius principium voluntas in homine ſciente quidnam actione ſuſcipiatur: Ita vt in poteſtate eiuſdem voluntatis ſit operari vel non operari, actionem elicitam protelare, vel incepta abſiſtere, hoc moliri vel oppoſitum eius. In qua deſcriptione tria mente ſunt diſtinguenda. Primum eſt, quod actio libera fiat ab intelligente ſingularia: id eſt ab illo, qui mente contemplatur operationis obiectum: quod etiam commune habet cum actione ſpontanea: hæc enim exoritur ab aliqua faciendi operis in mente notione impreſſa. Alterum eſt, quod effectrix cauſa cuiuſuis molitionis libere exiſtit, ipſa nempe voluntas: emanat etenim huiuſmodi conatus à quodam principio homini intrinſeco vitali & animæ ipſius inſidenti. Proinde operatio libera non eſt omnino quid extrinſecus illatum & ingeſtum in voluntatem, vt cum quibuſdam Nominalibus delirauit Lutherus. At hoc quoque totum ſibi vẽdicat actio ſpontanea, vtpote quando ſubitanea aliqua mentis agitatione exorta, præſente quoque rationis quadam incuria, perculſus appetitus ita abripitur, vti ex quadam neceſsitate aliquid appetat vel odio proſe-

quatur.

quatur. Cuiusmodi ante plenam circumspectamque intellectus animaduersionem, dicuntur motus illi temerarij, quos Theologi appellant primo primos. Istę siquidem actiones concitatæ, spontaneæ sunt & à voluntate operante vitaliter progressæ. Tertium vero est, quo aperta discrepantia dirimitur actio libera à spontanea. Libera quidem in triplici agendi forma reperitur; prima existit, quando agentes aliquid, expressam actionem protrahere possumus, vel eius cursum abrumpere. Altera qua possumus operari & desistere ab omni opere. Tertia quando in nostra potestate situm est hoc aggredi, vel eius oppositum, peruerse aut bene nos gerere. Duplicem tamen in vniuersum constituunt Theologi operationis liberæ speciem. Vel enim poterit voluntas operari, vel non operari, saltem in illa temporis mora: atque tunc aderit libertas nuncupata quoad exercitium actus; qua quidem libertate vsus est Christus Dominus in actionibus virtutum. Vel operari valet hoc & eius oppositum: & tunc dici solet libertas quoad specificationem: quam quidem non habuit in multis Christus Dominus, quandoquidem ex vi visionis beatificæ & vnionis hypostaticæ peccare non potuerit, aut à voluntate patris sui vel latum vnguem deflectere. Prior quidem libertas satis est ad actionem laudabilem & præmio dignam. Vtraque autem in actionibus ferme omnibus humanis, etiam à gratia Dei propagatis, reperitur. Quantumuis enim homo perfectus sit, & quoscunque demum in virtute progressus fecerit, adhuc tam vitia quam morum probitatem poterit sectari. Quędã tamen existunt bonorum genera naturis suis ita expetibilia, hominisque appetitui grata; vti odio haberi non possint ab homine, seiunctis illis malis, quæ accidentario accessu ea comitantur; qualia sunt, vita, virtutes, scientia, beatitudo, & huiusmodi. Hęc autem duplex libertas radices infixas habet in duplici animæ notitia. Vel enim accincti ad opus aliquod, malum deprehendimus siue sensus siue rationis in ipso exercitio actus: vel in eiusdem obiecto. Ex priori oritur libertas quoad exercitium, qua appetere aliquid possumus, vel non appetere: ex posteriori propagatur libertas quoad specificationem, vtpote qua valemus in hoc aggredi, vel in eius oppositum ferri, bene vel male operari. Atque ex istis satis dilucide descripta videtur actio voluntaria & libera, atque à spontanea legitime discreta.

Differentia actionis spõtanea & libera.

Species operationis liberæ.

Verum quod istius libertatis in hominum actionibus assertores Catholici, à sectarijs hæresis Pelagianæ insimulari solent: aperte constat ipsos sectarios, qui etiam cum Pelagio errant, penitus ignorasse modum, quo errauit: atque hac in re, patenti calumnia suam ipsorum inscitiam ostentasse. Pelagius itaque orthodoxis patribus plus satis visus est libe-

Imperitè moderni sectarij Pelagianismum affingunt orthodoxis.

rum hominis arbitrium extulisse: quod ita assertum voluit, quasi absque omni interna ex Christi meritis in nos influente gratia de se Dei legem valeret implere: sic ingruente quocunque importunæ suggestionis flatu, studiose ac bene operari, vt iustis operibus à solo arbitrio expresſis, felicitas æterna, veluti stipendium quoddam sit redonandum. Gratiam tamen quandam agnouit Pelagius: illamque in Concilio quodam coacto in palestina, vti Christiano homini necessariam, palam proclamauit: sed verbo tenus; artificiose enim (ita vt ingenium est hæreticorum) hæresim suam contexit, quò & orbi terrarum latentius illuderet. Gratiæ etenim nomine intellexit ipse acceptum creationis dono ipsum liberum arbitrium: quod vnicuique hominum gratis, neque ex meritis conferri bene sciuerat. Aliam quoque gratiam admisit: euangelicæ nimirum legis promulgationem, Christi & Apostolorum eius ministerio orbi gratis exhibitam. Quibus verbis expressus Pelagij error sæpius est ab Augustino refutatus. Atque hunc ipsum Pelagij sensum satis bene adsequuti sunt illi patres, qui eius errorem excutientes, in hanc formam ad Innocentium Papam eam scripto detulerunt: *Isti autem asserunt, sicut à fratribus, qui eorum libros legerunt, cognouimus: in eo Dei gratiam deputandam, quod talem hominis impertiuit creauitque naturam: quæ per propriam voluntatem legem Dei posſit implere, siue naturaliter in corde conscriptam, siue in literis datam. Eandem quoque legem ad gratiam pertinere; quod illam Deus in adiutorium hominibus dedit.* Atque ex sententia concilij Mileuitani, qua perculsus fuit Pelagius: vel tardo cuilibet conijcere licebit in quibusnam positus fuerit eius error. Sic autem se habet: *Quisquis dixerit eandem gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, propter hoc tantum nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipsum nobis reuelatur & aperitur intelligentia mandatorum, vt sciamus quid appetere quid vitare debeamus, non autem per illum nobis præstari vt quod faciendum cognoscimus, etiam facere diligamus atque valeamus: anathema sit.* Nullibi autem Pelagius damnatur, quod liberum arbitrium asseruerit, sed quod Christi gratiam internam negauerit: neque aliquis est, qui non videt Lutherum & Caluinum eodem plane errore cum Pelagio inuolutos in eandem arenam temerario cursu impegisse. Negauit quippe Pelagius interiorem gratiam, quæ animæ sordes elueret, quæ adoptionis filios & vere iustos constitueret: eandem pernegant Lutherus & Caluinus: Pelagiani idcirco gratiæ ac Christi cruci iniurij. Quos quidē refutat D. Aug. ex illo Apostoli: *Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Hanc etenim gratiam interiorem, animæque secreta penetrantem, charitatem esse dicit diffusam in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui veluti digitus ipsius Dei, non tabulis lapideis vitæ normam inscribit ad terrorem, sed aliam

Quid Pelagius sensit de gratia. *Tom. 1. Conc. edit. sur. pag. 547.*

D. Aug. de hæres. hæres. 88. ep. 95. Tom. 1. Concil. pag. 541. edit. sur.

Concil. Mileu. c. 4.

Lutherus & Caluinus Pelagiani.

2. Cor. 3.

aliam legem hominum cordibus infert ad amorem & iuſtitiam. Sic autem loquitur D. Auguſt. *Hic autem Spiritus Domini, cuius dono iuſtificamur: quo fit in nobis vt non peccare delectet.* Et poſt: *Charitas quippe Dei dicta eſt diffundi in cordibus noſtris, non qua nos ipſe diligit, ſed qua nos facit dilectores ſuos, ſicut iuſtitia Dei, qua iuſti eius munere efficimur, & Domini ſalus, qua nos ſaluos facit, & fides Ieſu Chriſti, qua nos fideles facit: hæc eſt iuſtitia, quam non ſolum docet per legis preceptum, verum etiam dat per Spiritus donum.* Eadem profecto ſententia D. Auguſtinus Pelagium, Lutherum, & Caluinum iugulauit. Faceſſant idcirco Pelagianos næuos & vlcera Catholicæ integritati amplius affingere: cum ipſi potius Pelagio conſentientes Chriſti gratiam atque veram eius iuſtitiam peſsimo quodam dogmate expugnent. Nos vero Pelagianam ſuperbiam, veluti elatum quoddam præcipitium declinamus, gratiam Chriſti fatemur, illamque internam nobis inſpiratam, infuſam, inhabitantem agnoſcimus, ſine qua ad iuſtitiam atque felicitatem conſequendam, fractum & inualidum iaceret hominis liberum arbitriū. Diſcipuli ſumus illius ſcholę, in qua Spiritus ſanctus ita eſt effatus: *Si quis dixerit ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pænitere poſſe ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Quæ omnia recenſita à Concilio Trident. diuinæ gratiæ atque interius hominem afficientis effecta eſſe profitemur: ita vt omne illorum initium ab hac Dei gratia dimanet: quamque cum eadem magiſtra veritatis, hominibus gratuito munere à Deo impertiri agnoſcimus, & propter nulla ipſorū merita donari. *Declarat præterea ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtum Ieſum præueniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur.* Adhucne Catholicos apud imperitam plebeculam quaſi Pelagianos traducet Caluiniſta? at ipſum iſtis melius edoctum auguror. Tranſeo itaque ad ſecundum quod inſtitueram, nimirum vt oſtendam quanam ratione ab orthodoxis liberum hominis arbitrium adſtruatur.

D. Aug. de ſpirit. & lit. cap. 16. & 32.

Conc. Trid. seſſ. 6. can. 3.

Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 5.

Omnium quidem orthodoxorum calculis illorum ſententia comprobatur, qui diuinā gratiam libero reddunt cohærētem arbitrio: ita vt elāguida vis arbitrij ſit gratia Dei adiuta, interim eius libertas maneat illæſa atque inuiolata: quorum prius Pelagianam ſuperbiam eliminat, poſterius humanæ naturæ dignitatem tuetur & defendit. Eo etenim iam ex peccato imbecillitatis deuenimus, vti fractis viribus concuſsi & quaſi morbo confecti Chriſtum ſalutis authorem, veluti in eremo ad ſanitatem erectum ſerpentem reſpicere fidei oculis debeamus. Nec quidem Chriſtus, tanquam legiſlator aliquis aut doctor, externa voce aut ſenſibili

Concordia gratia & lib. arb.

Gratia neceſſitas.

aliquo signo animos nostros ferit tantum ac pulsat, sed vt pius Redemptor in animæ recessus liquorem & splendorem suæ gratiæ transfundit, vitiorum fæces abluit, peccatorum vulnera ligat, infirmitatem corroborat atque sustentat: denique vt loquitur Psalmista: *Renouat faciem terræ.* Ea idcirco Christi Ecclesia via incedit in hoc dogmate de libero arbitrio, quæ media est inter extremos quorundam errores, vtpote Pelagij auferentis gratię firmamentum, Manichæi, Lutheri, & Caluini negantium libertatem arbitrij. Quam quidem mediocritatem adnotauit D. Hieronymus: *Sic respondemus manichæorum esse hominum damnare naturam, & liberum auferre arbitrium, & adiutorium Dei tollere: rursum aptissime insaniæ hoc hominem dicere, quod Deus est: & sic ingrediendum via Regia, vt nec ad dextram nec ad sinistram declinemus.* Iudicio idcirco D. Hieronymi si standum sit, qui excludunt liberum arbitrium, ipsam hominis naturam violant & pessundant. Rursus qui gratiam Christi internam abijciunt, fastu quodam animi abrepti, crucis inimici euadunt, & altius elati misere feruntur ad ruinam. Neque est quod dicat Pelagius, ablatum eo ire ex sententia Catholicorum liberum arbitrium: quãdo affirmant ipsum non sufficere sua naturali vi ad omnem virtutis actionem præstandam. Nam cum Hieronymo illi respondebo: *Frustra blasphemas, & ignorantium auribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare: damnetur ille qui damnat.* Et cum D. August. *non sic defendimus gratiam, vt liberum arbitrium auferre videamur: rursus non liberum sic asserimus arbitrium, vt superba impietate ingrati Dei gratiæ iudicemur.* Veritas itaque Catholica hisce à Concilio Tridentino vsurpatis verbis definitur & statuitur: *Ita vt tangente Deo cor hominis per spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens: quippe qui illam & abijcere potest: neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua volũtate possit.* Quocirca in operationibus quę supernaturales dicuntur, vtpote fidei, spei, & charitatis: præterea etiam in moralibus, in quibus singularis aliqua inest difficultas, Spiritus sanctus iniecta quadam cogitatione mentem collustrat, quæ voluntatem alliciat ad consensum: quousque illius gratiæ vis & potestas extenditur, quam operantem nominamus: deinde liberum arbitrium eadem inspiratione corroboratum, ac eiusdem energia quasi per gratiam cooperantem, virtutis tãdem exprimit consensum: à quo tamen quantumuis diuina gratia excitatum fuerit, innata sibi libertate poterit resilire. Dum itaque id facit voluntas, in quod eam gratia impellit, diuini auxilij vis in nobis commendatur. Dum vero ita facit, vt etiam facto abstinere valeat, ipsius naturæ nobilitas elucet: sine qua nulla prorsus virtus in nobis floreret, laus nulla vitam nostram condecoraret, nullum præmium insumptis à nobis laboribus

Psal. 103.

D. Hier. in prohem. Dialog.

D. Hieron. sup.

D. Aug. de lib. arb. & grat.

Concil. Trid. sess. 6. cap. 5.

ribus iuste responderet: quæ omnia absurditatē sententiæ apud sectarios apertissime proloquūtur: de qua pauca vltimo in loco exponenda sunt.

In illos ideoque qui opinione sua excussum penitus homini liberum arbitrium contendunt, duplici de causa grauius & vehementius orthodoxi patres declamarunt. Primo, quod in diuinam prouidentiam blasphemè, deinde quod in hominis ipsius naturam nefarie insurrexerint: de quibus singillatim rectoque ordine disputandum. Ea est Dei in homines deprædicanda clementia & indulgentia singularis, vt (quod & scripturarum testimonijs passim consignatum reperitur) acrioribus sæpe adhortationibus, tanquam eiaculatis de cœlo fulminibus hominum corda tangentibus, signis & prodigijs illorum animos sæpius pulsarit, qui à virtute ad vitia pedem deflexerant; vti eos exterritos reuocaret ad pęnitentiam, ad iustitiam & meliorem demum frugem tranferret. Hac ipsa de causa tot tantique labores à Christo Domino in carne impēsi, tam frequentes conciones ad populum habitæ, hunc ob finem lachrymæ vbertim ab illis purissimis oculis distillarunt, & è viua ipsius corporis petra in hortum Ecclesiæ sanguinei riui defluxerunt: vti quorundam obfirmati in sceleribus animi, vt obstinatæ mentes ferreum illum rigorem deponerent, & summa quadam emollitæ temeritudine, mansuescerent: vt è cæno & sordibus suorum vitiorum, quibus obruebantur, excitarentur. At quorsum (si verum dicant sectarij) hæc diuinæ prouidentię & misericordię progresſio? cur in aërem & ventos diuina effusa verba periunt? cur hominibus sic illudit Deus? cur surdos adloquitur? montes aut pisces inuitat ad volatum? obedire, audire, præstare officium non possunt, quibus liberū deest arbitrium. An non inanes & per ludibrium emissæ fuerunt voces illæ Dalilæ, quando Nazarena coma Sampsoni abscissa, exclamauit: *Phylistæi super te Sampson?* cui ita respondere potuit Sampson: Heu, quam graue est mihi malum in Allophylorum manus nunc incidisse? verū frustra iam admones Dalila: etenim capitis mei cæsarie amissa, nec fuga potero me hostium turmis subducere, neque cum illis probabili aut dubio Marte confligere. Ita qui suorum delictorum pondere pressi inferius detinentur, qui fidei radio animum illustratum non habent, non spe confirmatum, aut accensum charitate, Deo adhortanti & desuper intonanti dicere possunt: vt quid Domine, istæ tuæ voces incassum ferūtur? quorsum minæ in pectus meum euibrantur? quare tetendis arcum, & sagittas educis de pharetra tua in vltionem scœlerum meorum? credere enim nō possum, spe animum erigere nequeo, amoris flamma hoc pectus frigore cōcretum, accendere non valeo: surdo canis, truncum alloqueris, pręscisa est mihi coma cum Sampsone, effosi oculi, roboris & virtutis brachia loris constri-

Absurda eorum sententia, qui negant liberum arb. & in Deum blaſphema.

Iudic. 16.

conſtricta: interim tu me ita debilitatum ad labores inuitas, cęcum iubes in ſolis ſplendorem intendere, detruncatis pedibus, ad currendum viam mandatorum tuorum me fruſtra hortaris. Tu ipſe truculentum illud malũ, omnibus furijs ſeuius & immanius, peccatũ nimirũ originale in orbẽ terrarũ inuexiſti: quod animi mei & corporis neruos eliſit, quod oculos extinxit, quod aures obturauit: denique vim omnẽ ad virtutẽ mihi penitus exſcidit. Sane ex hæreticorum ſententia iuſtiſsima hæc flagitioſorũ conqueſtio videbitur. Verum falluntur, vana aut inanis non eſt hæc Dei in homines cura: non res aliqua ludicra, aut ad ſpeciem elaborata, vt impie & cum blaſphemia ſentiunt hæretici; ſed ſeria omnino, quæq; Deum deceat, hominumque indigentijs optime conueniat. Nõ ergo amiſit homo liberum arbitrium, quin adhuc poſsit Deo ſolicitanti ipſum, officiũ præſtare, vel etiam rebelli voluntate eiuſdem authoritatem defugere.

Dei admonitiones probant liberum arbitrium.

Porro quando in ſacris literis profitetur Deus ſe exoſam habere omnem iniquitatem, eam præſertim, quę cũ fide, ſpe, & charitate depugnat: atque peccatis coinquinatos, futuros dicit eſcam & fomentum ignis infernalis: luculenter ſatis inde conſtat, homini adhuc, quãtumuis grauiter peccato originali concuſſo, liberum ſupereſſe arbitrium. Quis enim iuſte æternis illis ſupplicijs addicitur, niſi in ipſum culpa vituperio digna inciderit? verum quod diuinis vocibus hic fidem deroget, quod in diuina bonitate ſpem & præſidium vitæ ſuæ non collocet; quod proximum, licet ſibi inimiciſsimum & infeſtum, tanquam ſeipſum non diligat: acerbiſsimis illis pœnis plectetur: quamobrem ne iniuſta, crudelis, aut minime ferenda Dei circa homines prouidentia decernatur: fatendum erit cruciatibus deſtinatos, ſcelere prius ſe nequiter obſtrinxiſſe. Quod verum non videbitur, niſi conceſſerimus pariter illos non ſolum ſponte, ſed etiam libere in eas animæ noxas incurriſſe: ne ęque iuſte ſimum habenti naſum, ac illis incendium paratum eſſe exiſtimaremus. Ita præclare diſputant Clemens Alexandrinus, Baſilius, Damaſcenus, Euſebius Cæſarienſis, & alij.

Clem. Alexand. 2. ſtrom. Baſil. lib. quod Deus non ſit auth. mal. Damaſc. li. 1. orth. fid. cap. 3. Euſeb. lib. 3. præparat. cap. 8.

Imo quod maius eſt, ſublato amotoque ſemel ab homine libero arbitrio: ſi culpæ aliquid contineat in Deum eſſe infidelem, irreligioſum, aut maleuolum: iſtorum peccatorum ſordes Deum potius vti illorum authorem & cauſſam afficient, quam ipſum hominem. Quod quidem ſancti Patres dicere merito exhorruerunt: & ex huius abſurditate, liberi arbitrij veritatem legitime intulerunt. Ita Euſebius Cæſarienſis: *Nam ſiue cũ videat vniuerſa, cunctiſq; adſit, peccare cogit homines, ſiue ſtellarum motui vim cogendi conceſsit: ipſe certe aut per ſeipſum, aut per orbes cœleſtes, quaſi per organum, nolentes homines ad vitia impellet: quare non iure homo, ſed ipſius Creator peccator erit,*

Homo non eſſet cauſa peccati, ſed Deus, ſi nõ eſſet in homine lib. arb. Euſeb. 5. lib. præpar. cap. 5.

tor erit. Ea propter siue in naturalibus siue supernaturalibus actionibus vitium aliquod & peccatum inesse quis credat, nisi ad illud patrandum liberum accedat arbitrium; vel si æstimemus ipsius Dei opera hominē priuatum & destitutum omni auxilio sufficienti ad euitanda delicta, nō homo, sed Deus (quod tremo proferre) peccator erit. Nam quomodo iure culpandus aut incusandus, qui crimen refugere non potuit? At tu impie Caluinista dicis, in pœnam delicti originalis Deum illis, quos est reprobaturus in extremo die, omne prorsus auxilium gratię denegasse, illorum sensus ita hebetasse & consternasse, vt in totius vitæ decursu credere, sperare, amare nō potuerint, aut à prauis moribus desistere. Nihilominus fateris, quod hęc virtutum officia neglexerint, ideo in inferno castigandos. Nosti etiam hos eosdem sæpius à Deo admonitos, vt resipiscere velint: ac vt Christi cruorem imbibentes, scelerum nęuos abstergerent: interim tamen contendis, ita exceptos pœnis, hoc pacto diuinis vocibus excitatos, nihil dum vituperio aut dedecore dignum patrasse. Quousque obsecro istius immanis & barbari dogmatis audacia erupit, cum ipsum Deum insigni blasphemia, quasi atro quodam spiculo, petierit? Quare qui liberum ab homine exterminant arbitrium, vel nullam prorsus exinde Deo superesse prouidentiam definiunt, aut illam certe statuunt, quæ iniusta est, probrosa & insana: quamque recte de Deo sentientium animi audire recusant & auersantur.

Alterum caput, vnde argumentum petatur contra insulsam hanc sectariorum temeritatem, illud est: quod qui liberum arbitrium humanis negotijs eximunt, ipsam pariter hominis naturam violent, & à dignitatis suæ loco ad fœrinam quandam ignobilitatem deturbent. Quid enim in homine speciosus, quid ornatius despici poterit, quam virtutis flos, serta illa præclarissimarum actionum varietate contexta, diadema illud & corona tot trophæorum insignibus nobilitata? Quid spectabilius quam deuictis & profligatis prauis amoribus efficere, vt vnicus Dei amor in pectoribus nostris ardeat, floreat, & palmam de hoste reportet? Quid optabilius quam hic bonorum virorum iudicijs approbari, illorum applausu excipi, laudum stipendia, ipsam quodammodo æternitatem promereri? inuita truculenta illa morte hominum fama & memoria vigere, virescere, in altum sustolli, solis radijs vestiri, in omnium oculis summa cum animorum admiratione versari? verum hæc omnia, tam præclara, tamque eximia bona, manibus nostris excutientur, nos præteruolabunt ac deserent: si nobis liberum arbitrium hæreticorum fraudibus eripi patiamur. Vnde enim quæso hæc vitæ commoda & ornamenta brutis non obtingunt: nisi quod ratione destituta, libere non ferantur in concupita,

Hostes naturæ qui negāt lib. arb.

ſed temere & inconſulta quadam neceſsitate? At hæreticorum ſententia, eadem omnino actionum neceſsitas hominem tenet & inuoluit, quæ brutum: proinde ad id quod agit ſic impellitur, vt bos appetitu fęni exſtimulatus pabulum quærens: non maior proinde homini quam ipſi ex bene geſtis laus debetur aut præmium. Præclari quidem hæretici, qui noua ſua luce euangelica, cæteris omnibus cęcutientibus, ſoli poſt tot ſæcula, homines bouibus æquiparandos conſpexerunt. Quæro abs te Caluiniſta: num qui deliquium mentis patitur, aliquid ſupplicio aut vituperio dignum agat necne? haud ipſum agere dices autumo (ni pro demente pariter velis haberi) vlterius modo à te huius rei rationem peto; eam proferes, quod furore percitus licet ſponte agat, nihilominus cum in contrarium concilia mutare non poſsit, actionem non exerceat humanã, vnde & ſcelere vacabit. An non vides ex iſtis à te prolatis, excuſſo libero arbitrio, virtutis florem extingui, actionum pręmia defluere, ac ſic ipſam hominum ſocietatem diſcinctã fore & diſſolutam? Ita ſentit Euſebius Cæſarienſis: *Si eſſet fatum, iaceret omnis Philoſophia, iaceret pietas, nulla eſſet laus virtutis, nullus fructus laborum, nec puniendi eſſent improbi, nec admirandi ſtudioſi: ſi non libera voluntate & noſtra ſponte ſuſceptis laboribus, ſed neceſſitate fatorum hæc fierent.* In eandem quoque ſententiam diſſerit Clemens Alexandrinus, vir (vt ſcribit diuus Hieronymus) in omni literarum genere excultiſsimus: *Sed nec laudes, nec vituperationes, nec honores, nec ſupplicia iuſta ſunt, ſi anima non haberet liberam poteſtatem & appetendi & aggrediendi, ſed ſit vitium inuoluntarium.*

Euſeb. 5. præpar. cap. 5.

Clem. Alex. 2. ſtrom. D. Hier. li. de ſcrip. in Clem.

Verum quod de iſtis fuſius ſequente libro diſputaturi ſimus: hoc vnum duntaxat in præſentiarum attexam: nimirum illiberalem & monſtroſam hanc hæreticorum ſententiam, ipſam quoque ciuilem ſocietatem conuellere & diſsipare: vt nullum demum humanę vitæ præſidium tutum ſit à rabie & furore iſtorum hominum. Si enim liberum arbitrium nobis amplius non ſuperſit: quorſum delinquētes ſanguine luunt, quod admiſerunt? quorſum adhortationibus in vita ſocios ad virtutes inflammamus? Quæ quidem functiones adeo ipſius hominis naturę adiunctæ ſunt, vt neque ipſi hęretici earum curam pęnitus abijciant: caſtigant enim ipſi tranſcurrentes leges ipſorum, grauiter illis ſuccenſent, omnibus ſuas ſectas ſuadent, Catholicis ſanguinareas manus inijciunt, eorundem admirantur obfirmatos animos, dum ipſis nolint conſentire: quod euidentiſsimo argumento eſt homini adeſſe liberum arbitrium, tanquam eius partem, & naturæ penitus infixam. Hoc animaduertit Euſebius Cæſarienſis. *Quod autem opinio, quæ de fato habetur, falſa penitus ſit, inde patet: quia etiam eius opinionis authores & docent, & hortantur, & diſcunt, & cõſulunt:*

Qui negãt lib. arb. hoſtes ſunt ciuilis ſocietatis.

Euſeb. lib. 5. præpar. cap. 8.

fulunt: increpant etiam, castigantq́, suos, quasi propria voluntate peccantes, plurima quoque conscribunt, quibus ad rectos iuuenes adhortantur mores: veniaque dignum putant, si quis inuitus peccat, sponte autem peccantes, puniendos non negant. Quocirca cum grauissimi viri & Philosophi, vno adempto libero arbitrio, tot absurda, quæ à ratione penitus abhorrent, in vitam hominis propagari viderint, potius quam negarent hominem libero arbitrio præditum, Deo sciētiam & curā, quibus res humanas administraret, opinione sua abstulerunt. Sed (vt inquit D. Augustinus) *Religiosus animus vtrumque eligit, vtrumque confitetur.* Et alio in loco: *vtrumque amplectimur, vtrumque fideliter & veraciter confitemur: illud vt bene credamus, hoc vt bene viuamus.* *Cicer. 2. diuinat. D. Aug. 5. ciu. cap. 9.*

Atque ex istis quæ disputauimus de Orthodoxa sententia circa liberū arbitrium, duo colligi poterunt, quæ ad officium nostrum plurimum faciant ac conducant. Quorum primum est, quod cum naturæ nostræ ex libero arbitrio, insignem nobilitatis gradum agnouerimus, tūc ingentes Deo optimo & maximo persoluendas esse gratias merito existimandum erit. Quandoquidem præclaro hoc arbitrij munere hominem illustrauerit & exornauerit: cuius virtute ipse, non vt reliqua animantia etiā sensu vigentia, finem & quod præstantissimum est necessitate, sed optima actione attingit. Illa namque ab authore naturę impressa illis quadam vi, ad proprium scopum & vitæ terminum transmittuntur: ita vt à decreto cursu deflectere non valeant: ideoque ex illorum actionibus, vita nullis præmiorum emolumentis redundat. Verum instituit Deus, vt homo quod optimum est libera actione consequeretur: & proinde vt non solū commodum aliquod ex defunctis laboribus reportaret: sed & laudem, virtutum insignia, honorem, posteritatis memoriam adipisceretur. Ita consulit Clemens Alexandrinus: *Quemadmodum ergo is est laudandus, qui libertate vsus est ad viuendum ex virtute: ita multo magis qui dedit nobis liberam & nostri iuris potestatem, & concessit nobis venire vt vellemus, est venerandus & adorandus: vt qui non permiserit vt nostra electio & vitatio seruiret necessitati.* Alterum vero est; quod cum humana voluntas in æquilibrio quodam sit cōstituta, ob innatam ei libertatem, media inter rationem & sensum lubrica, & in vtramque partem flexibilis: vt huiusmodi libertas recte instituatur, rationem veluti facem prælatum sequi debemus, nō sensuū iudicia, aut brutas appetitus perturbationes. Et si appetitus motus fortiores, & ratione aliquando superiores videantur, castigandi sunt, dimittendi, ne in vitę ratione, voluntatem deferant ad præpostera vitiorum consilia. *Morum præcepta ex libero arbitrio.* *Clem. Alex. 3. strom.*

Quam perturbatus euaserit hominis appetitus sensitiuus, ex cuius mali notitia, quæ ad dimißionem sui animam informant, hauriri poterunt morum præcepta.

CAPVT XIII.

Naturæ commoda & incommoda sunt cognoscenda.



OMINIS prudentis esse videtur, non ea solum præclara munera, tanquam proprias diuitias, mente complecti: quibus ipse cæteris præcellit animantibus: verum ea quoq; mala, atque naturæ incommoda, ex quibus hæc nostra vita infelicior & ærumnosior euadit, sedulo exquirere & explorate tenere. Sic etenim fiet, vti ad virtutem neque segniores simus, vel ad agendum plus æquo confidentes, incitati & præcipites. Naturæ ornamẽta, ex quibus anima summum splendorem est consecuta, hactenus descripsimus. Nunc si cum bonis frugibus hæc terra nostra inutiles pariter herbas aliquas profundat: an delatum in nos à sole radium, vmbra corporis concomitetur: vel an auro carbones & fæces adhæreant, peruestigandum erit. In qua quidem disquisitione defixas omnino radices habet illa tam grata Deo humanæ animæ submißio. Quamprimum enim oculos dimiserimus ad nęuos nostros, vulnera nostra, saniem nostram: fieri non poterit, quin omnis in nobis ventosus fastus & inanis tumor tali aspectu comprimantur. Quinimo tot malis in nos deſęuientibus, ac natura inclinata in peruersum, supplici prece numen inuocabimus ad ferendam opem afflictis. Nihil sane æque ipsum Deum ad misericordiam inflectit; nihil adeo quasi ipsum superat & euincit, ac infirmitatis proprię, non fucata, sed ex animæ depreßione, agnitio sincera. Videmus etenim quod illi quorum bona incendio deflagrarunt, vel qui naufragium paßi, aut à malo dæmone correpti, ipsius stimulis immaniter exagitantur: huiusmodi calamitates & infortunia in tabellis depingant: Deinde non in obscuro aliquo loco collocant istas imagines, sed in propatulo, vti collo appendentes, omnibusque visendas proponunt. Quo modo mendici, qui morbis sunt exesi, non erubescunt vulnera & vlcera pertranseũtibus detegere: sed istis apertis & explicatis, tanquam quibusdã linguis ad persuadendum multo instructioribus, quam quilibet orator, naturæ vel artis præsidijs paratus esse poterit, alloquuntur & interpellant homines, illosque rigidos ac duros leniunt ad pietatem, ad condolentiam. Horum quidem facta à nobis imitanda fore censerem. Non enim minus vtile

Confeßio propriæ infirmitatis Deo grata.

nobis erit, Deo humili quadam confeſsione infirmitates aperire: cuius obtutum licet nihil lateat vllis reclusum repagulis: tamen nobis proderit hoc illi consulto significare, quod alioquin ipſe nobis vel inuitis perſpectum haberet & exploratum. Quod ſi ita aliquando euenerit, vti agnitiones, non proprio ſed vel alieno ore prolatæ, ipſiſmet peccantibus ſalutiferæ extiterint: quanto magis ſi delinquentes ipſimet naturæ ipſorum miſerias Deo exhibeant ſpectandas, proprijs vſi iudicijs & vocibus, emolumentum reportabunt? Cum enim populus ille Hebræus, poſt tot beneficia diuinitus illi præſtita, idolatriæ crimine grauiter in Deũ offendiſſet, illorum ſcelus quodammodo hiſce vocibus expiaſſe, & ardorem diuinæ iræ reſtinxiſſe viſus eſt Moyſes: *Quieſcat ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui.* Vnde & poſtmodum audiuit: *Placatuſq; eſt Dominus, ne faceret malum quod loquutus fuerat aduerſus populum ſuum.* Nonne & Abigail prudentiſsima femina, cum viri ſui agreſtes & inhumanos mores fateretur, Dauidis in ipſius caput & vitam concitatam iram ſedauit, decretamque vindictam amouit? *Ne ponat oro, Dominus meus Rex cor ſuum ſuper virum iſtum iniquum Nabal, quoniam ſecundum nomen ſuum ſtultus eſt, & ſtultitia eſt cum eo.* Quibus ſuperatus Dauid reſpondit: *Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui miſit te hodie in occurſum meum, & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuiſti me hodie ne irem ad ſanguinem, & vlciſcerer me manu mea.*

Exod. 23.

1. Reg. 25.

Veriſsima itaque eſt illa à Concilio Tridentino definita ſententia: qua aſſeritur, per peccatum originale iam totum hominem in deterius eſſe mutatum. Si enim naturam ipſam ſolitarie preſſeque conſiderare velimus: nemo ſuſpicabitur illam tot malis implexam, tam mancam & quaſi mutilam primitus in hunc orbem prodijſſe, qualem iam ſpectamus: ſed omnino ſtatuet apud ſe peccatum aliquod eam vitiaſſe, eiuſque ordinem perturbaſſe. Si enim naturæ partes accuratius diuiſerimus: tria præcipue in homine (vt animaduertit D. Auguſtinus) perſpiciemus: quorum primum eſt ipſa vita & auræ huius vſura. Verum hæc mortis legibus morborumque doloribus eſt ſubiecta. Alterum immenſa quædam cupiditas ſciendi: hęc quoque vel ignorantiæ tenebris obuoluitur, aut in ſcopulos impingit errorum. Poſtremum amoris quidam æſtus & feruor incredibilis. Sed vanitati rerumque vmbratili formæ inſeruit & ancillatur. Nos vero in pręſentiarum eam ſolummodo humanę infelicitatis partem explicabimus, quam D. Auguſtinus tertio in loco numerauit: de reliquis poſtea ſingillatim acturi. Nomine autem amoris intellexit Auguſtinus omnes plane motus appetitus ſenſitiui, inter quos arcem & clauum tenent amor & concupiſcentia. Non tamen exiſtimandum erit feruescen-

Conc. Trid. ſeſſ. 5. can. 1. Aurol. 2. cap. 1.

Hominis natura ex peccato mutata in deterius.

Aug. lib. 11. ciu. cap. 28.

P 3 tem hanc

tem hanc & rebellantem cupiditatem esse morbidam aliquam qualitatem, aut deprauatam substantiæ particulam, (ne cum Manichęis ipsam naturam incusemus.) sed vt Theologorum iam tulit sententia, nihil est aliud, quam abscessio illius pręclari doni originalis iustitię, quod Adæ peccatum ipsimet, nobisque excussit. Si enim generoso ęquo frenum detrahas, quid mirum si erectis cristis & toto corpore fœrocire & subsultare incipiat? si naui saburram abstuleris, vento iactabitur & vndis: si ciuitati magistratum ademeris, omnia inuersa erunt & perturbata: Ita cum insigne illud animæ ornamentum nobis humani generis hostis præripuisset, protinus animæ pars inferior in superiorem arma commouit: caro rationi tenebras offundere, luto & cæno collucentem illum animæ vultum aspergere sategit. Et quemadmodum terra ipsos cœlos obscuritate quadam exhalationum nonnunquam intingit: ita è corporis lacunis ardore cōcupiscentię exciti impuri vapores, animę speciem corrumpunt & deturpant. Hinc ad vitia & voluptates tam facilis pronusque descensus: ad virtutes vero cepit iter esse difficillimum, spinosum, & asperum. Quàm enim vel à natura ipsa inclinati simus & procliues ad malum, experientia satis superque docet. Natiuo enim quodam pondere depressa ratio in voluptates sępius deuoluitur: quibus infixa ita hæret, ac si ex alto ingentis molis plumbeam sphæram in paludem quis iniecisset. Verum dum studiose & sedulo virtuti incumbimus: videmur torrentis cuiusdam rapidissimo decursui humeros & latera obijcere. In hoc opere anhelamus, sudamus, defatigamur, & ex antiquo vulnere, vix inducta cute, vires languidas fluidasque esse experimur. Atque vt istarum perturbationum naturas seorsim contemplemur: amor ad honores & voluptates mentem pręcipitat, vim eius omnem eneruat, lumen extinguit, ad quamlibet vitij fœditatem, mollem & ductilem constituit. Timor veluti furia quędam ferro & facibus armata, truculentam sensibus sui inferens speciem: animam exanimat, restringit, cohibet, silere facit, & ab omni pręclaro facinore absterret. Dolor absynthij amaritudine sensus ita perfundit, sic impresso vulnere castigat, vt fluentibus lachrymis nihil aliud sciamus quam ingemiscere, & deplorare muliebriter casus, in quos cecidimus. Odium vero, cum ipsius inuidentis cor arripiat, veluti escam ad morsum comparatam: tum conciuis, socij, fratris, amici lateri sicam infert. Nihil aliud nouit hęc insania, quam hastam vibrare, venena spargere, infamiam conflare. Atque inter hęc vbi ratio, vbi virtus? ambigua istorum sane inquisitio. Quę & ita periclitatur, veluti si in naui anchoris, antemna, clauo, velisque spoliata, nauclerus poneretur: atque in eodem plane statu & rerum discrimine versatur, in quo ille, qui in vasta aliqua solitudi-

Concupiscētia quid sit.

Effectus perturbationum.

ſolitudine, ne à feris animalibus diſcerpatur, in latebras quaſdam ſilens & vix membra mouens ſeſe coniecerit. Excepit itaque hæc animæ pars inferior acerbitatem illius ſententiæ, quam hominis cauſa Deus terræ intulerat: *Maledicta terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Quid enim aliud ſunt hi motus efferati, quam ſpinæ & tribuli, qui animam ſic quotidie pungunt, vt cruorem eliciant, illamque miſere exulcerent? Ex quibus, veluti ſuccreſcentibus arbuſtis & ſerpentibus vepribus vndique deductis & ſilueſcentibus, ſua ferę in nobis conficiunt latibula. Prudenter idcirco & appoſite Oroaſter, qui harum affectionum vim bene nouerat, amico dixit: *Σὸν γὰρ ἀγγεῖον θῆρες χθόνος οἰκήσουσιν.* Tuum enim vas beſtiæ terræ poſsident. *Cum enim* (inquit Hieron.) *ad imaginem & ſimilitudinem Dei conditi ſumus, ex vitio noſtro plures perſonas ſuperinducimus.*

Gen. 3.

Pars hominis inferior bruta.

Hieron ep. 8. lib. 2.

Haud aliter itaque ſuprema in homine pars, ipſa ratio, iam in diſcrimine collocatur, quam olim Patriarcha Noë arca incluſus. Exterius etenim in ipſum deſęuit, & vim ſuam omnem immiſit atra nube obductum cœlum, marini vortices elati & conglomerati arcam impetu quodam turbulento vehementius diuerberarunt. Interius vero bruta animantia, incondito ſtrepitu, furore ac ſtridore ingentem timorem illi incuſſerunt: cum quibus tamen verſari omnino ipſe debebat. Ita præter ea vitæ incommoda & externa mala, quibus impetimur: intus, non in cute, ſed in pectoris receſſu latent inſanæ affectiones, quarum immanitatem nec diu nec noctu à nobis excutere valemus. Et quemadmodum in illa arca bruta quidem parum curarunt aut nouerunt periculum naufragij: ſed ſolus homo expauit & trepidauit ad conſpectum æſtuoſi maris, cælique furentis: ita vitium, ex quo vnicum animæ dedecus & detrimentum exoriuntur, motus iſti non reformidant: tantummodo ratio illud abhorret & deteſtatur. Et ſicut rationis illa expertia animantia nihil aliud in votis habuerunt, quam vt ſe tandem, delato in portum nauigio, in ſpinoſam aliquam ſiluam inſinuarent: Ita affectiones iſtæ rabidæ, defunctis laboribus, quid obſecro aliud moliuntur, quam vt ſpinoſam aliquam ſiluam ingrediantur? hoc eſt vt fœrinis & brutis moribus hominem agreſtem & incultum cõſtituentes, in illo imperia ſua exerceant: vnde euadat, vt homo ſingulari quodam rationis priuilegio cæteris animantibus prælatus, ipſis inpoſterum inſeruire & illorum mandatis obſequi cogatur: imo vt in quoddam brutum animal cum Nabuchodonoſor tranſmutatus, illorũ mores imitetur. Quis enim laſciuientem cupiditatem, ęquum effrænem iure non appellet? Ex ingenio præcipitem in iram & rabiem, canem, vrſum, aut lupum haud dicat? Doloſis machinationibus, alios in fraudem pellicientibus, qui incumbunt, vulpium aſtus imitari cenſebuntur. Raptũ

Anima in corpore vt Noë in arca.

Dan. 4.

ex aliorum malis imperium, quasi aquilæ aut voracis accipitris præda apposite vocabitur. In quam sententiam pulchre Basilius & Augustinus disserunt. Atque Psalmista, dum hominis dignitatem deprædicet, inquit: *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues, & pecora campi: volucres cœli & pisces maris, qui perambulant semitas maris.* Verum si huic appetitionum fœrociæ ratio cesserit: non ea amplius quæ à Dauide recensentur homini subiecta manebunt: sed ipsa potius in eum imperia obtinebunt: & cum illis homo fœrinam quandam subibit naturam. Nam si patiatur in se cupiditatem ita effundi: vt nullis legibus sit coërcita, nullo timore repressa: ouis, bos, aut campi pecus aliquod euadet. Sin vero in altum ambitionis pennis sublatus, reliquos despiciat & nihil pensi habeat: tanquam cœli volucer in aëre & aura versabitur. Si autem consilia sua ad voluptatum & auaritiæ sordes dimittat: illisque inhærescat, piscis maris potius quam homo æstimabitur. Videmus itaque diuersorum animantium formas atque species, vitæ nequitia appetitui sensitiuo inductas. Quorum etiam naturæ diuersis plane, eisque contrarijs qualitatibus discriminátur. Eaq; de causa opus spissum & arduum erit in vnius pectoris domicilio pacem & concordiam inter has temerarias affectiones constituere: cum tam oppositis motibus seorsim quoque agitentur singulę. Amor quidem progreditur, resilit timor, ira exstimulat, tristitia reprimit. Qui quidem perturbationum oppositi motus visione illa quatuor animalium Prophetę Ezechieli diuinitus iniecta, plenissime describi videntur. Contemplatus est Propheta vultum hominis, leonis, aquilæ, & vituli; quibus animæ partes designantur (vt iam dictum est.) Homo autem natura sua animal est sociale, ciuilique conuictu excolendum. Aquila vero pernici volatu æthera petens, vngues & rostrum parat & exacuit ad aucupium. Hominis sedes in terra defixa: sublimis autem illos aëris tractus quærit aquila. Vitulus mite est animal, greges & armenta sequitur: neque ædibus includi fastidit. Leo soliuagus in solitudine spatiatur, hominis aspectum fugit & auersatur. Si idcirco ex his omnibus vnum aliquod esset animal conflatum, varium atque multiplex: an nō illi maximus esset labor subeundus, qui illud cicurare, aut cum laude circunducerę aggrederetur; siquidem nec eisdem vocibus, nec alimentis, nec manus attrectationibus, neque deinde eisdem regiminis formis omnes illę belluæ delectarētur? Eodem plane modo qui tam repugnantibus in parte sensitiua motibus leges conatur pręscribere, multiplici scientia præditus imprimis eorum omnium naturas optime callere debebit: dissimili dein regimine & arte singulos oportebit ad virtutem rationemque componere. Ideoque vir probus non minus præstabit quam legislator, qui haud vnius solummodo

Basil. homil. de primig. hom. dig. August. in psal. 8. Psal. 8.

Brutorum formæ in appetitu sensitiuo.

Ezech. 10. Discrepātes affectiones appetitus.

Difficile recte instituere appetitum.

instituti

instituti homines ad ciuile bonum informat, verum etiam longe diuersorum consiliorum ac sensuum: ea propter omnium officia sua mente exacte complectitur. Neque solum inter ipsasmet animæ perturbationes huiusmodi dissidium reperitur & quasi bellum intestinum, verum etiam inter partem hominis rationalem ac sensum: proinde si quid cum virtute coniunctum aut laude dignum ratio tentauerit, omnes acrius illico insurgunt. Si enim ratio sententiam tulerit, quod Deus cæteris omnibus dilectione nostra sit præferendus: sensus ita reclamabunt: acerbum nimis est corporum pulchritudine non capi nec deliniri, nullis frui voluptatibus: atque intolerabile plane repudiatis delicijs, spinosam & asperam, quæ ad cælos ducit, semitam tenere. Vel si ratio statuat definiatque, ablegatis & sepositis rerum aliarum curis, diuinorum contemplationi insistendum esse: repugnabunt sensus, & queritabundi dicent: ergone chara hæc oculorum lumina exstinguenda, quę effulgentem mundi speciem summa cum delectatione exceperunt? auresne cera erunt obserandæ, quibus præconia casusque rerum volubiles, suauissimi etiam concentus percipiũtur? Denique si ratio definiat abijciendam esse diuitiarum sarcinam, dimittenda amicorum colloquia, celeri cursu properandum ad Christum in cruce pendentem: sensus cum Dalila lachrymis perfusa, & in viri pectus influente, se in animum insinuabunt, ad emolliendam flectendamque hanc rationis vim. Quod si teneritudine præstare non poterint, in apertum furorem prorumpent, & obedire omnino detrectabunt: neque ita fiet clamabunt: Siccine separabit amara mors, itane in ergastulis viuendum, an potius contabescendum, vel perpetuo moriendum erit? *Rationis & appetitus pugna.*

Harum quidem partium in ipso homine adeo discrepantes propensiones bene agnouit D. Paulus, cum dixerit: *Quod enim operor, non intelligo: nõ enim quod volo, hoc ago, sed quod odi, illud facio*, quasi diceret: si mihi cõtingat vt concupiscentia adducar ad aliquid patrandum, quod cum lege Dei de pugnat: illud nec intelligo, nec facio: non quidem intelligo, quandoquidem rationis sententia illud non definiam præstandum: sed neque facio, deliberato nimirum cõsensu voluptates mihi interdictas nõ persequor: neque illas vnquam expeterem, quatenus in me viget ratio, & homo sim à cæteris ipsius naturæ nota discretus. Subiungit etenim, *video autem aliã legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati: quæ est in membris meis*. Imo adeo dissentit hæc pars inferior à superiori: vt ab Apostolo nuncupentur duo homines: vnus rationis interior, alter sensus & carnis exterior. Quãtumuis autem inter se repugnẽt, virtutis nihilominus actione moderãdi. Demirati quidẽ sunt Philosophi *Rom. 7. Rationis & sensus dissimilia studia.*

Q ex con-

ex contrarijs elementis corporum coagmentationem. Verum nõ minus admirandus erit in vna eademque anima tam disſidentium affectionum concurſus. Vnde neque à vero illi penitus aberrarunt, qui ſententijs ſuis duo decreuerunt rerum principia, litem & amicitiam. Ex lite enim elementorum mixi forma effunditur: illa cõſtituta, amicitia quadam & fœdere repugnantia continet & deuincit. Haud disſimili ratione in ipſa anima ad mores componendos, litem & amicitiam concurrere cernere licebit. Depugnant enim appetitus incitati motus cum ipſiſmet, tũ etiam cum ratione: vnde lites & arma gliſcunt; omnia perturbate ferũtur. Virtus autem cum in mentis arce regina effloruerit, amicitiæ quodam vinculo confligentes inter ſe animæ partes conſtringit; pace ac quiete moderatur.

Lis & amicitia principia naturæ, & morum.

Non tamen in hoc animi litigio & conflictu nobis ita euenire ſolet, quemadmodum decertantibus in Olympo, aut depugnantibus in acie: hi namque poſtquam ſe præclare geſſerunt, & aduerſarium ſuperarunt; membra quieti reficiunt, ſomno neruos relaxant, & à laboribus feriati, libere vagantur. Nos vero cum hunc impetum affectionis prauæ retudérimus, nihilominus in armis conſiſtere debemus: nullus otio locus, nulla reſpiratio datur tranquillitate digna: rediuiuæ enim hoſtium vires in noſtram pernitiem continuo excitatæ, ſecuritatem non concedunt, non pacem, non triumphum. Vnde D. Ambr. *Seruit anima proprijs paſſionibus, ſeruit cupiditatibus ſuis: quarum dominatum, nec nocte poteſt fugere nec die: quia intra ſe dominos habet, intra ſe ſeruitium patitur intollerabile.* Dauid quidem detruncato vnius immaniſsimi gigantis capite, victor Hieroſolymam ingreditur: choris ac tympanis concinnentibus excipitur. Fortiſsimus hominum Sampſon, cum vel vnicum leonem decerpſiſſet, liquorẽ mellis ſuauiſsimum eius incluſum cadauere guſtauit. Nobis autem ex vna perturbatione profligata, victoriæ palma non conceditur, aut in cœleſtem Hieruſalem ingreſſus donabitur: neque mellis fauo ſecure labia infigemus, vnico proſtrato leone: niſi plurima monſtra cum Hercule, & multorum capitum Hydram virtute duce & claua deuicerimus. Quo in genere inſignis atque victoria conſpicuus emicuit diuinus ille Apoſtolus, qui dixit: *Viuo ego, iam non ego, viuit autem in me Christus.*

Perennis pugna ſenſus & rationis.

D. Ambr. lib. 2. epiſt. epiſt. 7.

1. Reg. 17.

Iudic. 14.

Rom. 6.

Ex his, quæ ad officium noſtrum maxime conducunt, hæc elici poterunt. In primis conſtare nobis debet, quod ſi cum virtute actiones noſtras & vitam inſtituere velimus: ſummo cũ labore & acri induſtria hoc fore perficiendum. Virtus enim nõ gratuiti beneficij loco nobis aduenit, ſed animi functione & exertis viribus eſt conſequenda. Appetitus namque ſenſitiuus iam ex peccato originali hoc mali eſt indeptus, vt plus nimio

Virtutis actio laborioſa.

mio inſoleſcat, rationis imperium detrectet, & in motu ſuo turbulento, obſtinatior ſit & affirmatior. Vnde Virgilius:

Non eſt è terris mollis ad aſtra via. *Virgil. Æneid. 6.*

Ad vitia autem, & morum turpitudinem, ſicut graue aliquod pondus, ad centrum præceps ruit: ita deprauati appetitus ſenſus, impetu quodam ſeu potius turbine deuoluuntur.

. . . . facilis deſcenſus auerni. *Virgil. Æneid. 6.*
Noctes, atque dies, patet atria ianua ditis.
Sed reuocare gradum, ſuperaſq; euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt, pauci, quos æquus amauit
Iupiter, aut ardens euexit ad æthera virtus.

Qua quidem difficultate ſuperatis & enaruatis hominum quampluribus perinde accidere ſolet: atque illi, qui clauum nauis dirigit, poſtquam viderit ob ingentem aliquam tempeſtatem omnia iam eſſe deſperata. Tunc enim iſte animum deponit, clauum manibus excidere patitur: illiſque cõplicatis, acerbius fortunę aduerſitatem, & caſum ſuum deplorat: Ita quod difficilis, impedita, & anfractuoſa ſit ad virtutem via, infiniti propemodũ vel torrenti ſe tradidêre ſcelerum, vel laboris pertęſi, flammis ſe mandarunt cupiditatum. Nos vero ex graui morbo langueſcentes, & ſerpentini aculei infixione vulnerati, in eremo huiuſce vitæ diſcurrentes: non æneum ſerpentem cum Hebræis in altum erectum, ſed Chriſtum Dei filium habemus in crucem ſublatum, in quem intendentes; ex eiuſmodi aſpectu, vires, animos, & perfectam ſanitatem haurire poſſumus: ad pręclara opera proinde fracti & dimiſsi non debemus eſſe, ſed alacres potius & præſentibus animis. Si enim ille nobis arma ſuppeditauerit, ſi nos virtute ex alto induerit, nec vis vlla nos conteret, neque fraus aliqua hoſtium implicabit: ipſe etenim præceptis ſuis fraudes omnes detexit, & morte aduerſam vim confregit ac comminuit. Sin autem ratio appetitui inſeruierit: iterum Dei populus laboribus & ſeruitute miſere conficiendus, ingredietur Ægyptum: imo exinde brutos & færinos quoſdã mores induet homo: atque in færum quoddam animal, non Circeis poculis, ſed vitio ſuæ voluntatis commutabitur. Ea propter hanc diſtrictã curam nobis Deus, naturæ author, demandauit: qua prouidendum nobis eſſet, vti ex lege arbitrioque rationis omnia tranſigantur. Neque tam inſigne erit externos hoſtes ſubiugatos ſubactoſque tenere: quam has animæ affectiones recte moderari, atque rationi ſubijcere. In illo etenim victoriæ genere, aut aliena virtus, vel fortunæ euentus plerunque intercedunt: in hoc autem virtus noſtra elucet: quam non alienis viribus, ſed propriæ voluntatis arbitrio ſtudioque comparamus.

Chriſtus ſpei columen. Num. 21.

Manifestum redditur, quomodo perturbationes animæ, mediocritatem excedentes, ipsam rationem impediant, & voluntatem ad turpia consilia inclinent.

CAPVT XIIII.



EX hoc appetitui sensitiuo grauissimo inflicto vulnere, de quo disseruimus, languor, imbecillitas, & quamplurima mala eruperunt, quæ singulas ferme hominis partes occuparunt. Quemadmodum enim male affecto neruo aut læso, quem opticum dicunt, tremor quidam in reliquis membris oboritur: Ita quamprimum humani generis hostis in hãc inferiorẽ nostri particulam hastam intorsisset, debitumque naturæ ordinem inde dissidio inuertisset: protinus ratio diminuta, voluntas propensa in nequitiem, caro turpiter lasciua euaserunt. Sunt etenim recte à D. Thoma, cum cæteris Theologis, quatuor effectus adnumerati originalis noxæ, quatuor illati animæ facultatibus. Siquidem in intellectu est cæcitas, in voluntate malitia, in irascibili infirmitas, in concupiscibili effrænis petulantia. Quę vero sit caligantia, aut natiui luminis diminutio, quam intellectus istis appetitus perturbationibus acceptam ferat, in præsenti nobis solum enarrandi pensum incumbit.

Mala naturæ ex peccato originali. D. Thom. 1.2.q.75. art.3.

Sicut quamprimum in infimo quopiam loco quis bustum aut rogum excitauerit: fumus ocius in altum sublatus, etiam quæ superiora sunt, nigredine inficit: ita in hoc sensitiuo appetitu, infima quidem animæ sede, & quasi vestibulo, si patiatur aliquis libidinis ignem aut iræ accendi, perturbationis obscura nebula protinus insurget: quæ cũ animæ vultum attigerit, eum infuscabit, tantamq; eius speciem errore, veluti caligine, deturpabit. A quo quidem detrimento & incommodo immunes prorsus & liberi extiterunt primi parentes: priusquam lasciuiens ipsorum appetitus proiectum à diabolo impurissimum semen excepisset, ex quo iam totius naturæ virginalis integritas & quasi flos deperijt, & corruptus cõtabuit. Nam quemadmodum hostes victoria potiti non solũ bona omnia diripiunt & expilant: sed insuper ipsas ædes irati plerunque flammis absumunt; & excitata pyra triste quoddam spectaculum domesticis exhibent: ita nefarius ille dæmon, non hoc contentus, quod originalis iustitiæ gemma nos spoliarit, rogum præterea quendam discedens in nobis accendit: cuius flamma in cõcupiscibili parte primum excitaretur: fumus postea

Vnde malum intellectus ex peccato originali. Perturbatio officit rationi.

postea ad rationem vsque delatus, præclarum illud à natura ingenitum lumen obnubilaret, omnemque eximiam eius formam atque decus, miserandum in modum, deuastaret. Hinc fit, vt in rerum tam diuinarum, quam humanarum inquisitione toties cęcutientes labamur, & in errores turpissime impingamus. Effugiunt etenim nos, vel quæ intus & in pectore nostro agitantur. Quæ vero superius, inferius, vndequaq; versantur, tenuem vix aut adumbratam ad nos transmittunt notionem sui. Vsque eo creuit hoc malum, vt neque lumen oculorũ nostrorum sit nobiscum: sicuti aliquando regius Psaltes est conquestus. Hoc autem vulnus, lethali spiculo inflictum, cum nostri esset curare, hisque defectibus deprauatæ naturæ iuuamen aliquod vitæ institutione adferre: ita potius eiusdem rationem componunt plerique hominum; vt tenebras tenebris adiungant, crassas tetrasque hasce mentis caligines, quas comparata luce dispellere deberent, vel saltem extenuare, vitæ praua consuetudine densiores magisque constipatas efficiant. Hinc est quod Atheismis fœdissime implicati, & in diuinum cultum immaniter gigantũ more debacchãtes, vitæ impuritatem, profligatos mores, omnem denique obscœnitatẽ consectentur. Proinde non certa aliqua ratione in Theologorum arces inuadunt hi, nõ exquisita rerum notitia subnixi diuinis nuntium remittunt: non ratione duce fidei mysteria sacrilego & blasphemo ore conuellunt: sed obtenebrata plane hebetique mentis acie solares radios à se excutiunt, infinitis affectionum æstibus concussi, distorti, fracti, quod recussime protensum est metiri volũt. Sed quid lusco cum coloribus? quid ebrio cum Geometricis? Cum enim in alto voluptatum innatarint, cum varijs, ijsque plane cõtrarijs, appetitionũ motibus iactati fuerint, cũ rerũ copia omnesque dulcedines ad sensus ipsorum diu affluxerint: Non tam in ipso ingressu animæ in corpus (vt existimarunt Platonici) Lethæi fluminis nigras illas aquas ebiberunt: quibus omnium rerũ impressos characteres abstergerent: quam in ipsius vitæ vsu & ætatis propagatione. Tunc enim deperditis & nefarijs actionibus virtutum notiones omnes, quas animus studio vel informatione aliorum acquisiuerat, delentur, expunguntur, obliterantur. Hos pulcherrime Iacobus Apostolus istis describit: *Considerat enim se, & abijt, & statim oblitus qualis fuerit*. Nemo ferme est, qui ita animã scelere depressit, cinere aut luto prauitatum obruit: vti eiusdem splẽdoris radius aliquis ei nõ appareat: aut vti scintilla aliqua illius diuini ignis interdum non erumpat aut exiliat. Considerabit itaque se homo aliquãdo sine dubio, vultumque in speculo contẽplabitur: se ad immortalitatem natum, satum, & concretum despiciet: sublimis quoq; illius Numinis potestati fasces suos dimittet, sub tantæ maiestatis sceptro

Humana ignorantia.

Psal. 37.

Atheismus ex errore & praua cupiditate.

Obliuiosa voluptas.

Iacob. 1.

trepidabit: ſed abibit, voluptatibus ſe dabit. Et quemadmodum acri doloris ſenſu euictus Moyſes, lapideas tabulas, quę viuendi leges continebant, abiecit: ita ille forenſium rerum cura euocatus, ſpeculũ illud cognitionis ſui ad terram allidens, profluenti & Euripo obliuioſæ iucunditatis ſe committet: atque Lætheo domum flumine epotus & ingurgitatus: nihil mirum, ſi proprij vultus & animæ expreſſam delineatamque effigiem obliuioni tradat. Pedem namque molli ac lubricæ arenæ ſi quis infert, eo vſque veſtigium eius apparebit: quo vel pedem in ſua ſede retinuerit, vel incurſans aliquis ventus illud non diſsipauerit. Ita ſi virtutis, ſi ipſius animæ eiuſdemque officij præclarum aliquod ſimulachrum mens ſedata & tranquilla expreſſerit: ſi deſierit defixos in illud ſenſus & obtutus ſtabilire: & perturbatio interim aliqua eam alio transferat: idæa quam effinxit ſemel, veluti tempeſtate inuoluta, diſſoluetur & diffluet: atque ſic mens memoriam vultus ſui penitus deponet. Euadet etiam vt Ioſephum noſtræ vitæ columen, & vnicum prępſidium, vrgente rabido irę motu, tranſmittamus in Ægyptum: vbi extrema rerum ignoratio, & veluti caligo omnia occupabit. Neque Tobiam, ſenectutis noſtræ baculũ, foribus excludere dubitabimus: ſi auri appetentia pectora noſtra cœperit. Quæ quidem pericula cum perſpecta haberet Propheta Dauid: animam ſuam à Deo cuſtodiri ita precatus eſt, quemadmodũ pupilla oculi palpebris communitur. Voluit enim, vti arcerentur fæces iſtæ cupiditatum, voluptatum colluuies abigeretur: denique vt anima ipſius pura & limpida, nullaque contagione infecta ſeruaretur. Sicut enim cum ventus pulueres in oculum coniecerit, videndi facultas hebeſcit: ita ſi perturbationum agitatio quid concreti in animam intulerit: intelligendi acies perſtringetur & torpeſcet. Verum de iſtis aliqua ſuperius diſputauimus, atque de ijſdem ſæpius poſtea diſſeremus.

Exod. 32. *Gen. 37.* *Tob. 6.* *Pſal. 16.*

Sicut autem nihil maius vulgatum, nihil ſępius inculcatum à Philoſophis videmus: quam quod animę perturbationes vltra modum progreſſę, obſcuram faciant mentis intelligentiam: quod in Tuſculanicis Cicero, in Ethicis Ariſtoteles non ſemel ingeminarunt: Ita nihil ęque miror, atque cum viderim eos negligentes in exquirenda huiuſce rei ratione. Niſi fortaſsis refugerint in illis cum cõtentione laborare, quorum veritatem ipſa experientia teſtatam & patentem facit. Quam excuſationem ſi oſcitantię ſuę obtenderent: non video quin magna quoque pars Philoſophię ſit negligenda & ſcholis eijcienda: cuius veritatem experientia & ſenſus quoque loquũtur: in quibus tamen contendit ratio altiora principia inueſtigare. Aliud enim eſt ſenſu aliquo effectus exiſtentiam exploratam habere, aliud mentis intelligentia eiuſdem cauſam & origi-

Difficile cauſam dare ob quam perturbatio mentem impediat.

originem complecti. Quare vt expositę difficultatis arcanum recessum aperiamus: & enucleatè omnem eius vim discutiamus: nõ est prętereundum quod à D. Thom. animaduersum cepimus: qui docet duplici quodam assultu turbulentos hosce motus in rationem insurgere. Aliquando enim ita illam effusa caligine coërcent, stringunt, & quasi opprimunt; vt eiusdem nullus plane vsus supersit, aut vim aliquam exerere illi integrum sit: sicut in furiosis amentibus, & in ijs, qui à ratione penitus exciderunt, euenire perspicuum est. Interdum vero se effert perturbatio multo mitior & moderatior, quæ neque tam acris sit, neque adeo turbulenta. Atq; hæc animæ rationisque splendorem omnino non euincit aut superat: quin adhuc exigua luce viam præmonstrare posit, qua virtus insistat: quemadmodũ tenuis aliqua & erratica nubes, quæ solem inuoluere videtur, non ita eiusdem radium penitus intercipit: quin exilis aliquis splẽdor eius effulgeat, & modice ad aspectus nostros deferatur. Atque ex ista mentis obnubilatione, quam sensibus infert exorta aliqua appetitus cupiditas, tametsi voluntas vehementius sit inclinata, & quodammodo depressa ad hoc vel aliud actione electioneque suscipiendum: libera tamen & soluta omnino relinquitur etiam ad oppositum: si illud quoque consequi discupiat. Eapropter meriti atque demeriti (vt loquuntur) moderata hæc affectio appetitus occasionem & materiam non depellit aut exterminat. Non enim is delicti excusationem habebit, qui causatur blandienti nimium cupiditati se animi proposito succubuisse: quandoquidem eiusmodi iniectam illecebram seueriori voluntatis disciplina aspernari potuerit. Quomodo vero immoderatæ istæ perturbationes animam in errores inducũt, D. Thomas istis enarrat. *Passio appetitus sensitiui mouet voluntatem ex ea parte, qua voluntas mouetur ab obiecto: in quantum scilicet homo ita per passionem dispositus iudicat aliquid esse conueniens & bonum, quod extra passionem existens non iudicaret.*

Dupliciter rationem appetitus motus attingunt.

D.Thõ. 1.2. q.77. ar.6. 2.2. q.10. ar.3. q.77. ar.7. q.98. ar.3. q.155. ar.3. q.156. ar.2. q.175. art.2.

D.Thom. 1.2. q.10. art.6.

Veruntamen (quantum ego adsequor) adhuc dilucida ratione ex motu appetitus sensitiui non ostenditur mentem ipsam perturbari, vel ad aliquem errorem detrudi. Nam intellectus facultas est ipsius animæ proprium actum sibi vendicans, ad quem corpus nihil confert. Hunc autem exercet ad modum agentis naturalis: id est seclusa libertate, & alterius imperio. Quo pacto innata sibi luce cuiuscunque demum scientiæ aut artis obiecta percipit, prima elementa & principia, siue ad actionem siue ad contemplationem referantur, clarissime intuetur. Quocirca incursante quacunque demum appetitus perturbatione, vis illa intellectilis, quasi in superiori loco cõstituta, illæsa, integra, incorruptaq; perseuerabit. Neque nociua aliqua qualitas emitti poterit alicunde, qua intellectus inficiatur

ciatur aut debilitetur. Eſt namq; ab omni extranea impreſsione, quę per concreta inferatur, natura ſua prorſus immunis. Quid idcirco illum remoratur, quo minus etiam, in furorem adacto appetitu ſenſitiuo, communia actionum principia percipiat? aut ſi ea percipit, quid illum impediet, quo minus ex illis legitimas conſequutiones deducat, optimeque veritatem deſpiciat; & probe intelligat nefarium eſſe, quod ab appetitu ſuggeritur? Ab hac autem natura perturbationis ſi receſſeris, vt cauſam deliquij in mente exquiras, atque te conferas ad corporis immutationem, quam ſecum perpetuo adfert concitata cupiditas: atque hanc dicas eſſe cauſam, vnde ratio, flagrante æſtu appetitus, impediatur ab aſpectu veri: nihil omnino probabilius præſtitum videbitur. Inficias equidem ire non poſſum, quin ſtrepitus illi perturbationum corpus quoque diuerſimode concitent, & alterationi grauiſsimæ ſubijciant. Exanguis enim timor, ad cordis arcem ſanguinem reuocans, vultus pallore ſignum fugæ demonſtrat: accenſa ira in exteriores partes ſanguinem diffundens, rubeum illud effert vexillum, quo ad dimicandum vis corporea prouocetur. At quid tum poſtea? quaſi vero ſanguinis & ſpirituum varius in corpore & multiplex diſcurſus, animam immaterialem ſubſtantiam, eiuſdemque ſpiritualem intellectum poſsit impetere? Imo ex hoc potius ipſius animę immortalitas & ſingularis eius præſtantia comprobatur: quod deficiente corpore & quantumuis immutato, adhuc vis rationis vigeat & floreat. Sicut ex Cicerone ſuperius retulimus, tunc hominibus vſu venire, vti vel maxime diuina cogitent & eloquantur, cum morbo aliquo corporis partes abſumptæ aut tabefactę fuerint: cum etiam mors ſenſibus iam imminere ceperit. Quę autem maior ipſius corporis permutatio accidere poterit, quam in hoc ſtatu ad interitum properante, & totius ipſius diſſolutione aduentante? nihilominus (vt dixi) tunc quaſi excuſsis compedibus ratio liberior, fugata nebula clarior, abiectis ſordibus defæcatior euadit. Imo in ipſa ſenectute, cum vires corporis prorſus effœtæ extiterint, multumque de illo iuuenili calore defluxerit, ratio haud perit aut langueſcit: ſed tunc magis elucet & ſe oſtendit: Quemadmodum Sophocli ad ſummam ſenectutem Tragœdias facienti (vt ſcribit Cicero) contigiſſe legimus. Is enim quod rem familiarem viſus eſſet negligere, à filijs in iudicium eſt vocatus, quaſi ob deliquium animæ & mẽtis, quod illi attulerat ſenectus, ab adminiſtratione rerum eſſet amouendus. Senex autem vt cauſam ſuam ageret, eam fabulam Oedipi Colinæi iudicibus recitauit: quæſiuitque, num illud carmen deſipientis videretur, quo recitato, ſententia iudicum liberatus eſt. Corporea itaque hæc immutatio nihil officit rationi.

Mutatio corporis non afficit animam.

Cicero de diuinat.

Cice Cat. maior. Hieron. lib. . ep. fam epiſt. 30. & lib. 2. ep. 12.

Quod

Quod autem intulit superius D. Thomas: nimirum proprium esse horum motuum, mentem in iudicium aliquod errori obnoxium impellere: pressius expendendum erit & disquirendum, qualis nam iste error esse poterit: cuius vniuersam rationem si cogitationis ambitu circumscribamus, speculatiuum esse videbimus aut practicum. Quantum autem ad priorem, non videtur aliquis in intellectu defectus cum appetitus efferbuerit, aut voluntas in voluptatem aliquam concesserit. Nam qui delinquit, non iudicat hoc ab ipso susceptum, legitimum esse, aut rationi consentaneum: sic enim ratio omnino extincta potius videretur. Quinimo etiam flagrante delicto, placidum illum virtutis vultum secernit & distinguit ab illo truci aspectu vitiorum: atque ratio bene percipit appetitum id moliri, quod plane distortum est & alienum à vera rectaque rerum æstimatione. Sed neque ad crimen error practicus requiretur. Dæmones etenim, qui diuinæ naturæ amplitudinem superbo ausu exæquare appetierunt, non iudicarunt aliquid in hunc constitutum finem tentandum esse: quandoquidem clare perceperint, illud omnino impossibile esse, cuius illos cœperat desiderium. Quod si concesserimus, perpetuo erroneum iudicium aliquod delicto adhærescere: hoc solum verum esse constabit, quando voluntas (vt loquuntur) aliquid efficaci consilio molitur, nō vero cum ex simplici tantummodo complacentia voluptatem aliquā haurit. Verum si quis asserat iudicium hoc erroneum, illud esse, quo iudicatur aliquid agendum, quod reuera minime deceat: neque tale iudiciū ad peccatum requisitum apparebit. Non enim credibile est Adamum primū parentem ante consensum voluntatis in illicitam pomi comestionē, hoc iudicium elicuisse: sic etenim errori & pœnæ obuius fuisset, nullo dum patrato crimine. Denique hoc iudicium, quo hic & nunc decernitur, hāc vel alteram appetitionem esse suscipiendam, non videbitur à perturbato animo proficisci: eo quod eodem sedato, primo parenti iniectum fuerit: atque ex amore tantum ipsius voluntatis, quiescente sensu, oriri poterit. Ea enim facilius iudicamus aggredienda, quæ voluntati placent, & arrident magis: tametsi appetitus sensitiuus se moderate gesserit. Quod perspicuum est in ijs quæ fiunt non ex aliqua perturbatione, sed ex decreta & obfirmata mentis malitia.

Vtrum perturbatio erroris sit causa

Error speculatiuus & practicus.

Nemo tamen iure communi placito Philosophorum obniti debebit pertinaciter: quin existimandum irritatum appetitum aut iudicium erroneum intellectui inferre, aut alium quemuis defectum. Communis ferme est omnium sensus in vnoquoque delinquente, perturbationis alicuius vi exstimulato, iudicium aliquod practicum inesse, quo ab isto iudicetur: hic & nunc latrocinādum esse, libidini indulgendum, animo obse-

Perturbatio causa est defectus in mente.

quendum, aut quodlibet aliud minus honestum voluptatis ergo fore præstandum: (quid vero ipse de hoc iudicio censeam, libro sequenti dicam apertius.) Aristoteles quidem disputans contra Socratem, probat quemlibet delinquentem in particularem aliquem errorem incidere: tametsi vniuersalis veri, rectam, expressamque notionem habeat: ita vt qui in vniuersum iudicarit non esse luxuriose viuendum, hac peculiari actione, iudicet tamen luxuriandum. Defectus autem iste in mente & ratione, qui à perturbato appetitu originem trahit, vt intelligatur, pendet omnino à qualitate earum partium, quæ animam quasi diuidunt & distinguũt. Duplex itaque illa animę vis & facultas: rationalis nimirum, & sensitiua: ita in communi ipsius animæ basi defixa est: vt huius operatio ab alterius conatu reciproce & mutuo oriatur. Non enim duæ istæ partes penitus repugnantibus feruntur motibus, sicut in æquilibrio fieri animaduertimus: cuius vna lanx, pondere cum fuerit depressa, altera simul sursum attollitur: sed potius in quam partem incumbit & propendet appetitus inferior, in eandem pariter ratio superiorque potestas facilis est & procliuis: tametsi virtute informata, post acriorem luctam & contentionem, alio & retro plane se referat, quam quo primum natiua cupiditate spectabat. Hanc quidem disparium atque in aliquibus repugnantium facultatum mutuam quandam consentionem & conspirationem natura ipsa animis indidit & inseuit: ne penitus illis discrepantibus, agendi vires excitato dissidio distractę & diuulsæ, nihil cum quiete aut pace leniter aggrederentur, sed omnia potius vi & armis turbulente peragerent. Neq; hæc concordia inter naturæ partes omnino ex peccato nobis accessit: Nã si primus Parens, nequaquam diuinam transcurrens legem, peccasset, adhuc virtute magis intenta & acri, voluntas eius in illos labores, studia, & actiones incubuisset: quas sensus maiori quodam amore fuissent complexi: proinde multo vehementius effloridam illam pomi speciem adamauit, quam glandem aut siliquam. Hoc solum ex delicto ipsius nobis mali adcreuit, quod motus appetitus iam sint incitatiores, excussoque rationis freno ferociant quasi, atque facilius mentem in errores impellant, liberius excurrentes. Quare sicuti appetitus sensitiui perturbatio aliqua cum exorta fuerit, statim ac ratio suos radios effundit, sceptrum & diadema ostentat: veluti si domini cuiuspiam vultum agnosceret, dimittit se, & aliquid de illo remittit impetu: Ita è contrario excitata affectione aliqua, ratio sæpissime tanquam benignus princeps, non ita rigide, aspere, & duriter ciuis & vectigalis sui appetentiam aspernatur: quin libẽter etiam de illis cogitet rebus, easque sibi habeat chariores, quas perturbationum aliqua vti pulchriores suauioresq; delegit. Nam vt Christi Domin-

Arist. 10. Ethic.

Duplex animæ facultas in vnum consentit.

Ex peccato quid accessit appetitui.

Ratio propensa in appetitum.

mini verbis dicitur: *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuū.* Quæ vera sunt, nō solum exinde, quod voluntas præcipuo quodam amore ea complecti soleat, quæ sensibus iucundiora reperiuntur: sed etiam quod animæ mentisque agitationes eo celerius ferantur: quo sensus prius sunt ingressi: in illis sæpius & occupatissime versentur, in quibus thesaurum appetitus constituerit. Hæc etenim adeo defixa sunt in nostra intelligentia atque memoria: vti nemini plane adhuc excidisse putarem locum, vbi thesaurū suum obruerat. *Matth. 16.*

Istorum quidem motuum ortus separari aut secerni non potest à notione aliqua in phantasia expressa: in qua veluti in tabella omnium sensibilium iucunditatum formę & imagines exaratæ elucent: ex quarum etiam conspectu, mirifice appetentis vis excitatur. Directa etenim intentaque imaginatio cum fuerit in aliquam illecebram: mens & ratio eam concomitantur, & per Alsinoos hortos ac voluptatum flosculos ex illius ductu spatiantur. Cum autem creuerit excitata aliqua appetitus perturbatio, apprehensiua pariter imaginatio incrementum capit. Ex huius autem augmento, etiam circa eandem rem mens acrior incitatiorque sua euadit intelligentia. Sicut deprehendere solemus in cursu nostri Thamesis Londinensis. In quem cum Oceanus influxerit: tunc ex angusto turgescit, & diluuionē mutorum pinnis minatur: Cum autem idem Oceanus defluxerit, decidit pariter, & elati eius vortices subsidentes, placido quodam motu in proprio decurrunt alueo. Hæc paucis, sed acutissime visus est attigisse Ioannes Scotus hisce verbis: *Tertia positio est, quod voluntate complacente intellectioni: intellectio firmatur & intenditur. Ipsa autem non complacente, vel nolente: infirmatur & remittitur.* Cum enim, inquit, plura actiua, quæ diuersam sortiuntur agendi vim & efficaciam, circa vnum idemque passum operantur: fortius perfectiusque agunt, quam si in variis & disparata conatum aliquem exererent. Itaque duplicem quendam effectum appetitus perturbatio inferre poterit intellectui. Primus est quo ratio efficacius attentiusque illud intuetur & despicit, quod sensus vti iucundum proposuerit. Alter est, qui ex multorum sententia dici poterit falsum, & erroneum iudicium practicum. Ex quo mens secum statuat illud in hac aut altera rerum serie seu ordine esse prosequendum: quod alioquin turpe noscat & auersum à virtute. Si enim vt dixi in eam partem propendeat operatio mentis, in quam vergit appetitus, tunc quo huius motus vehementior & efferacior existit: eo ratio ipsa diligentius in eam rem cogitationem suam conferet, quę sensibus lenocinatur. Vnde proficiscentur quoque incogitantia, indiligentia, & incuria quædam eorū momentorum, quæ virtutem suadent, & à cupiditate mentem auocant.

Quomodo perturbationes rationem impediunt.

Scot. in 2. d. 42. q. 4.

Duplex effectus perturbationis in mente.

cant. Hæc autem ita occupata, studijsque districta, inflammabit voluntatem: eadem concitata vicissim rationi stimulos addet, efficietque vt opera sua ea exquirat media, quæ aptiora sunt ad rei concupitæ indeptionem. Imo nonnunquam importuna appetitus affectio speculatiuo etiam errore mentem imbuet: vt adnotauit D. Ambrosius: *Auaritia* (inquit) *plerumque sensus hebetat humanos, & peruertit opiniones, vt quæstum pietatem putet, & pecuniam quasi mercedem prudentiæ.* Quare siue delictum & peccatum voluntatis, nudam atque simplicem alicuius delectabilis propositionem sequantur in mente, siue iudicium aliquod exigant, quod practicum appelletur: à perturbatione inferioris appetitus, veluti à causa & principio, manare poterint. Multum idcirco opis ponderisque motus huius partis conferunt cum ad agendum, tum etiam cogitandum.

D. Ambr. ep. 44.

Illa quoque corporis efformatio, quæ perturbationi appetitus agnata est, non parum etiam rationi infesta. Rabidi namque & effrenes hi motus non in animam solum, verum etiam in corpus ipsum deseniunt & tyrannidem exercent. Ita D. Ambrosius: *Non solum dum animus exagitatur, amittitur ratio: sed inflāmatur vultus vel iracundia vel libidine, pallescit timore, voluptate se non capit, & nimia gestit lætitia.* Quemadmodum mare procellis inflatum & vorticosum non ita à sole collucet, albescit, aut vibrat, sicut quando conglobatur vndique æqualiter, neque effunditur, neque redundat vnquam, sed complanata superficies eiusdem radijs obiecta, illos placide excipit: Ita corpore in turbulentiam aut furorem adacto, ea vis rationis animique vel etiam pulchritudo haud videntur, quæ eodem sedato & moderatione quadam temperato vigerent. Nam quemadmodum impressio istęc corporea ab ipsa imaginatione proficiscitur & exæstuat: Ita quoque illa ipsa imaginationem constringit, atque fortius in eam illud defigit, cuius causa eiusmodi corporis agitatio suscepta fuerat. Hoc pacto Oratores timore perculsi in ipso orationis limine trepidant plerunque & pallescunt: vt nihil ferme libero ore proloqui possint. Quæ quidem corporis violenta permutatio, si in illis creuerit, stupidos quasi reddet demum, & à mente penitus alienatos. Ex quibus etiam perspicuum fit, quod qui imaginatrice facultate maxime pollent, (vti ab ingenio deberent Poëtæ) non ita felices existant in ipso mentis discursu, neque tam luculenter despiciant quid ex alio sequatur. Nam imaginatio viua & excitata animi apprehensionem ita confirmat, vt iudicio alijsque eiusdem operationibus nullus pene locus concedatur.

Corporis mutatio obnoxia rationi.

D. Ambr. lib. 1. off. cap. 40.

Poëta iudicio non valent.

Cum autem animorum motus sedati fuerint, corporisque feruor abscesserit: tunc mens veluti sol in purissimo cœlo vndique lucis suæ radios spargit vibratque. Atquę earum rerum cogitatio verecundiam & pudorem

rem

rem incutiet: quarum effectores rabidæ perturbationes illæ extitere. Facti & patrati criminis dispudebit plane, & erroris pigebit: queadmodum Aiaci illi martio apud Sophoclem euenisse legimus. Is etenim ex vindictæ acriori appetentia, furore correptus, & impetu quodam istius motus ad insaniam adactus: in media ouium agmina furibundus erupit, ore atque oculis crudelitatem spirans: vbi imbelles trepidantesque pecudes sanguinolenta manu discerpsit, dilaniauit, imo rabido & efferato dente distraxit, ac sic locum ipsum quoquo versus cruore deturpauit: interim apud se hoc æstimás, quod Vlyssem hostem suum vlcisceretur. Verum cum turbo istæc conquieuerat, & nebula mentem inuoluens deciderat, sui compos subinde factus, animaduertit inter cadauera illa se præclarum victorem considere, stragem editam sine victoria, sanguinem absque bello effusum, interfectos non interfici: iram denique in neruum erupisse. Vnde pudore suffusus, imo animo consternatus, hasce voces indignabundus emisit:

Pudor, sedata perturbatione, ex facto exoritur.

Vidin' ferocem illum atque magnanimum virum,
Ad prælia illum bellica imperterritum,
Placidas oues inter sedere strenuum
Manu. Hei mihi, quanto hæc cachinno digna sunt,
Heu turpitudinem (dij boni) in quantam incidi?

Sophoc. in Aiac. flagel.

Ita mentis aciem motus & affectiones solutiores obnubilant, sic à ratione eam deducunt, vt in turpia imo ridicula quædam studia eam deferant: quæque nociua & exitiosa iudicabit aliquis, quamprimum tranquillior sereniorque ab hac tempestatis æstu atque fremitu subductus animus suo proprio fulgore illuxerit. Aptissime etiã Marcus Cicero vim & naturam istorum motuum expressit, cum dicat: *Perturbationes, vt paulo ante diximus, turbidi animorum concitatiq; motus, auersi à ratione, & inimicissimi menti vitæq; tranquillæ.* Ex illa autem, quam appetitus in intellectum potestatem habet, eiusdem dimanat imperium, etiã in voluntatem. Hæc etenim ita à natura ipsa est instituta, vti rationis ductum, & quasi prælatum facem in progressione sua subsequatur. Propterea in illam continuo se dimittit & inclinat partem: quã mens sua luce accuratius collustrat. Hinc cum ex appetitu inferiori, veluti ex lacunoso & paludoso loco impurior halitus erumpens, mentem ipsam appetierit, ac eiusdem intelligentiæ tenebras offuderit, consectarium est, voluntatem quoque titubare, vacillare, in turpia minusq; honesta delectu suo incidere. Efficit quoque interdum perturbatio, vt voluntas propriam & natiuam agendi formam deserens, ea imitetur, quæ naturæ impetu ferũtur. Hoc etenim discrimine voluntas humana à cæteris agentibus secernitur: quod illa liber-

Cicer. quæst. Tusc. 4.

Perturbationis in voluntatem vis.

rime ſeſe moueat, hac aut illac inflectat: Hæc vero quodam naturæ pondere feruntur ad certos decretoſque conatus: quibus abſtinere non poſſunt. At ſi effrænis appetitus motus inſurrexerit, voluntatem omnino præcipitabit ad aliquam temerariam appetentiam, à qua illi integrum nō ſit reſilire; quod tunc ſolum euenire ſolet, quando affectionis importunitate ratio oppreſſa, præuenta, aut omnino eſt extincta.

Quomodo perturbationes libero arbitrio officiunt. *Ariſt. 7. Ethic. cap. 7.* *D. Thom. 1. 2. q. 10. art. 3.*

Vt autem melius perſpiciatur, quomodo perturbationis vis libertati voluntatis inimica ſit: quæ ab Ariſtotele & diuo Thoma hac de re diſputantur, expendenda. Diſtinguunt itaque iſti duplicem quendam impulſum appetitus, vnum dicunt, qui anteuertat voluntatis appetitionem: alteram, qui illam ſubſequatur: priorem libertati voluntatis aliquid ſemper imminuere definiunt, poſteriorem minime. Quo modo Ariſtoteles hoc videtur diſcriminis aſsignare inter incontinentem & intemperantē, quod incontinens leuiori aliqua incitatus perturbatione, eaque deiectus, voluptatem expetat, quam nihilo ſecius probe cognoſcit rationi & virtuti aduerſari: quocirca cito ſe recipit à vitio, & conſilia murat. Intemperans vero furore affectionis percitus, & conſuetudine delinquendi tāquam vinculis conſtrictus, præceps omnino ruit ad illicitas iucunditates: atque difficilius reuocat iſte gradum à vitæ turpitudine. Illa autem perturbatio, quæ hanc ſingularem inſequitur actionem voluntatis, alterius actionis cauſa eſſe poterit, eaque prior; quod manifeſtum eſt in ijs, qui frænum omnino laxarunt appetitui, qui diſciplinis animū non excolunt, neque timore Numinis laſciuientem cupiditatem cohibent. In quibus perturbationes ita ſunt immanes & feroces plane, vt vi quadam deijciant voluntatem ad indecora, factuq; turpia. De quibus hæc diuus Ambroſius: *Perturbata enim mente latius ſe ac longius fundit appetitus, & tanquam efferato impetu fræna rationis non ſuſcipit, nec vlla ſentit aurigæ moderamina, quibus poßit reflecti.* Quæ autem perturbatio appetitus, tanquam effectus aliquis poſterior exiſtit eiuſdem voluntatis motu, libertati eius nihil officit, (vt rectiſsime docet D. Thomas) quod tamen intelligendū erit, quātum ad expreſsionem primordialem operationis liberæ & voluntariæ: non quantum ad eiuſdem propagationem. Nam cum voluntas operari cœperit, ſi illi accedat impetus aliquis affectionis, ex appetitu tali pronior erit ad perſiſtendum in conatu iam incepto, atque exinde aliquid quoq; libertatis ei detrahetur.

D. Ambr. lib. 1. off. cap. 40.

Forma regiminis in vita actionibus.

Quæ hactenus de vi appetitus in intellectum à nobis diſputata ſunt: cum noſtræ naturæ infirmitatem patefaciunt, tum quoque eam deſcribunt regiminis normam, qua hominis vita debet contineri. In ſocietatis ciuilis inſtitutione ea moderationis ſpecies palmaria exiſtimatur, quam

Græci, μοναρχίαν dicunt. A qua cum institutio parum recesserit, imperfectior euadit: maxime si ad populum deuoluatur imperandi modus. Ita à natura ipsa comparatum est, vt in homine vnius rationis legi, aut supremi quasi imperatoris iussui cætera omnia sint subijcienda: cuius ductum sequi debebunt, siue ad receptum tuba canat, siue ad assultum vexillum efferat. Hinc Philosophi rationem mentisque nostræ conspicuam intelligentiam regi compararunt: voluntatem verò illi, qui mandata exequitur; sensus autem & appetitus perturbationes promiscuæ multitudini similes dixerunt. Eapropter sicuti hominum vulgus legitime nunquam imperat: quandoquidem in mille partes affectionibus & iudicijs distractum, eaque de causa nihil stabile aut firmum populus habebit, sed eius fluctuabunt omnia, & in ambiguo versabũtur: Ita quamprimum rabidis istis motibus quis vitę suæ sceptrum tradiderit: in maxima quadam confusione actiones ipsius collocari necesse erit. Nam appetitus hi impetus non minus inter se depugnant, quam cum ratione: Ab vna idcirco ratione morum compositio petenda erit. Proindeque auocanda & secernenda mens ab hisce affectionibus & ægritudinibus appetitus: vt intellectum purum, voluntatem autem fortem & virilem habeamus. Sicut enim Isaac Patriarcha, vt contemplationis puteos haberet limpidos, altius defodit, & omnem abiecit concretionem terrestrem: quos postmodum allophili Philistini iniectis ruderibus impuratos effecerunt: Ita altius nobis terræ gleba proscindenda, moles omnis iniquæ sordidæque perturbatiois abigenda, vti rationis collucentem aquam inueniamus: quæ nobis veras rerum formas visendas referat: Non earum solummodo, quarum species Pegasi vngula in Pernassi vertice aquæ venam aperiens, Musis detexit: sed rerum omnino altissimarum: quæque ipsius cęli abstrusis recessibus includuntur. Rixentur interim quantum velint Philistini, nobis laborantibus repugnent, otium nostrum interpellent, in aciem quotidie contra nos prodeant: tandem puteum illum bene expurgatum habebimus, pro quo nobiscum amplius contendere absistent: illumque appellabimus *Latitudinem*, in cuius circuitu diffusum vigeat rationis imperium. Opus autem interim est contentione animi, labore, vigilijs, disciplinarum perceptionibus, ad hosce pulueres & rudere propulsandos affectionum. *Quomodo enim* (inquit D. Basilius) *amabit is veritatem, qui disciplinis nullam dedit operam, & in tanta carnis mole suam ipsius mentem oppressam tenet?* Si namque otio torpeamus, animam cum Philistinis appetitus perturbationes ruderibus obruent, eiusque lucem extinguent: & in tanta oppresione, sub tanta terræ mole, quid præclari ratio aliquando excogitabit, cum non tam corpus, quam anima lutulenta terra eua-

Tir. Max. serm. 6.
Species reipublicæ in hominis anima.

Gen. 26.
Expurganda mens, vt bene percipiat diuina humanaque.

D. Basil. in Psal. 29.

Psal.29. ra euaſerit: neque puluis huiuſmodi (vt loquitur Pſalmiſta) Deo confiteri poterit. Sed quemadmodum auri maſſa quamdiu terræ adhæret, & in illius meatibus & ſecturis includitur, ſordeſcit plane atque in alienam naturam videtur commigraſſe: extractum vero & eductum, fornacis calor cum illud ſemel purgauerit, natiua ſua reſplendet ſpecie, & iuſto valore potitur: Ita anima immerſa carni, caro videtur: ea nempe quæ carnis ſunt ſapit, & auidiſsime inſectatur. Cæterum ſi faculam illam igneã, Luc.16. quam Chriſtus in terram miſit, aliquando excipiat, liquefactæ protinus & diſſolutæ terreſtres concretiones defluent: ipſa autem anima effulgens admirabilem ſui ſpeciem intuentium oculis inijciet. Recte enim Plato: Plat. in Tim. *Nemo philoſophare poteſt, niſi ſeiungat ſe à corporis affectionibus*. Non enim alia de cauſa Euripus omnis expers fertur nauigationis: niſi quod aduerſis ventis excitati fluctus eius perpetuo concitentur: Ita cum appetitus Euripus æſtuauerit, & oppoſitis motibus in diuerſa impetu quodam diſceſſerit, nullam nauigationem mens exercere poterit, ac proinde nullę ſuppererint artium & virtutum importatæ merces. Non enim importatis Cæſar.6. Com. omnino eſt nobis abſtinendum, quibus prudenter ſatis gentes aliquot etiam lege lata abſtinere voluerunt: ne ipſarum natiua virtus conquiſitis oblectamentis corrumperetur: nobis autem aliter euenit. Hoc enim noſtræ animæ ſolum, quod ſpinas & tribulos effundit, externo indiget ſubſidio, cum diuinæ gratiæ, tum etiam humani conſilij.

De illis incommodis & malis tractatur, quæ hominis intellectũ afficiunt, eiuſque curſum remorantur.

CAPVT XV.

NIhil in ipſo homine cernere licebit, quod animum eius ita ad gloriæ cupiditatem atque præclaram ſui exiſtimationẽ promoueat & exſtimulet, atque mentis intelligentia coruſco ſplendore ſe effundens: cumque inſtar Pauonis depictis illis pennis corpus vndequaque, quaſi circumducti gyri luce & gemmis inuoluerit. Præſertim ſi eiaculatis iſtis radijs, voluntatis feruor Superbia ex opinione cognitionis. & impetus aliquis acceſſerint. Iſtis enim conſpirantibus, veluti quibuſdam alis ſubuecti, pinnacula, montes, ipſoſque nubium vertices, ambitioſius quam par eſt petere ſolemus:

Virgil.6. Eneid. *Præpetibus pennis auſus ſe credere cœlo.*

Quem quidem volatum legũ obiecta ſeueritas, priuati detrimenti ratio-

nes, vi-

nes, vitiorum truces & deformes aspectus sistere interdum aut retardare minime poterunt. Proponendum eapropter oculis tersum & politum aliquod speculum, in quo mentis nostræ obscuras labes, & quasi maculas lunæ, ex vicinitate eius cum terra contractas, ita ex copula animæ cum corpore enatam infectionem contemplemur. Dum enim sic instructi vultus næuos & complicatas rugas despicimus, de forma & specie modice atque non nisi temperate gloriabimur. Cereis plane iuncturis fragiles alas ope Dedalia colligatas cum viderimus, quæ ardēte sole facile liquescant: altiora præcipitia ascensu nostro non quæremus. Quid autem est quod ex mentis intelligentia, veluti ex præclaro aliquo lumine, quispiam se opinione efferens, glorietur? Aspiciamus obsecro circumuolitātes nubeculas, quibus hoc nostrum lumen implicatur. Contemplemur maculas, quibus coruscus ille globus inficitur. Profecto non erit quod sibi amplius quis oblandiens, præclare de se sentiat aut loquatur: si modo intellectui offusas tenebras bene ipse perspectas habuerit.

Insignis illa fuit primorum parentum arrogantia, & non nisi cū stultitia singulari coniuncta nequitia, qua ad sciētiam boni maliq́ue, sed prępostera quadam cupiditate, adspirare voluerunt. In illam idcirco & merito pœnam delinquentes incidere, ex qua intellectus tarditatem & retusam eiusdem aciem postmodum experti sunt: illius etenim vi, modū omnem excedere, & altiora sapere voluerunt. At sicut in nauis celeri cursu ad cautem allisæ, illę præsertim partes dissiliunt comminutæ, quæ cursui vel maxime inseruiunt: Ita in ipsis animus ad peruersum quid delatus, in ipso intellectu perpessus est grauissimum malum: cuius præsertim opera vitę administratio perficitur. Exhinc in Theologicis error, in Physicis tarditas, in ciuilibus stultitia promanarunt. Efflorida quippe illius pomi species animæ oculum fascinauit. Sanguinarius ille latro & prædo nefandus Satan non hoc contentus, quod nos præclaro iustitiæ thesauro, cęterisque virtutum ornamentis & gemmis spoliarit: quin deiectis nobis adhuc vulnera, eaque grauissima, voluit incutere. Nec diuites passus est fore nos, nec de vita securos: diuitias eripuit peccato, vitam ferme plaga extinxit. Prostrati etenim cum simus, bonisque omnibus denudati, erigere nos, hac aut illac ad præsidia exquirenda discurrere non possumus. Exscissis etenim animæ neruis, vires labascunt & deficiunt. Voluntas ex vulnere fragilis & imbecilla, erecta si fuerit, consistere tamen nequit. Neque mens viam aut rationem effugij excogitabit: cui oculus est excussus, & lumē omne errore ferme & inscitia oppressum. Quocirca deprauata vitiataque hæc nostra natura, tanquam infantes cum Moyse paruulo angustis thæcæ limitibus incluso, fluminis cursui commissi, periclitamur.

Ex peccato impedita intelligentia.

Exod. 2.

clitamur. In infantia debilitas, in theca, pice & bitumine illita, ignorantiæ obſcuritas: in flumine concupiſcentiæ inſanus impetus deſignantur. Spem itaque omnẽ in lachrymis & eiulatu habemus: expectantes Pharaonis filiam, Christi eccleſiam ac ſponſam, quæ ripas huiuſce torrentis adeat, noſque excipiat in ſinum ſuum; & myſtica illa aqua, quæ quōdam concreta, poſtmodum in flammam erupit, animos noſtros quaſi luce perfundat: vacillanteſque artus cœleſti quodam robore confirmet.

2. Mach. 2.

Atque vt ab illo detrimento ordiamur, quod intellectus excepit: facile videre eſt quomodo hæc animæ facultas, etiam in meridiana luce cęcutiat: quandoquidem nullius veri propria & genuina notione, vix dum adumbrata potiatur. Quæ ſurſum, quæ deorſum, quæ ante, quæ retro, quæ quaque verſum, quæ vicina aut longe poſita, ſi non penitus à nobis ignorentur, captum noſtrum effugientia: animæ tamen cæcitate in errorem veluti in ſcopulum contemplantes impingimus. De diuinis (vt pauca inferam) quid ſole iſto, ſi naturam eius ſpectemus, magis aſpectabile? cuius munere & effuſione radiorum cætera omnia effulgent & in noſtros oculos ſe inſinuant: nihilominus in hunc intendere non poteſt acies oculi, delatum eius radium non perfert exilis ille humor criſtallinus pupillæ teneritudine incluſus: Ita Deus, qui ſubſtantiæ ſuæ ratione maxime eſt intelligibilis, cum intra entis ipſius analogiam præcipuam partem, vel potius ipſum totum contineat: cuiuſque virtute omnia in lucem emerſerunt, quæ humanæ mentis intelligentia deprehenduntur: in huius tamen conſpectu, (id etiam agnoſcente Ariſtotele) immenſitate & magnitudine obiecti repercuſſus intellectus hæbeſcit, ſicut oculus noctuæ ſolis radijs expoſitus tremet & perſtringitur. Hinc Thales mileſius Deũ eſſe dixit ipſius mundi animam: quæ per omnia effuſa & comeans, alterius rei, veluti materiæ ſubſidium quærat & adminiculum: quo quid abſurdius? Epicurus cum rationes & momenta omnia expendiſſet, atque in vnum contuliſſet, ne ancipiti cura diutius torqueretur, nullum eſſe Deum proclamauit: quo quid tetrius cogitari poterit? Democritus numen faſſus, flammam quandam eſſe voluit, ſeu ſphęram igneam, ignis elemento incluſam: quo quid Deo indignius proferri queat? Anaximander commento ſuo infinitos mundos excogitauit, ex quibus Deum conflatum putauit: quo quid ineptius? Ariſtoteles cum Deum agnoſcat, ſubſtantiam ſeparatam dixit, quæ extimę ſphęræ inſideat: ſed anguſtæ nimis & minute de tanti Numinis maieſtate diſſeruit. Plato autem & Triſmegiſtus, cum à Iudęis multa in Ægypto didiſcerant, diuinius ſunt de ipſo Deo loquuti: parum tamen & modice pro rei veritate & magnitudine. Quamplurimi alij (etiam in claſſe numeroque pręſtantiſsimorum Philo-

Animæ inſcitia in diuinis.

Ariſt. 1. Metap. cap. 1. Cyrill. Alex. li. 1. cont. Iulian.

D. Ambr. lib. 1. off. cap. 13. Greg. Naz. orat. 2. de Theolog.

ſophorum

ſophorum ſemper habiti) cum obtutus direxiſſent in patentem hanc cœlorum faciem tot ſtellis pulcherrime collucentem, lucida illa corpora animis vegetata, & pro numinibus ab homine colẽda exiſtimarunt. A quorum ſenſu non multum eſt abhorrens Cicero: tametſi academicum ſemper agat, & in omnem partem animi pendens ſe verſet: nihil magis diſsimulans, quam quod conſtanter aſſeueranterque definiendum ſit. Cogitate etiam animis abſurdiſsimos ritus colendi numen, tum à Grecis tum à latinis vſurpatos: vtpote auguria, inſpectiones viſcerum, expiationes ſcelerum, ſacrificiorum immanitatem, deorum multitudinem, auium curam & cuſtodiam, effuſam libidinem: & hæc quidem omnia non longe ab inſania, ne dicam ab errore ſeiuncta eſſe dicetis. Admiratio profecto, ſæpius animum meum ſubijt, cum cogitarim de illo rationis & mentis deliquio, quod in hiſce rebus Romanorum ſenſus obtinuerat. Quorum quidem inuicta pectora Martijs furoribus concitata, nullis hoſtium gladijs aut telis ceſſerunt: mentes tamen ipſorum, quæ ſceptrum obtinere deberent, infinitis turpiſsimiſque de ipſo Deo opinionibus ſuccubuerunt: & luxuriante cultus deſiderio, ad abſurda quæque & viliſsima proiectæ extiterunt. Vnde quæ vulgati corporis vtilitatem inter paſtores quærebat, lupa: quod expoſito Romulo vbera præbuiſſet, diuinis eſt affecta honoribus: cuius præſidio & nominis gloria apud illos quoque lupanaria honeſtari cæperunt: imitati in hoc Athenienſium exemplum, qui meretricem quandam Leenam dictam, quod tyrannum occidiſſet: ſub animali ſpecie, cuius nomen gerebat, tanquam Deam in templo collocarũt, & venerati ſunt. Verum & Faulam Herculis ſcortum Romani colere non renuerunt. Floram quoque impudicam proſtibulam, editione ludorum, quæ Floralia appellantur, celebrarunt, & ad ſuperos prodigioſo delirio euexerunt. Atque ne quidpiam demum ipſorum dementiæ deeſſet, Cloacinæ ſimulacrum in cloaca maxima repertum Tacius conſecrauit: & quia cuius eſſet effigies ignoraret, ex loco illi nomen impoſuit. Merito quidem: nam in ſenſus Romanorum totius orbis ſuperſtitio militari gloria permixta, veluti in cloacam rapidiſsimo curſu ſe infudit. Ea propter huiuſmodi elogio illos inſigniuit D. Leo: *Hæc autem ciuitas ignorans ſuæ prouectionis authorem: cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium ſeruiebat erroribus: & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem; quia nullam reſpuebat falſitatem*. Tametſi Auguſtus iniquè ſentiens de Iudæorum ritu, nepotem ſuum Caium laudarit: quod Hieroſolymam inuiſens, in tẽplo illo minime adoraſſet. Omittimus interim Ægyptios, qui idolomaniæ ſtultitia & vecordia ad Apin, Iſin, & Oſcerin, ad Nilum, ad crocodilum, ad felem, & huiuſmodi cultum plane ridiculum deuoluti, nobis

Cicer. lib. 1. de nat. deor.

Abſurda ſacra gentilium.

Romanorum ignoratio in diuinus.

Lactan li. 1. de falſ. relig.

D. Leo ferm. 1. de natal. Apoſt.

Suet in Auguſt.

Ægyptiorum & Græcorũ ſtultitia in diuinis.

quaſi Gorgonis immane & truculentum caput ſpectandum præbuere. Inſignem quoque Græcorum leuitatem præterimus: qui Saturnum, Iouem, Martem, Mercurium, Vulcanum, Venerem, Dianam, pro dijs habuerunt. Quorum deſcriptas hiſtorias retinentes, in quibus ipſorum flagitia, turpitudines, & ſcelera narrabantur: nihilominus iſtis quaſi numinibus ſe dimiſerunt: hoſque ſibi propitios & patronos longiſsimis peregrinationibus, rei familiaris effuſione, corporum maceratione, immo humanis victimis adſciuerunt. Cum enim mens ſemel à vera Dei notitia aberrarit, nullibi firmam aut ſtabilem ſedem inueniens: per maria, per terras, per immenſa illa cœlorum ſpacia euagatur: Omnia ſtudio & labore emetitur, vt numen aliquod tandem inueniat, cui vitam credat. Ipſos etiam angulos fuligine obſitos, vel cloacas colluuie fœdas rimatur: nemorum condenſa, fluminum capita, & fontes, valliũ latentes ſinus, mõtium iuga inquiſitione ſua excutit & perluſtrat. Tandem error omnes animæ cogitationes peruertit, & in tranſuerſum agit. Multo autem craſſior ignorãtiæ nebula illorum animos inceſsit, qui ſemetipſos adhuc ſpirantes in deorum numerum retulerunt: quod fecit Alexander, omneſq; ferme Romanorum Imperatores idem decreuerunt. Inter quos ineptiſſimus Caius, qui certo ritu & ceremonia ſtatuas ſuas coli voluerit, qui Iouis cognomen vſurpauit, demptiſque capitibus Deorum, ipſorum ſimulachris ſuum impoſuit, vt narrat Suetonius. Ex delirio pluſquam inſanus extitit ille Sapor, rex Perſarum: nec quidquam ſapere viſus, qui (vt narrat Marcellinus) literas dedit ad Conſtantium imperatorem, quarum hoc fuit exordium: *Regum Rex Sapor, particeps ſyderum, frater Solis & Lunæ: Conſtantio fratri meo ſalutem plurimam dicit.* In ſimilem quoque dementiã (vt relatum eſt à Maphæo) Indiani ex inſtitutis Brachmãnorum prolapſi ſunt, qui brutis animantibus, vtpote ſimiæ, elephanti, ſacros habuerunt honores, illiſque templa poſuerunt: quæ vel priſcæ vrbis Romæ ædificia ſumptu & amplitudine ſuperarent.

Inſania eorum qui viuentes coli pro dijs voluerunt. Sueton. in calig. cap. 22.

Marcell. in Chron. lib. 30. Maph. lib. 1. hiſt. Ind.

Humana ignorantia in rebus phyſicis.

Quod ſi è ſublimi huius diuinæ naturæ cõtemplatione deſcendere velimus ad eorum inſpectionem, quæ vel ſenſibus ſunt obiecta, vel definitam limitatamque ſui conditionem habent: in horum quoque originibus & progreſsionibus inueſtigandis, Philoſophorum ingenia ſæpius lapſa animaduertemus, & infinitis propemodum erroribus implicata. De mundi iſtius ortu quas opiniones ſuſceperunt, quæ ſententiarum monſtra extulerunt? In quo diſsidentes ipſorum ſenſus & pugnæ palam fecerunt, quam tenuiter rem ipſam pertractarunt: quorum ſinguli haud aliter veritatem ipſam ſunt inſequuti, quam ille, qui faſcia inuolutos habens oculos, palpans & incertis greſsibus vacillans, aurum in tenebris quęritaret.

Mundi ortus.

ret. Ita Empedocles ille Agrigentinus, de mundi propagatione differens, impegit. Duos etenim mundos iste excogitauit, ex quatuor elementis coagmentatos & concretos: quorum vnum amorem & concordiam appellauit, alterum litem & discordiam: hos occidere & interire immensis temporum spatijs, cessare à pugna & contentione, rursusque sopitos reuiuiscere, & vicissitudine quadam vnum ex altero prodire opinatus est. Anaxagoras vix bene expergefactus (vt videtur) confusam quandã massam & indigestam rerum molem diuinatione sua inuexit: quæ infinito tempore delituerat, quousque mundana mens, quam Deum esse arbitratur, ordinem illum & rerum situm, quem nunc videmus, conspicuum induxisset, omniaque affabre efformasset. Plato tametsi mundi ortum in Deum, vti authorem reduxerit: vniuersam nihilominus hanc machinã communi mente vult esse animatam. Aristoteles cum suis Peripateticis, temporaneam mundi natiuitatem peruicaciter negauit, ne opere Numen abstinens, infinitis sæculis otio & desidia torperet: nec quidquã fieri posse existimauit absque præiacentis materiæ adminiculo. Istis accedat Epicurus cum suis volitantibus atomis, quorũ fortuita concursione omnia conflari credidit. De cælorum substantia, eorumq; motu perenni anxie Philosophi disputarunt, & acerrime inter se pugnarũt. Miratus sum Plinium, qui sequutus Platonem, astra terrestri humore nutriri dixit. Sic loquitur: *Sidera haud dubie terreno humore pasci, quia orbi dimidio nonnunquam maculosa cernantur: scilicet, nondum suppetente ad hauriendum vltra iusta vi: maculas ipsorum enim non aliud esse, quam terræ raptas cum humore sordes.* Misera sane videtur mentis nostræ conditio, quæ in tantis ignorantiæ tenebris versatur.

Plat. in Phileb.

Lucret. lib. 1.

Plin. lib. 2. natural. hist.

Verum non solum in illis erramus, quæ extra nos posita sunt, quinimo in explorandis naturæ nostræ principijs nunc hæsitamus, nunc labimur & fallimur. Si quid hæc anima nostra sit inquiramus, illam cordi suffusum sanguinem dicet Empedocles: Zeno ignis particulam, Xenocrates harmoniam, Aristoteles continuatam corporis agitationem, Dicearchus partem cerebri. De cæteris autem rebus quam absurde sint Philosophi commentati, pronunciat Cicero: *Sed nescio quomodo nihil tam absurde dici poterit, quod non dicatur ab aliquo Philosophorum.* Atque ita in sectas abierunt dissidentes, vti insinuet Seneca facilius horologia inter se conuenire, quam Philosophos. Cum autem in vniuersum cuiuslibet substantiæ interius latitantis propria veraque notio mentem nostram effugiat: tum quoque in ipsis sensuum obiectis varia incertaque est nostra inquisitio & altercatio propemodum infinita. Disputatur quomodo fiat visio, vtrum emissione radiorum ex oculo, qui in obiectum incidant: an vero tenuis-

Absurda sententia Philosophorũ de anima.

Cicer. lib. 1. Tuscul.

Cicero lib. 2. de diuinat.

Senec. in lud.

In rebus sensui obiectis nostra inscitia.

ſimæ alicuius qualitatis ſuſceptione, & ab illo vſque ad oculum transfuſæ: quorum vtrumque ſane eſt obſcuriſsimum. Neque ita dubie perplexeque humanus intellectus progreditur in diſquiſitione cuiuſpiam rei, atque dum rationes cauſaſque ipſas ſentiendi explorat. De intelligentijs autem, de natura animæ, de rerum formis & ſubiectis, tenuis & exilis eſt omnis noſtra coniectura. Quis enim eſt, qui plene dilucideque mente percipit, quonam ingreſſu forma ſeu effectus quilibet, cum nihil eius in materia præextiterit, de nouo recens exiliat in lucem, & in gremium quaſi materiæ commigret? Quonam pacto ab agente propagetur, quod cum nullæ mutationi ſit obnoxium, dum molitur aliquid, nec in ſe recipiat quicquam; elicit tamen & excudit id quod fit, & quaſi de nihilo extrudit. Dicant mihi velim quidnam illud ſit, quod denudatum & ſpoliatum omni accidentali affectione: materiam primam appellitant, oſtendantque liberam eſſe & immunem ab omni interitu, ita vt cum lumen extinguitur, fumus diſsipatur, odoramentorum ſuffitus exhauritur: nihil tamen eius intercidat, ſed accidentibus tantum pereuntibus, viduatæ materię particulam aëris forma occupet, & in illam inuolans quaſi prædam eius faciat. Qui ſubtiliori ſunt ingenio explanare vellem eos quonam pacto motus re ipſa & exiſtentia ſecernatur à forma fluente, & quidnam ſit iſte fluxus & deductio, quæ vt modus quidam illam protrahat & extendat: quique iugi & continuato feratur curſu, vt ne tantillo quidem temporis ſolide permaneat: ſed continuo oriatur & occidat: quod de ipſa forma, (cuius modus eſt) opinari non licebit: partes enim caloris vigente alterationis motu non defluunt. Elucident quoque principium & ortum motus: & dicant vtrum incipiat per alium motum, actionemque propriam ab illa diſtinctam, qua forma fit, vel an ſeipſo, nullaque propria molitione exiſtat? Si enim motus per motum fiat, progreſsio erit in infinitum: ſi ſeipſo, hoc idem de forma quoque æſtimabitur. Quod ſi iſte motus ſit res alia à forma, educi debebit ex potentia materiæ, quemadmodum & illa; idque peculiari aliqua actione: effectis etenim iuſte reſpondent effectiones. Porro quid ipſis ſenſibus notum familiarius, quam quod res ſe loco & ſitu moueant? quæ autem illa ſit virtus motrix neruis & corporum iuncturis inſita, cuius nixu grauiſsima quæque impelluntur, non eſt (quantum ego conijcere valeo) tam expeditum & facile cuipiam definire. Dubitari enim poterit, vtrum hæc virtus exiliens & ſe efferens qualitatem aliquam imprimat in corpus, quæ proxima ſit cauſa iſtius motus & concitationis: an vero hæc ipſa virtus ita in omnem partem æqualem habeat vim, vt tametſi res ſit exigua, grauiſsimi nihilominus corporis onus non ſentiens, illud faciat vt ſubſultet, trepudiet,

Modus generationis obſcurus.

Difficile naturam motus concipere.

trepudiet, & euolet. Atque cum aliquid loco mouetur, ſciſcitatur an aliquid diſtinctum à mobile ipſi adueniat, necne: ſi affirmes nouam pariter cum motu eductam eſſe qualitatem aut modum: cur tale quid decernatur peti poterit? Si reſpondeas, vti res quantitate dimenſa ſit alicubi: ad hoc ſatisfacere ipſam molem quantitatis dicam. Quid moror? ipſis ſenſibus nihil magis infixum videtur, quam doloris & voluptatis perceptio: in quibus tamen hæc poſita ſit, mens noſtra adhuc definite non ſtatuit. *Natura voluptatis & doloris obſcura.* Doloris ſenſum & acrimoniam illam definiunt aliqui, nihil eſſe aliud quam inuectam qualitatem, quæ naturæ aduerſetur: iucunditatem quoque qualitatem eſſe naturæ conſentientem ſtatuunt: quod ſi verum ſit, dolor & voluptas non erunt actiones vitales ſenſuum, ſed impreſsiones extraneæ, atque in aduſto digito acrimonia illa nihil erit quam calor in eodem: quod ſi exprimantur actione quadam, tunc eo dolor non erit, quo calorem in carnem ignis infert, ſed eo tantum, quo tactus operatur. Eapropter operatio illa magis erit ſenſui nociua, quam calor: hæc enim ſola lædit & vrit. Ab his autem ſi quis refugiat, aſſeratque dolorem priuationem eſſe debitæ & à natura conſtitutæ têperiei: animus ſane meus non capit, quomodo priuatio ea ratione, qua nihil eſt, ſit verus dolor aut cruciatus. Ad ſenſuum quoque actiones præſtandas, neotericorum ſchola ſpecies quaſdam notionales antiquitus excogitatas, mordicus etiamnũ retinet, quæ effluentes ab obiectis ſenſus feriant, illos excitent, atque ipſam ſenſationem efficiant. *Quæſtio de ſpeciebus intenſionalibus difficilis.* Intellectui quoque eadem de cauſa ſuas ſpecies ſchola adſcripſit. Ipſe ſane mirari ſoleo, cum cogitem vniuerſum hũc aërem ſpirabilem, concurſione, confuſaque coitione diſparium & diſsimilium ſpecierum eſſe repletum: quarum alia aliam nec loco eijciat, nec vim eius extenuet: ſed omnes in anguſtam pupillam incidentes, varias inſpectiones exprimant. Obſcurius quoque erit explicare, quonam artificio intellectus agentis ſeu colluſtratione quadam, craſſæ concreteq; in imaginatione ſeruatæ ſpecies puriores euadant & defecatæ, ita vt inter malleum quaſi, & incudem contuſæ: multo tandem labore ſpeices fiãt intelligibiles & ſpirituales. De qua re nullus hactenus mihi viſus eſt vel probabiliter diſſeruiſſe. Verum neque Metaphyſicorum pedes ab his laqueis penitus ſunt immunes: aut ipſorum oculi à præſtigijs liberi. *Metaphyſica obſcura.* Vniuerſalem quandam confingunt iſti naturam, quæ vna eademque ſit in omnibus, cœlo, terra, inferno ab inuicem ſecluſis: quæ agentium varijs conatibus rapiatur, nunc ab hoc ſingulari, poſtmodum ab alio: ita vt intereũte hoc indiuiduo minime pereat: ſed ruinam mortis præſagio quodam præſentiens, exuuijs alicuius Socratis à tergo relictis, ſe in fugã conijciat. Omitto quod occultas herbarum vires, lapidum & metallorum

proprie-

proprietates, rerũ apathias & ſimpathias multiplices ignoremus: in quorum inquiſitione cum magna & præclara ingenia deſudarint, vix vmbram hactenus tenuerunt veritatis: ſed potius ementita ſpecie deluſa, ſibi ipſis ſapere videntur, alijs deſipere aut delirare. Opera tamen dęmonum arcana multa humanis mentibus patuerunt, & vt ſcribunt Tertullianus & Clemens Alexandrinus, mali genij quamplurima naturæ ſecreta mulieribus propalarunt: quæ præſertim ad earum fucum & ornatum ſpectarent. Conſulto itaque dicere ſolitus eſt Democrates, veritatem in profundo puteo eſſe demerſam. Neque fortaſsis errauit Arceſilaus, qui hoc vnum poſſe ſciri affirmauit: quod nihil plene & perfecte humana valeat intelligentia conſequi. Atque iſtis rationibus D. Baſilius Eunomij hæretici ſuperbum animum compeſcuit: cum enim temerarius ille ſe diuina quæque intelligere profiteretur: ipſum ad formicam tranſmiſit, atq; ſic admonuit: *Qui ſe exiſtentium ſcientiam aſſequutum eſſe gloriatur: exponat nobis, quomodo quod minimum eſt eorum, quæ in lucem prodierunt, naturam habet, & quæ formicæ ſit natura: dicat an ſpiritu vel anhelitu vita ipſius contineatur. An corpus habeat oſsium diſtinctione coniunctum, ac diſcretum: neruiſne ac nodulis cõiuncturarum robarata ſit, an muſculorum & glandularum complexu, neruorum natura vndequaq; cõſeruetur. An per dorſuales nodos ad caudam vſque medulla propagetur. Vtrum ex neruoſæ pelliculæ complexione motis membris ſit progrediendi facultas; habeatne hepar, an ſub hepate ſit flauæ bilis folliculus, vtrum renes habeat, & cor, & arterias, & venas, & membranas, & diaphragmata: nudane ſint, vel crinitæ: an vnius tantum generis, aut multifarijs vtatur pedibus, quamdiu viuat, & quæ ſit illis propagandæ poſteritatis ratio: quotuplo fœtu dum generat fœcũdetur: & quomodo nec pedeſtres ſunt omnes formicæ, nec alatæ omnes, ſed aliæ humi repãt, aliæ per aëra volitent. Dicat itaque nobis formicarum naturam, qui eorum, quæ in natura ſunt, ſcientiam cum faſtu ſe prædicat aſſequutum. Atque ita demum de potentia illa omnem intellectum ſuperante diſputet. Si vero ſcientiam minutiſsimæ formicæ nondum es aſſequutus: naturam quomodo incomprehenſibilem Dei ac potentiam imaginatione tua comprehenſam eſſe gloriaris?* Numero plane ſunt infinita, quæ vim noſtræ mentis excedunt: vtpote Oceani æſtus, Euripi iactationes, terrenę huius molis ſuis libratę ponderibus ſuſpenſio: quam admiratus eſt aliquando D. Chryſoſtomus, & ab homine ſciri poſſe negauit, quęnam ſit ratio eiuſmodi ſitus & poſiturę, aut quomodo circumfluenti aqua partes terrę reſolutę tandem non diſsipentur: quę etiam ſit mollis arenę poteſtas, qua immanes fluctus ita efferati & ſpumantes cõtinentur: ad quã alliſi caſſo opere reſilire coguntur. Admiratur quoq; cur aquę illę, quę iuxta ſcripturæ ſententiã ſupra cœlos ſunt, orbiũ conuexa occupãtes, nõ defluãt: ac ſciſcitatur quidnam eas coërceat aut cõſtringat.

Tertull. lib. de cul. mul. Clem. Alex. 5. ſtrom. Cicer. 3. de orat. D. Baſil. ep. 168. Formica reprimit ſuperbiam Eunomij. D. Chryſ. Homil. 9. ad popul. Gen. 2.

Cæterum

Cæterum vt cœlorum orbes, effusi maris vastissima spacia, concretæ huiusce terræ immensos tractus, sinus, & ambitus relinquamus: eaque solummodo inuestigemus, quæ quotidie in nostras actiones incurrunt: intellectum hominis in istis quoque plurimum cęcutire perspiciemus. Non enim nisi extrema inscitia gentilium animi inuoluti in illa scelera proruperunt, quę describit Apostolus Paulus. Fictitia quippe Numina venerationi suæ obiecerunt, vitæ porro immunditiei traditi, perturbationibus & nefandis cupiditatibus inseruierunt, naturalis propagationis ordinem libidinum insania transilientes, omnemque vitæ humanitatem feritate morum excutientes, Deo odibiles, alijs molesti, sibimet ipsis graues & intolerabiles extiterunt. Satis equidem demirari non possum deprauatę naturę ruinam: cum animo repetam, quidnam olim Gentiles de rebus sacris & diuinis statuerint. Vix mihi credibile videtur in Latio aliquando vixisse Faunum, qui, vt scribit Lactantius, patrem suum Picum & sororem, eandemque coniugem (quam ob crimen ebrietatis ipsemet ad internetionem ferme diuerberarat) in Deorum numerum postmodum retulit. Ludere mihi apparet Suetonius, qui narrat Caium Imperatorem eo insaniæ deuenisse: vti superstes pro Deo etiam Ioue superiori haberi voluerit, & Iudæorum publicis sacris coli: quem quasi in Scenam prodeuntem Deum Herculanum totum theatrum risu excepit: irati tamen Dei furores non euasissent irrisores, nisi iniectis in ora lauri folijs, risum maturo compressissent. Hunc tamen Vitellius non Romanorum Imperator sed Popinarum pręfectus (vt tradit Suetonius) tanquam Deum adorari instituit, eiusque signa, reuersus ex Syria, non aliter adire ausus, quam capite velato, circumuertensque se, deinde procumbens. Alexandrum ne quidē suo bucephalo prudentiorem existimaui, qui (vt memorię prodidit Aulus Gellius) cum hac inscriptione ad matrē Olympiam literas dedit: *Rex Alexander, Iouis Hamonis filius, Olympiadi matri salutem dicit*. Cui Olympias: *Amabo mi fili quiescas: neque deferas me, neque crimine re aduersum Iunonem: malum mihi prorsus illa magnum dabit, cum tu me literis tuis pellicem illi confiteris*. Ineptus Suetonius, qui genios sub specie serpentum cum mulieribus coire existimauit: quod accidisse narrat Olympiæ Alexandri matri, Pomponię Scipionis Africani, Actię Augusti. Grauissimo quodam errore depressos habuerat inscitia Romanorum animos, qui (sicuti relatū est ab Herodiano) certa quadam ceremonia Imperatores suos post ipsorum funera, busta, & cineres, tanquam numina quędam ad superos euexerunt: atque inter alios Claudium Britanicum, qui (vt iocatur Seneca) fungi esu, veneno interliti, diuinitatem est consequutus: in cuius laudem ipse Nero, qui fungum pararat, luculentam ad populum orationem habuit,

Ignorantia morum.

Rom. 1.

Vitia gentilium.

Absurda instituta antiquorum in rebus sacris.

Lactan li. 1. de fals. relig. cap. 22.

Suet. in calig.

Phil. lib. legat. ad Caium.

Suet. in vitell. cap. 2.

Gell. lib. 23. cap. 4.

Trog. lib. 11.

Suet. in August.

Herodian. lib. 4.

Sen. in lusu.

T buit,

Tacit. lib. 13. Annal. buit, in qua omnes viri complexus est virtutes; de illa hęc Tacitus: *Postquam ad prouidentiam sapientiamq́; flexit, nemo risui temperare potuit: quanquã oratio à Seneca composita multum cultus præferret.* Nedum homines mihi videntur Romani, qui Augusti animam in lucidam stellam cõmigrasse crediderunt. Et Augustus sensibus angustis prędirus videtur, qui (vt scribit *Suet. in August.* Suetonius) dirum quid ratus est, si mane sibi calceus perperam ac sinister pro dextro induceretur. Turpissime errauit Senatus vniuersus, qui impudicam Faustinam inter diuas retulerat: cuius sententiam grauissime accepit Marcus Antonius, quem vitia Faustinę non latebant. Philosophorum & Oratorum quoque collucens gemma cũ splendore substantiam quoque humani cerebri perdidisse à me iudicatur: cum hæc de *Cicer li. 1. de nat. Deorum.* diuorum proferat consecratione: *Suscepit autem vita hominum consuetudoq́; communis, vt beneficij excellentes viros in cœlum fama ac voluntate tolleret: hinc* *Liu decad. 1. lib. 1.* *Hercules, hinc Castor, hinc Pollux, hinc Esculapius, hinc Liber.* Audire pudet Liuium, ipsum etiam Ciceronem, qui cuiuslibet cladis grauioris Romanis *Cicer li. 1. de diuinat.* ab exteris inflictæ, neglecto cultui auium, vti veris caussis passim attribuunt. Quod si in ipsa Roma, orbis oculo, hominumq; communi luce, tantæ tenebræ extiterunt, quid putandum de Squadis, Pannis, Hunnis, Allemannis, Trogloditis, alijsque efferatis populis? quæ monstra coluisse eos, quas sententias animis imbibisse credibile? Sane illa færitas, qua humana hostia Deos placare voluerunt, indicio est corruptæ deprauatæque admodum mentis. *Humana victima à priscis vsurpata.* Hinc Græci Chalcantis oraculo admoniti, putarunt virginem Iphiginiam Dianæ immolandam, vt ipsis nauigatio felicior inde eueniret: in cuius etiam necem Agamemnon virginis parens *Euripid. Iphig.* consenserat. *Tantum religio potuit suadere malorum.* *Lucret. lib. 1.*

Salaminæ in Cypro hominum mactatione summi Iouis gratia conciliatur. Apud Tauros ex lege inoleuerat Dianæ hospites immolare. Galli *Lactant. lib. 1. cap. 21.* Esum atque Tentalem humano cruore placarunt. Saturnus in Latio, huius generis sacrificio etiam cultus est: non quidem vt homo ad aram immolaretur: sed vti in Tyberim de ponte Miluio mitteretur. Carthaginẽses Saturno humanis hostijs litare assueti: qui cum ab Agathocle Siculorum rege deuicti essent: iratum sibi Deum putantes, ad expiandum scelus, ducentos nobilium filios sacrificij immanitate absumpserunt. Hu- *Tacit. lib. 14.* iusmodi quoque nefarium ritum in Mona insula, quæ nunc Anglo paret, viguisse scribit Tacitus. Narrat quoque Trogus, Gallos in Gręcia conse- *Trog. lib. 26.* dentes, bellum auspicaturos: suorum cędé Deorum minas expiasse: imo coniuges liberosq; trucidasse, auspicia belli à parricidio incipiẽtes. Clau- *Suet. in Claud. cap. 25.* dius vero, qui melius de rebus sacris sentire visus est, Druidarum religionem apud Gallos, vti ritum diræ immanitatis, ciuibus interdixit: hic tamen

men

men stellam crinitam conspiciens, huiusmodi ostentum illustrium cęde & sanguine expiandum procurandumque curauit. Et tametsi apud Romanos humana victima in more posita non fuerit: nihilominus ingruẽte in illos magna aliqua calamitate, ad placandos Deos illam sæpius vsurparunt. Hinc vt narrat Liuius, Gallus & Galla, Græcus & Gręca in foro Boario sub terra viui dimissi sunt in locum saxo conseptum. Piget recẽsere alias ipsorum obscœnitates, quæ fidem superant: & memoratu sunt incredibiles. Huiusmodi fuêre publica illa sacra, vtpote matris Deûm, in quibus (vt refert Lactantius) homines suis virilibus litabant: Virtutis etiam, quam Bellonam vocabant, in quibus sacerdotes nõ alieno, sed suo cruore sacrificarunt: sectis namque humeris & vtraque manų districtos gladios tenentes currunt, efferantur, & insaniunt. Pudicitia me reprimit, nec patitur Dianæ sacra & Priapi commemorare: ridiculę illę fœdęque denudatorum corporum gesticulationes, atque libidinum furiæ castorum oculis obuersari non debent. In quibus perpetrandis dementali illi nec erubuerunt quidem, neque sceleris atrocitatem & deformitatem agnouerunt: quandoquidem in belluinam quandam naturam impuritate vitæ transierant.

Liu. lib. 2. decad. 3.

Lactant. li. 1. cap. 21.

Ab istis vero si ad ciuiles & politicas institutiones transeamus, quibus hominum societas conseruatur: non minorem in illis humanæ intelligentiæ tarditatem, quam in alijs deprehendemus. Hæc autem disciplina triplici præsertim regiminis specie continetur: Monarchiæ, Aristocratiæ, & Democratiæ, legibusque hinc profectis. Atque vt de legibus primum dicam: hoc mihi vel maximum inscitiæ nostræ argumentum semper visum est: quod nulla hactenus legum strue & congesta mole stabiliri aut firmari potuerint inter homines pax, æquitas, dictorum factorumque constantia. Sub singulis ferme principibus nouæ leges conduntur indies: antiquiores abolentur: & in omnibus ferme locis consuetudines legum modo authoritatem perfregerunt: In quibus quæritur non tam quid dicat Iustinianus, quam quid mores tacitusque populi consensus tulerunt. De sensu autem atque legum sententia, (Deus bone) quæ altercationes, quæ rixæ excitantur? vtrimque leges aduersa acie subsellia obsident iudicij: expositiones legum vtrimque à causidicis adferuntur. Pleræque leges ambiguo quodam circuitu quod iustum est, implicant potius, quam explicant. Ea propter nonnulli leges exterminandas eliminandasque censuerunt: litesque omnes æqui bonique viri dictis expendendas & trutinandas. Quibus reclamant alij, & obsistunt: affirmantes tunc florentissimam remp. euadere, quando lex non princeps dominatur: quandoquidem princeps iræ alijsque animi perturbationibus subiaceat, lex

In ciuilibus humana ignorantia.

Legum inconstantia.

Sines. de honest. discip.

vero eadem ſemper ſit conſtans ſibique ſimilis, quapropter cum Philippus Macedo iniquam quandam tuliſſet ſententiam: is à quo res fuit abiudicata, ſe appellationis ius poſtulare dixit: cui Philippus, apud quem hác tuam querelam deponere ſtatuis? apud teipſum ô Imperator reſpondit, ſed non iratum, iam enim ira percitus mihi videris. Monarchiam vero, in qua præſtantiſsimam reip. formam elucere comunis ſententia iudicauit: non pauci neque ignobiles politici grauiter incuſant. Imo potius vti turbulentiæ & ſeditionum ac tyrannidis cauſam execrantur. Vſu enim rerum iam obſeruatum eſt, principes ex imperio ſupra modum inſoleſcere, atque deteriores plerumque euadere. Quorum liberi peſsimis (vt fit) ex peccandi licentia moribus imbuuntur: eſt idcirco huiuſmodi ſtatus crudo dominandi generi valde obnoxius: niſi qui principatum obtinuerit, omnibus plane virtutibus ſit ad amuſsim excultus. Quod autem attinet ad regimen optimatum, certum eſt apud hos partium ſtudia ſemper calere, vnoquoque inquirente qua poſsit ad rerum ſummum adſpirare. Denique imperium Ariſtocraticum, quod concitatæ & promiſcuæ multitudini committitur, turbulentum eſt omnino & varium, ac identidem mutationi obiectum. Ita obſcurum eſt definire, quænam gubernationis forma aptius hominum ſocietati conueniat. Hinc in politicis, qui prudentiſsimi olim iudicati fuerint inter cæteros, non niſi ex inſcitia mentiſque defectu in tetros quoſdam errores ſunt prolapſi. Draco, qui leges Athenienſibus tulit, ita ſeuerè in delinquentes animaduertit, vti leges ipſius ſanguine exaratas homines dicerent: tacitoque Athenienſium conſenſu poſtmodum fuerunt oblitteratæ. Apud veteres Ægyptios, ad exercendas ipſorum vires & calliditates euocandas, furta omnia licita & impunita prorupere. Qui mos etiam in Germania aliquando inualuerat, vt ſcribit Cæſar. Lacedæmonij etiam impunè incubuerunt latrocinijs. Quid? an non Plato quoque tantus Philoſophus turpiter lapſus eſt in politicis? qui certis anni temporibus promiſcuos concubitus ciuibus indulſit: compotationes vſque ad ebrietatem fœdiſsimaſque voluptates cōceſsit? Tetra & immanis prorſus videtur policia illa, quam vel introduxit, vel lege & conſuetudine ſtabiliuit Cæſar: qui (vt narrat Suetonius) infandum illud gladiatorium munus cæteris ritibus adiecit: in quo nudati mutuis ictibus ſeſe inuicem miſertime cōfoderent: ac qui aderant, ex crudeli ſpectaculo voluptatem oculis haurirent: de quo hæc diuus Cyprianus: *Paratur gladiatorius ludus, vt libidinem crudelium luminum ſanguis oblectet. Homo occiditur in hominis voluptatem: & vt quis poſſet occidere, peritia eſt, vſus eſt, ars eſt. Scelus non tantum quæritur, ſed docetur.* Iulius Capitolinus munus dari gladiatorium putauit, vt litato ſanguine fortunam ſatia-

Imperfectiones ſtatuum. Suet. in Auguſt. Flau. vopiſ. in veſpaſ.

Errores antiquorum politicorum.

Cæſar lib. 3. de bello Gall. Plato de repub.

Suet. Cæſar.

D. Cypr. ep. 1.

ſatiarent Romanorum duces. Alij vero eo ex fine conceſſum arbitrati ſunt, vt deinceps confligentes, vulnera aut ſanguinis effluxum non extimeſcerent. Merito tamen hanc immanitatem edicto ſuo Iuſtinianus Chriſti emollitus diſciplinis orbe vrbeque exegit. *Iuſtin. lib. 11. codic.*

Demus autem in prædictis diſciplinis progreſſus aliquos fieri poſſe, & ad mediocrem quendam gradum humanam mentem conſcendiſſe: non tamen abſque ſummis laboribus, vigilijs animi, corporiſque acerrimis contentionibus id perficitur quantulumcunque demum erit. Imo quod apud diuum Hieronymum deplorauit Themiſtocles, tunc moriendum eſt, quando aliquid ſapere incipimus. Quæ merx ergo ſtudiorum? deuaſtatum corpus, curua ſenectus, & funus. Ars longa, vita breuis, vt de medicinæ peritia pronunciauit Galenus. Neſcio porro quamnam ſecum adferat triſtitiam ſcientia, vt enim loquitur Scriptura: *Qui addit ad ſcientiam, addit ad dolorem.* In luce etenim ſcientiarum rerum vanitates, noſtræque naturæ multiplices miſeriæ patefiunt; quorum aſpectus doloris ſenſum pectoribus noſtris incutit. Vnde Sophocles non tam vere, quam ad retundendam ſuperbiam noſtram apte: *Vitæ ratio non permittit ſcientiam noſtram eſſe magnam. D. Hier. ep. ad Heliod. Scientia Triſtis. Eccleſiaſt. 1.*

Nihil ſapere vitam facit ſuauiſsimam,
Nam non ſapere doloris eſt expers malum. *Sophoc. in Elect.*

Iſtis quibus mens humana grauiſsime conflictatur malis, accedunt in omnibus ferme ſtudijs eiuſdem mobilitas & inconſtantia. Vnde non ſolum languide & quaſi fracta ad operandum prodit: verum etiam lubrice vacillat & fluctuat, huc illucque multiplici obiectorum incurſione, veluti eliſis fluctibus impellitur: adeo vt firmum alicuius rei aſpectum diu tenere non poſsit. Quæ etenim lubenti animo, emiſsis etiam votis cupimus in noſtris ſenſibus habere defixa: ea cito nobis eripiuntur. Ad alia ſubitaneo quodam motu omnis noſtra rapitur cogitatio. Animique decreta intentio extranea impreſsione in tranſuorſum agitur ſæpiſsime. Quæ etiã vtpote impura, ab hoc noſtro rationis ſpeculo abiecerimus, & indigna plane iudicauerimus, quæ in animæ receſſum notione aliqua admittantur: iterum ea nobis nolentibus, & in contrarium remis omnibus laborantibus, adueniunt, recurrunt exploſa, eiectaque ſedes ſuas repetunt antiquas. Ita qui diuinorum contemplationi vacat, ſummo ſtudio diſtineri ſolet, quo arceantur turpia aut ludicra: ne in ipſius ſenſus ſpeciem aliquam ſuæ ingerant fœditatis. Neque minus negotij hæc illi faceſſunt, quam olim Abrahamo alites, in quibus fugandis, ne hoſtiarum partes morſu aut afflatu corrumperent, multum laboris Patriarcha poſuerat. De quo grauiſsimo malo conqueritur regius Pſaltes, quando dicit animam ipſius impletam eſſe illuſionibus. In quem locum ita pulcher- *Mentis inconſtantia. Gen. 15. Pſal. 37.*

D. Aug. Psal. 37. rime D. Augustinus: *A facie ipsarum illusionum aliquando vix orare permittimur, de corporibus cogitare non nouimus, nisi imagines & sæpe irruant, quas nō quærimus, & volumus ex hac in hanc ire, & ab illa in illam transire, & aliquando vis redire ad id, quod cogitabas, & dimittere vnde cogitas: & aliud tibi occurrit: vis recordari quod oblitus eras, & non tibi venit in mentem: nam venit potius aliud, quod nolebas. Vbi erat quod oblitus eras, & quare postea venit in mentem, cum iam non quæreretur: cum autem quæreretur, occurrerunt pro illo innumerabilia, quæ non quærebantur?* Ex quibus constat, quam lubrica & fragilis sit humanæ vitæ deductio. Quidquid enim spheræ imposueris, facile dilabitur: quādoquidem fundamento motabili subnitatur. Ita basis & principium omnis nostræ molitionis cum sit animæ intelligentia, si hæc firma non fuerit, neque præceptis disciplinæ solide instituta; actiones quæ ex illa proficiscuntur, erunt variæ, incertæ, atque inconstantes.

Quanta sit voluntatis humanæ infirmitas, & qualis eius propēsio in ea, quæ auersa sunt à mente & ratione recta.

CAPVT XVI.



ITA ab ipsa natura comparatum videmus: vti inter animę facultates, quibus ipsa ad sua exequenda munera instruitur: medium quendam locum & quasi centrum teneat voluntas: cuius interiectu, ratio & appetitus, quæ extrema sunt, contermina & cohęrentia euadunt. Voluntatis quippe est rationis voci vtpote superioris imperio obedire: ad eandem quoque spectat appetitus insanas rabidasque motiones coërcere & comprimere. Atque hoc pacto serui & domini cōditionem in se vnitim complectitur: quæ si aliquando legitime officio suo defuncta: nec insolentia aliqua rationis sceptro obsistat: neque dimissa perturbationum æstui & furori succumbat: felicissimę vitę effectrix, admirandæque pulchritudinis opifex florebit. Verum cum ignorantię tenebræ rationis oculum superius infuscarint, inferius autem reuulsis naturę repagulis, immoderatas vires, turbulentę affectiones acquisierint; fit, vt voluntas plerunque rationis sententiam non percipiat; cuius pręsidijs destituta, violentius postea turbulentis appetitus motibus concutitur. At serie quadam rectoque ordine facultatis istius aduersa omnia & mala explicabimus.

Voluntas in anima medio.

Imprimis ita fractam & ferme succisam experimur voluntatem: vti in progressu eius ad virtutes, omnes plane gradus difficillimos habeamus:

mus: veluti si post grauissimum vulnus tibiæ inflictum, quod vix dum sanatum est, pedem ad corporis sustentaculum in terram defigeremus. Vnde totum hoc iter virtutis, quo incedendum est, sentibus obsitum horret, lapidum mole obstructum, timorem & diffidentiam incutit. Atque nisi resilire velimus, ceptisque absistere, æstuandum erit, plorandum, eiulandum, nonnunquam etiam elicitus sanguis semitas quas terimus cruentabit. Omnis etenim virtutis operatio aut Benoni est, doloris filius, aut Gersa, qui parentem suum Moysen acutissima petra circumcisus, dum sanguis difflueret, à nece liberauit. Bruta auté animantia, quorum conditio hac ex parte potior videtur, ad præfinitos suos fines certis quibusdam impressis formis destinantur: ita vt facile solius naturæ ductu, quod illis optimum & præstantissimum est, consequantur. Quo pacto etiam cœlorum orbes absque defatigatione perenni cursu mouentur: planetæ inexhaustas vires continuo effundunt sine fastidio in hæc inferiora: terra quiescit, fructusque emittit suos: nec aliquando molestia afficitur: intelligentiæ contemplationi vacantes, nullo errore detinentur, celerrime ad fines terrarum discurrunt, neque languent vnquam; virtutis amore flagrant, & dulci quodam eius ardent incendio: interim aliarum rerum quoque desiderio excitari, bellum non sentiunt intestinum. Solus autem homo, nisi velit à seipso desciscere, & in belluæ alicuius transire naturam: dum in officium suum intendit, infinitis propemodum difficultatibus vrgetur:

Voluntatis progressio ad virtutes, difficilis.

Gen. 30. Exod. 4.

Quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra?
Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque, nec auras
Respiciunt clausi tenebris & corpore cæco.

Virgil. Enead. 6.

Olim fragrantes rosæ absque spinis crescentes, suauissimos odores naribus efflarunt: quando nimirum natura nostra iustitiæ integritate conspicua effulsit: cum autem crimen in illam inuasisset: rosis spinæ agnatæ esse ceperunt. Ita virtutum operatio aliquando extitit facillima, quando nimirum primi parentes diuinis legibus obsequuti, in illo deliciarum loco spatiebátur. Verum ipsis sua illinc culpa deiectis, nobis languor, virtuti spinæ & aculei accesserunt. Neque solum difficilis euasit modo honesta institutio ex peruersitate appetitus propendentis in illecebram voluptatis: verum etiam ex malis quibusdam externis, quæ vitæ honestatem insequuntur. Fortunæ etenim aduersitates & pessimorum fulmina eos passim feriunt, qui repudiatis vitijs virtuti conatus suos consecrarũt. Causam vero ob quam volũtati ita infestus euaserit appetitus, istis enarrat D. Augustinus: *Quia superiorem dominum suo arbitrio deseruerit, inferiorẽ famulum*

D. August. Psal. 61.

famulum ad suum arbitrium non tenebat, nec omnino habeat subditam carnem, sicut semper habere potuisset, si Deo ipsa subdita mansisset. Vnde quod voluntas inter rationem sensumque media diuersis motibus agitetur, nunc hac nunc illac rapiatur, appositè Ægyptij hominem similem dixerunt equo marino. Quemadmodum enim equus iste partim in terris, partim vero in aquis vitam degit: ita voluntas nunc rationi obsequuta, nūc sensui, diuersam quasi naturæ speciem effingit: cuius volubilem instabilemque cursum ita describit D. Ambrosius: *Hæc itaque voluntas vaga, incerta, instabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus cœca, in honoribus tumida, curis anxia, suspicionibus inquieta, gloriæ quam virtutis auidior: famæ quam conscientiæ diligentior: & per omnem sui experientiam miserior fruendo his, quæ concupierit, quam carendo. Nihil in suis habet viribus, nisi periculi facilitatem: quoniam voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili voluntate regitur: tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni.* Hinc Musarum domicilium in montis culmine collocatur: sublimis quoque certantium Olympus: eo quod ab homine præstanda, ardua sint, segnibus inaccessa, difficultate vndique obsessa. Sicut enim obscura nocte, marique furente, vnicuique nauiganti facile non est ad optatum portum firmum tenere cursum: sed illi solum, qui nauigandi arte pollet: ita quoque in hac naturæ nostræ grauissima perturbatione, in qua lumen error extinxit, malaciam cupiditas expulit, cuiusuis non est virtutis mediocritatem animo designare, aut ad illam, cum eam excogitarit, voluntatis conatum dirigere, & quasi sagittans collimare. Vnde factum est, vti (antiquitas illa adeo inculta, ferrea, vitijsque turpissime defœdata extiterit, Qui Imperatorum Romanorum vitas, resque ab ipsis gestas, conscriptis historijs posteritati tradiderunt, quas cloacas fœdissimorum vitiorum libidinū immanitatumq; aperuerunt? Pudet huc referre Tyberiū, Neronē, Heliogabalum, qui masculis nupserunt. Non hic aqua mulsa modice acore infecta, vt quidam disseruit, sed acetum, fęx, limus vndique exundans turpitudo. Omitto etiam sordida nefandaque sacra Cereris Venerisque. Recte itaque Aristoteles: *Quocirca etiam difficile & operosum est, virtute esse præditum: magni enim negotij est, in vnaquaque re medium consequi: vt circuli punctum medium inuenire, non cuiuslibet, sed scientis & intelligentis est.*

Homo similis equo marino.

D. Ambr. lib. 5. de vocat. gēt. cap. 2.

Lipsius in admirād. Arist. 2. Eth. cap. 9.

Cum etiam voluntas deprauatæ naturæ cupiditate contētiose aliquid prosequuta fuerit, vanissimum leuissimumque id omne dignoscitur, cuius tenetur desiderio. Vanum etenim illud merito censebitur, quod celeri cursu transit, nihilque in se solidi expresique boni continet. Quo pacto vani dicuntur colores illi, quibus vernali tempore luxuriantia lætaque pinguntur prata: quandoquidem solaris æstus breui egregias illas formas

Voluntas subiecta vanitati.

formas sit depasturus. Quid dicam de nominis fama & splendore, ad quæ tam acri studio omnes ferme contendunt? Non errarem profecto, si illos qui hæc totis animis discupiunt, similes dicerem alitibus ad depictas à Zeuxe vuas conuolantibus. Nihil etenim aliud moliuntur fastuosi, quam vmbram consectari, quæ fugax est & labilis. Si enim popularem hanc auram cum illis virtutibus contendere velimus, quæ æternitatem exęquant: hæc sui venditatio & honoris studium, fluxa, ipsisque erraticis nubibus incertiora videbuntur. Quemadmodum enim sol accessu suo terræ particulam hanc illustrans, quasi auream facit, eandemque discessu subinde opacat obscuratque: ita quos vulgi sententia nobilitauit, eosdem postmodum breui interiecta morula, infamię caligine infuscabit. Et quomodo id vanissimum iure non censendum, quod vitæ huius periodo & spirationum definita reciprocatione terminatur? Cũ etenim excisæ fuerint proceræ arbores, virens illa ramorum venustas emoritur: ita cum fatum hos, quos purpura fulgere videmus, tanquam robora quędam & cedros demetierit, & aureę pecudi neruos succiderit: Honor, gloria, fama, applausus, inflati vteres, bullæque abscedent; & cum ipso extremo halitu in auras abibunt. Quid voluptas? discurrens vmbra, illusio phantasmatis. Quid corporis venustas? parieti inductus color, tenui pluuia eliquandus. Quid oris facundia? aëris modulatio, & illicium sermone vigens, silentio euanescens. Quid fortunæ magnitudo? momentanea istius in rota veluti partis suspensio? de quibus hæc D. Basilius: *Etenim iuuenta vernis floribus citius defluit, & corporis venustas aut morbo aut tempore flaccescit: diuitiæ sunt incertæ, honoris splendor facile immutatur, artium studia & labores vita cum hoc tempore finiuntur: quin & ipsa elegantia, cuius studio passim omnes tenentur, gratiam habet, sed solo aurium iudicio, & illici iucunditate.* Quã etiam rerum humanarum vicissitudinem istis fatetur Sophocles:

Vanitas honoris.

Voluptatis vanitas.

D. Basil. ep. 42.

Fortuna namque erigit, & eadem deprimit,
Felicem & infelicem: & augur nullus est,
Qui fata præsciat mortalium.

Sophoc. in Antig.

Ex quibus liquet voluntatis nostræ conatus in vanitatem plerumq; incumbere, eisque studijs operam nauare, quæ cito eam deserunt, bonisque omnibus spoliatam tandem relinquent.

Verum neque æstus nostrarum cupiditatum curis aculeatis prorsus vacat. Nam voluptas siue ad nos appulerit, siue expetita aufugerit, solicitudinem & doloris sensum secum continuo adducit. Cum enim cuiuspiã rei appetitus vehementior animum cœperit: si ad illius consequutionem vires tuæ infirmæ sint & debiles; neque votis respondeant: non erit quod exspectas alium carnificem præter amorem tuum, qui te misere diuexat.

Voluptas acerbitate plena.

amor etenim iſte optatis deſtitutus, quaſi efferatus, & in furorẽ adactus, affectum ſuccenſis tædis inflammat, mẽtem perpetua agitatione fatigat, corpus exurit & exhaurit: omnia ſuſque deque inuertit. Sin vero quod exoptas tibi affluxerit: ſi in complexus & pectus tuum ſe infuderit: noli adhuc exiſtimare te curam omnẽ & acerbitatem effugiſſe: ſpinas etenim cũ roſis manu arctius ſtringis: hamum eſca implexum, deuoraſti: neque tanta voluptas animum tuum capiet, quod præſentibus fruaris bonis: quanta amaritudo ex timore ea amittendi te affliget & cruciabitur. Quid
3.*Reg*.21. obſecro regi Achab aliquando defuit, cui diuitiarum cumuli adfuerunt? Hæc tamen ipſa tanta eius opulentia in extremos miſerum coniecit dolores: atque ita confregit, vt pedibus cõſiſtere non potuerit, vel vxorem, liberos, aut amicos vllo cum voluptatis ſenſu intueri: ſed (vt inquit Scriptura) faciem ſuam parieti obuertens, inſanæ perturbationis morſum & tyrannidem paſſus eſt; & illi cor guttatim contabuit, quaſi in aquam in-
Cyp. ep.1. dideris ſalem. De huiuſmodi diuite hæc Diuus Cyprianus: *Non cibus ſecuro, ſomnúsve contingit, ſuſpirat ille in conuiuio, bibat licet in gemma: & cum epulis marcidum corpus, torus mollior alto ſinu condiderit, vigilat in pluma, nec intelligit miſer, ſibi eſſe ſupplicia, auro ſe alligatum teneri: & poßideri magis, quam poßidere diuitias atque opes*. Sed neque voluptatum lenocinia omni prorſus moleſtia deſtituuntur. Recte enim Socrates dicere ſolitus eſt, voluptis pediſſequas, dolorem eſſe & pœnitudinem. Quis demum eſt tam ferrei pectoris, qui cum contra Dei & naturæ præceptum delicijs indulſerit, lancinatæ conſcientiæ acerbitatem nõ perfert: neque inde triſtatur, quod ad turpitudinem ſua conſilia dimiſerit: animum autem auerterit ab ijs præclaris ſtudijs, quæ hominem decent, ipſumque excolerent & illuſtrarent? Quid plura? omnia quæ cupiditati noſtræ obuerſa ſunt, cum difficultate acquiruntur, cum ſollicitudine conſeruantur, & cum dolore a-
D.Baſil. ep.42. mittuntur. Vt enim inquit D. Baſilius: *Oblectatio corporeæ voluptatis plus doloris habet, quam iucunditatis: nuptiæ enim ſæpe ſteriles ſunt, viduitates continent: agricultura ſterilitatem, mercatura naufragium, diuitiæ inſidias patiuntur. Sed & delitiæ, & ſatietates, & continens voluptatis fruitio, multos ac varios ſecum trahunt morbos ac affectionum varia genera*. Summa idcirco eſt noſtrę volũtatis infelicitas, huiuſmodi moleſtijs cum ſitiente Tantalo, aut Siſipho per decliuia voluente ſaxum, tangi & cruciari. Quod genus mali in hominem incurſat, ſiue is concupitis fruatur, ſiue deſiderio ſolum eorundẽ teneatur. Imo hominum maior pars, qui fræna cupiditati laxant, nunquam plene optata conſequuntur: à quibus currentibus & anhelantibus non aliter reſiliunt voluptates, & honores expetiti, quam corporis vmbra illum fugit, qui eam inſequitur. Quocirca ſi omnes ſinus, arcana, & compli-

complicati animorum ſenſus panderentur, præcipuas in illis partes dolorem & triſtitiam obtinere videremus. Hinc alius in alium hoſtiliter inuadit, ſpe illectus prædæ: fruſtratus autem quaſi ægritudine victus, dãno impatiens ſuccumbit. Miles cogitatione ſua trophæa depingens, glãde aut cuſpide traiectus concidit. Cum ad honoris apicem ferme peruentum fuerit, intercurſans aduerſitas caſum operatur & ruinam. De opulentia multi ſomniant, qui interim extrema rerum paupertate conflictãtur. Amores alius cogitat, deſpectus vero, atque mærore inde confectus, contabeſcit. Literarum ſtudio flagrant nonnulli, quibus ingenium, aut ſchola, aut res deeſt familiaris. Denique ſpe omnes ferme inducimur: triſtitia autem & acerbitate excipimur, & vlterius ſpes ſemper fallaciter ad dira duraque extimulat.

Neque inquietudinis iſtius finis aliquis effuſæ voluntatis molitionem continebit. Ingreditur plane in labirynthum, quiſquis ille eſt, qui furenti appetitui modum deſiderijſque rationem non conſtituens, conſilia ſua contulerit ad voluptatem: nunquam enim ſatisfactum erit infinitæ cupiditati. Marini vortices altius elati, & impetu inter ſe colliſi, conſopita procella, quieſcunt, & nauigationi dorſa exhibent manſueta. Penetralia terræ, incluſo ſpiramine exitũ quæritante, vehementius ſuccuſſa contremiſcunt: cum autem tenuioris halitus vis omnis ſe effuderit, ingens illa moles natiuo ſuo pondere firmatur. Aër varijs motibus ventorum agitatus, & turbine inuolutus: ſubinde placide fertur, dulcem temperatumque præbet animantibus ſpiritum. Feræ inediæ ſtimulis vexatæ, huc illucque diſcurrunt, mugiunt, rugiunt, boant, eiulatus edunt: cum vero naturæ fecerint ſatis, conquieſcunt, decumbunt, ſomnumque placide capiunt. Furor ille accenſæ pyræ, ſubtracto aut abſumpto pabulo, cineribus ſedatur. Solus homo inter cætera, quod labore ſuo ſatietatem nunquam conſequatur: iugi affligitur corporis animique moleſtia. Et cum in omnem partem ſe verſarit, ad veſperam (vt loquitur Pſalmiſta) hoc eſt quando terminus aliquis conatibus eſſet conſtituendus: famem patitur vt canis. Ipſique diuites opulentia rerum freti, ſitiunt & eſuriunt. Canis abſque dubio famelicus fuit Alexander, Numinis filius, Græcorum Imperator florentiſsimus, totiuſque Orientis Monarcha auguſtiſsimus. Cum enim Philoſophum de infinitis mundis quædam diſputantem audiſſet, in lachrymas erupit præ animi ipſius triſtitia: ſeque mortalium infelicisſimum dixit, eo quod cum infiniti reſtarent mundi, vix vnum ipſe adhuc imperio ſubiugaſſet. Miror profecto quænam illa ſit, quam nonnulli ex vitijs ſuauitatem animis deſignant: tametſi omnia plane ac plene ad ipſorum vota oportune affluxerint: ſi modo reputent ſecum

Voluntas inquieta.

Pſal. 33.

Pſal. 58.

æternæ illius beatitudinis, voluptatis vſu, diſpendium fieri: acrimoniam procul dubio aculeoſque poſt ſe relinquent prauitates: ſi iſtius damni tenuis aliqua notio mentem errantis informarit: multo autem magis, ſi attentione animus impenſius eam cogitarit & ſecum pertractarit. Quod ſi ab ipſo præmio oculos deflectamus, intendamuſque in ſpeciem & formam vitiorum, quæ conſectamur: nihil tanta contentione aut impendio dignum reperiemus. *Quid venter reddit*, (inquit D. Chryſoſtomus) *qui plurima conſumit? ſtercus & corruptionem. Quid autem inanis gloria? liuorem & inuidiam. Quid vero amicitia? curam & ſolicitudinem. Quid intemperantia? gehennam & vermiferum vermem.* Et alibi: *Cogita quod nihil habeat vita niſi lachrymas, & opprobria, & conuitia, & triſtitias, & negligentias, & labores, & morbos, & ſeueritatem, & peccatum, & mortem.* Quamobrem ſi vitæ iſtius vſura vlla de cauſa expetenda videatur, ob nullam aliam ſane, quam vt per ęrumnarum perpeſsionem, malorumque tolerantiam, ea exacta, apud ſuperos requiem nobis comparemus. *Mille* (inquit ſanctus Paulinus) *in hoc ſæculo cruces, innumera diſcrimina, morborum labes, febrium ignes, & dolorum tela graſſantur. In animis cupiditatum faces accenduntur: vbique prætexti latent laquei, vndique ſtricti horrent gladij: inter inſidias & pugnas vita tranſigitur, & per ignes doloſo cineri ſuppoſitos ambulamus.* Ob hæc mala, quę humanę vitæ ſunt infeſta: veteres infantum ortus luctu exceperunt, ipſorumque vagitus lugubri carmine proſequuti, triſti quadã ceremonia deplorarũt:

D. Chryſ. homil. 52. ad pop.

Hom. 22. ad pop.

D. Paulin. ep. de gazo phyl.

Herodot. lib. 4.

Eurip. Troad. apud Throd. lib. de nat. hom.

Oportuit nos funeris luctu graui
Dolore natum maxima ad diſcrimina:
Et mortuum, qui caſſus eſt laboribus,
Efferre læto corde, lætis vocibus.

Mitius autem multo nobiſcum ageretur, ſi acris hæc pugna & contentio voluntatis cum appetitu, pace tandem eſſet dirimenda. Non enim parum inter æſtus illos & defatigationes peregrini animus inde leuatur: cum intelligat poſt longiſsima illa ſpatia dimenſa, & anfractuoſas ſemitas itinere decurſas, ad extremum ſupereſſe illi periodum & finem laboris. Alacri animo miles caſtris egreſſus aciem petit, cui ſpes aliqua triumphi affulget. Agricola libenter ſudans terram vomere ſulcat, vites inſerit, ſemina ſpargit, cum ad craterem vino plenum, horreumque grano refertum, cogitationem extenderit. Intrepidus mercator è portu ſoluit, & in alto nauigat, futurum quæſtum cogitans. Cæterum hoc noſtrum pectus Zona eſt illa torrida, quam ardentes radij ſemper feriunt: campus Martis ſanguine vndique cruentatus, in quo Palladis oliua non naſcitur: mare eſt adeo vaſtum & importuoſum; vt etiam à littore infinitis ſpatijs ſeiũgatur. Si requiem, ſi victoriam, ſi lucrum, ſi portum cogitemus: hæc omnia in

nia in

nia in sola morte inueniemus. Assiduam hanc conflictationẽ seuerumque voluntatis & appetitus congressum eleganter describit D. Cyprianus. *Caeterum quid aliud in mundo quam pugna aduersus diabolum quotidie geritur? cum auaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est: cum carnalibus vitijs, cum illecebris secularibus, assidua, & iugis, & molesta luctatio est. Obsessa mens hominis, & vndique Zabuli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si auaritia prostrata est, exsurgit libido, si libido compressa est, succedit ambitio, si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia inuolat, inuidia concordiam rumpit, amicitiam Zelus abscindit. Cogeris maledicere, quod lex diuina prohibet, compelleris iurare, quod non licet. Tot persequutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus vrgetur: & delectat instar Zabuli inter gladios diu stare: cum magis concupiscendum sit & optandum ad Christum, subueniente velocius morte, properare.* Cyp. lib. de mortal.

Quis autem eo felicitatis aliquando processit, (etiam cum omnia obtinuerit) vti nullam interim in semetipso seruitutis speciẽ senserit? Etenim inquit Euripides:

Heu, non est quisquam liber mortalium. *Voluntas seruitute depressa.*
Aut enim fortunae seruus est quis, aut pecuniae,
Aut multitudo ciuium, aut legum sanctio
Vetant, suo ne viuat ex arbitrio.

Ad obtinendum diadema, quantus labor, ad seruãdum tanta cura: hinc in odium omnium incurrunt Imperatores, dum crudelitate firmare volunt imperium. Quid putarem de Dionysio, qui in rerum administratione, metum dicebat vincula adamantina, violentiam classem? Quid de Tyberio, Caligula, Nerone, alijsque qui in excogitandis carnificinis defatigati, suis non Dij (vt cupiebant) sed daemones fuêre? Caligula (vt scribit Suetonius) vsurpare voluit illud Tragici: *Oderint, dũ metuant.* Nullum equidem crederem adeo felicem, in quem aliquando aduersa fortuna tela non iaceat. Nullum putarem tam probe communitum, qui eiusmodi contorti speculi cuspidem semper eludat. Quis diuitum est, in cuius animum graues non incidunt curae? aut ita liber, vt laxatis frenis genio indulgere seque in voluptates effundere possit? princeps, & qui magistratum gerit, populum vti factorum dictorumque iudicem extimescit: nec loqui, nec agere illi integrum est aut volupe: insidias timet, propagãdi imperij cura distinetur, appetitu vindictae torquetur. Quae omnia tanquam vincula quaedam brachia eius arctissime constringunt, exilientemque naturae impetum reprimunt & coërcent: imo qui imperij magnitudine sunt spectabiles, alijsque authoritate praesunt, si graue quidpiam perpessi fuerint, non solum illatum damnum interdum propulsare ne- *Suet. in Calig.*

queunt: verum etiam casus acerbitatem tristiori vultu significare, voce lugubri aut lachrymis, ad leniendum animæ dolorem, forasque emittendum, deplorare non audent: sed carbones accensos in pectore, quasi cinere obductos, seruant. Quod etiam genus mali ab Euripide prudenter est animaduersum:

Eurip. Iphig.

Generis autem obscuritas, vt quiddam commodum habet.
Nam ipsis lachrymas profundere facile licet,
Miseraque loqui: ei autem, qui illustri loco natus,
Hæc omnia non item licent: arbitrum quippe
Vitæ habemus populum, & seruimus multitudini.

Eschil. in prometh. ligat.

Vnde Eschilus: *Nullus enim liber, nisi Iupiter.*

Voluntas ea appetit quæ postea fastidit.

Denique vti humanæ voluntatis infirmitatibus recensendis modum aliquem faciamus: hoc neque silentio prætereundum videtur: quod nimirum ea plerunque appetamus, quæ postmodum fastidimus & auersamur. Tantane in illis rebus perquirendis, quæ obtentæ nauseam pariũt, & à quibus, vti nociuis, nos abripere solemus, impendenda cura & solicitudo? De qua re Aristoteles differens, ostendit corporis ratione fieri, quod illos aspernemur cibos pasti, quos esurientes studio quærebamus. Cum enim corporis temperies immutata fuerit, appetitus quoque ciborum, qui ex illa dependet, variationem subit. Proinde Deus Opt. & maximus, constanti quadam iucunditate perpetuo afficitur: quod à corpore sit segregatus. Multiplices denique existunt ingeniorum motus, ex quibus discrepantia etiam studia oriuntur: ideoque ex his quæ nunc arrident, perennis non fluit voluptas: sed eorum pertesi, aliorum cupiditate postmodum ducimur & delinimur.

Arist. 3. Ethic.

De elegantia præstantiaque humani corporis.

CAPVT XVII.

HACTENVS cum disputatum satis videatur de humanæ animæ summa excellentia & ornatu: de affectionibus quoq; eiusdem prauis & molestijs, quæ non parum virtuti eius officiunt, reliquum est, vti alteram hominis partem, animæ nimirum agnatum corpus, inquisitione persequamur. Principio autem & ante omnia quænam sit huiusce concretæ molis præstantia explicabitur, qua percepta ad virtutem nostrique maiorem curam excitabimur. Video autem nonnullos in hoc ipsum corpus, tanquam in atrocis-

trocißimum naturæ malum, opinionibus ſuis incurriſſe & debacchaſſe. Cum enim animaduerterent omnium perturbationum, ęrumnarũ quoque originem, & quaſi radices in corpore eſſe defixas: ex quibus morũ prauitates exurgentes & germinantes, animæ rationiſque principatũ infeſtarunt: nefarij alicuius principij opera propagatum inclamarunt. Et (vt ſcribit Lactantius) naturam ipſam probri & iniquitatis crimine inſimularunt: eam veluti nouercam bonis filiorum non ſatis proſpicientem, accuſantes. Quid in cauſa (inquiunt) tandem erit, quod ſolus homo inter cętera animalia adeo fragile nactus ſit corpuſculum, tot vitæ miſerijs incommodiſque proiectum, teneritudine ſua omnis vel leuioris flatus iniuria permeabile; imbecillitate ad ſui ſuſtentationem prorſus ineptum: ita denique bonis exutum: ac ſi ex huius vitæ naufragio emerſiſſet, & ad littus ęgre appuliſſet? Partum itaque corpus alij dixerunt ſęuiſsimę matris cuiuſpiam, quæ ne editi fœtus educationis curam ſuſciperet, prolem exponit, vt lachrymis & eiulatu opem imploraret alienam. Neque tantum malis afficitur corpus, cum in cunis infans vagit: verum etiã quando ætate adoleuerit, dum ſummo cum labore & ſolicitudine victum ſibi parat, vitamque propagat. Vix quidem ſe à morbis, qui in illud quotidie graſſantur, tuetur: & impendentis mortis perpetua expectatio vehemẽter angit affligitque: quæ omnia, in ipſo ortu & progreſſu in lucem, fletu & ploratu infans ominatur. Parum autem videretur, ſi dolores iſti & acerbitates ipſo tantum corpore continerentur: niſi latius ſe effundentes, ipſius animæ etiam quietem interpellarenr, eamque miſere cruciarentur. Frequenter enim omnis animæ acies in hoc intenta eſt, vt malorum, quæ corpori ſunt obnoxia, remediũ aliquod exquirat; quo minime comperto, proprijs non ſatiata bonis, corpori nimium indulgens & indoleſcens, ſeipſam, dieſque ſuos iugi querela conſumit & conficit. Exiſtimarunt ea propter nonnulli Philoſophi ad luendas ſcelerum pœnas, detruſas eſſe in corpora animas. Credere enim non potuerũt moleſtias haſce, quibus anima afficitur, corporis complexa repagulis, ad aliam rem, præterquã ad delictum & crimen potuiſſe eſſe conſectarias. Porro quod corpus mentem auocare ſoleat à virtutum ſtudio, & ad vitia cogitationes illius diuertere: conclamatum exiſtimarunt à bono aliquo principio haud oriri poſſe illud, quod ita noſtram vitam peſsimorum morum eluuie corrumpit deuaſtatque. Ita Marcion, præceptoris ſui Cerdonis inſiſtens veſtigijs: Manichæus quoque & alij hæretici idem ſenſuerunt. Hinc Marciõ (vt ſcribit Tertullianus) quod odio in carnem ferebatur, eiuſdem reſurrectionem pernegauit; indignam reputans, adeo abiectis ortam natalibus, quæ in tam ſublimi dignitatis gradu atque in ipſis cœlis collocetur.

Quare aliqui dicunt corpus à malo principio.

Lactant. de diuin. opif. cap. 3.

Corpus animæ infeſtũ.

Tertul lib. de reſur.

Matrimo-

Matrimonium Manichæus etiam nefarium dixit: ne caro natura sua mala, nimium propagata, animæ imperitaret. Exinde nihil voluit erogari in pauperum vsus: quandoquidem carnis miseratione nullus vir bonus duci deberet. At si inedia pressus fuisset ipse Manichæus, fortasis sententiam mutasset. Idem sanctorum martyrum reliquias, vtpote res turpissimas & carnales fęces, est execratus, (vt tradunt Hieronymus, Leo, Theodoretus, & alij) quocirca perditi Manichæi desęuientes in carnem, illam perpetuis ieiunijs & inedijs conterrebant: ita vt Romæ (hoc referēte D. Augustino) in Prouerbium abierit: tristem semper & pallentem esse Manichæum: tametsi in clandestinis suis congresionibus, omni fœditate libidinum seipsos commacularint. Cum itaque ad reficienda corpora cibos sumerent Manichæi, (vti refert D. Cyrillus Hierosolymitanus) negotium hoc naturæ impendendum, summa cum indignatione animi peragebant: & ipsum panem, quem postmodum erant comesturi, sic alloquebantur: *Ego te nec feci, nec coxi*, & in aërem probrose sursum iactantes, eius authori maledicebant: tandem inuiti comedebant: vtinam autē nostri saltem gratia abstinuissent, & ieiuni semper permansissent. Quis autē secū putaret aliquādo fieri potuisse, vti turpis istæc, infamis, naturęq; penitus repugnans hęresis, scripturarum authoritate communita, in publicos prodiret hominum cætus? aut vt tanta opinionis turpitudo, adscititia forma oculū cælata effugeret, vel splendide venustata emicaret? Cōgesserunt itaque sectarij hi infinita propemodum sacræ paginæ loca, quæ aperte dicunt carnem perpetuis litibus cum anima concertare, ex aduerso castra bellicaque munimēta habere, infestis signis in virtutem incurrere, paratam esse continuo ad excipiendam voluptatis illecebram, cū dæmone conspirasse in animæ interitum: denique omnium scelerum & iniquitatum esse parentem. Ex quibus intulerunt, non nisi alicuius inuisæ pesimæque causæ artificio luteam hanc corporis molem, quæ animam visco implicet, & à liberiore volatu cohibeat, inuectam fuisse: demum caninam exercentes facundiam, in carnem mirifice declamitarunt. Hanc dicunt esse, quæ odijs atque iurgijs communem hominum societatem distraxit, quæ bellorum furoribus orbē inuertit, quæ humano cruore maria tepefecit, terrasque infecit, quæ blasphemiæ spiculum scelerato ore in Numē intorsit, quæ in fraterna viscera, vindictę appetitu extimulata, pugionem intulit; quæ leuisimas voluptates ad apertas vsque barathri fauces insequitur, quæ cęlos spoliauit sanctis, & infernum ditauit reprobis. Eapropter à malo principio ortam carnem, malorum omnium effectricem & altricem Manichæi adseruerunt. Quod si origo carnis in prauam aliquam causam non sit referenda, saltem digna res non erit, quæ

Hieron. cōt. Iouin. Leo ep. 71. Theodor. li. 1. hæret. fab. D. Aug. lib. 20. cōt. faust. cap. 21. lib. 32. cap. 11. & 12. confes. li. 3. cap. 6. D. Cyrill. Cathe. 6.

ſupremi artificis manum poſtulet, ſed ab angelis ſat affabre conſtrui potuerit: vti ex Platonis ſententia diſſerit Philo Iudæus. Atque hoc pacto externa noſtri corporis ſpecies quorundam obiecta ſenſibus, eorum animos decepit.

Fateor equidem ab ingenitæ nobilitatis claritudine nonnihil hanc carnē nūc degeneraſſe. Illā etenim intueor amœniſsima voluptatum paradiſo exactam, per orbis oras paupertate confectam, vage curſitantem video. Tunicæ illę pelliceę mortalitatis exuuię oculis meis obuerſantur: quæ grauiſsimum corporis damnum repręſentant, & palam faciunt. Sed quid? contemnerem ne Imperatoris cuiuſpiam filium, quod ipſum laceris & detritis indutum veſtibus, quod oſtiatim in externo ſolo victum quæritantem conſpicerem? an non potius miſericordia condolentiaque pectus meum concitari deberet ex tali ſpectaculo? me ſane ad ea officia inſtituerem, quibus illius ſuccurrerem potius neceſsitatibus: ſplendorem proſapiæ illi in mentem reuocarem, vnde meliora ſperaret, & ad talia cōtenderet. Vrbanus fuit Iacob, hirſutis tamen veſtibus indutus: & qui prodigè ſubſtantiam omnem ſuam obligurierat, male coopertus, & ad patris genua proiectus, ingenuus erat, & ditiſsimi ſenis chariſsimus filius. In quid igitur hęretici opprobria ſua & dedecora hactenus iecerūt? in quid huc vſque inuecti? tanquam canes in vmbram hominis oblatrantes, ita in pannoſas nobilis peregrini veſtes, in pelliceas primorum parētum tunicas, in viliſsimum prodigi alicuius habitum externamque ſpeciem debacchati ſunt. Verum ſi hæc quę forinſecus apparent, cogitatione noſtra abiecerimus: & quæ prima noſtrę carnis conditio extiterit, bene perſpexerimus: dignitatem eius ſingularem deprehendemus. Inſpiciamus itaque primæuam corporis plaſmationem, ex qua integra abſolutaque aliquando floruit. Quomodo enim non exquiſitæ alicuius operæ artificio humanum corpus effingēdum, cuius cauſa firmata conſtitutaque fuit paradiſus illa amœniſsima, quæ hominem corpore cōſtantem, colonum & dominum retineret? Vt enim præclari iſtius principis vſibus locus melius inſeruiret, floribus ornatus extitit, herbis ſaluberrimus, aquarum venis irriguus, aëris temperamento & ſpiramine iucundus: omni voluptatum genere affluens & redundans, vni homini tot commoda hortus ſuppeditauit. Si ſenſuum quæras oblectamenta, flores illi adeo viui, vti quodammodo ſpirantes, ſuauiſsimos odores ad ipſius nares efflarunt: melliti liquores, expreſſus fructuum ſuccus, guſtui eius ſummū attulerunt delectationem: facies illius loci varietate colorum depicta, oculos eius mirifice recreabat: tremula illa foliorum colliſio, & per limpida ſaxa, aurique ramenta decurrentis aquę raucum murmur, volucrum

Caro peior peccato.

Gen. 27.
Luc. 16.

Corpus humanum inde præſtantiſſimum, quod eius cauſa condita paradiſus.

cantu modulatum, gratiſsimos auribus ſonos exhibuit: mollis, ex frigoris caloriſque mixtione, tenuiſsimæ puriſsimęque aurę moderata reſpiratio, ad ſenſum tactus incredibili cum voluptate affluxit. Hæc autē omnia quis credat propter carnem fuiſſe conſtituta: ſi eiuſdem natura ad illā, quam volunt Manichæi, vilitatem eſſet abiecta? Niſi ita velimus deſipere, vti exiſtimemus Deū ſedem efformaſſe, quæ illo præſtaret, qui inſidet: calceum exornaſſe, qui pedem ipſum dignitate ſuperaret, agrum dediſſe, qui colono eſſet excultior. Summa idcirco illius horti præſtantia, humanę carnis dignitatem arguit & probat. Atque opinandum erit, ipſam tūc floribus extitiſſe pulchriorem, odorum ſuffimentis fragrantiorem, lucētibus gemmis ſplendidiorem, aquarum riuulis puriorem, vernantibus herbis lætiorem. Nam quemadmodum diuina natura rerum omnium perfectiones varias eminentia ſua ſimplici comprehendit: ita humanum corpus materialium rerum inſigniores qualitates compendio quodam in ſe perſtrinxit: quo pacto hominis cum Deo illuſtrior quoque ſimilitudinis ratio appareret.

Corpus præclarū, ex dignitate animæ.

Quis præterea aliter cogitare poterit, quam quod corpus humanum prima ſui ſtructura fuerit opificium quoddam Dei paratiſsimum ornatiſsimumque: cum videat huiuſce corporis quaſi palæ inſertam ipſius animæ gemmam? Si namque cęleſtes ſpheræ nobiliſsima quadam conſtent materia, quod lucidos illos Planetarum & ſtellarum globos includant: Quid putandum de corporis dignitate, cuius complexu gremioque animæ ſubſtantia ſplendidiſsima, è ſupernis depreſſa, ipſius Dei viuam referens imaginem, & ex diuino ore emiſſa ſpiratio coërcetur? Quis etenim prudentum artificum ardentia rubri maris grana, vel è conchis deſumptā margaritam luto, plumbo, aut ferreo intulit annulo? Noluit etenim Deus dedecore aliquo ex corporis ſocietate, animæ ſubſtantiam obſcurare & infuſcare: ſed illam inde potius exornare atque nobilitare decreuit. Eapropter maſſam & concretionem delegit in quam infunderetur, quæ ipſius naturæ & dignitati eſſet conuenientiſsima. Sol quidem iſte recenter exortus, nulla fuit contectus nube, ſed natiua ſua luce ceruleos illos tractus, effuſum aërem, motantem aquam, firmatam terræ molem illuſtrauit & quaſi inaurauit. Nondum enim coaliti vapores ſurſum elati, hunc mundi oculum obnubilarant. Simili ratione animæ ſplendorem nulla corporis impura craſsities intercepit, nullo pondere vim mentis depreſsit, nulla turbulentia intelligentiam eius perturbauit: ſed tanquam politiſsimum cryſtallum animæ flammam corpus primitus continuit. Quod ſi principes non obſcuro aliquo in loco, vel ciuitatum angulis ſordium eluuie coinquinatis, ſuas ſoleant erigere ſtatuas: profecto

profecto corpus; si vilissimæ cuiuspiam esset conditionis, nequaquam animam, quæ Dei est imago, suscepisset: non enim voluisset Deus ex tali positura imaginem suam ignominia aliqua afficere. Sed cum nihil humano corpore in hoc vniuerso esset conspicuus, in illo, tanquam in edito quodam loco & maiestate plenissimo, suam ipsius imaginem collocauit: in quam cætera animantia dum prospectent, Dei quoddam numen in ipso homine agnoscerent, illudque summa cum sui dimissione venerarentur. Eam itaque brutorum sensibus speciem humano caro iniicit modo, ex qua Dominum suum, hominem percipiát, dignumque ipsum reputent imperio: quare ex copula animæ cum carne, istius perfectionem dignoscimus. Vt enim inquit Tertullianus: *Hoc quoque ad gloriam carnis exuberat, quod proximam Deo continet, & ipsius dominationis compotem præstat.* *Tertull. lib. de resurrect.*

Enimvero si corporis plasmationem accuratius expenderimus: illam videbimus non nisi insignem nobilissimamque extitisse. Cuius quidem rationem coniectura quadam satis probabili assequutus videtur Philo, cum dicat: prudentiores peritioresque artifices in ingressu fineque operis artem suam illustriori clariorique specimine testatam reddere. Qua de causâ cum molitio Dei ab ipsis cœlis caperet exordium: liberius eius virtus tunc in illorum fabrica visa est excurrere, & maiori quodam nixu ad id, quod omnium esset pulcherrimum, contendisse. Humano autem corpore, veluti colophone & coronide, claudenda & condecoranda erat vniuersi istius constructio: verosimile itaque hoc summa quadam cura elimatum expolitumque in publicum prodiisse: in quo, veluti in exquisito aliquo opère, diuina peritia magis eluceret: cum in illud totius effectionis cursus, veluti in quendam artificiose contextum nodum, (quo omnes partes mundi apte concinneque deuinciuntur) desinerit. Ideoque (vt adnotauit Philo) purissimum delegit Deus puluerem, ex quo humanum corpus confectum, magis syncerum & defęcatum existeret. Tametsi vero tunc nulla quidem glebæ particula admixtas feces contraxerat: nihilominus quasdam partes secreuit Deus, quæ magis essent expurgatæ, & ad extremam quasi tenuitatem ventilatæ. Cæterum non est nostri instituti vniuersam rationem physicam humani corporis nunc persequi: de qua copiose Hippocrates, Galenus, Polæmon, Melesius, aliique nonnulli disseruerunt: sed in corporis nostri commendationem quædam delibabimus ex antiquorũ scriptis: quæq; vel maxime nobis visa sunt ad hoc propositum idonea.

Corpus hominis præstantissimũ, quod periodus diuinarum effectionum. *Phil. de fab. mundi.* *Hippocr. de hom struct.* *Galen. de vsu part.* *Polemon de Interpret. sig.* *Meles. de hom. nat.* *Lactant de opif. Dei.* *Cicero de nat deorum.* *Greg. Niss. lib. de hom off.* *Granat. li. 1. in symbol.* *molin. 1. p. q. 1.*

Effectum itaque virtute diuina est hoc corpusculum ex limo terræ, (vti scriptura testatur) & propterea non ex solis pulueribus constitit: Intercessit enim aqueus humor, quo lubricę terrę particulę inter se firmius co- *Corpus humanum ex terra & aqua, & curl*

 hęrerent;

hęrerent: ideoque in nostris corporibus, cum elemento terræ, etiam aqua præcipue dominatur. Cuius temperamenti quamplurimæ rationes inuestigari possunt. Quod ad aquam attinet hæc (vti narrat Scriptura) piscium & volatilium creationi inseruiuit. Cum autē homo pisces & volatilia dispari suæ vitę institutione imitetur: rectissime aqua in eius effectione adhibita fuit. Est etenim anima concupiscentię diluuio quasi immersa: quæ si piscium more habentium squamas, è corporeis fęcibus ad superiora emergat; se ab inquinamento tutabit vt piscis. Et cum in ęthera contemplatione se extulerit, cœli volucer effectus, sublimes illos tractus præpetibus pennis dimetietur. Hinc factum credo, vti hoc idem elementum aquæ, quod homini vitam præbuit, eidem quoque spiritualem aurā largiretur: quando nimirum Christiani tanquam pisces, in illis aquis baptismalibus cœlestem hauriunt spiritum, nouumque capiunt vitæ initium. Homerus quoque multoties decantauit Oceanum Dijs omnibus originem prębuisse: nempe, quod inaudierat primum humani corporis coagulum ex aqueo humore extitisse. Inter cętera elementa, terra & aqua fœtum edunt, vel in hoc propagationis munere primas tenent. Hominem autem Deus voluit esse animal fœcundum; idcirco ex terra cum aquę admixtione illum plasmauit. Quod si cogitationem referamus ad ipsius actiones, videbimus pariter ipsum aquę & terrę similitudinē pariter quandam exprimere. Hęc etenim duo elementa, cęteris cum subiaceant, excipiunt in se illorum vim: cœlorum quoque influentiam habēt, quibus fœcundata, multiplicem prolem progignunt. Ita homo natura sua aptus efficitur, vt diuinę gratię radio collustratus, perspicacia mentis vera intelligat, affectusque incitatione optima expetat & adsequatur. Quę porro naturę sunt diuersissimę, & omnino distractę, aqueum imbibentia humorem, constipata inuicem coalescunt, & tenacitate quadam copulantur. Condidit hominem Deus animal, non soliuagum, sed quod aliorum societate delectaretur: mutuaque charitatis officia benignitate & amore exerceret. In aquę limpitudine rerum formę relucent: proinde doctrinę & eruditionis est hieroglyficum. Tersam politamque cōdidit Deus hominis naturam; in cuius luce & oculo, rerum omnium notiones pulcherrime resplenderent. Sordes abluit aqua & abstergit: terrena hęc nostra concretio vitę similiter genere pura esse debet & illibata, ab omni fęce prauitatis seiuncta. Vnde vtriusque elementi, aquæ nimirum & terrę, formam quandam exhibet humanum corpus: quod & nōnulli obseruarunt: inter quos D. Ambrosius, qui affirmat totius terræ faciem non esse vbique complanatam, sed quasdā eius partes vt rupes collesque alijs eminere: Ita inquit in hoc nostro corpore humeri & scapulæ in altum

Gen. 1.

Optat. Mil. lib. 1. cont. Parm.

D. Ambr. lib. 2. de Patriarc. Abrah.

in altum suspenduntur: manuum autem volæ pedumque plantę humiles sunt & depressę: de qua re pulcherrime Tertullianus: *Ipsum certe corpus hoc nostrum, quod de limo figulatum est, etiam ad sæculares notionem veritatis transmisit: vtrumque originis elementum confitetur; carne terrenam, sanguine aquanam: licet alia sit facies qualitatis.* Et postea: *Cæterum quid est sanguis, quam rubeus humor?* Tandem aperit rationem similitudinis corporis nostri cum terra: *Quid caro, quam terra conuersa in figuras suas? Considera singulas qualitates, musculos vt glebas, ossa vt saxa: etiam circum papillas calculos quosdam. Aspice neruorum tenaces connexus, & traduces radicum, venarum ramosos discursus, vt ambages riuorum, & lanugines vt muscos, vt comam, vt cespitem, & ipsarum medullarum in abditis thesauros, vt metalla carnis.* *Tertull. lib. de carne Christi.*

Modo ad corporis exquirendam elegantiam, eiusdem partes omnes vniuersali quadam ratione percurremus. Hoc ita coalitum & compaginatum animaduertit Lactantius, vti simile omnino sit nauis carinæ. Ossa etenim illa laterum clementer incuruata, & in circulum ferme reducta, talem formam omnino videntur exprimere. Quo pacto arcam, quæ humanum genus ab aquis tutauit, & ad montes Armeniæ euexit, rectissime adumbrasse adstruunt nonnulli Christi corpus: in quo omnis animarum salus, hoc æstuoso furente mare, est reposita. Corporis itaque vehiculo insidens anima ad portum defertur: cui aquarum exundantia periculum naufragij intentat: quando nimirum sanguinis ille humor in iuuenilibus turgescens venis, & immoderate incalescens, despumat in libidines. Quid hac nauigatione periculosius quaqua versum malis infesta? Si mare intumuerit, si ventus flauerit, si cœlum obscuratum fuerit, ambiguus nauis cursus euadit, & ad interitum præceps. Similiter hoc nostrum corpus inferius subiectæ terræ impuriori exhalatione inficitur sæpius, superius aëris nebula, irati cœli nociua influentia interficitur frequenter. Quid etiam nauis fluctus sulcantis cursu incertius? Nautæ cum nauim in portum aliquo aut sinum direxerint, vel littora legentes parum progressi fuerint: inopinatus contrariusque incursans ventus eam in incognitam abripiet sæpissime regionem, vel à terræ conspectu in altum deferet. Ita cum aliquid mente homines designarint, vtpote vitæ genus aut studia, veluti profectionem quandam, fortuito interueniente casu defixa consilia inuertuntur; vt ne memoria quidem eorum vlla aut leuiter impressum vestigium supersit. Pertranseunt enim dies nostri, (vt inquit Iob. *quasi naues poma portantes.* In hoc enim vastissimo mare animalia pusilla cum magnis versantur, & naues (vt ait Propheta Dauid) pertransibunt. Atque vt intelligamus humanorum conatuum vanitatem cum effluxerint; admonuit Sapiens: *Transierunt illa omnia tanquam vm-* *Corpus hominis simile carinæ nauis & quare.* *Iob. 9.* *Psal. 103.* *Sap. 5.*

bra, & tanquam nuntius præcurrens, & tanquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius, cum præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus.

Ratio corporis mẽbrorum, & cur erectum corpus.

Cæterum istius carinę speciem iam contemplemur, cuius quidem formam, non depressam aut pronam, sed excelsam erectamque, summæ laudi veteres omnes adscripserunt. Ex qua (vti docet Cicero) hominum sensus aptiores sunt, vt diuinorum notiones capiant. Non enim sumus incolæ aut habitatores tantum terræ, quin potius supernarum & cœlestium rerum spectatores. Eapropter in humani corporis capite, veluti in quadam specula, sensus ij collocantur, qui huiusmodi rerum nuntij essent & interpretes: inter quos rectissimo ordine in sublimi ponuntur oculi, aures, atque nares: quandoquidem harum facultatum obiecta naturis suis superiora existunt. Tactus vero per totum corpus est diffusus, vti omnes ictus omnesque nimios frigoris calorisve appulsus persentisceret. In quam sententiam sic D. Basilius: *Adde quod opifex summo in loco cum posuisset caput, in eo ipso solide collocauit sensuum organa eorum, qui præeminent: illic visus, auditus, gustus, odoratus, his quatuor sedem finitimam præscripsit: sic tamen in angustum retracti loculum sunt, vt vicini non remorentur actionem, aut ei sint impedimento. Et quidem oculi præcelsam illam occupant arcem speculationi destinatam: ne qua partium corporis liberum sibi adimeret prospectum, aut inumbraret, qui vt in directum potius è superiori loco & eminentiori aciẽ intendant, sub tenui integumento superciliorum desidentes. Auditus apertura è diuerso neutiquam se in directum exporrigit: sed retorto meatu & anfractuoso, sonos siue strepitus in aëre editos apprehendit; id quod quis inficietur summæ esse sapientiæ, vt vox quidem citra impedimentum penetret, aut verius insonet circa concauos anfractus auris refracta? Eorum proinde, quæ intercidunt, externe nihil esse impedimẽto poßit sensui. Linguæ insuper condiscito naturam, vt est mollicula, versatilis, & ad quemlibet vsum sermonis depromendi multiuaria agitatione sufficiens. Dentes porro mihi expende: vt organa sint quidem expromendæ voci accomoda; tuendæ linguæ cœptum apparuit sane quam validũ. Adde quod administri alimoniæ sunt, dum hi frustilatim illã conscidunt, & conscisam & dissectam minutim detrahunt. Ad hunc sane modum nullam non corporis particulam percurrens, consentanea ac veluti ratiocinatione doceris: vt attractio aëris per pulmonẽ, calorem in corde conseruet, organa concoxioni accommoda, sulcos canalesque eliciendo sanguini idoneos. Per hæc vtique omnia contemplari licuerit inperuestigabilem eius, qui te condidit, sapientiam, adeo vt cum Propheta ipse tu poßis dicere: Mirabilis facta est scientia tua ex me.* In hac autem re non alijs vtar vocibus aut sententijs, quam eorum qui de eadem melius disputasse iudicantur. Audiamus itaque D. Ambrosium: *Nam & fabricam ipsam humani corporis si quis conside-*

D. Basil. homil de creat. hom.

Psal. 138.

Ambr. ser. 10. in psal. 118.

considerare velit: nihil poterit in terra pretiosius æstimare. Est enim homo statu celsus, vultu decorus, cæsarie gratus, non in alterum cæterorum more curuatus animalium, sed ipso naturæ iure sublimis, qui in cœlum libero spectet obtutu: nulla capitis seruitute aut ceruice oppressus in terram: sed tanquam propriæ conscius libertatis, & locuples sui testis authoris. Veteres itaque humani corporis fabricam cōtemplati, eam vehementer demirati sunt: in qua veluti in speculo tanti artificis, qui illam perfecerat, virtutis expreſsionem agnouerunt. Inter quos hæc Trismegistus: *Cogita ô fili, hominem in vtero materno compositũ, totam opificij artem diligenter perpende: & disce quis sit opifex qui hanc hominis pulchram diuinamque imaginem fecerit: quis oculos formauerit, quis nares & aures terebrauerit: quis os aperuerit, quis neruos tetenderit & ligauerit, quis venas irrigauerit, quis ossa solidauerit, quis pellem carni circundederit, quis digitos distribuerit, quis pedibus ingressum vel plantam dilatauerit, quis poros aperuerit, quis lienẽ tetenderit, quis cor figuram pyramidis habere fecerit, quis neruos composuerit, quis pulmones cauernosos fecerit, quis ventrem dilatauerit, quis honestiores partes in propatulo posuerit, obscuras abscōderit. Aspice quot artes vnius materiæ, quot opera, vna circumscriptione: cunctaque pulchra, cūcta cū mensura. Quis hæc omnia fecit? quæ mater, quis pater? nisi inuisibilis Deus: qui sua volūtate cuncta operatus est: aut statuam vel imaginem, sine artifice aut pictore, nemo dicet extitisse: hoc ergo opificium fuit sine opifice. O cæcitatem incredibilem, ô magnam impietatem, ô incredibilem ingratitudinem!* Porro ex concursu primarum qualitatum in humano corpore coalitam temperiem respicientes, illam sane videbimus quoque præstantiſsimam, in qua sanguis purior discurrit, subtiliores spiritus exiliunt, forma & color magis florent, quæ corporis pręstantiam omnino testantur. Vt enim inquit Galenus: *Medium temperiei in toto animalium genere homo est.* Qua de causa hominem ab antiquis nuncupatum affirmant ἰσοχρόνον, quadratum: propter summam illam & æqualem primarū in eius corpore qualitatum contemperationem. Quod & occultæ cuiusdam diuinæ in homine virtutis operantis indicium esse idem docet: *Fortaſsis bona quatuor elementorum temperies diuiniorem aliquam superne originem habet.*

Trismegist. Pemand.

Humani corporis temperies optima.

Galen. lib. de temper.

Galen. sup.

Cum vero quod in homine principatum gerit, sit ipsa mens & ratio: ea fuit in corporis eius structura membrorum efformatio adhibenda, quę illi plus opis conferret: quo modo erecta hominis figura eius intelligentiam transfert ad inquisitionem diuinorum: atque ipsam perspicere facit, quodnam officij genus sit ab homine præstandum. *Tui corporis effigies* (vt inquit D. Basilius) *rudimentum quoddam est, quo doceris ad quem finem conditus sis: vt Deum contemplere factus es, non vt humi repat vita tua, non vt pecudū ritu voluptate perfruaris: verius vt ad normam & institutum cœlestis vitæ tuam ipsius*

Forma humani corporis rationi accōmoda

D. Basil. homil. in illud attende tibi.

ipsius componas. Duo autem sunt corporis organa, quæ præsertim rationi adminiculãtur: lingua nimirũ & manus, ideoq; in illo situ aptissime collocantur, in quo melius sua valeant munera obire. Lingua ex alto veluti in sublimi suspensa campana, sensus animi sonora voce exponit, homines nũc in vnum cogit, nunc eosdem veluti turbine dissipat & distrahit: nunc fulminis instar terret, nunc vero suauitate quadam & nectareo succo auditorum animos perfundit: hæc societas hominum continet, & eas contra ferarum incursiones protegit: omnia denique vitę necessaria procurat: neque aliquid scio, quod Mercuriano huic sceptro nõ subijciatur. Manus autem multiplicis artificij genere non solum vitę necessaria & vtilia parant: quinimo delectationes omnes venantur, corporis indumenta auro gemmisque intertexta operantur, condimenta componunt gustui suauissima, suffitus inuestigant naribus gratissimos: omnem demum mollitiem perficiunt, quę sensibus arrideat. Fera ipsa animantia manibus ligamus, ac stringimus, cicuramus, circunducimus, pulcherrima palatia, & integras ciuitates, humanę societatis ornamenta, manus construunt, atque turrium fastigijs nubiũ altitudinem æmulantur. Quapropter (vt recte disserit Galenus, tametsi homo velocitate ac pernicitate leporibus & aquilis sit inferior, robore etiam leonibus impar: nihilosecius illis instrumentis naturæ donatur, quibus feris omnibus facillime ipse poterit imperitare. *Homini vero, cum non egeret propria velocitate, debens dominare sapientia & manibus: æquum erit longe melius antequam velocitatem, organa habere ad omnes artes necessaria.* Probat itaque Galenus antiquorum illud effatum: quo dicebant hominem omnium animalium esse sapientissimum, quod manus haberet. *Homo igitur solus, solum ex animalibus omnibus artem habens ante artes, secundum rationem in corpore organum ante organa acquisiuit.* Et vt inquit Lactantius: *Plus manus præstant, quam leuitas vsusq; pennarum: plus lingua, quam tota corporis fortitudo.* Proinde non maiorem pœnam in sceleris vindictam reis incuti potuisse existimarunt veteres: quam quæ desidiosis militibus inferebatur: dum ipsis pollices præscinderentur: sicut cum quibusdam egit Augustus Imperator. Et vt scribit Cicero Athenienses Eginensium iuuentuti pollices amputarunt: vti eos deinceps inutiles operibusque ineptos redderent. Neque alia in ipso homine membrorum qualitas spectanda est, quam quæ intelligentiæ mentiq; aptius inseruiret. *Sicut cythara* (inquit Galenus) *musicum non docuit, nec tenaculum ferrum, sed est vnusquisque ipsorum artifex propter rationem, quæ in eo est: agere autem non potest secundum artem absque organis: ita & quælibet anima propter propriam substantiam habet quasdam virtutes.* Idcirco licet in pluribus bruta animantia homini præstent: in hoc tamen vno vincuntur omnia,

Rationis præcipua in corpore instrumẽta manus & lingua.

Galen lib. 1. de part. cap. 1.

Lactant. de opif. Dei cap. 3.

Pollicum præscisio acerbissima pena.

Suet. in August.

Cicer. 3. offic.

Galen lib. de vsu part.

quod vim rationis humanæ nullo artium robore aut agilitate membrorum effugere poterint. Vt enim ait Lactantius: *Cum fragilis imbecillisque homo nascatur: tamen & à mutis omnibus tutus est, & ea omnia, quæ firmiora nascuntur, etiamsi vim cœli fortiter patiuntur, ab homine tamen tuta esse non possunt. Ita fit, vt plus homini conferat ratio quam natura mutis: quoniam in illis nec magnitudo virium, neque firmitas corporis efficere potest, quo minus aut opprimantur à nobis, aut nostræ subiecta sint potestati.* Lignum in aratri formam dolatum, crassius est, quam illud ex quo cythara componitur: nihilominus hoc illo præstantius & excultius: Ita cum hominum corpora brutorum corporibus tenuiora sint & imbecilliora; tamen ea est forma & compago humani corporis, quæ rationi vel maxime idonea reperitur: hæc autem molle quoddam tenue & delicatum exigit instrumẽtum, in quo aër & ignis, quæ superiora sunt elementa, dominium haberent: nõ crassum quid, durum, aut incrustatum. Recte idcirco Auerroes animalia breuioris esse vitæ docuit, quam inanimata: quod illa sensus teneritudine vigeant, hæc minime. Non autem ad vitæ propagationem diuturniorem, sed ad rationis ornamentum vsumque conditus & institutus est homo. *Lactant. de opif. cap. 3.* *Auer. com. in 2. de Anima.*

Rosam spinis obsitam manu carpentes; non ideo illam continuo abijcimus, quod spinas habeat, sed potius ex illis aculeis spinarum florentiorẽ rosæ speciem æstimamus. Ita tametsi intueamur corporis nostri conditionem fragilem, imbecillem, ad multa imparatam, ęrumnarũ spinis cõsitam: non tamen proinde amandanda erit hęc carnis moles, & relegãda ad malum aliquod principium. Sed neque natura erit incusanda: praua potius voluntatis electio exsecranda, quę in peccatum concedens, corpus hoc nostrum ita efferauit, animumque infinitis exinde malis implicuit. Iã autem in istis repellendis aut corrigẽdis animæ nostræ virtus spectatur. Neq; necessarium fuit, vti vnusquisque nostrûm sibi ipsi solus in omnibus vitæ vsibus sufficeret: nam aliorum ope & adminiculo in pluribus indigentes, inter homines socialem conuictum, officiorum necessitudine statuimus & propagamus. Cum etiam (vti iam satis innotuit) insignis sit nostri corporis structura: non ad impuras voluptates libidinumq; sordes abijcienda: sed rationi potius subijcienda, vt virtutum colore fulgeat, & angelorum choræis inserta, diuinorum studijs obsequium præstet. Est etenim (vt cum Tertulliano loquar) hoc corpus animæ splendidissima theca, & vitæ eius indiuiduus comes. Quare licet in pœnam veteris illius delicti nigram & exustam habeat pellem, ossa ferme contrita fractumq; robur retineat: (vt in Threnis lamentatur Ieremias) nouo tamẽ virtutum habitu, qui perpetuo virescat, est induendum & exornandum: nã priorem exuisse se sponsa in Canticis profitetur: *Expoliaui me tunica mea.* Dum *Quare corpori infesta sint quam plurima.* *Tertull. lib. de resur.* *Thren. 5.* *Cant. 5.*

Corporis habitus in hac vita.
Exod. 27.
Gen. 27.
2. Paral. 3.

autem hac aura vescimur, tametsi illud vestimenti genus corpori inducere non possumus, quod primam naturæ integræ stolam exæquet: Non enim corporis nostri vestis hyacinthina est, cœleste quiddam referens: nihilominus lino byssoque retorta vtimur, in quibus pœnitentię liuores & persequutionum purpurę effulgēt. Neque Iacob hirsuta illa tunica repudianda; si modo cœlesti sit benedictioni adiuncta. Cum autem corpus recte virtute subactū fuerit, omnes excusserit sordes, rugasque produxerit: hyacinthina veste in illa beatitudine amicietur, quæ tota resplendeat & infinitis gradibus illam dignitate superet, quam in Paradiso protoplasta amisit. Tunc prodigi illius lacera indumenta abijcientur, toga & annulus proferentur: tunc serpens per angustum transiens, veterem à tergo relinquet pellem: tunc aquila progressæ ętatis dimissis pennis, recentibus succincta, in ipsum solem explicata oculorum acie inuolabit. Hæc sunt futura carnis nostræ ornamenta, si illam tamen virtute excultam æterni iudicis tribunal exceperit.

Luc. 16.
Matt. 10.
Prou. 23.
Psal. 102.

De eiusdē corporis malis ac prauis, quibus subiacet, affectionibus.

CAPVT XVIII.



SI tales ab amicitia præscriptæ sint leges, quales plurimum interesse faciant, amici mala & acerbos casus certa scientia cōprehendere, illosque, ac si in nos ipsos incidissent, deplorandos intelligere: profecto cum ex naturæ decreto intra animā & corpus necessitudinis & mutui officij summa quędam ratio dimanarit, ad animam spectabit omnino corporis ægritudines perspectas habere, illamque solertiam & diligentiam adhibere, vnde remedium quoddam illis posset afferre. Nam tametsi corpus perturbationis intemperie excitatum, nihil pensi habeat animæ & rationis bonū: à quo si ipsa deciderit, nulla eius cura tangi soleat; nihilominus animus quod iudicio rerumque cognitione polleat, atque in vltimum finem, in quem omnia dirigi debent, sua prouidentia intendat: etiam cum infinitis à corpore sit affectus iniurijs, non debebit hoc neglectum habere: sed eius potius muneris erit morbos, ægritudines, infirmitates corporis, horumq; causas inquirere, illique in his malis constituto maturo opitulari. Impune autem corpus suam intemperantiam non tulit, qua animam ad defectionem solicitauit, nam ab ipso infinita propemodum sunt, quæ sceleris pœnas reposcunt: inter quæ existunt quatuor elemētorum vires & qualitates aduersæ, quibus in prædam corpus hoc nostrum cessit. Morbos enim

Animæ officium corporis mala cognoscere.

Propter peccatum multa in hominis necem conspirant.

enim inducunt, debilitates adferunt, integram tandem corporis fabricam vastabunt. Et quemadmodum in angusto loco armis confligentes, omnia solent vicina deijcere & dissipare: Ita elementa in exiguo corpusculo ob imperiũ decertantia, singulas eiusdem partes inuertunt & pessundant. Si calor efferbuerit, de corpore assumptum aliquid peribit, si humor exũdauerit, languor membra & artus occupabit: ad interiora siccitas ingressa, medullas & sanguinem exhauriet, tunc vigor interibit, pulchritudo, color, decusque flaccescent: Si frigus illos venarum alueos constrinxerit, mors totiusque corporis dissolutio subsequetur. Inuidi idcirco illius duros agrestesque mores imitatur corpus; qui vt fratrem occideret, cõmuni strage ex ruina cuiusdam concussæ domus interire voluit: Nam corpus lethalem animæ plagam semel infligens, mortem sibimet proprijs manibus consciuit. Iustitia etenim originalis ita elementorũ pugnantes qualitates aliquando continuit: vti summa quadam concordia conspirantes, animę ęternam quandam sedem dedissent. Quamprimum autem externi corporis sensus peccati noxam ad animam traiecissent, soluto vinculo inter se dissidere extemplo cœperunt, atque bello intestino humanam vitam excipientes, illam morbo, senio, ac morti subiecerunt. Neque aliud modo in hoc mundo intueri videor, quam piscinam illam probaticam, in qua multitudo iaceat cæcorum, claudorum, & aridorũ. Quotus quisque est, cui vita non periclitatur? Interitus namque tum in nobis ipsis latentes causas habemus, tum etiam externa mala nos cingunt vndique, quæ diuturniori vitæ sunt infesta.

Sen. in Theyest.

Ioan. 5.

Hominibus itaque euenit, quod in quibusdam arborum truncis fieri videmus. Hi etenim nulla tempestate extrinsecus illata concussi, aut in terram proiecti: nihilominus quod in visceribus & medullis ipsorum enatus vermis frequenti corrosu illos exedat, tandem vetustatis cariem contrahunt, conficiuntur omnino, & corruptis naturæ solidis firmamentis, proprio pondere oppressi deorsum ruunt & labuntur: ita quod hominis corpusculum ex primarum qualitatum concentu & temperamento constet: etiam cum nulla ferri vis, veneni nullum virus, infecti aëris nulla insalubris spiratio, ad illud appulerint: solus ille vermis, quem peccatum ingenerauit, & naturæ primordijs immiscuit, sensim corporis partes absumens, integram demum eius fabricam dilapsu in terram præcipitabit. Trunci autem arborum vermem non concipiunt nisi post aliquod temporis spatium: nimirum cum naturalis eorum vigor & constantia ex vetustate perierint: Verum in homine non prius ipsius corpus coalitum & compactum est, quam fœtus iste ad interitum institutus exoriatur: in ipso namque primo hominis partu humor natiuus mate-

Interius corpus causas habet morborum atque mortis.

Cum vita oritur mortis causa.

riam & eſcam calori exhibet deuaſtandam. Et licet calor mirum in modum tunc ferueat, eius tamen auiditati copioſus humor ſatisfacit, ne ſpiritibus & ſanguine depaſtis totum exedatur ſtatim. Quod tamen in infantia humor exundans per omnia corporis membra diffundatur, artus corporei laxi, molles, fluidique euadunt: vnde teneritudo infantilis facillime læditur: in quodcunque impegerit ſpina videtur: ipſa etiam venti agitatio moleſtiſsima eſt, & tenerum illud corpuſculum videtur vti ſpiculum traijcere. At ſicut oleum flammam paulatim lambendo conſumit: & niſi liquorem inſtilles, tandem lumina accenſa extinguũtur: ita calor cum creuerit in corpore, neque homini integrum ſit plus humoris adiungere, neceſſario vis corporis langueſcet deficietque. In media quidem ætate, cum calor humorque æquales ferme partes obtinuerint: corpus colore & venuſtate floret, candidæ tunc genæ, modico intinctæ rubore: ſed non diu poſt ſubſidente deficienteque humore, ſiccitas rugis corpus ſulcat, exilientes eius ſpiritus comprimit, rigentia membra laſsitudine conficit: tandem inclinata omnia & depreſſa occaſum minantur. In cuius concertationis exitu hoc mihi videtur maxime ſpectabile: quod nimirum illa elementa, inter quæ in humano corpore pugna acrior eſt, eodem plane ictu, quo ſibi oppoſitum feriunt, & ipſa concidant: quæ autem in hoc prælio dimicationi minus inſiſtunt, ea rerum ſumma tandem potiuntur. Calor namque ille igneus, qui ita in humorem furit, eo ipſo quo hunc depopulatur, fame ſeipſum extenuat, & deficiente eſca tepeſcit, languet, interit: frigus autem & ſiccitas, quæ terræ exiſtunt qualitates, cum naturæ vigor floruerat, nullum ferme locum in humano corpore obtinebant, ſolum humor calorque tunc dominabantur: lite vero & digladiatione vltro citroque cum corporis vires labefactatæ fuerint, ad frigus & ſiccitatem, fugatis reliquis, imperium deuoluitur. Aptiſsime idcirco, & ad veritatem rei accommodate Epictetus Philoſophus interrogatus ab Adriano quidnam eſſet homo, illi reſpondit balneo eſſe ſimillimum. *Cuius* (inquit) *prima cella tepidaria vnctuaria, qua iam infans natus perungitur, ſecunda cella ſudatoria, pueritia eſt, tertia cella aſſa perferuentaria, iuuentus: quarta cella frigidaria, ſenectus.* Hunc autem naturæ noſtræ curſum fluxumque: ſeu (vt ait Epictetus) corporis ex vna cella in aliam commigrationem, nec regum ardentia diademata, neque Philoſophorum exquiſitæ diſciplinę ſiſtere poterunt aut cohibere. Nullus herbarum ſuccus, nulla collucentium gemmarum virtus, nullum denique auri pondus, efficere queant, vti amicitia inter ſe copulatæ pugnaces corporum qualitates, à litigio conflictuque vel tantillum temporis conquieſcant. Concertationem quidem illarum diutius aliquando protrahunt medicorum ſcita.

Elementa minus pugnantia victoriam ex corporis morte reportant.

Epict. in dialog. cũ Adrian.

Vita hominis ſimilis balneo.

Perpetuus curſus corporis ad mortem.

ſcita iuſſaque, vitæ ſapiens atque prudens moderatio: pacem tamen inter illas diu firmam nunquam valebunt procurare. Si finem & exitum tuum quaſi è longinquo animi proſpicientia contemplere: celerrime te ad mortem properare videbis: ſed neque tardius mouebere, ſi totos dies altior ſomnus ſenſus tuos compreſſerit. Pari curſu dormiens & vigilans ad mortem feſtinant: ſapiens enim & ſtultus ſimiliter peribunt. Qui enim naue aliquo feruntur; etiam cum ſopor illos occupat, nihil celeritatis remittente nauigio, æquali profectione ac peruigiles ad portum feſtinant: ita qui ſecum intelligentia huius vitæ rationes & momenta non expendit; interius illud habet, quod ſummo quodam impetu ad funus & ſepulchrum, quaſi corporis portum, ipſum deferat: non vt in illo conquiſitas merces exponat, ſed potius vti in illo hiatu rictuque terræ bonorum naufragium patiatur. Niſi quod inſipiens hilarius paullo quam ſapiens currere ſoleat ad mortem: neſcius enim futuri caſus ſubito titubat offenditque: ſapiens autem longe antea naturæ interitum præſentiens, timorem funeri præmittit, triſtitiam & lachrymas. Propterea D. Chryſoſtomus mortem vectigal naturæ, terræ pendendum appellat, τοῦ θανάτου ἀνυπόκριτον ὄφλημα. Videmus quidem ceruum telo traiectum aliquandiu, etiam dum lateri lethalis inhæret arundo, huc illucque diſcurrere, tandem vero exhauſtis viribus concidere: Ita ferueſcente iuuenili calore corpus robore valere & curſu æſtimatur: tunc tamen illud mortis fatum, quaſi telum infixum ſibi habet; quod breuiſsimo temporis ſpacio omne eius decus & vim corrumpet atque eneruabit. Iam ad externa, quibus corpus noſtrum obiacet, mala, diſputatio progredietur.

Omnes pari greſſu ad mortem properant.

Chryſ. hom. in illud Pſal. verumtamen vane.

Cum corpus humanum, Galeno teſte, præſtantiſsima polleat primarum qualitatum temperie: fit vti ex viuaciore ſenſu tactus, cuticulam quoque habeat tenuiorem: quæ à quopiam extraneo, quod naturæ aduerſatur, facillime lædi poterit. Hinc exhalationes impuræ ad corpus delatæ, poros membrorumque meatus penetrantes, ad ipſum cor & vitæ arcem nullo interueniente obſtaculo peruadunt quantocius: ex quibus ſanguinis humorum ſpirituumque infectiones oriuntur, & varia morborum genera exinde propagata in hominem graſſantur. Si cœlum conflagrationibus ardeat, ſi terra calore exuſta dehiſcat, ſi craſſus & obnubilus aër omnia inuoluat: corporis vita periclitatur. Vndique incurrunt in nos lethi mortiſque inſtructa munimenta, à quibus omnibus difficile, imo ſæpius impoſsibile cauere. Dum huic occurris malo, aliud fortaſsis excipies deterius: Quemadmodum ſi ſolicite curares, ne ex cribra aquæ plena, gutta aliqua per vllam eius rimam decideret in terram. Infeliciſſima ſane humani corporis conditio, quod in hunc mundum, nudum &

Externa mala homini vita infeſta.

inerme prodit, in cuius necem astrorum influentiæ & elementa omnia conspirarunt. Cui quod nulla armorum suppetet panoplia; aduersis telis eorum ad omnes ictus excipiendos, apertum pectus cogitur opponere. Siccine homo è sublimi dignitatis gradu deiectus est? Qui herili aliquando insignitus potestate, cuncta ditioni suæ habuit subiecta, modo creaturarum ferme omnium perpeti debebit durum acerbumque imperium. Quo æquitatis iure factum est, vti in vnius homuncionis interitum vniuersæ orbis partes, vires & conatus suos intendant? cum si vel cetus esset, marini tamen vortices, quibus inuoluitur, illi fauces intercluderent, disrumperentque vitalia: aut si carnem æneam haberet, aëris, ventorum, pluuiarum appulsu assultuque tandem attereretur. Quanto facilius nunc expugnabitur, cum carnem retineat fluidam, quam leuissimus sane flatus deijcere, & modica adustio febrilis dissipare solet? A quibus denique tutus poterit esse homo? quo fugiet ab inimicorum violentijs? sed inclusum ipsum video hoc vniuersi circo, seu potius ad sudam illigatum, in quem singula Dei opera desæuiant, pœnasque ab illo patrati sceleris reposcant. Ad hæc autem vitæ discrimina in ipsa infantia quam bene paratus instructusque accedit? quibusve integumentis munitus, dimicaturus procedit? galeam, thoracem, clypeum nobis describe. Pro galea capitis munimento, inscitia: pro thorace carnis teneritudo: pro clypeo clamores & lachrymæ. Contemplare illum in orbem ex vtero prodeuntem, vagientem in cunis aspice, postea imbecillos illos artus in diuersa refluentes, nullis iuncturis constanter cohærentes, directos oculos ad materna vbera: vultus ac frontis, ad expressionem doloris, contractionem, porrectam manum alienam opem expetẽtem, vacillantia membra, & ad omnem subitaneum motum truciorisque obiecti speciem trepidãtia, considera. Hic tamen ille est, qui cum elementorum viribus, cum cœlorum inclementia, cum æstiuis caloribus, frigoribusque hybernis, manus conserere debebit, & in tanta nuditate atque penuria ad se tutandũ, nunc ex ouina lana vestes sibi conficit, nunc exuuijs leonum & luporũ tectus incedit: editaque strage animalium, ne natiuus calor in suo ipsius corpore humorem citius deuastaret, illorum carnes deuorat, & feruori illi, veluti escam, subijcit torrendas. Quamplurimi sane antiquioris sæculi homines corporis nostri statum multis deplorarũt, & admirati sunt, quonã iubente fato caro istæc ad sustinendos tot impetus aduersos, imparata quasi in arenam descenderit. Inter quos hæc Plinius: *Ante omnia vnum animantium cunctorum alienis velat opibus: natura cæteris varia tegumẽta tribuit, testas, cortices, coria, spinas, villos, cetas, pilos, plumam, pennas, squamas, vellera: truncis etiam arbores, cortice interdum gemino à frigoribus & calore tutæ sunt: hominem*

Iob 7.

Iob 6.

Infirmitas corporis contra mortem.

Plin prohem. lib. 7.

minem tamen nudum, & in nuda humo, natali die abijcit ad vagitus statim & ploratum: nullumque tot animalium aliud ad lachrymas, & has protinus in vitæ principio. Verissimum interim sit illud Pythagoræ, quo dicit, omnium animalium sapientissimum esse hominem, quod manus habeat: quarum vsu ea comparat vitæ necessaria, quæ natura illi negauit: vti dum ex lana vestes contexit, equum ad cursum assumit, bouem ad arandum subiugat. Hæc tamen non nisi ex cuiusdam artis præceptis obtinentur: multoque studio & solertia acquiruntur: ad quę non paucorum ingenia sunt minus idonea, & facultates ineptæ. Quamobrem si ad ea respicere velimus solummodo, quæ natura sua sponte facit: nihil aliud plane nouit homo (vt Plinius animaduertit) præterquam flere.

Ipsimet cibi, qui ad vitam sustentandam in stomachum ingeruntur: quique tam studiose per mare terrasque inquiruntur, ac tanta delectatione palatum & organum illud gustus trium digitorum (vt quidam sapientum loquitur) titillant & recreant: qui etiam in subsidium labantis naturæ venire videntur: ita eam paulatim feriunt, vt si nulla alia esset causa interitus, cibi tandem mortem inducerent. Quamuis enim nutriendi facultas cibos superans illos transmutet in substantiam aliti, nihilominus non parum ex conflictu inter natiuum stomachi feruorem, ciborumque qualitates, naturæ vis repassione quadam (vt loquuntur) debilitatur: ex his senectus, tandem mors proueniret. Ipsa quoque medicamenta ex venenis plerumque confecta, etiam cum morbum expulerint, ipsius naturæ vigori interim non modice detrahunt. Omitto innumeros alios casus & pericula, quæ subitaneo & inopinato accessu vitam nostram sæpissime pessundant: vtpote ruentes tegulas, eiaculata fulmina, dilapsus ex equo aut curru, venenatas potiunculas, inimicorum hostiles insidias, pestilentiæ contagiones, in aquis suffocationes, animi dolores. Quæ quidem omnia in hac vitæ scena admirabiles strages corporum ediderunt.

Cibi causa mortis.

Casibus subiecta hominis vita.

Sin autem arte aliqua, prouido consilio, aut felici fortuna quamplurima istorũ effugeris: cum etiam ad votum tibi omnia prospere & secunda aura affluxerint: breuissimo tamen temporis spacio placidus iste naturæ decursus absoluetur, & (vt inquit Cicero) *Mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur: in quo est aliquid extremum. Cum enim id aduenit, tunc illud quod præterijt effluxit, tantum manet quod virtute & recte factis sis consequutus. Ecce mensurabiles* (ait Psalmista) *posuisti dies meos.* in Græco παλαιστάς: quod significat quatuor digitorum mensuram: cum enim quatuor istę qualitates elementorum in humano corpore stadia sua perfecerint, funus aderit & sepulchrum. Læta iuuentus lusibus intenta, non animaduertit quam celeri

Breue & succinctum vitæ stadiũ.

Cicer. de senect.

Psal. 38.

celeri curſu feratur ad exitum. Iuuenilis feruor parum reputat id temporis, quod inſequendis fæis, luſtris excutiendis, amoribuſque excolendis impenditur: vix horulæ ſpatiū illi videtur mora, quæ iſtis tribuitur. Tandem vero frigida curuaque ſenectus obrepit: & ſi in aliqua parte iſtius noſtri vitalis inceſſus diuturnitas reperiatur, illam obtinebit ſenectus: non quidem temporis ſpacio, ſed ærumnarū moleſtia, quæ efficit, vt omnia ſenibus videantur longiſsima. *Dies mei* (inquit Iob) *velociores fuerunt curſore*. Sicut enim curſor identidem loca mutat, ita in humana vita eſt perpetuus quidam tranſitus, quo ipſa decurrit ex pueritia in iuuentutem, ex iuuentute in ſenilem ætatem: qui etiam curſus horologio illo arenario fragili & lubrico, pectoribus noſtris incluſo, menſuratur. Rectiſsime idcirco decurſus iſte ſpirationis noſtræ cōparatur flumini: quemadmodum enim quædam eſt huius pars, quę omnino effluxit, & aſpectum noſtrum præterijt, alia quæ obuerſatur oculis: demum alia, quæ in ipſis fontium ſcaturiginibus ebullire & proëminere incipit: ita ſi pueritia euolauerit, iamque conſtiterit virilis ætas: gelidus ille ſanguis, ſenectutis vehiculum, ex iecore, vti ex fonte erumpere incipiet. Quæ autem vitę pars eſt dilapſa, ea nullis vocibus aut opera poterit reuocari. In alijs autem rebus, quę priori aliqua induſtria probè non concinnantur, deſtrui queāt, & nouo melius labore conſtrui: ita ędificium quod apte & ad oculum pulchre non conſurgit, ſi dirutum fuerit, de integro fabricatum, priorem errorem ex recenti molitione compenſabit. At ſi quid in pueritia aut adoleſcentia erratum fuerit: non ita poſſumus vitam ad principium reuocare, vti nouo quodam filo telam iterum texamus; aut vt ætatis florem, quem ſcelerum turpitudo infecerit, radici inſeramus rediuiuum: quod ſapienter quidem mihi viſus eſt Euripides deploraſſe:

Iob 9.

Vita hominis flumen decurrens.

Vita elapſa non corrigitur.

Euripid. Suppl.

Hei mihi, cur non ſic comparata eſt vita mortalium,
Vt bis liceat eſſe iuuenes, & deinde rurſus ſenes?
In ædibus enim, ſi quid parum recte eſt, licet
Poſterioribus corrigere ſententijs:
At non item æuum: ſin autem eſſemus iuuenes
Bis, & ſenes: ſi quid erratum foret,
Corrigeremus duplicatæ vitæ compotes.

Cogitemus itaque quam labile, fluxum, & momentaneum ſit hoc ipſum quod ſumus. Lampas cui parum olei ineſt, diu lumen non ſeruabit. Herba quæ modicum ſucci retinet, exiguo ſolum tēpore ardoribus æſtiuis reſiſtet. Strutheo grauitate ponderis corporiſque mole depreſſus, cū alis è terra ſe modice extulerit, cito deſcendit. Quid hominis vitam continet? exigua natiui humoris quantitas: lumen ergo vitæ ſtatim extinguetur:

guetur: calidus vapor breui absumetur: ruetque præcipiti casu cum structheone corpus ad sepulchrum. Hac de caussa hominis vita comparari solet rosæ, cuius decus & natiuus splendor quam citissime marcescunt.

Mirabar celerem fugitiuam, *Virgil. Eneid. 6.*
Et dum nascuntur, consenuisse rosas.

Ea propter apud veteres mos inoleuit statutis temporibus deferendi rosas ad mortuorum sepulchra. Ita Augustus Imperator Alexandri Magni sepulchrum inuisens (vt scribit Suetonius) *Corona aurea, ac floribus aspersis, veneratus est.* Pierius quoque refert se Rauennę monumento insculptum Epitaphium legisse: *Dec. viij. collegij fabr. M. C. H S. N. liberalitate donauit, vt quotannis rosas ad monumentum eius deferrent.* Hunc etiam ritum testatum facit D. Hieronymus: *Cæteri mariti super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, floresque purpureos: & dolorem pectoris his officijs consolantur.* *Cur rosæ sparsæ à veteribus ad tumulos mortuorum. Suet. in August. Pier. verb. rosa. D. Hieron. obit. paulin.*

Quamobrem quod talis sit nostrorum corporum conditio, qualis significet, probetque aliquid singulis horis & momentis vitæ ipsius excidere: cætera etiam bona & reliquæ iucũditates omnes hinc redduntur deteriores. Est enim salus corporis, eiusque firma rectaque constitutio, omniũ emolumentorũ, quæ naturæ aut fortunæ beneficio hominibus accidunt, veluti basis & fundamentum: idcirco ægritudine aliqua concusso corpore, frustra pecuniarum acerui impinguntur in thecas, inani strepitu famæ & celebritatis tuba concrepat: in cassum coquorum popinę dapes profundunt: amicorum aspectus grauis, vxoris & liberorum concursus molestus: elapsæ voluptatis cogitatio acerba, prospectus futuri intolerabilis. Quis sapientum ingentis molis saxa labili imponit fundamento? Corporis autem vita res est vanissima: alia tamen quæcunque commoda sustentat. Desipiunt profecto, qui dies noctesque vigilant vt ditescant: qui voluptates studiose inquirunt, qui fugacem famam, non solis tantum lumine, sed & lucernę luce, intentisque animis venantur. Corpore etenim morbo exhausto: hæc omnia flaccescunt, intereuntе pariter concidunt. Et aliquando grauissima moles, ac in altum congesta strues, sine strepitu decidit: cum nimirum alicuius diuitis mortem nemo eiulatu prosequitur aut encomio. Leuissimum ferme est, quod homini vitam adimit, & ei fauces intercludit. Vt enim scribit Plinius, Anaranus asino vuæ passæ, & Fabius Senator in hastu lactis pilo suffocantur. Interim vt omittamus eos, quos nimia lætitia extinxit; de quibus Liuius. In media etiam gloria ac potestatis culmine cõstitutos, abripere solet mors, luctuque omnia claudere, & felicissima tragicè funestare. Hæc nemini parcens, Alexandrum in ætatis flore extinxit: atque vt cetera relinquamus; Dux Borboniæ annis decem & octo captiuus in Anglia detentus, re-

Voluptas deterior ex corporis fragilitate.

Mortis caussa res leuissima. Plin. lib. 7. cap. 50. Liu. lib. 22. Inexpectata mors. Curt. lib. 4. Graft chrõ. Henric 6. pag. 533.

demptionis prætio soluto, quod constabat octodecim millibus librarum, in ipso procinctu regressus in patriam, omnibus paratis quæ ad splendorē tanti Principis, faustum & diu expectatum eius iter postulari videbantur: eodē die, quo progredi destinarat, ægritudine grauissima correptus, è tanta spe decidit, ac Londini non diu postea interijt liber, cui captiuo mors pepercerat. Simili inopinato casu celeberrimum illum Comitem Sarisburiensem Mōtacutum, ac in bello ducem strenuissimum, qui Gallorum terror dicebatur, mors acerba oppressit. Dum enim cum suis in obsidione Aurelianensi ad fenestram ferreis clauis munitam colloqueretur, forte fortuna tormento ex vrbe eo directo, perfractis cancellis, gena globi ictu ei auellitur, & intra paucos dies ex vulnere occubuit: à cuius interitu defluere mox cœpit, & paulatim labascere Anglorum in Gallijs imperium. Ad celebrandas nuptias illas inter Philippum Hispaniæ Regem, ac Henrici Regis Galliarum filiam; cum ingenti sumptu, populique occursu, ludi equestres instituuntur: Henricus postquam clarissima militaris fortitudinis exempla, currente equo, & euibrata in aduersarium hasta præbuisset; nouissime à Scoto quodā Regulo, fracta casside, aut decidente aliqua parte eius, in caput fortius impacta cuspide vulneratur, ac insequenti morte splendidissimas illas nuptias, domestica clade, mœstas fecit ac lugubres. Quod etiam de quodam Duce Florentino narret Paulus Iouius auditu dignissimum: *Dum parta de Venetis victoria, Sirrus Dux Florentinus incredibili lætitia afficitur; hostesque fugientes persequitur, tormenti minoris glande traiectus concidit, magno quidem illudentis fortunæ casu: quando ea pila in spacio trium aut amplius stadiorum, ex oppidi turre in incertum emissa, ipsum vnum victorem ducem miraculo quodam sustulisse videretur.* Ita mors fortunę, sensibus, ac nostrę vitæ solet illudere. Henricus Valesius, non ita pridem ingenti comparato exercitu, suorumque inimicorum ceruicibus imminens, vnius Religiosi arma tractare nescientis, & ad paupertatem ex voto relegati, cibario ferro occubuit, & lusum regiæ fortunæ alijs exhibuit.

Grafton. in Chron. Hen. 6.

Iustin. patric. li. 13. pag. 481.

Paul. Iouius lib. 3. pag. 245.

Mortis cogitatio frænum libidinis.

Quis autem dum infirmam hanc & lubricam corporis sui compagem mente serio contempletur, fictiliaque hæc plane animorum vasa expendat, quæ nulla ferme aut leuissima concussione in mille partes & testas disrumpuntur: diuinam simul potentiam, cui omnia dimittuntur, reputet, in tanta fragilitate & sub tanto imperio collocatus, non trepidat, non expauescit? præsertim si in illas consilio vitæque institutis actiones ingrediatur nefarias, quæ legibus supremi Numinis aduersantur, & maiestatem illam ad vindictam irritant, omnesque cęlorum furores sagittasque potentum in refractariorum capita adsciscunt? *Reges eos* (inquit Psalmista)

Psal. 119. Psal. 2.

mista) *in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* In ferro Dei virtus adumbratur, in ipsis figlinis nostra imbecillitas exprimitur. Si ferrum pulsarit, non est quod vas de suo robore quidpiam sibi polliceatur. Sit hoc vasculum coloribus depictum, sit vnguentis delibutum, sit floribus redimitum, sit etiam diademate clarum, adhuc tamen vas est fictile, & ex terra humore temperata concretum. Si ferrum accesserit, si tetigerit, si vel leui motu ad hæc vasa appulerit, statim concident, comminuentur. Nec Regum dominatio, nec iuuenum vigor, nec senum prudentia, nec diuitum thesauri, nec eloquentum versatiles linguę, hæc vasa firmare poterunt, quo minus ferri concussione proterantur, & in pulueres ictu redigantur. Quid ergo voluptates sequimur? ideo dicetis, quod nisi celeri & concitato cursu perquirantur: citius vitæ istius tempus excurrat, quam illæ comparari possint. Admitto rationem, laudo industriam; sed vlterius quæro. Si in iugo & apice alicuius infracti & salebrosi montis pulcherrima rosa se ostentaret: quam omnes scirent, illius esse proprietatis, vti manu decerpta, rubius eius color protinus marcesceret, fragantia in auras, truncus cum folijs in cineres illico abiret: Quis ad hanc carpendam rosam periculis sese obijceret, aut labore conficeret? Si mihi dixeris neminem montem velle scandere rosæ causa: asseram neque voluptates alicui expetendas operosius, lubricæ enim sunt, incertæ, ipsoque vsu pereunt & & intercidunt. *Cogites* (inquit D. Basilius) *velim membra hæc tua, quæ nunc velut subsultant ardore accensa libidinis, post aliquantulum desitura esse, ipsis nimirum dissolutis membris, & in terram repositis. Fac naturæ memineris, & ecce omnis illa ad improbitatem sectandam affectio pessumibit, iugis hæc cogitatio salubre quoddam amuletum est aduersus quodcunque peccatum.* Sed neque iuuenili calori indulgendum videtur, aut illi iucunditates exhibendæ. Nihil enim ferocius in hanc ipsam nostram vitam deseuit, atque calor iste: cuius igneus vigor miseranda strage breui corpus deuastabit; fulgentem illam formam, mollia & delicata membra, vibratos ocellos, erectam staturam, in longum porrectos digitos, omnia denique corporis ornamenta, vno incendio deflagrabit. Sane illi obsequium non præstarem, quem scirem dies noctesque intenta opera aliquid in meam perniciem semper machinari. Aduentante etiam morte voluptatis exitus non solum celerrimus, verum etiam miserabilis apparebit. Excelsum & tumidum illud caput, quod nunc ardens contegit diadema, scorpionum & serpentum erit latibulum. Lingua illa volubilis, quæ in omnem vibrata partem scindit, aureum illud Mercurij sceptrum, quod hominum societates cogit, vis illa immensa sermonis imperare desinet, cum lingua frigore cõstricta faucibus adhæserit. Exertum ducis brachium, quod cruore campos infecit, in-

Basil. de primig. hom. dig.

Corporis calori non indulgendũ, quod ingratus sit.

Vitæ exitus miserabilis.

finita strage cõtexuit, vibesque exscidit, rigebit breui, & in terram decidet inerme. Splẽdida illa Cypris choreis inserta, aut stragulatis eburneisque lectis suscepta: siue agilitate membrorum leuiter aliquando subsaltauerit, siue venustate vultus intuentium oculos ad libidines pellexerit: pallida oppressa morte torpescet, & vbi roseus color aliquando floruit, ibi flauus & terrestris humor cum macie & feda illuuie dominabitur: & in prostratum cadauer cum oculos direxerimus, ob tantam mutationem admiratio summa animos subibit, dicemusque cum Thesio Hipoliti sui pulcherrimi decerptos fractosque artus contemplante:

Sen. Hippol.

Hæc ne illa facies igne sydereo nitens,
Inimica flectens lumina? huc cecidit decor?
O dira fata numinum, ô sæuus furor.

Fieri autem non potest, quin hęc mortis meditatio plurimum nos afficiat, & dolore quodam gaudia nostra temperet: quam existimarem saburram esse, qua vitæ nauigium firmatur, & à fluitatione retinetur. Eam si quis expulerit, iactationi & fluctibus obuius erit. Hinc (vt scribit D. Hieronymus) qui apud Romanos triumphabant, ne popularibus acclamationibus sese immodice efferrent, aliorum vocibus ita admoniti fuêre: *Hominem te esse memento.* Eo autem mortis memoria acriores nobis stimulos admouet, quo animæ è corpore auulsio, naturę ipsi repugnare magis videtur. Ita enim hæc duo in commune quasi contubernium inclinantur: vt nihil tetrius aut asperum magis appareat: quam interueniente morte in diuersa abripi. Est etenim (vti dixi) hæc corporis animęque associatio, cęterorum omnium expetendorum quasi basis & fundamentũ: ideoque ipsa maxime expetibilis, & ex consequenti, huic contraria partium discessio, summe iniucunda, acerba, & inimica naturæ iudicabitur. Horrorem plane menti incutit cogitatio illa, qua deprehendimus futurũ esse aliquando, vti hoc nobis charissimum corpusculum langueat morbo, putredine contabescat, à vermibus exędatur, tumulo perpetuisque tenebris inuoluatur. Idcirco modo inscius animus itineris tunc conficiẽdi, cum corpore exutus fuerit, omnia timide perlustrat: miratur quid boni malive ei in via posit occurrere, suspicioneque tenetur perplexus, & pauide incedendum arbitratur. Vehementer dolet quod corpus, tã suauis vitę socius, lapsurum sit tandem in fossam, & macie confectorum animalculorum fauces. Scrutatur timide arcana illius hiatus & monumenti: vbi silentium, repentes vermes, seminuda ossa, fluxus saniei, refracti artus, pendentes aranearum telæ, timore ipsum enecant ad hæc aduertentẽ. Quid amicorum interitus & dãna? quid infortunia, quæ doloris acerbitate hominum animos exulcerare solent? quid delusiones amatorię, si ad

D. Hier de obit. Blesil.

corporum

corporum ſtragem hæc conferantur? ſi cum tumuli cadaueroſo ſpectaculo comparentur? Diſpendium idcirco quod infert mors, ſicut natura ſua omnium malorum eſt atrociſsimum: ita eiuſdem præmeditatio intenſior expreſsiorque omnium maximo dolore hominem afficiet: neque miror: cunctorum enim terribilium mors (vt ait Philoſophus) terribiliſsimum. *Ariſt.2. Ethic.* Cęteraque omnia detrimenta cum hac collata, nugari potius videntur malum, quam inferre. Admiratio me plerunque capit, cum paſsim videã homines ſumma opera laceras veſtes, inediam, famem, infamiam, veluti immania ſpectra horrere & fugere: ſepulchrum tamen & interitum, quę illorum oculis obuerſantur, non expaueſcere. Vmbras timent, & depictas nubeculas: mala autem vera, quæ infert mors, negligũt: nec quidquã penſi habent. Verum (vt inquit Apoſtolus) mortis præſagium hominem *2.Cor. 5.* vehementius affligit, eo quod natura penitus expoliari renuat, ſed potius ornamenti acceſſu ſuperueſtiri appetat: *Vt abſorbeatur quod mortale eſt à vita.* Rationis quidem expertia animantia, quemadmodum & homines, interitui ſunt obnoxia: veruntamen quod illum non præſentiant, nullo acerbitatis ſenſu inde vexantur. Homo vero cum partium ſuarum diſſolutionem longe ante præuideat in vita: examinatus pene funeris ſui obiecta ſpecie, vehementer ſolet perturbari. Non tamen hinc natura incuſanda, ſed potius execrandum delictum; cuius nunc vim mortis contagione experimur. Vt enim nos docet D. Auguſtinus: *Nec caro animam peccatricem, ſed anima peccatrix fecit corruptibilem carnem.* *D. Aug. 13. Ciu. cap. 23.*

De aptiſsima rerum conſonantia, ex vnione diſparis ſubſtantiæ, ſpiritualis nimirum & corporalis, in vnius hominis forma ac ſpecie.

CAPVT XIX.

MIRABILIS illa duarum rerum adeo diſparium, corporis & animæ, in vna eademque hominis ſtructura colligatio: multorum animos dubios & perplexos diu habuit. Et quod tãti miraculi vim atque rationem ſuis intelligentijs non ſint adſequuti: in varios errores cogitantes incidere. Duplici autem cuiuſdam differentiæ genere anima à corpore diſſentit. Primo, quod illa pura ſit, ſimplex, immaterialis: hoc autem concretione graue & dimẽſum, elementorumque coitione coalitum, belli filius, & acerrimæ cõcertationis exitus. Deinde quod alia ſint ſtudia, conatus, & molitiones

Anima cum corpore coniũctio admirationem multis incuſſit.

Duplex differentia animæ à corpore.

Greg. Naz. in laude frat Cæſ.

Greg. Naz. orat. de amore pauperũ.

Originiſtæ quid de vnione hac?

Peripatetici hanc vnionem qualem exiſtimarunt?

animæ, alia vero corporum. Nihil quidem animę proprium magis quam rerum diuinarum perceptio, ex virtute morum inſtitutio: corpori autem hęc moleſtiſsima ſunt & oneroſa. Quam vtramque diſſentionem complexus eſt Theologus Nazianzenus; priorem hiſce verbis: *Paruus ſum & magnus, humilis & excelſus, mortalis & immortalis, terrenus & cœleſtis*. Poſteriorem vero iſtis: *Proh Deum immortalem, quæ iſtæc coniunctio eſt, quæ inimicitiarum diſsidijque ratio? quod vereor amplector, quod amo perhorreſco, antequã bellum geri cœptum ſit, in gratiam cum eo redeo: antequam pax ſit, conſcientia ab eo diſsideo*. Hinc aliqui inficiati ſunt, omnino ſpiritualem animam carnis mole includi debere. Alij autem, cum in homine rerum ſcientiam perſpicuam viderent, de futuris quoque prouidentiam, de præſentibus ſolertiã, de elapſis experientiam, virtutum denique omnium cultum in eo vigere perſpicerent: eam opinionis rationem inierunt, qua ſpiritum aliquẽ humano corpori illapſum omnino exiſtimarunt: hunc tamen non naturæ aliquo vinculo corpori fuiſſe adiunctum, aut propria ſponte & inclinatione ad corpus acceſsiſſe putarunt: ſed iuſtitia potius diuina intercedente, detruſum in hanc corporis cõpagem: cuius contagione, inedia, morbis, affectionibus; quod male aliquando ſe geſsiſſet, diuexaretur. Alij vero, ne tam ſublimis & ex alto depreſſa animæ particula corporis pondere grauaretur, fęce aut macula prę̃ſtãtiſsima eius ſpecies inficeretur: ad corpus appuliſſe eam dixerunt, non tamen corpori penitus inſidiſſe: opinati extranea quadam opera animam corpus agitare ſolum: eadem plane ratione, qua intelligentiæ cœlorum orbibus adſunt.

Concil. Later. ſeſſ. 8. concil. Vien Clẽ. ad noſtrũ.

Anima vnitur corpori vti forma.

Gen. 2.

Nihilominus Eccleſiaſtica definitione (de cuius veritate dubitare Chriſtiano nefas) ſancitum eſt: rationalem animam corporis veram propriamque eſſe formam: ita vt vtriuſque ſubſtantiali nexu integer homo conſtituatur. Neque hoc operatione tantum ipſius animæ perficitur, ſed potius animæ præſentia, qua ſe in corporeos artus inſinuat penitus, craſſamque hanc molem informat. Inquit enim ſcriptura: *Et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*. Quod quidem vitæ ſpiraculum anima eſt inſpirata in corpus: quæque per eius membra comeans, veluti interior forma illud contineat perficiatque. Omitto alia ſexcenta loca, quæ indicant hominem ex anima & corpore eſſe conſtitutum, hominem operari, dum mens eius intelligentia viget, eundem interire, cum animus abſceſſerit. Ratio etiam ipſa ſatis procliuis eſt ad idem adſtruẽdum. Ex duobus etenim natura ipſa diſcretis vnum fieri nequit, aut operatio vna totius conſtantis ex pluribus reputari, niſi huic proprietatem actus, alteri appetitum potentiæ attribuamus. Qua de cauſa ex ſphæra cęleſti & Angelo vnum quid non reſultat; propterea quod tam illa quam iſtic propriam

ſibi

sibi innatamque formam vendicet. Proinde si hominis suppositum quid vnum & integrum existimandum sit; corporis potentiam animæ actus perficiet afficietque intime. Cuius quidem rei indicium est, quod videamus animam corporeis malis tangi, atque pœnam aliquando inflictam subire debere, si modo corpus in prauas cupiditates concesserit. Iniqua autem tam huius quam alterius esset conditio, si reciproce essent ambo sibi mutuo extrinseca. Neque cuiuspiam assensum remorari debet illa cogitatio, qua quis secum reputet adeo dissimilium rerum coitionem omnino esse improbabilem. Nam istius vniuersi pulchritudo, quæ ita in oculis nostris efflorescit, ex rebus varijs affabre insertis & intertextis exoritur. Harmonia omnisque concentus musicus ex dissonis, conspirantibus tamen vocibus, ac modulationibus coalescit. Humanum corpus ex diuersis membris, figuris, & colore distinctis, decenti tamen situ collocatis, coagmentatur. Annuli digitorum insignia, quæ ita aspectus nostros cogunt, aurea constant pala, lucentique gemma; quorum discrepãs est natura. Ad exprimendam idcirco in hominis structura eximię cuiusdam pulchritudinis speciem, substantiam animæ spiritualem, corporeæ moli inseruit Deus. Nullius etenim momenti habetur ædificium illud, quod ex vna simplici materia consurgit, quamque vicina loca facile parabilem præbent. Propterea vt regum palatia construantur, forinsecus quamplurima, eaque disparia, & in locis dissitis conquisita comparantur: vtpote marmorum crustæ, & columnæ, proceræ arbores, excisæ tegulæ, ebur, aurum, argentum, cæteraque metalla, quæ arte etiam postea tractantur & poliuntur. Ita in hominis fabrica, ipsa anima imprimis est spectabilis, cuius origo & propagatio diuina, ab ipso Dei spiritu cœlesti emissa: deinde accedit corpus desumptum ex terra; quodque accuratissime est elaboratum: ex quarum rerum dissimilium connexu homo consurgens, speciosior euadit & ornatior. Et quemadmodum Patriarcha, quod filium Ioseph (quem in senectute genuerat) plurimum diligeret: polymita ipsũ tunica decorare voluit: Ita Deus hominẽ vltimo loco producturus, polymita tunica sibi lõge carissimum pignus exornauit: in qua cũ varietate colorum, substantiæ quoque dissimilitudo appareret. Vnde videmus corporis animæque ratione, tam cœli quam terræ in homine formas esse expressas. Corpus quidem elementorum vires continet, animus cęlorũ similitudinem refert. Grauitate corporis terra, sudore aqua, anhelitu & motu aër, erecta statura ignis adumbrantur. In multis etiam cœlorum quandam formam effingit animus. Sicut enim cœlum circulari motu in gyrum perpetuo rotatur: ita animę motio, quę in eius operatione consistit, (vt animaduertit Aristoteles) est quodammodo sphęrica & orbi-

Dissimilium rerum coitio præclara.

Gen. 37.

In anima & corpore forma mundi.

Arist. 1. Anim. tex. 46.

orbicularis. Sicut enim ſphera in idem punctum recurrit vt exitum, è quo veluti principio profluxit: Ita animus cum principium aliquod ſcientiæ perceperit, ad concluſiones progreditur: tandem has in illud idem elemẽtum refert: atque ſic intelligendo, diſcurrendoque, ac ſuos conceptus circinãdo, quendam orbem cõficit. Cœlum præterea ſua luce hæc inferiora decorat, & calore fœcũdat: eodẽ modo animus, corpus intelligentia colluſtrat, morumque præceptis, & virtute ſubactum excultumque facit.

Connexio rerum in hoc vniuerſo ex vnione animæ cum corpore.
Dionyſ. 7. li. de diuin. nom. c. 7.

In hac itaque adeo diſsidentium in vno homine rerum compage (vti adnotauit D. Dionyſius) ſingularem etiam quandam rationem diuinæ prouidentiæ deprehendere poſſumus & admirari. Deus etenim Opt. & Max. qui pace atque concordia cuncta firmare deſiderat; quæ huius vniuerſi complexu coërcentur, ita inter ſe connecti & cohærere voluit, vt ſi in quaſdam claſſes ordineſque ſingula diſtribuerimus, ſuperiorum infima, infirmorum ſupremis innexa & implicata reperiemus. Proinde humanum corpus, quod inſigni quadam nobilitate inter ea, quæ mole conſtant, elucet, arcemque tenet: ſpiritualium ſubſtantiarum infimę, quę anima eſt ratione prædita, illigari decuit. Si enim cœlorum orbes, vti ipſorũ motus firmo conſtantique curſu progrediantur, rationalem angelorum virtutem requirant: profecto hæc noſtra corpora quæ dignitate & præſtantia nihil cedunt ipſis cœlis, vt munera ſua recte præſtarent, ſpiritualis cuiuſdam ſubſtantię videntur ſubſidium poſtulare. Supra etenim ex Philone retulimus, Epilogi & coronidis loco ex puluere non quolibet, ſed nitido, puro, & ventilatione quadam ſegregato, effinxiſſe Deum humanum corpus; in quo enitere & florere voluit ſuæ virtutis non leuiter impreſſum veſtigium, ſed viuam expreſſamque imaginem. Ea propter ſicut pictores perpoliunt tabellam, diligentiſsimeque curant, vt illa terſa ſit & teres, in qua Imperialis forma eſt delinianda, vel artis proprię faciẽdum periculum: ita Deus corporis cõſtructionẽ, quæ ſuã ipſius imaginẽ, animam nimirum ſuſciperet, exquiſitiſsime elaborauit. Atque iſtius fabrefactę molis ratio, ſpiritualis naturæ conſortium omnino requirebat, cuius vi imperioque eius actiones omnes inſtituerentur. Nam ſi intelligentiam cogitatione noſtra à rebus corporeis amotam ſtatuamus, non ordinem quidem vllum inferiora hæc, quæ noſtris ſenſibus obijciuntur, ſeruatura perſpiciemus: ſed potius diſsidio perturbari, cæco & temerario impetu vnum in aliud incurrere. Quapropter corpori infundendum erat rationis lumen, cuius radio cęteris ducatus præberetur, cuiuſque lege in debitos fines dirigerentur. Neque imperium hoc rationis, ipſis angelis tantum demandari debuit: Nam licet mente vigeant & polleant; tamen à concretione ſenſibili omnino ſegregati, ab his percipi non potuerunt,

Ratio in carne conuenientiſſima.

quorum

quorum cura ad ipsos spectaret, neque pro dominis haberentur, & proinde non superesset legitima aliqua forma seruitus aut dominationis. Opus ergo fuit alia substantia, mixta, varia, atque multiplici ex corpore animaque constante: quę cum sensibus perciperetur, tū rationē exercens, Regis aut Imperatoris munus recte pręstaret. Hinc fit quod vel ad aspectum humanæ vmbrę expauescant ferocissima animalium: quasi domini speciem agnoscentia, vt animaduertit D. Basilius. *D. Basil. de prim hom. dig.*

Vnde duplicis istius substantiæ in vno eodemque homine coitione, singula rerum genera dignitatem quandam consequuntur. Nam ne hęc inferiora defluerent, conuulsaque penitus dilaberentur, voluit Deus omnia humanis legibus vinciri: ne autem homo animal terrestre, moribus sordidus esset & efferatus, vel ipsi rebellis, quasi de suo aliquid delibauit: spiritum nimirum ratione præstantem, quem corpori eius ita contemperauit, vti ille sceptrum teneret, hoc vero imperio subiaceret: atque sic demum caro, quæ turpiter alioquin lasciuiret & brutesceret, animæ pręsidijs suffulta, beneque instituta, ad beatas illas superorum sedes subueheretur. Ex quo factum est vti elemēta, ex quibus nostra corpora sunt coalita: animantia quoque sensu prædita, quorum gradus homo complectitur & coërcet: singularem quandam nobilitatem adipiscantur: tum quod ipse homo cuncta hæc inferiora ratione administret: tum quod eius corpus in ipsis cœlis, beatitudinis decus aliquādo sit obtenturum. Qua etiam ex causa, non aliunde decuit humanum corpus originem trahere, quam è terra. Enimuero tametsi cœlorum substantia longe præstet huic concretioni inferius depressæ: nihilominus si ex materia cœlesti cōstaret homo, nequaquam tot in se formarum gradus implicaret, quot ex terra coalitum complecti videmus. Ex cœlesti etenim materia non fuisset homo sentiens, vegetans, nutriens, primarum qualitatum impressiones non percepisset: caruisset idcirco sensu tactus, gustus, atque odoratus: quæ omnia variè & multipliciter in alijs dispersa, cum in vno homine, corporis ratione inueniantur: arbitrari possumus, hominis interiectu integrū hoc vniuersum eximie nobilitatum, & ad excellentiæ cuiuspiam apicem subleuatum. Quo modo etiam circuli quasi figuram exprimit hæc hominis plasmatio, quæ excursione recursioneque contineatur. Exijt quidem corpus à Deo, in quo quod terra dominatum exerceat, infimum locum obtinet. Illi vero cum infundatur animę spiritus, quantumuis crassum & terrenum recurrit ad Deum, & cœlestem tandem aliquando animæ motu sedem attinget.

Dignitas rerum ex vnione animæ cum corpore.

Corpus hominis quare ex terra.

Sed neque aliunde diuinæ virtutis illustrius aliquod argumentum exhiberi potuit: quam ex hac animę cum corpore coniunctione. Si namq; *Virtus Dei elucet in copula animæ cum corpore.*

molitiones illę maiorem ſemper in opifice peritiam indicent, quæ materiam habent aut inſtrumentum ab effectu, qui excitatur, maxime remotum & alienum: quandoquidem organi aptitudo inſita ſibi vi, etiam abſque artificis peritia, multum ad actionem conferat: cum hęc noſtri corporis terra longiſsime ab intelligentia, pura, ſimplici, & immateriali ſubſtantia ſit natura ſua ſeparata: miraculi plane loco habetur, quod videamus Deum pulueres hoſce animaſſe, vegetaſſe, mentis radio illuſtraſſe: in quibus nunc deſpicimus iuuentutis florem, virilis ætatis decus & firmamentum, incaneſcentis ſenectutis rerum vſum & experientiã. Quid hac terreſtri mole iã pulchrius? quid præclarius ſenſibus occurrit noſtris? Roſeus ille ſanguis ceruleis incluſus venis, quam ſpecioſe per corpus diffunditur? qui albeſcentem carnem cœlorum depingit colore. Rotunda illa & niue candidiora membra neruis illigata, quam mollia, delicata, & flexilia? rubor ille æthereus teneræ limpidæque cuticulæ offuſus, ſplendentes, radiantes, & vibrati ocelli, ſtaturæ maieſtas, inceſſus decus, vocis ſuauitas, vultuſque apta concinnaque ad indicandos animi affectus compoſitio: omnia hæc noſtri corporis ſunt inſignia & amoris illectaméta: quibus ſi addamus dotes illas beatorum corporibus adijciendas: leuitatẽ nimirum, agilitatem, ſubtilitatem, atque ſplendorem: quid admirabilius dici aut fingi poterit? Proh Deum immortalem, vita, motio, color, robur, ratio, diſcurſus, virtus, gloria, quid hæc cum pulueribus? Nihilominus vti ſpecimen aliquod ſuæ potentiæ Deus ederet: hæc omnia molitus eſt in terræ gleba, obſcura frigidaque materia. Vnde (quod ſanctiſsimo *Pſal. 29.* Dauidi difficillimum videbatur) nunc cinis & puluis confitentur Deo.

In terra omnia elementa ſic in humano corpore. *Ioan. 9.*

Quod autẽ terra in ſe cohibeat cætera elementa, ad hoc Dei opificiũ eadẽ vel maxime adhiberi debuit. In venis etenim terræ & tubis aqua diſcurrit; fauces eius apertę aërem excipiunt: ex lapidibus, attritu ferri, ignis ſcintillæ eliciuntur. Elementa proinde omnia ad dignitatẽ euexit Deus, terrenum corpus dum animæ luce perfunderet: cuius quidem molitionis memoriam quondam nobis inieciſſe viſus eſt Chriſtus Dominus, in illius cæci curatione; expuens namque in terram, & ex puluere ſaliuaque limum conficiens, illum oculis cæci admouere cœpit. Cum vero craſſa, tenebricoſa illa limi moles plurimum diſſentiret à luce & tranſparentia pupillæ, infinitę cuiuſdam virtutis ſpecimẽ exhibuit, limo vim inſerens ad viſum cæco reſtituendum, quo etiam modo æternus rerum genitor, cum hominem conderet, intelligentiæ oculo, ex aqua & pulueribus concretum corporis limum, inſigniuit.

Virtuti idonea corporis & animæ cõiunctio.

Quoniam vero quod in homine præſtantiſsimum reperitur, virtus eſt: cum huic corporis cum animæ coniunctio multum conferat, conſul-

to om-

to omnino prouideque duarum istarum rerum in vno homine societas coaluit. Quod enim animæ adiungatur corpus, virtutes omnes exercendi inde pulcherrimæ occasiones dimanant, de qua re hæc D. Gregorius Nazianzenus: *Duplici idcirco de causa hoc factū est, altera, vt per certamen cum rebus inferioribus initum, ad supernæ gloriæ hæreditatem perueniat: rebus scilicet fluxis & fragilibus, non secus atque aurum igne probatum, bonisque in spe positis, non solum vt Dei beneficio sed etiam vt virtus præmio vtatur, &c. Altera rursum, vt deteriorem quoque partem, crassitie sua paulatim solutam, ad se pertrahat, atque in sublimi collocet: vt quod animæ Deus est, hoc corpori sit anima, suam ministram materiam instituens, conseruumque corpus suum Deo adiungens.* In eandem quoque sententiam hæc habet: *Quanam hoc Dei sapientia, quonam magno & arcano consilio mihi hoc accidere dicam? An hoc agit, vt cum Dei pars simus, atque superne fluxerimus, ne ob huiusmodi dignitatem altius efferamur, atque intumescamus, Creatorem contemnens; ob eam quæ nobis est cum corpore colluctationem ac dimicationem, eum semper intuemur, omnesque spes nostras in eo positas habeamus, atque ita connexa nobis infirmitas dignitatem refrenet atque coërceat? An vt intelligamus nos maximos simul atque abiectissimos esse, terrenos & cœlestes, temporarios & immortales, lucis & ignis, siue tenebrarum hæredes, prout ad alterutrum horum nobis propendere contigerit?* Actiones vero humanæ, quæ rectæ rationi sunt consentientes, si illas omnes in suas classes distribuerimus: earum duo genera animaduertemus. Quorum primum illas complectitur, quæ versantur in his vitijs cohibendis, quę à deprauatione tantum animæ oriuntur, & à Theologis nuncupari solent spiritualia, nobis cum angelis communia mala, quibus illi impuritatis dedecorisque notas nunquam expungendas, prima illa apostasia ipsissimet consciuerunt. Alterum autem genus illorum est vitiorum, quæ è sensuum lacunis corporisque antro exurgunt, & corporalia appellantur. In quibus omnibus superandis, vti alicui laus integra accresceret, animæ corpus adiungi debuit: ac sic hinc pugnæ occasio, illinc victoriæ ratio constarent. Si enim abesset corpus, libidinis expugnatio nihil promereretur; & si anima deesset, nulla plane virtutis moderatio cerneretur. Quocirca hominem ipsis angelis morali quadam pręstantia antestare, in eam sentētiam vt opinetur, quispiam fortassis concedet. Nec quidem mirum, illorum est enim contemplatio, nostrorum virtutis actio. Quam si adhuc diuidere minute magis velimus; quandam videbimus relatam ad nos ipsos, vtpote quæ corporis sensibus moderatur. Aliam despiciemus, quæ progrediatur ad externa: quæ etiam duplicia sunt: vel enim sensu percipiuntur, vti nostræ vitæ socij homines, vel aspectus nostros fugiunt, vti Deus & intelligentiæ. Erga illos quidem nos recte gerimus iustitia, pietate, beneuolentia; erga

Greg. Naz. Apolog.

Duo genera virtutum moralium.

hæc fide, ſpe, charitate & religione. Atque hanc rationem attigiſſe videtur Mercurius: *Itaque hominem conformauit ex animæ & corporis natura, id eſt æternæ & mortali natura: vt animal ita conformatum vtrique ſuæ origini ſatisfacere poßit; & mirari atque orare cœleſtia, & incolere atque gubernare terrena.* Quæ porro ſaluti & rectitudini officere poſſunt alicuius ratione præditi, vel interna ſunt; vtpote prauæ cupiditates, quas corpus effundit, aut externa, veluti mala aliorum exempla, ſuggeſtiones nefariæ à dæmonibus ſenſibus illatæ: de quibus omnibus, homo mixtum animal corpore ac mente conſtans, victoriam reportat, vti nullum plane hoſtium genus ſuperſit, quod vim eius effugiat, vel ab illo non profligetur. Atque hæ animorum corporibus iungendorum cauſæ iuſtiſsimæ mihi videntur.

Mercur. in Pœmand.

Quodnam ſit hominis officium: de natura quoque virtutis atque vitij inquiritur.

CAPVT XX.

DEſcripſimus vtcunque ſuperioribus diſputationibus ſingulas naturæ humanæ partes, illarumque vires, quibus ad agendum ipſæ inſtruuntur, preſsius enucleatiuſque expendimus: inde enim officij noſtra fundamenta aptius deduxiſſe videbimur. Perſpectis namque naturæ ornamentis ad virtutis ſtudium excitamur, otium diſsidiamque abijcimus. Porro cognitis infirmitatum malis, quibus defatigatus quodammodo in nobis animus ingraueſcit, nihil inſolentis moliemur; ſed conatus ad facultatum rationem ſuſcipiendos arbitrabimur. Cum itaque ex animæ corporiſque copula conſtet homo: inquirendum quibuſnam integrum eius officium plene abſoluatur, quidve ab illo maxime tanquam palmare expectetur.

Facultates animæ demonſtrant eius perfectionem poſitam in actione.

Si naturam hanc noſtram omni prorſus facultate denudatam, veluti nauem abſque armamentis arenæ ſolide incumbentem, in hunc orbem Deus induxiſſet: videretur ſane eiuſdem perfectionem, & quod optimum eſt illius, in quadam quiete ac ſola exiſtendi conſiſtentia collocari. Verum cum illam voluntate, intellectu, cæteriſque potentijs ad agendum inſtructam videmus, nemini obſcurum eſſe poterit, quin intelligat perfectionem, & eius vltimum complementum, in quodam operationis genere reperiri. Non enim ſicut in arte confectis, quibus artificis ſola manu omnis dignitas & ſplendor accedunt, ita in homine natura omnem operata eſt perfectionem. Subſtantiam quidem eius emiſit in lucem,

cem,

cem, illamque quibusdam facultatibus apte communiuit: Cæterum extremam manum, qua poliatur perficiaturque, nobis ipsis commisit: vti non naturæ tantum, sed & nobis ex bene gestis laus aliqua & emolumentum accrescerent. Ideoque (vt adnotauit Aristoteles) à natura ipsa inditas non habemus virtutes, in quibus sine controuersia decus omne nostrum & pulchritudo efflorescunt: sed ad illas solum naturæ munere habiles sumus & idonei, postea vero intelligentiæ & voluntatis molitionibus acquiruntur. *Ergo neque natura neque præter naturam nobis ingenerantur virtutes: sed sic affectis, vt ad eas suscipiendas aptissimus natura, perficiamur autem, perpoliamurq; more & consuetudine*. Quod autem non in naturę solis beneficijs constituatur humana præstantia, sed potius in actione voluntaria, luculentum faciunt pręmij conferendi rationes. Non enim pulcherrimis corporibus decernuntur brauia, sed palestritis strenue decertātibus. Non corporis habitum, aut magistratuum ora, sed illorum dicta, iudicata, factaque suspicimus. Quocunque demum mens se cogitatione contulerit: si laudem, decorem, & ornamenta quærat: hęc ab operatione voluntaria deriuari perspiciet. Hominis autem operatio cum sit natura, eiusque potentia posterior: sicut ipsius vltimum quid, ita & pręstantissimum censebitur. Atque homini adeo genuinum est operatione sua emolumenta sibi comparare: vti ipsa naturæ principia, ex quibus constat, hoc ipsum manifestum faciant. Inspirauit enim Deus (vt loquitur scriptura) in faciem hominis spiraculum vitæ: hebraicè *Neshma*: quod motionem quandam denotat. Ipsa namque natiua corporis vita, motione quadam perficitur: & tamdiu aliquid viuere dicimus, quam diu se mouet. Proinde generali notione istius motus cuncta animantia cōplexus est Deus: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.* Hęc autem vitalis agitatio officiū nostrum videtur exprimere, nosque admonere, illud mentis motione, atque voluntatis ad virtutem directa actione præstandum & absoluendum. Ita Delphini squammis ad natandum; volucres pennis ad volandū, cerui pedibus ad discurrendū instituūtur. Recte idcirco Hecuba sentire visa de est hominis perfectione. In funere enim Astianaxis Hectoris parentis clypeum protulit, sudore ab illius fronte, dum acriter pugnę insisteret, defluente delibutum. Ostendit quoque manubrium forti eius manu compressum, & arctiori complexu attritum: in istis namque pręstantissimæ actionis vestigijs, hominis laudem florere existimauit. Vnde Euripides:

Arist. 2. Ethic. cap. 1.

Ratio præmij ostendit perfectionem hominis poni in actione.

Vt vita corporis in motu, ita officium animæ, in motu.

Gen. 1.

Quam dulcia in manubrio tua sunt
Vestigia impressa? vt sudor in polito vmbonis ambitu:

Euripid. Troad.

Qui fronte Hectoris extillauit, dum Martijs
Laboribus fungeretur, mentoque scutum obtenderet.

Hominis perfectio in actione virtuti cōsentanea.
Arist. 1. Eth. cap. 7.

In vniuersum cum iam constet hominis præstantiam, in operatione eius esse collocatam: declarandum videtur in quonam actionum genere reperiatur: quod nobis etiam ipsa philosophia explicate indicabit. Aristoteles cum docuisset illis facultatibus humanum officium perfici, quibus homo brutis animantibus excellit, hæc intulit: *Quod si ita se habet, hominis bonum erit functio muneris animi virtute directa*. In anima autem, qua sola homo cæteris pręstat, duo inueniuntur: ratio nimirum & appetitus. Rationis est omnis veri inuestigatio: appetitus autem bonorum operum effectio. Tunc idcirco probe se geret homo, quando ratio eius nullis obnubilata erroribus, quæ in rebus recta sunt, & in moribus consentanea, clare intuetur: & dum appetitus, huic subiectus, ea efficit, quæ non perturbatione aliqua, sed rectę rationis iudicio præscribuntur. Quod neque Ciceronem latuit: *Motus autem* (inquit) *animorum duplices: alteri cogitationis, alteri appetitus. Cogitatio in vero exquirendo maxime versatur, appetitus impellit ad agendum. Curandum est igitur, vt cogitatione ad res quam optimas vtamur: appetitum rationi obedientem præbeamus*. Si autem in conficiendo humano officio duas hasce partes inter se conferre velimus; ratio principatū obtinebit: illi enim subdendus est appetitus, & ad hunc spectat rationis imperata prompte & expedite conficere. *Ita fit* (inquit Cicero) *vt ratio præsit, appetitus vero obtemperet*. Mox explicat idem Cicero, in quibusdam appetitus morem gerere debeat rationi. *Efficiendum autem est, vt appetitus rationi obediant, eamque neque præcurrant, neque propter pigritiam aut ignauiam deserant: sintque tranquilli, atque omni perturbatione animi careant*. Nisi enim rationis animaduersione diligentiaque exultantes appetitus motus cohibeantur: non solum animę actio perturbata, temeraria, inconstansque inde euadit: verum etiam corpus quodammodo efferatum, turpem sui speciem ac deformem exhibebit. *Licet* (inquit Cicero) *ora ipsa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua aut metu commoti sunt, aut voluptate nimia gestiunt, quorum omnium vultus, voces, motus, statusque mutantur*. Illa itaque est virtutis actio, quę rationi consonat: vitij autem, quę ab eadem deflectens, in perturbationem aliquam prępostere concedit. Vt autem rationem in cunctis sequeremur, eius sententia, non obscuritate aliqua inuoluta, sed clara, conspicua, explicataque in nobis elucet. Hæc etenim sua intelligentia facillime decernit honesti atque inhonesti formas: mouebit studia animę ad optima quęque: atque illos stimulis etiam exagitabit, qui sceleribus manus turpiter dederunt. In omnibus vero mentis nostræ pręscriptio decorem quendam & pulchritudinem spectat. Nam sicut

Cicer. li. 1. off. cap. 7.

Perturbatio animū & corpus deformat.
Cicer. lib. 1. off.

ſicut in bene valente corpore, eximia quędam forma efflorescit: ita in homine optime instituto, admirabile quoddam decus reſplendet: hoc vero in virtutis pulchritudine conſiſtit & poſitum eſt. *Decorum id eſt*, (inquit Cicero) *quod conſentaneum ſit hominis excellentiæ, in quo eius natura à reliquis animantibus differt.*

Virtus in decore & quaſi colore ſpecioſo.

Cum autem iam conſtiterit quænam ſit virtutis ratio, proxime eiuſdem partitio expendenda erit. Quemadmodum vero duæ exiſtunt animæ partes, rationalis vna, ſenſitiua altera; ita virtutum diſtinctio eſt bimembris: vti quædam verſentur in moderatione ſolius rationis, appellanturque intellectuales: cuiuſmodi ſunt, prudentia, ſapientia, intelligentia, fides: Aliæ autem occupentur in regendis affectionibus appetitus; ideoque dicuntur morales, & ſedem habent iſtę, quam afficiunt, voluntatem aut appetitum, ſicut priores intellectum. Quæ autem voluntatem excolunt, adhuc duplicis ſunt ordinis: Prioris cenſentur illæ, quæ intendunt in proprium eius bonum & emolumentum qui operatur: poſterioris, alterius potius ſpectant bonum & commodum. Quæ vero in proprijs bonis diſtinentur, illæ vim exerunt circa appetitus perturbationes moderandas, vel in vniuerſum (vt exiſtimauit Ariſtoteles) circa dolores & voluptates. *Virtus* (inquit) *moralis omnis in doloribus & voluptatibus verſatur.* Quarum virtutum obiecta, cum ſint in nobis ipſis poſita, efficiunt, vt ad nos ipſos tantum, qui ſtudioſe aliquid molimur, virtutes illæ referantur. Supra autem dictum eſt duplicem eſſe appetitus partem, concupiſcibilem vnam, iraſcibilem alteram: quæ cum multum conferant ad naturæ munera exequenda, tum vt recte inſtituantur, rationi ſunt dimittendæ: quod virtutum exercitio & earum officijs omnino perficitur. Et ſicut illæ appetitus partes motuſque naturis ſuis diſcriminantur: ita proprias & peculiares virtutes ſibi vendicant, quibus in officio contineatur. Primo itaque in loco de virtutibus in parte concupiſcibili dicemus; quarum munus eſt modum legemque voluptatibus imponere. Vt enim ait Ariſtoteles: *Qui à corporis abſtinet iucunditatibus, hocque ipſo delectatur, is temperans. Sicut è contrario qui moleſtia ex eo afficitur, is eſt intemperans.* Quocirca moderatio voluptatis in guſtu tactuque ad virtutes ſpectabit, quę inſunt parti concupiſcibili: cuiuſmodi ſunt, temperantia, continentia, caſtitas, virginitas, maceratio carnis, & ſimilia. Iraſcibilis autem virtutes dolorem reſpiciunt, quemadmodum cōcupiſcibilis voluptatem: præſtantque vt ne quis mali cuiuſpiam incurſione abſterritus, animum deſpondeat, officiumque ſuum deſerat: quin potius hominem confirmant, vt intrepide mala omnia virtutis cauſa ſuſtineat vel profliget. Vnde Ariſtoteles: *Qui res graues & acerbas perfert, & ex eo lætitiam capit: aut certe nulla moleſtia afficitur,*

Partitio virtutis in intellectualē & moralem.

Ariſtot. 2. Ethic. cap. 3.

Ariſt. ſup. Virtus non quæuis actio recta ſed iucunda & ſuauis.

afficitur, fortis: qui molestia afficitur, timidus habendus est. Duo quidem sunt, quæ nos à virtute auocant, voluptatis illecebra, aculeusque doloris. In istis propterea euincendis hominis solertia moralis, & virtutis firmitudo tota ferme conspiciuntur.

Dolor & voluptas rationi aduersantur.

Virtutes quæ ad alios nos instituunt.

Alias recensuimus virtutes morales, quę ad bonum aliquod externum referuntur. Tametsi autem nulla sit virtus, quæ homini honestatem vti proprium commodum non adfert: nihilominus cum reperiantur quædam obiectum habentes extra nos situm & collocatum: neque versentur in moderatione internarum cupiditatum flagrantium in appetitu sensitiuo: non tam nostrum, qui operamur, bonum, quam aliorum intueri videntur. Cuius generis existunt iustitia, amicitia, religio, obedientia, liberalitas, magnificentia. Hinc Aristoteles: *Atque hanc ob causam sola ex omnibus virtutibus iustitia alienum esse videtur bonum, quia ad alterum refertur ac pertinet.* Consulto itaque D. Thomas virtutem iustitiæ, non cum reliquis virtutibus in concupiscibili atque irascibili parte collocauit, sed potius in ipsa voluntate: quod nempe iustitiæ non sit perturbationis moderatio, sed alterius boni distributio. Buridanus tamen, (cui consentiunt Picolominius, & Nobilius) quandam iustitiæ partem in appetitu sensitiuo positam arbitrantur. Aristoteles vero de illis virtutibus differens, quæ animæ motus refręnant, nullam prorsus mentionem facit iustitiæ; quinimo afferit voluptatis lenocinium dolorisque acerbitatem, quæ duo vt virtuti inimica in parte sensitiua dominantur, temperantia atque fortitudine profligari: non est ergo iustitiæ munus prauis affectionibus moderari. Imo sedatis quibuscunque demum appetitus agitationibus; difficilis adhuc videtur actio erga alios: necessaria propterea iustitia, quę voluntatem informet, promptamque reddat ad tribuendum alijs bonum, quod ipsorum est. Quocirca merito Philosophi iustitiam alienum bonum respiciẽtem, inter omnes virtutes palmarem reputarunt: vtpote qua publicum multorum commodum procuretur, ipsaque societas atque inter homines conuictus conseruentur. Optime eapropter de alijs meriti sunt viri illi, qui doctrinæ studijs & sapientiæ dediti, suum ocium ad nostrum negotium contulerunt, vel suis negotijs nobis otium pepererunt.

Arist. li. 5. Eth. c. 1. D. Thom. 2. 2. q. 58. art. 9.

Burid. 5. Eth. q. 1. & 1. Eth. q. vlt. Pic. in suis Eth. c. 13. Nobil. lib. de felicit. cap. 6.

Iustitia virtus principalis.

Ex his omnibus satis liquet, in quibus positum sit hominis officium. Versatur enim totum imprimis in cultu ipsius intellectus, adminiculo virtutum intellectualiũ; deinde in moderatione appetitus, opera virtutum moralium: tandem in procurandis aliorum bonis, vel debitis soluendis, quod iustitia præsertim & pietate perficitur. Ex quibus conflatum integrum hominis officium ita describit Cicero: *Nam cum animus cognitis perceptisque virtutibus, à corporis obsequio indulgentiaque discesserit: vo-*

Totum hominis officium quid sit.

Cicer. lib. 2. de leg.

luptatemque

luptatemque ſicut labem aliquam decoris oppreſſerit, omnemque mortis doloriſque timorem effugerit: ſocietatemque charitatis ſtatuerit cum ſuis; omneſque natura coniunctos ſuos duxerit: cultumque deorum & diuinæ voluntati puram religionem ſuſceperit, & exacuerit illam, vt oculorum, ſic ingenij etiam, ad bona deligenda, & reijcienda contraria: quæ virtus ex prouidendo appellata eſt prouidentia: quid eo dici aut cogitari poterit beatius? In hoc autem genere officij, quod ad alios refertur, ſunt quidam gradus conſtituendi, ſecundum maiorem minoremve coniunctionem: ex qua arctior vel laxior iuſtitiæ obligatio propagatur: quos etiam Cicero præclare exprimit: *In ipſa autem communitate ſunt gradus officiorum; ex quibus quod cuique præſtet intelligi poſsit: vt prima dijs immortalibus, ſecunda patriæ, tertia parentibus, deinceps gradatim reliqua reliquis debeantur.* Perſpicuum itaque eſt humani officij ſummam iſtis virtutibus contineri, à quibus ſi quis vitæ ratione, cupiditati indulgens, deſciſcat: pulcherrimum illum ordinem inuertet; in quo appetitus rationi ſubijcitur, & illecebra voluptatis illectus in ferinam naturam tranſibit: iucunditatis etenim expetitio homini cum bruto eſt communis. Sed vt hoc adhuc clarius conſtet, adferemus ex rebus ipſis nonnullas coniecturas, quæ indicent virtutum operationes naturæ humanæ admodum eſſe conſentientes; vitiorum autem ſtudia ab eadem quamplurimum auerſa. *Cicer. 1. off.*

Summa illa, ſolida, liquida, atque ſyncera iucunditas, quam ſecum adfert virtutis exercitium, nobis indicio eſt, ad huius cultum hominem, vel natura ipſa duce, directum eſſe & inſtitutum. Nam virtus incredibili ſuauitate nequaquam animum perfunderet, niſi eſſet eius naturæ aptiſsima. Quid enim aliud eſt voluptas, quam illius operationis affectio, quæ naturæ rite diſpoſitæ & facultati operanti eſt conueniens & opportuna? Cæterum (vt docet Ariſtoteles) non quilibet iucunditate abſtinens, is tẽperans dicitur, ſed ille ſolũ, qui ex hoc ſuo facto lętatur. Nã qui ex virtutis fine, temperantiæ operam in ſpeciem nauare videtur, & interim triſtatur, intemperans potius eſt cenſendus, quam temperans & moderatus. Similiter non quilibet, qui res acerbas graueſq; perfert, is fortis exiſtimandus, ſed tantummodo qui ex hac tollerantia ſummã animo capit lætitiã. Hæc autem exhilaratio mentiſque iucunditas, quam fundit virtus, ex proprio eius motiuo debitoque intento fine emergit. Sunt etenim aliqui, qui fucatam quandam ſpeciem virtutis, quaſi colorem fictitium ſuis inducunt actionibus: qui nimirum praua & obliqua cupiditate exciti, id quod virtutis eſſe videtur, perficiunt: ſed non ex ipſa virtute operantur. Vt cũ quis auaritiæ aut parcimoniæ cauſa voluptates à ſe abdicat, deſperato animo, improuidoque mentis conſilio res aggreditur difficiles. Iſti quidem haud lætantur, non geſtiunt, nullum denique oblectamentum

Virtus natura hominis conſentanea, quod ſola iucunda.

Ariſt. 2. Eth. cap. 3.

animis hauriunt, dum operi incumbunt. Nam quemadmodum depictas vuas ori admouens, nullum ex illis ſuauem liquorem percipit: ita qui vmbratilem virtutem conſectantur, nihil inde expreſsi verique boni deguſtat.

Ariſt.7. Eth.c.8.

Vt enim inquit Ariſtoteles: *Non eſt is vir bonus, qui honeſtis actionibus nō delectatur: neque enim quiſquam aut iuſtum dixerit eum, qui non ex iuſte factis capiat voluptatem: aut liberalem, qui liberalibus actionibus non delectetur: idemque de cæteris virtutibus ſentiendum.* Quod autem ſuccum exprimit & elicit ex hoc virtutis nectare, eſt eiuſdem amor, cum cuipiam inſiderit: ita quoque

Ariſt.ſup.

Ariſtoteles: *Cuius autem quiſque rei nomine ac ratione amans appellatur, ea delectatur: vt equo is, qui amat equos, ſpectaculo ſpectaculis deditus, itemque rebus iuſtis lætatur is, qui iuſtitiam amore complectitur, & omnino rebus omnibus, quæ cum virtute conſentiunt, is cui virtus chara eſt.* Imo docet Ariſtoteles, liquidā ac veram voluptatem tātum virtuti eſſe agnatam; neque reperiri aliquid

Sola virtus iucunda. Ariſt.ſup.

ſolidi iucundi, in his quæ ſenſibus lenocinantur. *Sed quæ res multitudini* (inquit) *iucundæ ſunt, eæ pugnant inter ſe, propterea quod non ſunt per ſe tales. His autem hominibus, qui ſtudioſi ſunt honeſtatis, ea ſunt iucunda, quæ natura iucunda ſunt.* Nam ſi corporum oblectamenta genuinam expreſſamq; parerent voluptatem, inter ſe non pugnarent, neque temporis ratione mutarentur. At tenacitati, qua delectatur auarus, oppoſita eſt largitio, ex qua iucunditatem haurit prodigus. Quę etiam feruescente calore corporis, aut conſtituta certa eius temperie, ipſos ſenſus titillant: cum illa flāma vigorque ſubſederint, immutationemque corpus ſubierit, veluti iniucunda, ingrata, inuiſaque repelluntur. Vnde Satyricus:

Horat. ſerm.1.

Nunc itaque & verſus & cætera ludicra pono.

Quæ ſi ipſa natura iucunda eſſent, conſtanti & perenni quodam influxu, iucunditatem in hominum ſenſus inferrent: cum autem aliter contingat, non natura ſuauia, ſed vitio ſolum deprauatę cupiditatis. Cæterum virtus cum ipſa natura ſit ſuauiſsima; nunquam non grata exiſtit hominum appetentiæ: neque ex eius vſu faſtidium aliquod eam efficit flacceſcere. Denique immobile eſt virtus animorum corporumque firmamentum.

Horat. ep.1.

. . . . Hic murus aheneus eſto,
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Vix dici poterit, quomodo animus exultet, cum in ſe expreſſam virtutis actionem, veluti elegantiſsimam quandam formam cōtemplatus fuerit; videritque hanc ipſam viuam florentemque ſpeciē, ab ipſo Deo quoque approbari. Lętatur quidem cogitans ſe voluntatis penicillo eā deliniaſſe effigiem, quam Deus ipſe, caſtiſsimis flagrantiſsimiſque oculis ex alto deſpiciens, ſummo quodam amore proſequitur. Quæ obſecro vbe-

rior maiorque lætitia fingi poterit ea, qua perfunditur animus, dum in virtutis multiplici actione à se expresso, tanquam in florentissima segete, diuinorum omnium bonorum pręmia & prouentus summos ęternosq; contineri deprehendit? gestit profecto & se effert lætitia, cum in hanc spem intenderit; omniumque rerum iucunditate ipse sibi videbitur tunc circumfluere. Hæc sane vna ex virtute voluptas satiare & explere poterit humanæ voluntatis quantumuis immensam cupiditatem, inediam, dolorem, cruciatumque omnem propulsare. Cęterorũ autem mixta acrimonia est voluptas, vel fucata, vel breuis, vel nulla. Sola autem virtus (vt adnotauit Seneca) immortalis, homini accidit mortali. *Sen. lib. de benef.*

Cæterũ quod ad vitij naturam spectat, multa sunt quæ mihi ostendũt illud omnium esse molestissimum, & maxime iniucundum. Fieri enim non poterit, quin patrati delicti conscientia acerrimis stimulis animam perpetuo diu noctuque exagitet extimuletque. Hinc gentilitas furias & lyssas effinxit: vti significaret animo implicatum vitium accensis quasi tędis eum continuo exurere, vibratisque aculeis traijcere. Necubi sane cum quiete consistere possunt, qui grauiori peccato in animam fecerunt ingressum. Hinc apud Euripidem, Orestes, quod materna cęde manus polluisset, licet ad scelus pietate quadam induci videretur, è cœtu tamen mortalium extorris furiæ cuiusdam vi instigatus, huc atque illuc incerto vagoque itinere, pœne exanimatus cursitare cœpit. *Vitium quid acerbissimũ.* *Furia vitiorum præsertim homicidij.* *Eurip. Orest.*

. . . . Postquam patris vltus sanguinem,
Matrem occidi, perpetuis deorum vocibus
Exagitor.

Et Virgilius: *Aut Agamemnonis furijs agitatus Orestes,* *Virgil. 6. Enead.*
Armatam facibus matrem & serpentibus atris *Eurip.*
Cum fugit, vltricesque sedent in limine diræ. *Ephig.*

Huiusmodi autem furiæ inter reliquos sceleratos homicidas & parricidas affligere solebant vel maxime. Sic Verrem, sic Antonium, sic Catilinam, vitia hæc cruda ardentibus furiarum telis terrebant, vt scribit Cicero. Nero cum matrem occidisset, sceleris conscientiam ferre non potuit. Vnde Suetonius: *Quanquam militum, & senatus, populique gratulationibus cõfirmaretur, sæpe confessus exagitari se materna specie, verberibusque furiarum ac tædis ardentibus.* Dionysij animo continuo obuersabantur homicidia, quę patrarat; & vt narrat Trogus, mentem eius vehementissime perturbarunt. Galli quoque immani quodam ritu sacrificij, cum suos occidissent, à mente & ratione penitus deficere visi sunt. *Siquidem pugnantes* (inquit Trogus) *prius parricidiorum furiæ, quam hostes circumuenère, obuersantibusque antę oculos manibus interremptorum, omnes occisione cæsi.* Vrcisinus tyrannum *Suet. in Nerone.* *Æmil. prob. Dionys.* *Trogus lib. 26.*

agens in Oriente, sub imperio Constantij, multorum innocuo sanguine cruentatus, vt scribit Amianus Marcellinus: *Per inducias naturæ conquiescentis, sauciabuntur eius sensus, circumstridetium terrore laruarum, interfectorũq; cateruæ, Domitiano & Montio præuijs, correptum eum (vt existamabat in somnijs) vncis furialibus obiectabant.* Deformes itaque trucesque vitiorum species, illorum sensibus perpetuo obuersantur, qui deliquerunt. Et quemadmodũ si quis virulẽtum & maculosum serpentem, in spiras se colligẽtem, oculis ardentem, venenosum humorem ore despumantem, in sinu suo despiceret: statim animo horreret, & à seipso quodammodo resiliret: ita cum vitium serpente sit multo deterius, quodque fęce animam coinquinet, eamque dente dilaceret: ad eius aspectum animus magis expauescit, atque exinde horrore menti illatus, illud efficiet, quod furiarum tędis attribui solet. *Nolite enim putare,* (inquit Cicero) *quemadmodum in fabulis sæpenumero videmus, eos qui aliquid impie scelerateque commiserint, agitari & perterreri furiarum tædis ardentibus; sua quemque fraus & suus error maxime vexat, suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit: suæ malæ cogitationes conscientiæque animi terrent. Hæ sunt impijs aßiduæ domesticæque furiæ, quæ dies noctesque parentum pœnas à sceleratißimis filijs repetant.* Huius autem rei causa videtur contrarietas illa summa, qua vitium cum natura hominis depugnat:

Am. Marcellinus lib. 14.

Cicer. pro Rosc.

Nocte dieque tuum gestas in pectore testem.

Et alius:

. . . . . . *Dira conscia facti,*
Mens habet attonitos, & surdo verbere cedit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

Peccatum acerbum, quod Deo repugnet.

Aliud quoque est, vnde vitium reperitur in hominis animam esse atrocissimum: quum nimirum intelligimus non rationi solum nostræ, sed & diuinis legibus crimen aduersari: ipsius Dei contemptum quendam implicare, eiusque iram in nostra capita iuste concitare. Nam si timendum sit & formidabile, grauem iniuriam viro principi aut magistratui irrogare: quibus ad vindictam ita omnia facile suppetant, vti vel verbo sanguinem pro pœna à nobis valeant reposcere: quanto magis horrendum erit, nos nostro crimine aduersum habere Numen, illud cœleste inquam, cui cœli, terra, maria, angeli ad nutum seruiunt; parataque sunt omnia ad supplicium nobis infligendum? Quomodo peccator cum hoc secum reputarit, non abdet se in secretissimos montium recessus, aut in fluctus Oceani se præcipitem non immittet, quibus scelestum illud caput à fulmine contegat, quod temerario quodam ausu in imperium summi Dei vitio inuolauit? Qui si vigilans aliquid moliatur: è sublimi pendent

dent ardentia tela, quæ in ipsum torqueantur. Omnia expedita erunt ad expiandum hoc scelus sontis cruore. Infectus aër in ipsius artus venenatum spiritum infundet, ardens sanguis corpoream vim deuastabit. Si autem sopor membra laxarit, in illo alto cubiculi silentio, densissimis illis noctis tenebris ac conticinio nec manus Dei effugiet: quia vt tenebræ eius, ita & lumen eius: *Psal. 138.*

Hi sunt qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent. *Iuuenal. Satyr. 13.*

Porro amaritudinem summam vitium infert in animam, quandoquidem in omnium odium incurrat, bonorum pariter & malorum. Qui enim peccatorum sunt mancipia, ipsimet detestantur vitia, libidines, turpitudines, vti compedes suas, incendia sua, & barathra sua. *Tanta res est malitia*, (vt inquit D. Chrysostomus) *quod etiam ij, qui illam operantur, condemnent.* Et vt loquitur Sapiens: vitijs dediti *ambulant vias difficiles, & sub labijs eorum labor & dolor.* Porro extrinseca sunt quædam mala, quæ vitium reddunt acerbissimum. In hoc etenim intentæ sunt omnes leges; tormenta, faces, ergastula, cruces huic constituuntur. Ideoque pauci sunt, qui delictis libere operam nauantes, legum pœnas interim declinant. Aut enim vitium istis plectitur, vel alias impune permissum opes absumet, vires corporis exscindet: vel denique aliorum odium in se concitabit. Quis itaque in posterum dicere audebit suaue aut dulce esse peccatum tot malis obsessum immersumque? de qua re hæc Cicero: *Quod si qui satis opibus hominum sibi contra conscientiam septi esse & muniti videntur: deorum tamen numen horrent, easque ipsas sollicitudines, quibus eorum animi noctesque diesque exeduntur, à dijs immortalibus supplicij causa importari putant. Quæ autem tanta ex improbis factis ad minuendas vitæ molestias accessio fieri potest, quanta ad augendas, cum conscientia factorum, tum pœna legum, odioque ciuium?*

Vitium omnibus odiosum, proinde acerbum.
D. Chrys. ep. 5.
Sap. 5.
Psal. 139.
Peccatum acerbum ab extrinsicis.
Cicer. lib. 1. de fin.

Singularis quoque illa virtutis species, cuius venustatem solus animus cõspicatur, luculenter probat ad eius appetitionem & amorem hominem natura ipsa destinatum esse & institutum. Ex duobus (vt scribit summus ille Theologus Dionysius) pulchri alicuius aut decori vera & genuina ratio conflatur: nimirum ex aduentu lucidi apteque effigiati cuiusdam accessu: quorum vtrumque spectabile est in vno virtutis opere. Quid enim splendidius mentis intelligentia? cuius fulgore omnia collustrantur: & radius quidam hæc est à diuino illo sole delibatus: eiusque effusam lucem omnis virtutis operatio suscipit ac inuoluit: est enim animæ molitio ratione insignita, directa, & illustrata. Cum autem voluntas animo recta consulenti paruerit, ex istis mira quædam proportio partiumque concinnatio exurgunt: ita vt virtutis forma semel expressa cum

Quod virtus sola pulcra, ideo expetenda.
Dionys. de diuin. nom. cap. 4.

colore flagrat, tum idonea quadratura pulcherrima enitescit. Vnde D. Augustinus: *Honestatem dico intelligibilem pulchritudinem, quam spiritualem nos proprie vocamus.* Quemadmodum etiam corporum egregię formæ, intuentes ad amorem pelliciũt: ita virtutis decus colorque mirifice aspicientium animos cogunt: neque corporis habitus, statura, vel nitor, aliũde videntur hominum sensus permouere, nisi vti indicia eorum ęstimantur, quæ in animis delitescunt: enimuero habentur pro virtutis purpura. Credere enim non potero sanguinis humorisque mixtionem, qua pellucens cuticula est inspersa, æstus illos & motus in hominum pectoribus excitare potuisse: qualibus feruere videmus multos, qui corporum amore ducuntur. Existimarem idcirco aliquid in anima latitare, quod venustate tanquam externo signo ad amorem alios prouocet. Multo autem acrius hoc præstabit virtutis forma, quę in honesta operatione efflorescit. Nam sicut affirmat Cicero: *Vt pulchritudo corporis apta compositione membrorum mouet oculos, & delectat hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt, sic hoc decus, quod elucet in vita, mouet approbationem eorũ, quibuscum viuitur, ordine & constantia, moderatione dictorum omnium atque factorum.* Hinc vel sola fama virtutis in aliquo cum percrebuerit, in nobis accendit amorem, etiam erga illum, quem nunquam vidimus, cuiusque facta imitari recusamus. Quantam autem vim haberet opinio virtutis, manifestum fecit Scipio Africanus: ad quem apud barbaros exulantem, ipsi latrones & grassatores veluti ad asylum confluebant, eumque numinis plane loco habuerunt. Eodem modo in Macedonia cum diem obijsset Euripides, præclari nominis Poëta; Macedones, quod tam docti prudẽtisque viri solas exuuias apud se conditas haberent, summã gloriã duxerunt: à quibus cum Athenienses poëtæ sui cineres repeterent: maximo consensu (vt scribit Gellius) in ea re deneganda Macedones perstiterunt. Sed neque in nostro Chrysostomo, præsulum flore, minus ex virtute decoris eluxit ad conciliandos hominum animos. Cum enim quidam Gainas in Thracia, homo Ethnicus, multa grauissimaque damna Christianis illa loca incolentibus intulisset; legatus ad ipsum mittitur Chrysostomus: illique dixit oratũ se venisse pro Christianis. Ferus iste & barbarus tyrannus viri aspectu emollitus, propter virtutis opinionem, quam fama menti eius indiderat, eo se dimisit, vt dexteram Chrysostomi oculis suis leniter admoueret: & (vt narrat Theodoretus) liberos suos fecit osculari sancti istius Præsulis genua. Quos etiam nulla feritas conterere potuerit, aut fraus implicare, ij intendentes in virtutis pulchritudinẽ, veluti in Medusę ora Palladis insculpta clypeo, in speciem formamq; honesti illico transformati fuere. Hæc sane in belli duce elucens, militum

animos

D. Aug. lib. de pulcro.

Cicer. 1. off.

Virtus amabilis in eis quos nunquam vidimus.

Gell. lib. 15. c. 20.

Theod. lib. 3. cap. 33.

animos corroborat, regio insidens solio tranquillitatē firmitatemq; rebus imponit: hæc iudicum sententias probat, philosophorum placita confirmat, iuuenilem florem illustrat, senilemque erigit curuitatem. *Formam ipsam* (inquit Cicero) *& tanquam faciem honesti vides, quæ si oculis cerneretur, mirabiles amores* (vt ait Plato) *excitaret sapientiæ*. Cum etiam extremum funus cętera omnia oppresserit: virtus superstes in memoria hominum vigens agilisque, vitam ex illius lege traductam æternitati consecrabit. Recte idcirco Cornelius Tacitus vxori, liberisque defuncti Agricolę cōsuluit, illos admonens: vti potius in recordatione virtutū illius viuerent, quam ad eius sepulchrum plangentes, eiulatu vel lachrymis contabescerent. *Id filiæ quoque, vxorique præceperim: sic patris, sic mariti memoriam venerari, vt omnia facta, dictaque eius secum reuoluant, famamque, ac figuram animi, magis quam corporis complectantur. Non quia intercedendum putem imaginibus, quæ marmore aut ære finguntur, sed vt vultus hominum, ita simulachra vultus imbecilla ac mortalia sunt: forma mentis æterna, quam tenere & exprimere non per alienam materiam & artem, sed tuis ipse moribus possis. Quicquid ex Agricola amauimus, quicquid mirati sumus manet, mansurumque est in animis hominum, in æternitate temporum, fama rerum. Nam multos veterum, velut inglorios & ignobiles obliuio obruet: Agricola posteritati narratus & traditus superstes erit.*

Cicer. lib. 1. off.

Cor. Tacit. vita Agric.

Istis autem prorsus contraria vitio accidunt, & loco lucidi ac concinni, quæ virtuti insunt, tenebræ & immanis quædam deformitas illud comitantur ac constituunt. Cum enim perturbatio aliqua sursum elata mentis arcem impetierit, erroris protinus nebula rationem inuoluens, efficit vt in summis tenebris intelligentia versetur. Falsum enim est iudicium illud & errore tetrum, quo honestum iucundo præfertur. Impedita est acies intellectus, quæ patentem vitij turpitudinem non despicit. Caligini vero se adiungit anfractuosus, sinuosus, & quasi retortus voluntatis delectus; quo auersus animus à virtute, vitij prauitatem complectitur; cui color obscurissimus, figura vero infracta, turpiterque incuruata. Quamobrem D. Chrysostomus asseruit, quod si ab ipso deliniari velint homines vitij effigiem, illam exhiberet sub forma cuiusdam feminæ mirum in modum atratæ & exustæ, quæ in similitudinem immanissimæ feræ desineret ignem ore efflantis; quales Poëtæ suas Syllas olim effinxerūt. Maculosum profecto illud esse debebit, quod ita diuino iudicio execrabile iudicatur: quodque horrendas illas pœnas iuste promereatur: quibus tamen nunquam expiari poterit noxæ coinquinatio, neque vllis flammis exuri. Quocirca nulla viguit hactenus religionis forma, in qua nō instituerētur ceremonię ad eluendas hasce sordes vitiorum. Hinc apud veteres aquæ, ignis, & sulphuris frequentes lustrationes, quibus

Vitium obscurum & deforme.

Chrys. hom. 9. in 3. cap. ep. Cor.

Macrob. li. 3. cap. 1.

quibus putarunt vitium tanquam fedum quid & turpe mortalium animos commaculare.

Summa ingenia virtutem ſemper adamarunt.

Niſi autem virtus hominis naturæ prorſus eſſet conſentanea, & ad eius expetitionem inſita quædam vis mortalium animis: nequaquam præclara & florentiſsima illa ingenia huc vſque ad virtutem ſummis cum laboribus contendiſſent, neque ſponte cæteris rebus exuti homines ad eius vnicam palmam nudi prouolaſſent. Quotquot autem ab orbe condito ſordeſcere noluerunt; quotquot de humano genere bene mereri ſatagerunt; quotquot obliuionem nominis fama & claritudine geſtorum expugnarunt, acerbam mortem ſpirante memoria profligarunt: hi omnes virtutum præſidijs circunſepti, vitæ curſum apte, concinne, pulcherrimeque ex eius præſcripto abſoluerunt. Quodque admirationem incutere poterit, cum virtus plerumque in his rebus verſatur, quas ſenſus vel maxime abhorrent, & à quibus ipſi quantocius refugiunt: vtpote in paupertate, in dedecore, in periculis vitæ, in ipſius etiam mortis acerbitate: nihilo ſecius ſordes iſtæ lucentem virtutis gemmam non ita opprimunt; vel ſpinæ eius florem implicant; quin adhuc fulgor & ſpecies quædā eluceat, hominumque animos mirifice afficiat. Imo potius ex iſtis veluti ex inumbratione imago, virtus pulchrior euadit. Florētiſsima illa caſtitatis forma ieiuniū, vigilias, carnis macerationes veluti aſſeclas habet: quibus venuſtas corporea ſtatim cōficitur, ſqualet, & tāquā flos ſoli expoſitus illico marceſcit. Iſtis tamen difficultatibus obſeſſam virtutem ſapientiſsimorum mentes votaque ardentiſsime expetierunt. Quid illos obſecro ad hunc amorem traduxit? non ſenſus: hi in contrarium potius vrgebant: non rerum ſpecies, quæ videtur: quandoquidem hæc virtutis formam tetram obſcuramque præbuit. Ratio idcirco ſolum in iſtis tenebris lumen conſpexit, in amaritudine fauum, in deformitate pulchritudinem deprehendit. Proinde virtutum amore capti homines, aliorū cetus deſeruerunt, abdiderunt ſe in ſpeluncas rupium, in receſſus ſyluarū, honores, æſtimationes, vulgi applauſus, vna virtute contenti repudiarūt. Qui vero non tam limpidos oculos & defęcatam mentem nacti fuerint, deſipere & delirare exiſtimarunt virtutum hoſce cultores: nequaquā credentes elegantiam in tanta indigentia, formam in tanto dedecore, iucūditatem in tanta ęrumna reperiri potuiſſe. Proinde non prudentes, ſed atra potius bile oppreſſos, & veluti ſoliuagos Belepherōtos (vt eſt apud Homerum) virtutum amantes reputarunt. Quam quidem notam Auſonius Poëta, ſanctiſsimo Pręſuli Paulino inferre auſus fuit. Cum enim clariſsimus iſte vir, vti Chriſtianę perfectionis apicem, vitæ ſanctimonia attingeret, ſubſellia, infulas, purpuram, vltro contempſiſſet: patrimoniū

quoque

quoque diuenditum, in vsus pauperum erogasset, atque pauperrimus & indigus, plane de reliquo in mappali quodam delituisset: ipsum à mente excidisse melancholicum, arbitrati sunt quamplurimi. Verum longe alius adfuit Paulino oculus, qui in hac rerum penuria virtutū diuitias, in hoc contemptu amplissimam earundem possessionem est contemplatus. Ingens sane virtutis energia, quæ vt magnes ferrum, ita animum cogit ac rapit: auocatque quodammodo à corporis contubernio, & alio transfert eius consilia. Quid hominis naturæ vitiatæ magis infixum, quam post illatam iniuriam appetitus vindictæ? Cæterum ratio in erubescente maxilla ex inflicta alapa virtutis colorem agnoscit, imo lætatur, cum hostis plagam aliquam nomini vel corpori intulerit. *Itaque vinci videtur* (inquit Paulinus) *in hoc sæculo, cui tunicam suam alter abstulerit: at in Christo triumphat, qui tunicam auferenti remittit & pallium. Vicem iniuriæ reddere, humana vltio est: at inimicum etiam diligere, vindicta cœlestis est.* *Paulin. ep. 2. ad Seuer.*

E contrario autem, nisi voluptates vitia consequerentur, falsamque illis speciem delusi sensus attribuerent; nunquam ab aliquo expeterentur: adeo res est vitium ab ipsa natura hominis abhorrens. Duplici idcirco motu distrahuntur eorum animi, qui in crimen concedunt: vno, quo voluptatis illecebram prosequuntur: altero, quo eiusdem turpitudinem refugiunt & execrantur. Vitium quidem, quod deforme suapte natura sit, externa ideo quærit ornamenta. Venus peregrinis odoribus, marinis gēmis, herbarum succis decoratur, crispatum aliquādo defuncto capillitium exscindit, sepulchro iniuriam inferens & mortuo, quo formam suam exornet. Superbi alicuius fastus, nisi salutantiū grege stipatus esset, concideret, & ni voces concreparent vulgi, tenebris illico obrueretur. Gula, dapes, mella, condimentorum genera, vini flagrantiam Grçcanicas delicias quęrit: quibus inescatos habeat mortalium animos. *Vitium abhorrens ab hominis natura, & ab externis ornamenta quærit.*

Virtutem præterea si quis vitæ prauitate expugnet: is non sibi solum graue nocumentum infert, sed insuper ciuitati, hominumque societati. Nihil enim aliud in vnum cogit pellitque homines quam virtus, officiū charitatis & iustitiæ: coalitos vero nihil sic dissipat aut dispergit ac vitium. Nam si fortitudini in ciuitate locus non daretur: nemo periclitante & nutante patria eam cum vitæ propriæ periculo defensitaret. Si continentiam libido expulerit, quod coniugium castum erit aut fidele? Si iustitiam habendi cupido exegerit, vbi opes & facultates in tuto reponentur? quis magistratum apud plebem obtinebit? Imo vitium non solum naturę bona publica & priuata commoda deuastat atque exscindit: verum etiam tantæ est maleuolentiæ, vt seipsum pariter destruat: vitijs etenim dediti, plerunque in pœnas incidunt, morbos, infamiam, aut cru- *Qui virtutem expellit, etiam ciuitati iniuriā facit.*

Vitium se destruit. ces: quibus voluptatis sensus adimitur illis & extinguitur, & vicij ipsius progressiones miserrimo exitu amputantur.

Motus hominis in Deũ actio virtutis. *Dionys. de diuin. nom. c. 4.* Cum etiam omnia, quæ huius vniuersi ambitu coërcentur, in ipsum Deum tanquam vltimum finem moueantur: (vt docet Dionysius Areopagita) tum hominis proprium motum solius virtutis vsu perfici, perspicuum est. De qua re hæc Dionysius: *Atque vt omnia ad se conuertit bonitas, primaque ea colligit, quæ dispersa sunt, quasi vnius principium, vtrumque efficiens diuinitus, eiusque desiderio omnia vt principis, vt ipsa continentis, vt finis tenentur: ac bonum est (quemadmodum scripta diuina tradunt) ex quo constiterunt omnia, & à quo, quasi causa perfecta in lucem prolata sunt, & in quo consistunt omnia: quasi in fundo, quod capit omnia, custodiuntur atque capiuntur, & ad quod omnia conuertuntur, quasi ad suum finem.* Istius autem progreßionis in Deũ in rerum motibus sunt varię species atque formæ, quas etiam istis declarat idẽ Dionysius: *Et quod omnia appetunt, ea quidem quæ mentis sunt & rationis cognitione, ea autem, quæ sensum habent, sensus iudicio: quæ vero sensu vacant, incito motu vitalis appetitionis: quæ vitæ expertia sunt, & tantummodo statum habent, vi quadam ad status essentiæ communionem propensa sunt.* Mouet itaque se homo in Deum rationis iudicio, operationeque rationi consentanea. Nõ enim opinione sola aut notitia efficimur boni, (vt recte ostendit Aristoteles) sed electione, contentioneque voluntatis: proinde virtutes naturæ propensiones perficiunt (vt optime disserit D. Thomas) & ad naturæ cultum omnino requisitæ existimantur: quarum decore & ornamẽto cuius animus caret, is de se illud dictum putet: *D. Thom. 1. 2. qu. 108. ar. 2.* *Mantuan.*

Mens virtutis inops, mare piscibus, alite cœlum,
Sideribus mundus, gramine terra carens.

De præcipuis quibusdam auxiliis, requisitis ad officium hominis examußim præstandum.

CAPVT XXI.

Vita hominis pugna.



QVONIAM iisdem ferme modis boni alicuius viri officium perficitur, quibus militis in acie confligentis fortitudo, siue Athletę in Olympo decertantis robur probantur: perspicuũ euadit ad nos spectare apparatum omnẽ & præsidia ad hanc concertationem necessaria, animis sedulo pensitare: ni velimus temerario ausu incõpositos nos in pręlium ingerere, nudaq; pectora hostium telis obijcere. Cum vero constet rationi cum appetitu perturbato

turbato esse confligendum, & quum ex opposito hostilibus armis menti infestus consistat sensus: liquidum est non lapsu, nō fluxu, non languore, non oscitantia boni viri officium esse præstandum; sed potius acerrimis dimicationibus, gliscenti furentique digladiatione. Nemo etenim adeo ἀπαθὴς & Stoicus, qui vim perturbationum interdum non sentiat grauissimam: nemo ita duratus Cinicus, aut vitę rigore exesoque corpore religiosus, qui voluptatis blandimenta nulla esse dicat ad animum ipsius à virtute abducendum: nemo ita à ciuili occupatione seiunctus, quē rerum humanarum studium interdum non pulset, aut curis sollicitet: nemo ita ab honoribus abiectus, vti popularis auræ iucundo afflatu animū sibi demulceri non percipiat. Quod si in fuga, insequente aduersario, tāta hostilitas; quis furor eos opprimet, quæ potestas affectionum in illos inuadet, qui virtutem expetentes, interim ne latum quidem vnguem recedere volunt à sensuum lenocinijs: quibus forum, subsellia, rostra arrident; qui florum amœnissimis sertis delectantur? Hi profecto ratione peruigiles & circumspecti, voluntate autem strenui & expediti esse debebunt. Itaque munimenta animæ contra vitia cursim strictimque recensebimus.

Primum locum obtinere videtur insignis illa facultas, & immensa plane vis intelligendi, cuius fulgore, cum virtutum venustæ formæ, tum etiam vitiorum immanes horrendæque species deteguntur. Excutit siquidem mentis intelligentia omnes latebras, vndique circunspicit, rimatur curiosius quæ semel percepit, radios, vmbras, tenebrasque intuetur, rerum apices conscendit, magnitudines metitur, aperta excipit, inuoluta explicat, vera probat, adulterina reijcit, pondera trutinat, colores expendit, naturam amplectitur, artem veretur, fluxa contemnit, amore ęstimat æterna. Quemadmodum enim in cæteris animantibus ingenita est ipsorum oculis aut odoratui quædam recti aptique perspicientia, qua seipsos tueantur à contrarijs, vitæque commoda acquirant: ita homini diuinitus attributa est facultas intelligendi, qua vitium à virtute secernat, decorum ab inhonesto distinguat. Neque ad hoc præstandum, exquisitam aliquam operam necesse erit, vti mens tua adhibeat: ne causeris te minus idonee ad certamen hoc instructum prodijsse. Demus etenim te solum oculos capiti infixos circumferre; quibus cœlorum orbes contemplere; & protinus cogitatio illa statim animum tuum subibit, qua tecum iudices cœleste illud numen supremo cultu & veneratione prosequendum: nihil actione tua suscipiendum, quod ab ipsius iustissimo imperio sanctissimisque legibus deflectat. Vel si mortalium cetus, in quibus versaris, animo reputes; cogitabis etiam principi obtemperandum, socio vi-

Ad virtutē medium est intellectus.

Cognitio, qua necessaria, ad virtutem facilis.

cem mutuo rependendam, inferiori parcendum. Denique si teipsum respicias: non ad libidines incestosve amores, non ad diuitiarum compilationem te institutum facile intelliges: sed potius ad virtutum rationisque munia exequenda. Sit itaque aliarum rerum noticia (vt placet Democrito) in puteo demersa, sit nubibus implicata, aut mole quapia alia inuoluta: certe virtutum vitiorumque formæ in propatulo collocatæ vnicuique sunt aspectabiles: neque illis aliquid homini notius esse poterit. Cum autem ratio inquisitione sua virtutis excellentem colorem inuestigarit; & in illum cum admiratione oculos direxerit: statim eiusdem cupiditate voluntas mirifice inflammabitur. Sin vero toruo vultu & contracta fronte in trucem immanemque vitij figuram respexerit: volũtas quasi spectro exterrita, speciem illam plurimum auersabitur, & veluti à sibillante angue & in spiras se colligente primo quoque tempore aufugiet. Quod si huic à natura ipsa attributæ scientiæ reconditior quoque eruditio accedat: nihil ad vtilitatem vberius, ad ornamentum præstantius, vel ad gloriam plenius cuipiam affluxisse ęstimari poterit. Conquisita etenim disciplina feros durosque animos malacissat, ad humanitatem morumque decorem inflectit: ad virtutem denique veramque hominis excellentiam, ipsum optimis rationibus instituit. Hæc sane è media barbariæ omnem plane barbariem expellens, in Scithia, Getulia, disitis oris ęstu exustis, frigore geluve constrictis, Athenas musarumque domicilia collocabit: Sarmatam, Gothum, Squadum, facit Atheniensem. Hac de causa Aristippus (vt scribit Galenus) in littus Siracusanum cum esset eiectus; figuram quandam mathematicæ quadraturæ arenæ impressam videns: in ipso suo exilio damnoque vehementer est lætatus: causamque dixit, quod fortuna dante non in barbaros aliquos & agrestes, sed in sapientes homines literisque excultos extorris incidisset. Hæc quidem rerum intelligentia mores hominum continet, & ciuiles omnes institutiones. A qua cum nonnulli Imperatores abhorruerint, ad tyrannidem mox recidere; tandem vero ad exitum & immaturam mortem peruenere: vti exemplis comprobarunt Cræsus Lidiorum Rex, Cyrus Persarum Imperator, Priamus Troianorum dynasta, Dionysius Cyculorum princeps, & alij quamplurimi. Apposite idcirco (tametsi humano commento) orbiculare scutum Athenienses Mineruæ consecrarunt: quo significarent animi sapientia rerumque scientia omnia regi & gubernari: vel quod talis sit forma sapientis viri ad omnem fortunæ casum accommodata: etenim scribit Plinius eruditionem in prosperis esse ornamentum, in aduersis asylum. Rectissimeque à Romanis obseruatum videtur, (quod narrat Suetonius) nimirum cum easdem ædes Herculi musisque

Recondita doctrina, prodest ad virtutem.

Galen. in prohem.

Orbiculare scutum Mineruæ virtutẽ & sapientiã significauit.

Plin. 11. ep.

Suet. in Tiber.

fisque posuerint. Musarum etenim quies Herculis laboribus erat sustentanda: vicissatim Herculis labores musarum monitis instituendi, earumque præconijs celebrandi: idem quoque refert Plutarchus. Vis itaque corporis, siue etiam potestas ciuilis, à scientia & mentis cultu non erunt secernenda. Cum autem ad omnem plane virtutem eruditio animum informet: tum maxime ad religionem: nam ex sententia Ciceronis, (quod luculenter ostendit Pausanias) Numinis cultus ab Atheniensibus in alias regiones extitit propagatus; Athenienses vero literarum studijs addictissimi, earumque gloria florentissimi. Non ignoro tamen hac in re Philosophiam labem aliquam contraxisse: sed non tam vitio suo, quam eorum præposteris rationibus, qui famam consectati, pro Philosophis auide nimis haberi voluerunt: de quibus hæc D. Hieronymus: *Plus debet præstare Christi discipulus, quam mundi Philosophus, gloriæ animal, & popularis auræ atque rumorum venale mancipium.* Excudisse ac peperisse quoque hæreses antiquitus Philosophiam, nonnulli sunt arbitrati: Ita Tertullianus: *Ipsæ denique hæreses à Philosophia subornantur.* At vero non Philosophia, sed in Philosophicis errores, hæreses propagarunt. Mirum autem non erit, si error errorem, tenebræ tenebras effundant. Ex crocodilo enim diuersæ naturæ scorpio nascitur, (vt scribit Elianus) ac sic ex ouis aspidum, pullos suos excludunt hæretici. Philosophos quoque semper contumaces principibusque refractarios fuisse, olim decantatum: Vnde Augusti Cæsaris moderatio celebrata, quod Philosophorum rebelles voces leuissime pertulerit. Verum hoc crimen illis obiectum ita diluit Seneca: *Errare mihi videntur, qui existimant philosophiæ fideliter deditos, contumaces esse, & refractarios, & contemptores magistratuum, aut regum, eorumve, per quos publica administrantur.* Seclusis idcirco vitijs eorum, qui animum Philosophiæ applicuerunt; recte Ægyptij de ea sensisse videntur: cuius hieroglyphicū cœlum voluerunt esse rorem fundens. Cœlum quidem originem philosophiæ declarat, quę diuina est: ros autem, quod ad fœcunditatem multum conferat, exprimit vberrimos illos virtutum fructus, quos philosophia in vitam nostram profundit.

Plutarch. problem.

Cicer. orat. pro Flac. 6.
Pauſ. Attic.

Philosophia labem, concituit.
Hier. ep. 26.

Tertul. presc. cap. 30.

Elian. li. 2. cap. 33.
Esa. 59.
Suet. in August.
Senec. ep. 10.

Horopoll. de Hierog. cap. 37.

Postquam vero ratio bene instituta insidias omnes detexerit, viamque ad salutem patefecerit: vis appetendi euocatur, & quasi principis voce ad exequenda imperata excitatur. Agnoscit etenim voluntas mentis legem, & ex naturali quadam diuisione, qua illi est subiecta, ad obediendum inclinatur. Eam porro hæc obtinet potestatem: vti à nullis plane sensuum lenocinijs rapi aut cogi possit ad consensum in aliquid nefarium turpemve actionem: allicitur quidem, emollitur, inflectitur, inuita autem nunquam pellitur; sed imbuta rationis documentis cum sit, quasi

Voluntatis potestas medium ad virtutem.

 firmissi-

firmiſsimis inſtructa præſidijs, vitiorum importunitati obſiſtere valebit. Duo autem ſunt in hac noſtra voluntate maxime conſpicua: primũ quod vitiorum quælibet incentiua ſuperare poterit & extinguere: alterũ quod laudem, gloriam, præmiumque actione ſtudioſa promereatur. Quorum expectatio hominẽ excitat ad virtutem: dum nẽpe ſecum cogitat, nõ ſolũ blandimenta ſenſuum, verum etiam fraudes dęmonumque violentias voluntatis noſtræ ἐξȣσία poſſe ſub imperium ditionemque rationis ſubiungi ac profligari.

Gratia medium ad virtutem. Verum cum naturæ vires protoplaſtę offenſione grauiter concuſſæ, à priſtino & natiuo vigore plurimum defecerint: non ea modo tanta arbitrij noſtri eſt vis, quanta ſatis confirmata ſit & valida: cum ad vitiorum impetus retundendos, tum virtutum ornamenta conſequenda. Quocirca labefactata natura, beneficio Chriſti reparatoris, ad munus recte præſtandũ, roborari debet. Fructus etenim ſuos terra non effundit, niſi poſtquam imbres deſuper decidẽtes, roreſque cœli arenoſa imbiberit: ita terrena hæc noſtri concretio, virtutum emolumenta non effert, niſi poſtquã cœleſtis gratia iugi quodam dilapſu vberrime in animas influxerit. Cum *Pſal. 84. Pſal. 67.* enim Deus dederit benignitatem ſuam, pluuiamque voluntariam ſegregarit, terra noſtra pariter dabit fructus ſuos. Nomine autem iſtius gratię, quam depredicamus, non deſignamus tantum naturæ donum, quo ſu- *Gratia orthodoxa quæ?* mus & viuimus, quodque in ipſo ortu gratis à Deo accepimus: ſicut impie & cum nefario faſtu aliquãdo ſentijt Pelagius: ſed potius denotamus Dei quoddam auxilium naturæ inductum: quo cum animus colluſtretur vt verum cognoſcat, credatque: tum etiam voluntas confirmatur ad honeſtum quodcumque illuſtrius difficiliuſque peragendum. Huiuſmodi vero diuinitus homini gratiæ ſubſidium impertitum, ipſi veteres, quorũ nec animos fides imbuerat, vti neceſſarium tamen agnouerunt. Hinc *Gratiam veteres agnouerunt.* Homerus ſuis heroicis dęmones attribuit, & cum Dijs colloquia: quibus ſignificaret, ſupernis auxilijs quæ in humanis excellunt, non humana vi ſola præſtari: & vt ait Cicero: *Nemo igitur vir magnus ſine aliquo afflatu* *Cicer. lib. 2. de nat. deorum.* *diuino vnquam.* Immo neque rerum ſcientias, vel earundem explicationes, tractationeſque exactiores, abſque numinis ſpeciali fauore extitiſſe aliquando affirmat: *Mihi vero ne hæc notiora quidem, & illuſtriora carere vi di-* *Cicer. Tuſcul. 1.* *uina videntur: nec ego aut poëtam graue, plenumque carmen ſine cœleſti aliquo mentis inſtinctu, putem fundere abundantem ſonantibus verbis, vberibuſque ſentẽtijs. Philoſophia vero omnium mater artium, quid eſt aliud, niſi* (vt Plato ait) *donum, vt ego, inuentum Deorum.* Nihilominus vniuerſalem tantum diuinæ gratiæ notionem iſti adſequuti videntur: interim ignorantes, in quibus animæ molitionibus eius vis & energia eluceant. Nihil quidem perce-

perunt

perunt de gratia excitante, adiuuante, ac subsequenti: Cuius adminiculo corroboramur ad opera supernaturalia fidei, spei, atque charitatis: solum opinione de natura nostra fracta & languescenti edocti: diuini cuiuspiam doni necessitatem inuestigarunt. Cum vero gratia istęc alicui spiritum afflauerit, tunc in eodem ardorem compescet libidinis, excitabit ipsum à cupiditate terrestri, & ad superna mentis eius concilia quantocius transferet: animum exacuabit ad fortia difficiliaque. Huic diuinitus excito, adsunt ceruorum pedes, pegasi alæ, & aquilæ lumina, quibus mens instructa percipiat, perficiatque liberrime, quæ hominis officio continentur præcipiunturque.

Ad virtutem quoque nec modice quidem conferunt legum authoritas atque sanctiones. Illum namque prudens legislator sibi finem constituit, quo ciues bonos efficiat, virtute reddat excultos, & vitiorum osores: animum namque intendit in aliquam ex virtutibus, dum legem condit: cuiusque exercitium ab illo exigit, qui eius dictis audiens esse debet. Cum autem duplici persertim malo, nimirum in intellectu cęcitate, atque in voluntate infirmitate ferme confecta & labefactata sit hæc nostra natura: quod vtrisque leges occurrant oportune, vtilissimæ merito censentur. Præscribunt autem quid à nobis sit agendum, quibusve abstinendũ: quorum notitia silente lege destitueremur. Porro pœnã adiunctam habentes, quas delinquentibus interminant, sistunt quodammodo procliuem cursum voluntatis, illam cohibent, nec permittunt blandienti appetitui morem in omnibus gerere, vel relicta virtute, voluptati se deuouere. Timor namque qui in pręsidio virtutis excubare dicitur, quemque leges incutiunt, homini existit saluberrimus: illecebram hic arcet, vitium fugat ac profligat. Non me præterit quidem sectarios istis, quæ de libero arbitrio, de legum iure disputauimus, plurimum repugnare: at eorum dictis non moror. Nec equidem miror si præcipites ad vitæ turpitudinem, virtutum firmamenta pessimo dogmate, perpetuo differentes, conuellant.

Medium ad virtutẽ lex.

Quibus etiam aliud quoque accedit præclarum & efficax quidem ad virtutem adiumentum: nimirum conuictus ratio, atque cum bonis consortium diuturnum. In prouerbium modo abiuit, quod homo homini sit Deus. Aliorum quippe sententię atque concilia errorem, si quem animis tegamus, expugnabunt, eijcient, & si in prauas consuetudines concesserimus, eorundem viua & spirantia exempla ad meliorem frugem nos reuocabũt. Quemadmodum enim (vti iam tulit Theologorum sententia) superiores Angeli, inferiores transfusa luce collustrant: ita homines ipsi Deo vitę sanctimonia viciniores, alijs opitulantur, qui ad tantum,

Medium ad virtutem conuictus.

quantum

quantum ipsi gradum nondum peruenere. Hos quidem rectißime nominarem angelos, cœlos, planetas, fulgentißima lumina, de quibus Zacharias: *Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput illius.* Candelabrum aureum ille feruor est charitatis, quo optimi flagrant: lampas autem fulgor scientiæ, quo collucent. Hanc vero inter homines officij necesitudinem intercedere voluit Deus, vnde societas amorque mutuus facilius conciliarentur. Nam sicut quælibet tellus non omnia fert, & propterea mercimoniæ gratia in vnum emporeum confluunt multi, quos locorum intercapedo longe disiunxit: ita quod quilibet sibi non sufficiat; insignes quosdam viros excitat Deus, quorum beneficia, vitæ congressu alij exquirentes, sustententur. E contrario etiam nihil nobis perniciosius, nihil ita quempiam in vitia cogit, atque cum malis inita societas. Flumina postquam decursu in mare se insinuarint, fluctibus illis implicata, natiuam amittunt dulcedinem, ingratamque subeunt infecta salsuginem: Ita qui prauorum societatem expetunt, cæteroquin virtutis colore tincti, ad illorum appulsi tamen sordes, decus omne protinus ornamenti vastabunt. Neque huiusmodi exitus in vllis est magis conspicuus, quam in illis, qui Catholica communione spreta, desertores aut Apostatæ se hæreticis adiungunt. Hos etenim aspicit sol, si tamen aspicere dignetur; inuerecundos, petulantes, insolentes, charactere bestiæ, non in fronte tantum, sed in reliquo etiam corpore insignitos.

Zach. 4.

Apoc. 16.

Habitus virtutum media ad officium hominis.

Satis autem non est secessu quodam prauorum consortia abdicasse, & cum bonis societatem expetijsse: quin adhuc diligentißime ita optimis actionibus insistendum, vti earum vsu & frequentia virtutum habitus nobis comparemus. Sicut enim labefactata natura in vitium continuo propendet; ita exercitio perenni honestatis rectique instituti aßiduo cursu reuocandus, & deducendus in oppositam virtutem: ea namque est consuetudinis vis, vti in naturam quodammodo migrasse videatur. At nihil suauius fieri animaduertimus, nihil felicius perfici, quam quod natura arridente, suadente, impellenteque suscipitur: sicut nihil difficilius, acerbius nihil tentatur, quam cum in aliquo natura, velùti inuita Minerua, obluctatur. Quamobrem cum bene operandi aßiduitas quosdam habitus naturæ impresserit, quæ aliquando ardua molestaque visa fuere, ea postmodum, iucunda, expedita, proprioque quasi motu ad optatum nostrum procliuia apparebunt. Vnde virtutum radices amarum quendam succum continent, earum autem vsus, comparato habitu, suauißimos liquores effundit, & animæ ambrosiam miscet. Quamprimum enim quis proposito honestæ vitæ se à voluptatum delicijs cohibet, propter propensionem (quam dixi) vitiati appetitus in illecebram, acerrimi dolores

lores

lores illos primos & veluti infantiles virtutum conatus comitantur: lachrymę, sudores in illis initijs exprimuntur. Cum autem vlterius paulo animus penetrauerit, & acquisiti habitus illi altius insiderint: nullo ferme negotio virtutis opus absoluitur: & disruptis quodammodo vinculis, atque via complanata, dicemus cum Psalmista: *Latum mandatum tuum nimis. Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua? super mel ori meo.* Quanti autem momenti esset consuetudo in vtramuis partem, ostendit Licurgus duobus catulis, quorum alter popinæ assuetus, alter in siluis educatus. Emisso autem lepore, non procul olla iusculo plena apposita, leporem insequitur siluestris; ad ollam vero à cursu deflectit domesticus. Imo tanta vis inest consuetudini, vti ipsam naturam sæpissime immutet; sicut virgultę, vt videmus, ortu & progenie incuruatæ, assidua inflexione rectissimę protēduntur. Quod cum scirent Cretenses, dum hostibus mala imprecarētur, nihil aliud optarunt, quam vt praua aliqua consuetudine inuoluerentur ac imbuerentur.

Psal. 118.

Et ne quidpiam omnino homini deesset ad virtutem, ni ipse sibimet sua socordia deesse velit: spiritualis illa substantia, illa inquā eximia splēdidaque Angelorum natura, summo quodam studio nostris intēta commodis, peruigilat: neque vnquam veruncare desinit. Ex summo etenim amore, quo res nostras Angeli ardentissime prosequuntur, nobis fauent, atque in vitæ difficultatibus superandis, infortunijsque declinandis, pio quodam auxilio præsto adsunt. Sicut enim charitate Angelus, qua ipse Deum complectitur, veluti ignitus euadit: ita cum videt hominem Deo esse longe charissimum, orbis imperio donatum, ad cœlestem gloriā subuehendum, filij Dei pretioso sanguine excultum, emancipatum: ad ipsius studium incenso quodam desiderio perducitur, & eius amicitiæ se prorsus deuouere non fastidit. Ex quo quidem Angeli cum homine cōmercio confici videtur aurea illa catena, quam finxit Homerus è cœlis Iouis manu in terras effusam. Quod si ea esset nostrarum animarum vis in corpora, vti illa circunducere, auocare, ad opus pro lubito adijcere poteramus: fortassis non vsque adeo necessarium Angelorum subsidium videretur: sed cum conspicuum sit, animas corporeis malis affici, tangiq; omnino: interdum etiam corporis sarcina deprimi: auxilium requiritur spiritualis intelligentiæ, quæ collabantem animam sustentet, in errores proruentem veritatis luce collustret, nostramque imbecillitatem suis præsidijs muniat defendatque. Has quidem substantias, immateriales existere, agnouerunt veteres ferme omnes philosophi, poētę, historici: quos nunc dæmones ob insignem mentem, nunc vero genios, vel ratione ex-

Angelica custodia est medium ad virtutem.

D. Aug. 9. Ciu. cap. 19. Bap. Mant. de patient. cap. 17.

Nomenclatura Angelorum.

cellentis ingenij, quo præstant, vel quod ab ipsa genitura homini tutelares adsint, nuncuparunt: nunc autem lares & penates, quod domesticis
Plat. in Sympos. rebus præessent; de quibus hæc Plato: *Per dæmones omne est cõmercium, omnis colloquutio Dei cum hominibus, & vigilantibus & dormientibus.* Hinc effata oraculorum, afflatorum, phanaticorumque presagitiones profluxêre.
Psal. 105. *Imolauerunt filios suos & filias suas dæmonijs.* Quod autem se in humana corpora insinuare solerent, atque humanis affectibus quodammodo tangi;
Suid. verb. γένιος. appellati fuere hi spiritus (vt testatur Suidas) ἀνθρωποδείμονες. Illos vero sic describit Apuleius: *Genera sunt animalium animo paßiua, mente rationalia, corpore aëria, tempore æterna.*
Apul. dæm. Socrat. Ex qua sententia illis tenuißima corpora adijciente, existimarunt quamplurimi, facilius explicari posse modum progressumque magiæ naturalis.
August. Egub. li. 8. Phil. c. 27. Gaudent. Merul lib. 1. cap. 4. Nam si genij corporei sint, delectari quoq; valent, & capi hominum obsequijs ac donis; veluti sonis, characteribus, vocibus, sacrificiorumque nidoribus: Atque istis adduci vel etiam cogi ad beneficium aliquod homini præstandum. Certis quoque rebus vis ipsorum impediri & coërceri poterit; sicut narrat scriptura Dauidis lyram
1. Reg. 16. Ioseph. 6. Antiq. cap. 9. mali spiritus impetum in Saule rege compescuisse; de quo hæc Iosephus: *Quoties enim à dæmone agitaretur, vnicum erat in excantatione remedium, & solus Dauid hymnos ad lyram accinens, Regem ad sanam mentem reducebat.* Huic autem opinioni adhuc magis fauet, quod narrat idem Iosephus de genere quodam exorcismi vsurpato ab Hebreo sacerdote; quod ita describit:
Ioseph. Antiquit. cap. 2. li. 8. *Vidi enim ex popularibus meis quendam Eleazarum, in præsentia Vespasiani, & filiorum, & tribunorum, reliquorumque militum, multos arreptitios percurantem. Modus vero curationis erat hic: admoto naribus dæmoniaci annulo, sub cuius sigillo inclusa erat radicis species à Salomone indicatæ, ad eius olfactum per nasum extrahebatur dæmonium: & collapso mox homine, adiurabat id, ne amplius rediret; Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab illo inuentas recitans.* Ex quibus videtur, radicem illam præscriptam à Salomone, vim quandam habuisse in dæmonem: quam nequaquam retineret, nisi demon corpore constaret. Quod cum omnino crederet Apuleius, inter cætera hominis præconia, quibus naturam nostram commendauit, intulit quoque in ipsius potestate situm esse dæmonem facere & numen. Nam (inquit) pellicere poterit homo quibusdam incantationibus genium ad statuam aliquam, ipsamque molem ita materia & forma effingere, vti eam lubens subeat genius, eaq; delectatus, ibi habitet, ipsi proficuus, futuraq; ei præmonstrans. Verum quicquid de istis sit, Theologorum schola Aristoteli
Angeli incorporei. assentitur, rectißimeque pronuntiat, angelos puros liquidosque esse spiritus, omnis prorsus concretionis expertes. Nam cum horum munus proprium sit rerum scientia pollere, neque ad hoc præstãdum mens cor-

poreo

poreo organo indigeat, illis opinione noſtra adſcribendæ non ſunt corporum fabricæ. Quod ſi quis contendat ideo eſſe corporeos, quod corporum cura deſtineantur, ipſoſque cœlorum orbes perpetuo motu circũagant: is ſane nihil efficiet. Nam (vt recte diſſerit Ariſtoteles) ſi cor- *Ariſt. 1. Cal.* poribus incluſæ eſſent intelligentiæ, quarum vi cœli mouerentur, continuum hunc motum abſque defatigatione non peragerent: ſed ad recuperandas vires, quæ aſsiduo labore fluerent & dilaberentur, refocillatione quadam indigerent: imo neque corporibus conſtantes inde videntur, quod cœlis multo ſi eſſent minores quantitate, illos in gyrum nõ ita voluerent, neque vti faciunt, alia magnitudine immenſa, loco tam facillime mouerent.

Perſpicuum autem eſt huiuſmodi ſubſtantijs humanarum rerum procurationem veteres paſsim conceſsiſſe:

ἀπαντι δείμον ἀνδρι τῶ γανεμένῳ, *Angelorum*
ἀπαντας ἐςτὶ μυςταγὸ, ὀς τοῦ βιου: *procuratio*
Vt quiſquis proxime limen vitæ attigit, *ſatis cognita.*
Dæmon comes, & vitæ adminiſter integræ. *Am Marc. lib. 21.*

Imo Sidonius, & alij, genijs ſub ſpetie ſerpentum, aut alia forma at- *Sidon. peneg.* tribuerunt concubitus cum mulieribus, hominumq; generationes. Vn- *Anthem.* de Alexander, quod eius matri Olympiadi concipienti anguis ſe ſpecta- *Trogus lib. 20.* bilem feciſſet, habitus fuit pro Hammonis Dei filio. Scribit Suetonius, *Suet. in* matri Augusti Imperatoris vigilias in templo agenti, & lectiſternio cu- *Auguſt.* banti, ſerpentem obrepſiſſe; illamque grauidaſſe:

Magnus Alexander, nec non Auguſtus habentur *Sidon. ſup.*
Concepti ſerpente Deo, Phœbumque, Iouemque
Diuiſere ſibi.

Extra controuerſiam autem eſt, (vti interim figmenta mittamus) huiuſmodi genios humanis obtutibus ſæpius conſpicatos extitiſſe. Narrat *Flor. li. 1. ep.* Florus Bruto poſtero die morituro, per noctem atratum quoddam ſpectũ apparuiſſe, dixiſſeque ſe malum eſſe ipſius genium. Claudio Druſo in Germania agenti (vt ſcribit Suetonius) viſibilem ſe præbuit fęminea *Suet. in* quædam ſpecies admodum proceræ ſtatura, quæ latino ſermone illi bel- *Claud.* lũ interdixit. Genium ſepius viſum à Iuliano teſtatur Marcellinus: atque *Am. Marcell. lib. 20.* ab ipſo Alexandriæ templum genio dicatum narrat: tametſi primi qui *Pauſan.* genijs templa conſecrarint fuere Athenienſes: vti oſtendit Pauſanias. *Attic.* Quum autem Iuliano res male ſuccederent; triſtiori quadam forma genius publicus in eius conſpectum prodijt, & huiuſmodi oſtento infelicem imperij exitum Apoſtatæ prædixit: quod & Marcellinus quoque hi- *Marcell lib.* ſtoria ſuą conſignauit. Dictu vero mirum quanta reuerentia, & quam *20. Chron.*

ſerio cultu genios aut dęmones proſequuta ſit priſca gentilitas. Nõ enim grauiori ſupplicio Romani Imperatores in delinquentem aliquem animaduerterunt, quam in periuros: dum per genium ipſorum deierarent. Vnde Tertull. *Citius per omnes Deos periuratum, quam per genium principis.* Ideo Caius imperator (vt ſcribit Marcellinus) acerbiſsime eos caſtigauit, qui prolato nomine genij ipſius, falſum aliquod teſtarentur: hoc etenim pacto ipſi viſi ſunt periurio diuinitatem genio ſuo detraxiſſe.

Tertull. Apoll. Suet. in Calig.

Tutelari Angelorũ cuſtodiæ aduerſantur ſectarij.

Veruntamen hæc me diſſerentem ſectarius hiſce vocibus excipiet. Cum Angelorum tutelam adſciſcere, & è ſupernis illis ſedibus ad negotia noſtra ſpiritus cęleſtes deuocare hactenus conatus ſis, modo hoc ipſum eo impugnas, quo commentum & figmentum gentilitiæ ſuperſtitionis fateris. An Chriſtiani, Paganorum diſcipuli eſſe debebunt, aut ad illorum placita fidem moreſque effingere? apage: imo potius ita argumentari licebit: Ethnici vanis & fucatis obſtricti religionibus, tutelarem angelorum cuſtodiam agnouerunt, Chriſtiani idcirco, qui profeſsionis ratione illis ſunt diſsimillimi, confictam hanc ab ipſis ſpirituũ cuſtodum opitulationem, conſulto refugiunt & auerſantur: quibus nimirum vnus Chriſtus abunde ſufficit, vnaque fides mentibus illapſa contra omnia infeſta tela, tam animos quam corpora tutabit. Bone vir, qui ita timidus & ſollicitus es, ne Chriſtianam puritatem, quam tibi ſecta vendicas, gentilitio aliquo ritu aut opinione corrumpas: melius tibi cautiuſque conſuluiſſe videbere, ſi virtutes quoque morales, iuſtam ex legibus rerũ publicarum adminiſtrationem, ſententiam omnem de animarum immortalitate, de diuina magnitudine, de inferorum pœnis abdicares pariter atque deponeres. De his etenim omnibus philoſophi tum recte ſenſerunt, tum vtiliter etiam alijs præceperunt. Quid? an non potius illud ipſam naturam peperiſſe exiſtimãdum, quod omnes vnanimi ſenſu proclamarunt, & profeſsi ſunt? Niſi enim rationis diuinitus nobis impreſſæ, hoc inſtitutum eſſet, nequaquam omnes gentes tam illis inſita mentis vi illud ſuſcepiſſent: tu vero ne ex angelorum cultu Ethnicus videare, nec Philoſophus, imo nec homo eſſe voluiſti. Deridebis idcirco minutã Romanorum diligentiam in colendis genijs, qui (vt à Pierio refertur) tutelares penates caninis pellibus induebant; exiſtimantes miniſterium & officium geniorum, canis ingenio quodammodo depingi. Sicut enim canis in domeſticos mitis & manſuetus, in externos autem, illoſque qui hoſtili impetu in ædes proruunt, furioſus exiſtit, rabidus & truculentus: Ita Genius, cum ſuorum rebus diligentiſsime proſpiciat, tum acri quadã vi dæmonum infeſtationes, aliave incurrentia mala repellit auertitque. Præpoſterum ſine dubio ad indicandum munus angelorum, non fuit

Pier. Canis.

hoc

hoc Romanorum symbolum. At de patrocinio eorundem à nobis orthodoxe susceptam sententiam, scripturarum quoque abunde testimonijs confirmare possumus. Luculentissime hoc probat imprimis Christus Dominus, cum de paruulis hæc dicat: *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Quod si *Angeli eorum* sint: habebant illi paruuli Angelos in suam custodiam deputatos. Quorsum enim *eorum angeli*, nisi vt rem & vtilitatẽ ipsorum procurarent? Nam (vt testatur Apostolus) *Angeli administratorij sunt spiritus, in ministerium: ipsi ad nos, propter eos, qui hæreditatem capient salutis.* Propter nos ab illis discurritur, ipsorum cunei in nostris excubãt castris: imo ipsorum custodia in sacris eloquijs Dei castra appellatur. Quis Loth Sodomorum conflagrationi eripuit? Angelus. Quis Iacob per tot discrimina & horribiles iniquissimæ fortunę assultus protexit? Angelus. *Angelus* (inquit) *qui eripuit me de cunctis malis.* Quis Tobiæ visum restituit? Angelus. *Misit me Deus, vt curarem te?* Quorum ministerio Hebræis lex tradita; si non Angelorum? *Qui accepistis legem in dispositione angelorum.* Quis Hebraicæ gentis peculiarem curam gessit, nisi Michaël Archangelus? *Et ecce Michaël vnus de principibus primis, venit in adiutorium meum.* Et quod supremum est, quis lætum illum nuntium de filij Dei in carne aduentu nobis detulit, nisi Archangelus Gabriel? Fallitur idcirco Caluinus, qui designati Angeli patrocinium, non nisi opinione vulgi assertum dixit: aliter sane doceri potuit ab antiquissimo Theologo Clemente Alexandrino. *Nam per Gentes & ciuitates sunt distributæ angelorum præfecturæ, fortasse autem etiam ex his sunt deputati singulis.* Omitto Dionysium Areopagitam, cuius scripta quasi suppositititia reijciunt sectarij; audiant Hieronymum: *Magna est dignitas animarum, vt vnaquæque ab ortu suæ natiuitatis in sui custodiam habeat angelum sibi deputatum.* Et alibi de Paulina loquens, ait: *Testor Iesum & sanctos eius, ipsumque proprium angelum, qui custos fuit & comes admirabilis feminæ.* Accedat D. Basilius, non in subsidium labefactatæ causę, sed in triumphum euersi inimici. *Omni in Christum credenti angelus assistit: nisi illũ à nobis per improbas actiones profligauerimus.* Et alibi: *Considera quanta sit angelorum natura, quoniam vniuerso exercitui, & castris numerosæ hominum multitudinis vnus assimilatur angelus ob magnitudinem: ita eius qui te custodit castra, tibi munitionesque præbet Deus.* Et post: *Sicut enim muri ciuitatis circundatæ omni ex parte obarcent propulsantque hostiles impetus: sic & angelus te præmunit à fronte, & à turgo custodit, & nihil vtrinque incustoditum relinquit.*

Matth. 18. Maldonat. ibid. Heb. 1. Gen. 9. Tob. 12. Act. 12. Dan. 10. Clem. Alex. 5. strom. Hieron. in c. 10. Dan. Hieron. in cap. 18. Matth. D. Hieron. obit. Paulin. D. Basil in Psal. 33.

Probatur ratione Angelorum custodiam religioni nihil detrahere.

Sed vti hæreticum arctius stringam, inferam eius pectori dexteram. A quo primum sciscitor, an credat angelum posse opis aliquod solatij atq; subsidij rebus nostris adferre? si neget, cum angelo iniuriam faciet, parũ dignè eius naturam secum æstimans, tum quoque scripturis apertissimè repugna-

repugnabit: quæ paſsim teſtantur angelos in homines ſæpiſsime extitiſſe beneficos ac ſalutares. Sin vero aſſerat ac fateatur, poſſe quidem eos nobis beneficia impertiri, hoc tamen nefas eſſe ab ipſis implorare: quandoquidem huiuſmodi petitio Chriſti meritis multum derogaret: inſignis eius ſtultitia prodigioſe ſe oſtentabit, ſibilis excipienda non diſputatione redarguenda. Nam ſi timori huic, ne Chriſti gloriæ quidpiam inde detra-ctum eſſet, iuſta cauſa ſubeſſet; tunc homini incidenti in Apoſtolorum aliquem, dum munus prędicationis exerceret, nequaquam vnquã fuiſſet
Rom. 15. licitum (quod tamen ipſe Apoſtolus Paulus aliquãdo fecit) opem eius inuocare, aut exoratum habere, vti ipſum adiutum veniat. Eadem namque iniuria Chriſti meritis illata ſemper videbitur, ac ſi angelum oraſſet. Parum erit, nec Theologo quidem digna ſententia, ſi modo dicas orationẽ ad angelum delatam, ideo vim meritorum Chriſti imminuere, atque in ipſum ſpem noſtram extenuare: quod angelus modo beatitudini atque ipſis cœlis ſit donatus: ineptum ſane hoc appareret ſubterfugiũ. Quomodo enim loci diſtantia aut felicitatis ratio, quæ illi obtingunt, cui preces fundimus, Chriſti Domini meritis, aut redemptionis per ipſum plenitudini poterunt derogare? Imo angelorum ſuppetiæ auxiliares Chriſti meritum commendant potius atque amplificant. Si enim quid angelus pro nobis apud Numen contenderit, illud ipſum, etiam angelica voluntas orandi, ipſaque effuſa eius petitio, vti prędeſtinationis effectus ex pręuiſis Chriſti meritis nobis diuina Dei patris clementia conceduntur; quid nobis deeſt ad ſalutem ex Chriſti beneficio, quibus Deus donauit angelos atque angelorũ principem? Repulſus autẽ ab hac erroris tui excuſatione, aliò te iam in fugam prorumpere conſpicio; cum dicentem audiam, quod tametſi tutelaris cura angelorum, vel eorũ inuocatio nihil officiat Chriſti dignitati; nihilominus fruſtraneum eſſe opus ab illis ſubſidium petere, qui vocum noſtrarum, vel etiam indigentiæ nullam valent notionem è terris ad cœlos traiectam excipere. Itane à philoſophia aberrare non diſpudet, vti à fide reſilias? Hæreſi non ſatis eſt falſitas, ni accedat quoq; ſententiæ abſurditas. Quid obſecro, ſinceras defęcataſque illas mentes ſubterfugere poterit, quæ maris arenas dinumerant, incluſas conchis margaritas, abſtruſa in terrę receſsibus metalla contemplantur, omnia denique vident diſtincte & enucleate, quæ natura effinxit? Quare vt ait Ter-
Tertull. in Apollog. tullianus: *momento vbique ſunt, totus orbis illis locus vnus eſt. Quod vbique geritur, tam facile ſciunt, quam enunciant.* Abſque dubio preces atque ſupplica-
Tob. 12. tiones, quas ſcriptura ſæpius commemorat angelos Deo obtuliſſe, ipſis ignotæ non fuerunt. Reſtat igitur vt fatearis cœleſtes haſce puraſque intelligentias humanis rebus ſuccurrere, cum poſsint, eaſque optime intelligant:

ligant: maxime quod hoc etiam in Christi gloriam cedat, ac redemptionis nostræ plenitudinem. Atque ex istis satis liquet, qualia existant animorum presidia ad virtutem, quæve instrumenta eisdem adsint ad propulsandum delictum.

Quænam demum sit perfectio ac culmen humanæ vitæ.

CAPVT XXII.



QVOD homo ex duobus componatur, animo nimirum & corpore: vti eiusdem perfectionis rationem exploratam habeamus, operæpretium erit vtriusque partis bona summatim recensere, eaque diligentius cogitare. Atque vt primo in loco de externis emolumentis sermonem inferamus: Plato hæc tria in vniuersum esse docuit: sanitatem, pulchritudinem, & diuitias iuste acquisitas. Veruntamen quam exilem & tenuem hæc constituant felicitatem, nemini obscurum esse poterit: fortunæ etenim subiecta sæpius mutantur, vel temporis vetustati obnoxia breui absumuntur. Neque credendum est hæc tria vnitim alicui sæpius, aut diu hac in vita solere contingere. Bina sunt Iouis dolia, (vt canit Homerus) felicibus aduersisque sortibus plena: ex quibus hominum fata non nisi promiscue decernuntur. Duo etiam calices in manu Domini (vt loquitur Psalmista) dispari liquore, vtpote nectaris & abscinthij redundantes. Neque ex meliori ita degustauit aliquis, vti interim ex deteriori nihil insuauis perceperit: *Et inclinauit ex hoc in illud, veruntamen fæx eius non est exinanita.* Quemadmodum autem duæ guttæ ex imbre decidentes simul eandem lapidis partem non feriunt: ita neque hæc externa bona glomeratim ad aliquem visa sunt affluxisse. Plerumque curis exeso corpusculo crumena nummis plena appenditur. Qui iuuentutis ardore concitati voluptates vnice spectant, facultatum dispendio, dedecore, corporisve malo chare nimis illecebram emercantur. Cui diuitiæ obtigerunt, ijdem morbus, podagra, aut liberorum luxuries infesta erunt. Qui rerum pollét notitia, infirma sæpissime affectaque vtuntur valetudine. Nemo est sapientum, in quem fortuna iniquior impetum non fecerit. Prouerbio iam inoleuit, Philosophiæ asseclam esse paupertatem. Quamobrem si externis hisce bonis definienda sit beatitudo, exiguus sane reperietur beatorum numerus; quem & Plinius ita perstrinxit: *Vna feminarum in omni æuo Lampido Lacedemona reperitur; quæ regis filia, regis vxor, regis mater fuit: vna Pherenissa,*

Bona temporanea quæ. Plat. in Gorg.

Bona nostra malis admixta. Psal. 74.

Plin. hist. lib. 7. cap. 41.

Pherenissa, quæ filia, soror, mater Olimpioniorũ, vna familia Curionum, in qua tres continua serie oratores extiterunt: vna Fabiorum, in qua tres continui Principes senatus, Marcus Fabius, Ambustus Fabius, Rolianus filius, Quintus Fabius, Gurges nepos. Atque vti de singulis concludam, diuitiæ possessorem absumunt, vel absumuntur ab ipso: sanitas ad morbum aut repit aut festinat; pulchritudo efflorescendo & dilatando se marcescit, sicut rosa dum se explicat solis radio, obiecta perit & concidit.

Felicitas huius vitæ non perfecta. Vt vero ad interna bona ipsius animæ transeamus; videamusque quænam felicitatis ratio ex illis oriri poterit, sententiam Platonis verissimam comperiemus: *Haud sane* (inquit) *dixerim posse homines beatos euadere & felices, dum vita hæc superest*: Quod etiam scripturæ vocibus consentiens omnino reperitur: *Prouer. 9.* Μοι μακαρίσις ἄνδρα πρὸ τελέυτης. Ne hominem beatum dicas, priusquam vitam cum morte commutarit. Tametsi vero summa hominis perfectio in virtute posita sit, quæ ad vitæ tranquillitatem satis etiam faciat: nihilominus quod huic quam plurima mala acerbaque sint adiuncta; absolutam felicitatem nequit alicui parere ac refundere: hæc enim mali expers est, & bonorum cumulus integerrimus; vel saltem vna aliqua perfectio, quæ mala omnia vi sua profligat atque exterminat: *In virtute non absoluta felicitas.* quod sane huic nostræ vitæ non contingit. Cum enim sæpius corpus male afficiatur, tametsi animus virtute probe sit excultus, nihilominus corporis causa discruciabitur, eiusque ægritudines non nisi acerbe patietur. Ipsa quoque ex virtute molitio labori, difficultati, atque molestiæ obiacet: quæ perfectam sine dubio felicitatem impediunt. Vt acquiratur virtus currendum, decertandum, anhelandum: indepta vero eadem contentione seruatur. Quemadmodum enim ager vt vberes effundat fructus, diuturnam & perpetuam quandam agriculturam postulat; ita animus vt virtute exornetur, in ipsa pugna trepidus, neque in victoria securus, assiduam diligentiam & perennes labores abijcere non debebit. Quam autem difficilis acerbaque sit virtutis operatio, satis clare expressit Patriarcha Abraham, *Gen. 27.* qui vti Deo obsequium præstaret, suis manibus filiũ Isaac, quem vnice dilexerat, sacrificio voluit immolare. Nemo credo est, qui ipsum in tali opere atque officio præstando plene beatum aut felicem pronunciabit. Si enim sensum ipsius animæ cogitemus: admiranda plane illa fortitudo apparebit, quæ abiecto filio super struem lignorum, paternum illud brachium in altum erexit, ad vulnus mortemque charissimę soboli inferendum. Sine dubio tantus ille amor, si non sufficiens ad retundendam aciem gladij, satis tamen videbitur ad exerti brachij neruos debilitandos. Ipsius Isaac amabilis vultus, cum fascia illi oculi essent obuoluti, ambigua & ancipiti cura paternum animum distraxit. Mansuetudo

tudo illa ſpectabilis, qua iugulum ſponte cultro ſubmiſit filius, parentis viſcera acri quodā dolore contorſit. In parentis oculis lachrymæ, in corpore tremor, in ipſo corde cuſpis, cruorem filij effundendum anteuerterunt, & in duas quaſi partes diuiſus Abrahami animus, inteſtino quodā bello exarſit. Nec intelligo, an filium, vel ſeipſum facilius potuerit occidere: vel an vno lethali ictu vnum tantum, non duos interficere. Quamobrem non tam demirari ſoleo Sampſonem, ciuitatis portas efferentem humeris, leonis artus dilacerantem, hoſtium turmas maxilla trucidantē, columnas concutientem, quam elatam hanc Abrahæ manum ad mortem filio Iſaac, eique chariſsimo pignori infligēdam. Quomodo ille paternus affectus non vicerit? quomodo brachium caſſo & irrito conatu non ſe dimiſerit? At virtus illi neruos tetendit, animumque fortitudine roborauit. In hac quidem condolentia, agone, & cruciatu virtutis excellentem formam, veluti roſam inter ſpinas intueor: ſummam tamen illam felicitatem, quam humanus animus deſideraret, non video. Virtuti itaque adiuncta eſt acerbitas: ideoque Hebræi Paſchalem agnum non comederūt, *Exod. 12.*
niſi cum lactucis agreſtibus. Iacob vt patris lucraretur benedictionem, *Gen. 27.*
hiſpidus & hirſutus domi apparuit, foras profugus & extorris fuit. Proponere mihi ſoleo ante oculos, tanquam ipſius honeſti expreſſam quandam formam, magni illius Dauidis, quem rebellium arma vrgebant, fu- *2. Reg. 15.*
gam & dilapſum. Hic nempe hoſtili odio, idque à proprio filio ad necem exquiſitus, humanis omnibus præſidijs abiectis, vitæ ſuæ conſulens, ad montis cuiuſdam culmen contendit, veluti ad effugium & aſylū: in quo preces ad Deum, pro ſe ſuorumque ſalute tutanda, effunderet. Scandens autem & flens, nudiſque pedibus incedens, aperto etiam capite montis cliuum petit. Hic ille Dauid, ſanctitatis laude conſpicuus, diademate clarus, diuinis teſtimonijs illuſtris, tot trophæis nobilitatus, in tantis anguſtijs, & tam atrocibus malis conſtituitur. Neminem hominum exiſtimarem Abſolone rebelli ſuo carere, qui animæ rationiſque imperium, virtute ſtabilire aggreditur. Nullus enim libidines ſuperauit, niſi aufugiens cum Ioſeph, in meretricis manu pallium reliquerit: vel ardorem *Gen. 39.*
corporis repreſsit; niſi cum Paulo carnem caſtigarit, duriſsimeque exce- *1. Cor. 9.*
perit. Ex quibus malis euenit, vti deſiderent homines vitæ iſtius pertæſi, ad ſuperos euolare, & tanquam veterani milites, miſsionem à duce flagitare non ceſſant: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*, inquit Apoſtolus. Vnde *Phil. 1.*
D. Auguſtinus: *O vitam beatam, quæ vt finiatur, mortis quærit auxilium:* *D. Aug. 19. Ciu. cap. 4.*
ſi beata eſt, maneat in ea; ſi vero propter iſta mala fugitur, in ea quomodo eſt beata?

Nec quidem in hoc noſtro rerum ſtatu, ſine peccato ſaltem veniali,

Vita hac peccato obnoxia. *Prou.20.* *Prou.24.* *Psal.18.* *Iudicia Dei occulta.*

degitur: quod doloris sensum sane in animo cuiusuis ingenerare poterit. Interdum etiam negligentia & oscitantia quadam præclaras bene operandi occasiones dimittimus, ac inde nobis maculas inferimus. Quis enim castum se habere cor gloriatur, cum iustus septies in die offendat, atque ab occultis alienisque peccatis Propheta Dauid liberari desideret? Cum etiam vitę nostrę illud sit discrimen, ex quo omnia incerta pendet, anxius manebit quilibet de vitæ istius exitu, præmijque retributione. Nã qui sancte maiorem vitę partem transegisse videntur: in ipso ferme portu aliquando naufragiũ faciunt, vnoque peccato mortifero multipliciũ bonorum damnum suscipiunt. Occulta denique sunt diuina iudicia, prædestinationis ratio nobis incognita. Sed neque euidenti argumento nos veram iustitiam adsequutos intelligimus: tranquilli esse possumus, securi esse non possumus: perpendiculum dimittere haud valemus ad abyssum & fundum diuinorum consiliorum. Quare quemadmodum si in Gallijs Romam quærerem, vehementer errarem: viam tamen quæ Romam ducit, ibi inuestigans, facillime inuenirem: ita in hac vita, ad felicitatẽ nobis aditus patet, & quasi via expanditur, ipsa tamen alio in loco inuenitur.

Eurip. in Troad.

. . . . Τῶν δὲ εὐδαιμόνων,
Μηδένα νομίζετε εὐτυχεῖν, πρὶν ἀνθάνῃ.
. . . . *Et beatum neminem,*
Solide felicem dicito, antequam extremum obeat diem.

De vltimo animæ fine, eiusque beatitudine.

CAPVT XXIII.

Ex hac vita fuga optabilis.



VI in alieno solo exules vitam degentes, aduersis rebus afflictantur: nihil prius in consilijs habent, quam fuga dilapsuque sese quamprimũ illis malis eximere. Talem autẽ mẽtem ad fugam comparatam vti nobis inijceret Deus, molestijs atque ęrumnis hanc vitam nostram mortalem vndique obsepsit ac implicauit: quarum cogitatio, meliorisque status futuri præmeditatio, labores nostros virtuti impensos cum leuarent, tum etiam vitę istius exitum, veluti post iactationem optatissimum portũ, nobis visendum exhiberent. Quotusque reperietur mortalium, qui virtutem sui gratia tot aculeis obductam expeteret? vel patienti tranquilloque animo perituræ vitæ decursum & occasum sustineret; si efflatam animam hominum iudicijs beatitudo nulla, laborum nullus fructus exciperent? Quis

pectus

pectus ardentibus telis obijceret, aut dispendium bonorum indies pateretur, nisi cuiusdam cœlestis præmij firmissima expectatio ipsum confirmaret? Sterilis sane arena, ac sole adustus virtutis esset campus; ni hominem in eo exacta contentio ad superos eueheret, ac pręmio insigni agonothetas donaret & colonos. Quocirca non aliunde vita istęc bona apparet, quam quod in stadium inducat homines, qui cursu præmium cęleste assequantur: *Vis dicere* (inquit Chrysostomus) *quare bonum sit præsens vita? quia futuræ nobis vitæ materia efficitur, & occasio, & certamen, & stadium habendarum illic coronarum est. Quod si hæc nobis non præberet, innumeris mortibus esset miserabilior*. Nihil quidem laboribus nostris in hac vita iuste respondet: imo virtutibus addicti passim incurrunt in paupertatem, ægritudines animę corporisque: in hos cœli intonant, terra fremet, omnisque aduersæ fortunæ iniuria exercetur. Ratione idcirco constat alium finem humanis negotijs esse constitutum, in qué sensus intendere non possunt. Húc tamen tam animæ motiones, quam corporis ipsius forma nobis indicant, & veluti quibusdá argumentis ac signis adstruunt luculétissime.

Chrysost. homil. 6. ad pop.

Imprimis illa vis immensa & propemodum infinita cogitandi, quæ pernici volatu per omnia defertur: cuius agilem facultatem nihil exæquare poterit, probat animum debere aliquando incidere in apertam claramque Numinis contemplationem. Hæc siquidem non solum per cuncta spatiatur vlterius semper aliquid inuestigans, verum etiam voluntatem quoque cupiditate videndi illud, quod omnium optimum est & supremum, mirifice accendit atque inflammat. Vt enim disseruit D. Thomas: visis effectibus, naturale quoddam desiderium vnumquemque insidet conspiciendi eorundem causam: quo fit vti perspectis illis rebus, quas effudit diuina manus, præstantissimoque ordine superna illa sapientia disposuit, ardenter voluntatis energia cupimus videre causam; ipsumque Deum omnium authorem intueri. Qui quidem appetitus in nobis adeo vehemens est & summus, vti diuitiæ aut deliciæ istius vitæ illum sistere nequeant aut satiare. Quibus tamen à me dictis obsistet fortassis aliquis, ac dicet hunc ipsius Dei visum, donum quoddam esse supernaturale ac diuinum; proinde fide tantum, non vero humana inquisitione cognoscendum: infirmæ ea propter censebuntur à natura nostro intellectui attributę vires, vti ex illis ostendere valeamus animæ felicitatem in conspectu Dei positam esse & collocatam. Naturale autem illud desiderium videndi causam, exortum ex aspectu effectuum, cuius mentionem intulit D. Thomas, moderatius forte erit accipiendum, quá vti illud extendamus ad dilucidam claramque substantiæ diuinæ contemplationé; quin existimandú in eam Dei visionem natiuá hominis ferri cu-

Felicitas futuræ vitæ probatur ex ipsius intellectus virtute.

D. Thom. 1. part. q. 12. art. 1.

piditatem, quę naturæ competit: qualis illa iudicabitur, quæ illustrem aliquem Dei effectum attingit, in quo veluti in imagine ipse Deus explicatius, quam in alijs intelligatur. Veruntamen hæc mihi singula expendenti, cum neque ad rem ipsam vera, tum neque ad D. Thomã appositè dicta videntur: Quantumuis etenim conspicuus & insignis Dei effectus,

Desideriũ naturæ videndi Deũ quale est.

menti alicuius obijceretur, quo perfectior atque eminentior percipitur à mente, eo acrius eiusdem despectus excitabit voluntatem cupiditate videndi causam: quandoquidem in nobiliori effectu magis eluceat diuina perfectio. Impetum idcirco desiderij non sistet creaturæ intuitus, sed potius stimulis continuo ad vlteriorem Dei visum incitabit. Ex natiua itaque intellectus perspicientia (si modo clare constet aliquando satiandam fore & explendam cupiditatem videndi, qua voluntas nũc flagrat) inferre possumus conspicuam dilucidamque Dei visionẽ illi debere obtingere, qui felicitate perfecta absolutaque donatur: quandoquidem cętera omnia exacuerent potius desiderium illud, quam satiarent. Porro D. Thom. non adserit visis effectis inditum vnicuique desiderium præstantiorem causę effectum videndi, sed appetitum esse ipsammet causam conspiciẽdi: existimarem itaque vel absq; fidei luce cognosci potuisse, hominem institutum ad videndum Deum, rerum omnium causam: tametsi ignorarint philosophi hanc ipsam visionem rem esse supernaturalẽ; putantes ad illam naturam omnino esse accommodatam: neque eius vires vlla ratione excedere.

Felicitas animæ in operatione circa Deũ.

Cum autem animam ipsam certis quibusdam facultatibus instructam videamus: euidens est, eiusdem felicitatem, operatione aliqua eius aut pluribus comparari: quę quidem operatio (vti omnium excellentissima) supremum quoddam obiectum postulat, quo nihil altius & sublimius: quod nullum aliud erit quam ipsemet Deus. Circa hunc idcirco animus versabitur, cum intellectus notitia, tum voluntatis amore. Disputatio autem illa, in qua anxie & solicitè quærere solent Theologi, vtrum præcipua pars felicitatis sit operatio intellectus an voluntatis: prolixa tractatione, vel etiam subtili, (si rem ipsam spectemus) non indigebit: iudicarem itaque primas actioni intellectus deferẽdas.

Phil. 3.

Cum enim Apostolus Paulus quandam ipsius Dei comprehensionẽ ijs, qui cum virtute vitam transigunt, polliceatur: innuere videtur felicitatem, præcipue in mentis conatu consistere: quandoquidem istius munus sit solum obiectum comprehendere.

Beatitudo in operatione intellectus.

Voluntas quidem suo amore effundit se potius ad obiectum; intellectus autem illud in se suscipit: non substantiæ ratione, sed imaginis. Infertur etenim menti species impressa ab obiecto: quæ eiusdem est imago: ipsaque aliam elicit speciem, quam expressam dicunt: nimirum actum percipiendi, quo res conspecta ad

viuum

viuum repręſentatur. Prætereo itaque impuratiſsimum Mahometum, qui exacta hac mortali vita, in corporum libidine beatitudinem ſuã demiratur; delicijs craſsioribus futuram illam æſtimans felicitatem. Nam quod felicitas vltimum quid ſit hominis, atque præſtantiſsimum: illius facultatis operatio erit, qua à brutis ſecernimur: corporeæ autem illecebræ vſus nobis eſt cum illis communis; felicitas itaque ponetur in operatione intellectus & voluntatis circa Deum: quod & ipſa corporis noſtri ſtructura ſatis indicat: *Tui corporis effigies rudimẽtum quoddam eſt, quo doceris ad quem finem conditus ſis, vt Deum contemplere factus es, non vt humi repat vita tua, non vt pecudum ritu voluptate perfruaris, verius vt ad normam & inſtitutum cœleſtis vitæ tuam ipſius conformes.*

Mahometi beatitudo fœda, nec diſſimilis illa Millenariorum.

D. Baſil. homil. 5. in exam.

Vt autem de præſtantia iſtius felicitatis aliquid per coniecturam aſſeramus: multa ſunt quæ illam nobis mirifice commendant, atque vti cumulatiſsimam exaggerant. Inter quæ, nõ modicum argumentum præbet ipſius cœli aſpectus, in quo veluti in delitiarum paradiſo percepturi ſumus guſtum felicitatis. Nam quemadmodum malorum animę infernalibus flammis præſentes, in illis locis inferis miſere torquentur: ita beatorum animæ vera atque reali præſentia cœlorum ſpacijs incluſæ, ſuauitate & amœnitate illius loci perfruuntur. Nullo idcirco modo audiẽdus Durandus, (licet de hac re abſolute nihil præſumat definire) cum dicat animas à corporibus ſeparatas, quantum ad ſitum locumque nullibi eſſe: niſi extrinſeca quadam denominatione exorta à deputatione diuina, qua ad certa loca relegantur, tametſi illis ſubſtantiæ præſentia reuera non adſint. Quod quidem de deſcẽſu Chriſti animæ ad inferos aſſerere, omnino hæreticum videbitur. Ariſtoteles ſane intelligentias ipſis cœlis affixit: & patres vnanimi conſenſu dicunt in cœlo empyrio conditos fuiſſe Angelos. Ex conditione idcirco loci nobis vtcunque innoteſcunt gradus & menſura felicitatis. Si enim in terreſtri Paradiſo, in qua peregrinus homo verſabatur, tanta pulchritudo effulſit: quãtam in cœlo nitere ſuperius ſuſpenſo iure quis cogitabit? etenim loci ipſius ſublimitas, naturæ quandã arguit præſtantiam. Extimam cœli faciem intuemur aſtris veluti gemmis diſtinctam, pulcherrimiſque luminibus irradiatam: atque fulgor ille currentium & labẽtium ſiderum, ordines eorundem, ita animos noſtros & oculos ſurſum rapiunt; vti philoſophorũ quidam merito dixerit, ideo hominem in lucem emerſiſſe, vt cœlos contemplaretur. Quod ſi externa illa ſpecies ita in oculis noſtris effulgeat: qualem faciem credibile eſt reperiri in illis rebus, quæ cœlorum ambitu coërcentur? Terra hæc quæ flagitioſorum vita eſt coinquinata, quæ Dei maledictum excepit, in qua aër tempeſtatibus deſęuit, cœlum noxijs influentijs debacchatur: nihilominus

Magnitudo felicitatis ex loco.

Animæ beatorum cœlo vt in loco.

Durand. in 1. d. 38. q. 1.

Ariſt. 8. Phyſ.

Cœlorum gloria.

nus admirabili quadam iucunditate ſenſus omnes perfundit. Quid exiſtimandum de cœleſtibus illis ſpacijs, quæ ſcelera nunquam coinquinarunt, quæ diuinæ ſententiæ acerbitatem non exceperunt, in quibus nec ſpinæ nec tribuli ſuccreſcunt, vbi ſerpentes non repũt, aut rapinæ roſtro vnguibuſque intenti volucres, ala ſuſpenſa ſanguinem meditantur? Si etenim paradiſus propter dignitatem coloni ipſius, nimirum primi hominis in naturæ integritate cõſtituti, ita exornatus pulcherrimeque omni bonorum genere ditatus fuerit: cęlorum regio proculdubio ſplẽdidior erit, quæ illos recipiet, non qui conditione ortus ſanctitate & perfectione florent, ſed qui infinitis laboribus, vulnerum perpeſsione, atque ipſius mortis tollerantia ad brauium & coronam peruenerunt. Quam mollis culcitra artus refocillabit virtutis gratia defatigatos? quam ſuauiter ſpirans aura anhelantes ex curſu ad Deum recreabit? quod oleum fluet & balſamum ad eorum corpora, qui in bonis actionibus exhaurientes vires obriguerunt? quam iucundus ſonus illorum aures pulſabit, qui dum veritatem aſſererent, omne contumeliæ genus ſuſceperunt? quę tãdem dapes in illud os inferentur, quod ſeueriori temperantiæ lege caſtigatum, delicias repudiauit?

Chryſoſt. homil. 55. ad pop.

Contulit idcirco ſanctus Chryſoſtomus ſublimia illa cum iſtis deorſum depreſsis, quæ ſenſus noſtri admirantur, ac dixit: *Splendida reſpicis ædificia, & horum te fallit aſpectus, ſtatim in cœlum reſpice, à lapidibus & columnis, ad illum decorem oculos reflecte: & videbis quod hæc formicarũ ſint & culicũ opera: contemplare ſpeculũ, aſcende ad cœleſtia, illic ædificiorũ diſce ſplendorẽ: & hæc omnia nihil eſſe inuenies, ſed paruulorũ ludibria puerorũ.* Molitiones autem puerorũ vel formicarum nullus hominum magni ęſtimat, vel eas ſcire multum deſiderat: ita ſi cęleſtibus negotijs intenti eſſent animi, ædificiorum hæc culmina, pompas, denique omnes, & gloriolas puerorũ ludicra iudicarent. Illa autẽ quę cœli complexu cõtinẽtur, inferius leuiter ſaltem adumbrant inſigniora quę videmus.

Fulgent. vita eius apud Sur.

Splendor eccleſiæ repræſentat cœlũ.

Vnde S. Fulgentius quo tempore Theodoricus Italorum Rex vrbem ingrederetur, loci apparatum conſpicatus dixit: ſi ſic fulgeat Roma terreſtris, quam ſpecioſa erit Hieruſalem cęleſtis? Nihil autem ita cœli fulgores nobis ob oculos ſtatuit, atque in Eccleſia Catholica ſplendidiſsimus ſacrorum cultus, in quo exprimuntur eius decora & ornamenta. Hinc ſacerdotum atque clericorum ordines decentiſsimi, fulgentia altaria, in auro libationes antiſtitum, odorum ſparſiones, collucentes tedę, fulgentes veſtes, ipſam eccleſiam in qua reperiũtur, alteram conſtituunt Hieruſalem, nouam & è cœlis ad terras deſcendentem: quam quidem cœleſtem ciuitatem ita deſcripſit Euangeliſta: *Et erat ſtructura muri eius ex lapide iaſpide, ipſa vero ciuitas aurum mundum, ſimile vitro mundo; & fundamenta muri ciuita-*

Apoc. 20.

Apoc. 21.

tis,

tis, omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum iaspis, secundum saphyrus, tertium calcedonius, quartum smaragdus, quintum sardonix, sextum sardius, septimum chrysolitus, octauum berillus, nonum topasius, decimum chrysoprasus, vndecimum hyacinthus, duodecimum amethistus: & duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas, & singulæ portæ erant ex singulis margaritis, & platea ciuitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum. Istius ciuitatis tres præcipuas partes recensuit Euangelista, murum, plateas, & portas. Muri nomenclatura mihi ob oculos proponit securitatem beatorum: qua immunes prorsus sunt ab omni infestatione hostili: nec deturbari possunt è summo illius felicitatis gradu. In plateis aureis cumulatæ eorum opes monstrantur. Atque plateæ illæ quæ instar vitri mundę elucent, denotant diuitiarum inibi possessionem non tenebras offundere intelligentiæ ipsorum, sed lucem potius adferre & cognitionis radium. Duodecim portæ effusam Dei benignitatem, apertamque ad excipiendos eos, qui vndiquaque ad ipsum confluunt, apposite videntur mihi repræsentare. Quę quidem omnia: aurum nimirum, lapides pretiosi, atque margaritæ, natiuo quodam situ in tenebris veluti impura delitescunt, terræ visceribus, rupium concauis, aut marinis conchis inclusa: ignis autem vi, mallei feritu, aut limæ politura illam, quam artificio alijs rebus inserta perfectionem habent, nanciscuntur: ita in superna ac cœlestia loca adsumendi homines, pressuris conflictati, flammisque decocti, angulos deserunt ignotæ absconditæque vitæ, & in admirabili quadam felicitatis luce collocantur demum, ac summo quodã eo loci perfruuntur decore. Hoc autẽ cœlum, quod Deus è capitibus nostris veluti Imperatoris tabernaculum tetendit, luminum varietate atque cursu exornatum esse voluit: vti ex eius aspectu, in difficillimis vitæ negotijs reficiremur: & ad illius loci expetitionem acrius incitaremur. Sicut enim è regione paradisi primus homo ideo exul ponebatur, vti illius horti intuitu in odium peccati moueretur, quod exilio causam dederat, ipsumque solicitauerat ad trãscurrendam diuinam legem: ita ad subijciendam spem mortalium animis inclinantibus, & assidua conflictatione propemodum defatigatis, qua erigerentur, statuit Deus vti cœlum ipsorum oculis perpetuo obuersaretur. Nauta quidem in cœlum aspectum dirigens, nauim recta inflectit: agricola cœli ratione perspecta, semina spargit, culturamque exercet: medicus pharmaca præscribens, cœlorum motus animo perpendit: ipsique milites sub clemẽti cœlo aciem petunt alacriores: denique cœlorũ benignitate exhilarantur omnia, florent atque pubescunt.

Alia autem iucunditatis, qua beati perfunduntur, causa existit longe vberrima: clara nimirum & explicata ipsius Dei cõtemplatio: quam immensa *Dulcedo ex visione Dei.*

mensā quædam voluptas necessario concomitatur. Hæc etenim operationis illius effectus est, quæ naturæ vel maxime consentit: ideoque illecebra quadam dulcedinis inescati viuentium sensus, ad aliquid efficiendū pertrahuntur: quod euidentissime liquet in corporum cura sobolisque propagatione. Verum non solum opinio iucunditatis mediorū electionem expetibiliorem reddit, sed etiam voluptas ipsis finibus insita fruitiones constituit optabiliores. Adsequuto etenim fine, quies emanat, in qua animus dulcissime otiatur: tunc enim ad sensus nostros præcipue iucunditates affluunt, quando voti compotes effecti, negotijs & agitatione vacamus. Neque enim existimandū erit diuina lege omnes voluptates homini in vniuersum esse interdictas. Voluptas etenim summa ingressum primi parentis in paradisum excepit: vita hæc nostra virtute exculta, admirabiles voluptates effundit: cum autem peruenerimus in patriam lacte & melle manantē, incredibili voluptate perfruemur. Solummodo Deus voluptatem ex illicitis nobis pernegauit; quæ quidem vera voluptas nō est, sed fucata, animorumque deceptrix. Quomodo autem totius vitæ nostræ cursus, voluptatis sensu perspersus sit, istis docuit Aristoteles: *Omnium enim animantium cōmunis est voluptas, eorumque omnium, quæ sub electionem veniunt, assidua comes est. Nam quicquid honestum, quicquid vtile est, id omne iucundum videtur. Præterea vero à teneris vnguiculis vna nobiscum educata est; atque idcirco hunc effectum animi, quo vita nostra tincta & penitus imbuta est, eluere atque abstergere difficile est.* Quocirca non corporibus tantum, sed & animis voluptas erit constituenda: imo quæ animæ est, maior expressiorque existit ea, quæ corporis; hæc quippe in tristitiam aut sordes incidit: illa constanter fluit vti pura & sincera. Nemini autem obscurum esse poterit, quin intelligat summam debere iucunditatem animam afficere, cū in vultum Dei intenderit. Si enim in hac vita (vti animaduertit Aristoteles) lætari & gestire solemus, cum exilem aliquam cognitionem diuinorum perceperimus: quanta iucunditate perfundemur, quando abiecta vmbra, excussoque fidei ænigmate, ipsum Deū dilucide intuebimur? Vix tantæ lucis radium, aut voluptatis torrentem, posse humanum animum sustinere, aliqui existimati sunt: atque dixerunt ideo apud Esaiam prophetā, Seraphinos obductis alis facies suas velasse: quasi (vt inquit Chrysostomus) *excluderent radium è throno prodeuntem, eo quod ferre non poterant immensam eius gloriam.* Non tamen putandum erit, ita aciem mentis illi obiectam diuinam essentiam perstringere, quemadmodum solis radius oculum feriens illum hebescere & cęcutire facit; nulla etenim actio Dei in animam eius naturæ nociua cogitari poterit: qualem experimur, dum sol vehementi radio oculum verberat, & exinde perturbat. Sententia

Voluptas non omnis illicita aut à Deo vetita.

Arist. 2. Eth. c. 3.

Arist. 1. Metaph.

Esai. c. 8. Chrysost. homil. 1. in verb. Esa.

quoque

quoque ecclesię definitum est, beatorum animas ipsam Dei essentiam clare, explicateque, non aliquid tantum ab illa deriuatum intueri: quod neque videtur latuisse Platonem, qui solutis animis, & ex corporum ergastulis euolantibus, primæ lucis ac veritatis aspectum pollicetur. Grauissime tamen Eunomius & alij errarunt, affirmantes natiuam intellectus vim satis confirmatam esse & idoneã sua natura, ad exprimendam felicissimam hanc visionem. Requiritur enim (quod & ecclesiæ sanctione stabilitum est) quoddam gloriæ lumen, quo mentes eorum, qui in Deum intendunt, roborentur atque adiuuentur. Cuius necessitatem non philosophia, quę proportionis rationes inter obiectum atque facultatem exquirit, euidenti aliquo probat argumento (vti Ioannes Scotus subtilissimè disserit) sed scripturarum authoritas eam adstruit tantum ac definit. Accedente enim quouis lumine, quæ demum proportio exoritur inter mentem finitam ac ipsum Deum infinitum? Si dicas obiectiuam emanare: hanc naturæ asseram posse competere absque subsidio qualitatis supernaturalis, si modo puræ philosophiæ litis æstimationem detuleris: at de his hactenus. Huiusmodi sane visione beatis propinantur nectar & ambrosia, quorum Homerus meminit: quod nempe omni iucunditatis genere perfundantur, qui ea perfruuntur. Terram quoque inhabitant (vt scriptura loquitur) fluentem lacte & melle, inebriati ab vbertate domus Dei. In lacte niueus ille candor oculis admodum gratus, præstantiã atq; claritudinem significat intellectiuę visionis: mellis autem dulcedo, ex fruitione Dei admirabilem denotat iucunditatem. Hęc quidem duo, mel nimirum & lac, quæ ad vitæ nostræ sustentationem plurimum faciunt, absque labore nostro nobis adueniunt, & aliena solertia comparantur: ita qui bonis illis cœlorum gaudent, sollicite sua commoda non quærunt, nullis inibi curis distringuntur: sed ipse locus illis omnia grata & iucunda affatim suppeditat. Quemadmodum enim sex annorum spatio Hebræus populus assiduis corporum defatigationibus, vitæ indigentiæ succurrebant: septimo vero anno feriati à negotijs eis solummodo ad pastũ vtebantur, quæ terra sua sponte effuderat: ita quæ huius vitæ sunt vtilia, labore, cõtentione, & veluti agricultura, corpore animaque subactis, comparãtur: Cum autem in florentissimas illas regiones peruenerimus, nobis quasi nihil agentibus, omnia affluent iucunda. In medio enim cœlestis paradisi est fons, cuius riuulis perenni motu decurrẽtibus, locus ille floret irrigatus, & vberrime innumera bona incolis elargitur. Mel quoque & lac, quæ sine corporum mixtione atque coitu fiunt, & nostris nũc vsibus inseruiunt, castitatis sunt insignia ac puritatis: vt discant Millenarij cum Mahometo, cœlestes delicias libidinosas non esse aut fœdas, sed

Conc. Later. Flor. Aurosi. Clem. ad nost. Plat. in Tim.

Eunomij error.

Lumen gloria necessarium.

Scot. in 3. d. 14. q. 1. & in 4. d. 49. q. 11.

Quare cœlũ terra, qua fluit lacte & melle.

Exod. 3.

Exod. 23.

Gen. 4.

Apoc. 21. Matth. 3. Hier. 38.

nitidiſsimas ac ſynceras. Tunc etenim (quod & Euangeliſta vidit) zonæ aureæ inſigni nitore fulgentes, lumbos pręcingent: non quidem pelliciæ, aut hiſpidæ, vel putridæ, atque conſciſſæ, quibus Baptiſta & Hieremias vſi ſunt; ſed aureę plane, cum precio ſummæ, tum decore ornatiſsimæ, artus corporeos conſtringent ac continebunt.

De vltimo fine humani corporis.

CAPVT XXIIII.

Reſurrectioni corporum obſiſtunt placita Philoſophorum, ſimiliter & hæretici Manichæi, & Origeniſtæ; ſed duplici argumento inducti. D. Aug. de hæreſ. Tertull. de carn. Chriſt. Iren. lib. 1.



QVI ex orthodoxa fide rediuiuam emortuæ carnis è pulueribus excitationem adſtruunt, Philoſophos omnes aduerſarios habent, negantes reſoluta in terram corpora, denuo ſpiritum vitamque poſſe reciprocare. Ex hæreticis quoque quamplurimi in eundem cum Philoſophis ſcopulum impegere. Qui quidem duplici claſſe diſpertiti, alia atque alia ratione corporum reſurrectionem pernegarunt. Quidam credentes carnis concretam molem à malo principio propagatam, eam, vtpote peſsimi authoris opificium, intercedente morte ſemel exſciſam, de integro reſtitui ad vitam non debere proclamarunt. Ita poſt Simonem magum, Baſilides, Valentinus, Apelles, Marcion, Serdon, Manichæus. Ab his diuerſi Origeniſtæ ex ipſa corporis ſtructura, vſuque membrorum à natura inſtituto, probare voluerunt, animę, cum in æthereas illas ſedes penetrarit, carnis compagem fore inutilem, oneroſam, & indecoram. Quocirca (vt ipſi loquuntur) exuendæ ſunt pelliceę corporum tunicę, neque vnquam in poſterum reſumendæ: quemadmodum nec ſerpens detractam pellem iterum induit, vel aquila cum iuuentus renouata fuerit, excuſſas pennas alis refigit. Subtiliorem poſtmodum & minutam adhibentes humani corporis partium diſquiſitionem, inuenientes eas muneri in illo ſtatu beatitudinis exequendo ineptas, conſtanter carnis molem ſemel proſtratam confectamque reſuſcitãdam non eſſe aut reſarciendam pronunciarunt. Quid, inquiunt, ibi faciet caput capillitio ornatum? quid palpebræ, nunc veluti ſetis contectæ, ad intercipiendos ſudores guttatim è fronte fluentes, ne in pupillam inciderent? Quid oculi? quid nares? ſi nec obiecti illis colores tunc occurſent, nec efflati odores ſe in meatus illos inſinuent. Quid ſtructura oris gingiuis diſtincta, & dentibus armata ad cibos conterendos? Quid lingua flexilis ad os eluendum, ad humorem excitãdum, ad aërem elidendum, voceſque ac ſonos exprimendos accommodata? Latentiores

quoque

quoque corporum partes si despiciamus: ad nutritionem, ad vegetationem, ad sobolis propagationem relatas comperiemus. Hinc inde septa trãsuersa, spina dorsi, pulmones ad cor refrigerandum, stomachi os apertum, & concauus eius sinus, discurrentes per corporis partes venæ, vt sanguis ipso motu defecacior euadat, & fluente humore corporum artus irrigentur: nulla autem horum officia erunt, cum cœlum beatos exceperit. Quocirca (vt scribit D. Hieronymus) Origenistæ orthodoxos, quod corporum ἀνάστασιν cum singulis membris assererent, per ludibrium pilosiostas appellarunt, homines animales rudesque. Cum tamen bene animaduerterint animam substantiam quandam esse imperfectam, alterius rei consortium expetentem, ne perpetua à corpore diuulsio illi esset violenta & molesta: finxerunt alia corpora subtiliora, ad tenue & quasi spirituale elaborata, figurę orbicularis solutis animis adiungenda. Et quidem more sectariorum, ad sacrarium hi quoque confugientes, scripturarum authoritate atque testimonijs errorem suum confirmarunt. Illud autem Apostoli sæpius ab ipsis vsurpatum: *Seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale.* Si spiritale dixerunt, profecto quod in sepulchro contabuit, quodque à spiritu maxime alienum, haud resurget. Porro Apostolus eo loci resuscitationem corporum enatis spicis & frugibus comparat, quę ex corruptis in terra seminibus, in altum postmodum efflorescũt. Quod autem computruit terræ coopertum gleba granum, spicę geniculis non iterum inseritur, sed aliud prorsus. Eodem modo, corpus in pulueres resolutum, nunquam accedet ad animam, sed aliud alterius rationis. Nam (vt ibi concludit Apostolus) *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.*

D. Hier. ep. de error. Ioan. Hierosol.

Origenistæ corpora animis beatis concedunt.

1. Cor. 15.

Priusquam autem argumentis physicis corporum resurrectionẽ probabilem efficiam, operępretium duxi hęreticis obuiam ire, & ex eis principijs, quæ nobis cum illis sunt communia, eandem adstruere. Nihil sane scriptura sæpius inculcat, aut clarius definit, quam quod corpora morte prostrata, resurrectione interueniente, iterum vitæ sunt restituenda. *Sciẽtes* (inquit Apostolus) *quoniam qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit, & constituet vobiscum.* Nisi autẽ hæc ipsa corpora, quæ nũc circũferimus, & ex quibus cõstamus, suscitauerit Deus: profecto nos nõ suscitabit, quorũ illa corpora fuêre. Non enim ex anima tantum, sed ex corpore etiam homo est coalitus. Hoc etiam luculenter probat illud resurrectionis symbolum, quod propheta Ezechiel conspexit: in quo intuitus est eadẽ ossa, quæ exaruerant, & dispersa erant, neruorum nexibus denuo colligari, cute indui, mouere, vitamque ac spiritum haurire. Et patientissimus Iob, in grauissima illa sui corporis exulceratione, resurrectionis spe firmatus, dixit:

Resurrectionem scripturæ probant.

2. Cor. 4.

Ezech. 37.

Iob 10.

dixit: *Et in carne mea videbo Deum saluatorem meũ, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* Cum etiam Christi Domini resurrectio, resuscitationis nostrę typum prætulerit, (vt disertis verbis affirmat

1.Cor.15. Apostolus) si idem Christi corpus, quod cruci affixum, sepulchro illatũ, animæ ipsius reunitum fuerit: eadem quoque corpora nostra quæ iacent emortua, excitabũtur, & cum animis postmodum pristina naturæ compage interueniente, consortium inibunt.

Resurrectio corporũ effectus redemptionis.

Spectat etiam ad beneficium redemptionis nobis per Christum præstitæ, vti hæc ipsa corpora iterum resurgant. Quemadmodum enim antiquus serpens, mortis aculeum carni infixit, ita Christus venenum antidoto expellens, eidem vitam impertiuit. Verum quidem est, non omnem originalis delicti pœnam Christum modo abstulisse; qui enim ipsi charitate fideque inhærent, esuriunt, sitiunt, laborant, defatigantur: denique

2.Reg.14. omnes morimur, & veluti aqua in terram dilabimur. Hæc tamen quod naturæ mala existant, beneficio reparatoris tandem profliganda sunt: inter quæ, mors nouissimus hostis, cum quo vltimo confligendum, crucis telo demum est expugnanda. Victrici quidem Christi resurrectioni, veluti causæ, Theologi attribuere solent nostrorum corporum restitutionem: Tum quod illa Christi resurrectio, exemplar fuerit reparationis nostræ, tum etiam quod sicut diuina natura emortuam Christi carnem reuiuiscere & efflorescere fecit: ita eadem, corpora nostra morte consopita, vitæ quoque restituet, & ad primæuum statum reuocabit.

D.Thom. in 4.d.41. ar.2. lib. vlt.cont. Gent cap. 89.Ferrar. ibid.

Eucharistia causa resurrectionis.

Ioan.6.

Huius etiam rei peculiaris causa æstimatur mysticus ille & diuinus Eucharistiæ cibus: qui corporibus nostris immixtus, vim habet restaurãdi ea, postquam morte defluxerint. *Qui manducat meam carnem,* (inquit Christus) *& bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eũ in nouissimo die.* In quibus duplex effectus Eucharistiæ recensetur: vita nimirum æterna, qua beantur animæ; & resuscitatio in nouissimo die, qua reparantur corpora. Sed ne Caluinus more suo ex tripode nobis succensens, dicat; eo loci nihil ab Euangelista de Eucharistia expressum: refractarium sanctorũ patrum authoritate opprimemus. *Habet* (inquit Cyrillus Alexandrinus) *hæc caro Dei verbum, quod naturaliter vita est, propterea dicit, quia ego resuscitabo eum in nouissimo die. Ego enim,* (dixit) *id est corpus meũ quod comeditur, resuscitabo eum.* Maleuolus idcirco Caluinus, & iniquissimus in Euangelij gratiam, qui mannam & aquam è petra scaturientem

Cirill. Alex. lib.4. Ioan.c.15.

1.Cor.10. Eucharistiæ nostræ ęquiparauit. Nam manna & illa aqua refectos, truculẽta mors in eremo prostrauit: Eucharistia autem saginati, mortem omnem eiusdem virtute superabunt: cum nimirum corporum resurrectio peracta fuerit. Merito idcirco D. Iræneus illorum demiratus est stupiditatem,

D.Iran.li.4.cap.24.

tatem, qui Eucharistiæ veritatem suscipientes, corporum tamen resurrectionem peruerso dogmate negarant. *Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant, offerendo quæ prædicta sunt.* Simili modo dicam sectarijs nostris: quod si corporum reparationem in fidem admittant, agnoscere quoque debebunt veritatem Eucharistiæ: quam cum pernegent, fidem quoque resurrectionis abijciunt: sed (vt inquit D. Ireneus: *Quemadmodum qui est à terra panis percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.* Imo physicam quandam actionē corpori Christi cum corporibus nostris contemperato, ad resurrectionē perficiendam attribuere videtur. *Quemadmodum lignum vitis depositū in terra suo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram, & dissolutum multiplex surgit per sapientiam Dei, qui continet omnia: cum deinde per sapientiam in vsum hominibus venit & sanguis: sic & nostra corpora, ex ea nutrita, & reposita in terra, & resoluta in ea, resurgēt in suo tempore, verbo Dei resurrectionem ijs donāte, in gloriam Dei patris.* *Iren. sup.*

Caluinistas itaque illis hæreticis adiungo, qui corporum futuram resurrectionem inficiati sunt. Cum enim maximum momentum ad resurrectionem, ipsam nimirum vim Eucharistiæ, opinione sua sustulerint: consequens omnino est, illos cum Manichæis & Origenistis fidem etiam resurrectioni corporum detrahere. Illorum etenim vmbratilis & fucata cœna nihil commercij habet cum corporum reparatione: Illa inquam, quam pistor conficit, phantasma consecrat, os impurum conterit, mens insana concipit, nec muri vitam dare poterit, aut esurienti cani: multo minus homini qui naturæ concessit. Sed & aliunde quoque se hostes produnt resurrectionis Caluinistæ, vti postea referemus. More autem Catholico constituta Eucharistia, expressa veluti typo fuit illo fermento, quod mulier farinæ immiscuit. Quemadmodum enim fermentum massam excitat, & veluti vitam illi impertitur & motum: ita Eucharistia corporibus nostris illata, ea in terras depressa ad cœlos vsque euehet, vita motuque donabit. *Caluinistæ hostes resurrectionis.* *Luc. 13.*

Verum istis aduersabitur quis, ac dicet: quod si corporum resuscitatio referenda sit in merita Christi, atque beneficium redemptionis; nulla superit causa resurrectionis eorum, qui vita defuncti, nihil de fide Christi exceperunt. Quos tamen constat excitandos in nouissimo die, & cum corporibus tribunali Christi sistendos. Hæc tamen parum obstabunt. Nam præuisa Christi merita à Deo patre causa potuerint esse, ob quam *Vtrum in omnibus resurrectio sit effectus meritorum Christi?*

decreuerit ipſe futuram corporum reſurrectionem, vel (vt alij volunt) mereri potuit Chriſtus, vti ipſius corpus cauſa eſſet phyſica reſurrectionis noſtræ. Quod ſi omnino meritum Chriſti ab hoc effectu ſecernamus: adhuc duplex erit cauſa, ob quam iniquorum corpora ſint reficienda. Primo quod huic animæ ſit quædam indita inclinatio ad hoc corpus, & propterea eidem aliquando vniri debebit. Deinde ſicut corporei artus vitijs inſeruierint: ita ne impune ferant atrocitatem delictorum, reparandi ſunt, vt excipiant pœnas, quas flagitijs ſunt promeriti.

Duplex cauſa reſurrectionis in malis.

Argumēta quæ probãt animam immortalē eadem adſtruunt corporum reſurrectionem.

Vt autem modo aliquid ex ipſa Philoſophia petamus, vnde corporum reſurrectio adſtruatur: quæ animorum immortalitatem probant, ea etiã corporum reparationem hanc abunde aſſerunt. Cum enim naturali quodam pondere propendeat anima in ſuum corpus, à quo non niſi ægre & ſummo cum dolore diuellitur: æterno tempore non debebit illo ſpoliata ſubſiſtere. Et quod iſtius corporis cum anima perenne ſit futurum conſortium, probare videtur illa ſumma cura corporis, qua anima in hac vita tangitur. Videmus enim quanta diligentia morbos à corpore anima propulſet, quam ſedulo illi blandimenta porrigat: nihilque gratius animæ, quam corpus videre floridum, veſtimentorumque cultu exquiſitiſſime ornatum. Hinc radiantes gemmæ & vniones perquiruntur, veſtes ſericæ auro intertextæ, & aliæ formæ cultus propemodum infinitæ adhibentur: varius quidem ritus penes hos & illos, idem tamen propoſitum exornandi corpus. Neque minus Indianus princeps equina cauda ab humero pendente decorem ſpectauit, quam alij, qui purpura amicti, radiante quoque diademate fulgent. Hoc idcirco animæ ingenitum deſiderium expoliendi corpus, indicium eſt æternum fore corporis cum anima conſortium.

Animæ cura, qua diſtinetur erga corpus hac vita, probat reſurrectionem. Maff. li 1. hiſt. Ind.

Reſurrectio corporum ex diuina prouidentia & humanæ vitæ conditione probatur.

Ipſa porro diuinæ prouidentiæ ratio, imo etiam humanæ vitæ conditio reſurrectionem hãc luculenter comprobant. Quum enim corpus voluptatibus, in quas tamen ab ingenio eſt propenſum, abſtineat, atque virtuti pareat eius conatus, præmium aliquod operæpretia & coronam inde promerebitur: alias iniqua prorſus eſſet carnis conditio, ſi modo poſt tot agones luctas & mille quaſi mortes, cura eius, labor, & contentio omnis ad extremum in nihilum reciderent: præſertim cum quędam actiones virtutum reperiantur omnino à corpore dependentes: vtpote illæ, quæ verſantur in moderatione guſtus & tactus. Proinde ipſius virtutis ſplẽdor non in anima ſolum, ſed etiam in corpore elucet: cuius decus, fauores & amores intuentium conciliare ſolet. Nihil ſane viro modeſtia exculto, atque virtute ſubacto vel ad externam ſpeciem, ornatius pulchriuſve. Et quemadmodum creditur lumen gloriæ in animis beatorum admira-

admirabiles quasdam dotes in ipsorum corpora transfundere: sic etiam nunc videmus virtutem & iustitiam, quæ hominum animas afficiunt, eorum quoque corpora perpolire & venustare. Quidni autem resurgerent corporis membra, quæ tam strenue virtuti operam nauarunt, quæ spiritus sancti instrumenta extitere, quæ Satanam deuicerunt? Si enim ille gladius Dauidis summo in pretio habitus fuerit, & in loco quodam sacro repositus, qui Goliæ caput corporis trunco præsciderat: non minus hominum corpora honorifice tractanda, idque in cœlis constituenda, quæ humani generis hostem acri & constanti marte profligarunt. Hac etenim de causa Cæsaris etiam ensis, quo orbi terrarum luctum atque terrorem incusserat, (vt scribit Suetonius) in templo Martis fuit cõsecratus. Et vt narrat Trogus, Epaminondas Thebarum dux eximius moriturus, scutũ quo in prælio sæpissime decertauerat, iam vltimo videre voluit: illudque amplexatus & deosculatus, socium dixit laborum atq; gloriæ participem. Eodem sane pretio quo Epaminondas scutum, D. Cyprianus eorum corpora ęstimauit, qui veritatis asserendę causa durissima atque dirissima essent experti: *O pedes feliciter vincti, qui non à fabro, sed à Domino feliciter resoluuntur! ô pedes feliciter vincti, qui itinere salutari ad paradisum diriguntur! ô pedes in sæculo ad præsens ligati: vt sint semper apud Dominũ liberi! ô pedes compedibus & transuersarijs interim cunctabundi, sed celeriter ad Christum glorioso itinere cursuri!* Et alibi: *Quid iucundius & sublimius, quam osculari nunc ora vestra, quæ gloriosa voce Dominum confessa sunt? Conspici etiam præsentem ab oculis vestris, qui deserto sæculo, conspiciendo Deo digni extiterunt?* Virtus itaque morte fortior, cum ea restauret mẽbra corporis, quæ mors contriuerat, & secus infernum disperserat. Ideoque effusus Abelis cruor, (vt scriptura dicit) voce sonora ad Deum clamauit, quasi resurrectionem sibi dari petens. Eleganter sane Clemens Alexandrinus vocalem hunc Abelis sanguinem, ęterni patris verbum, cuius est sermonem proferre, præsignare ostendit: *Deum alloquitur sanguis, qui est verbum, quoniam significat verbum, qui erat passurus.* Doctissimus tamen Epiphanius voces hasce sanguinis ad resurrectionem corporis retulit: *Conuincuntur autem ipsi vndiquaque de resurrectione mortuorum, Primum ex Abel, quod post mortem sanguis eius Dominum alloquitur: sanguis autem non anima est, sed in sanguine anima, & non dixit anima clamat ad me: ostendens quod est spes resurrectionis corporum.* Iustissima idcirco causa reparandi corpora virtus est, cui corpora in vita paruerunt, cuiusque gratia repudiatis voluptatibus, malorum tolerantia durata & exasperata fuêre. *Non potest ergo* (inquit Tertullian.) *separari in mercede, quod opera coniungit: nam & sacrificia Deo grata, conflictationem dico animæ, ieiunia, & seras, & aridas escas, & appendices huius officij sordes: virgi-*

1. Reg. 21.
Suet. in Vitell.
Trog. lib. 6.
D. Cyprian. ep. 77.
D. Cypr. ep. 81.
Psal. 140.
Gen. 4.
Clem. Alex. li. 1. pedag.
Epiph. li. 1. cont. hær.
Tertull. lib. de resur.

virginitas quoque, & viduitas, & modestia, in occulto matrimonij dißimulatio, & vna notitia eius, de bonis carnis Deo adoletur.

Sectariorum argumenta infirmant resurrectionem.

Firmissimum hoc ad comprobandam corporum resurrectionem argumentum à vitæ ratione deductum, omnino infirmant & conuellunt hæretici: eo fine (vt videtur) quo resurrectionis fidem labefactent. Dicũt etenim omnia hominum opera, quantumuis bona, adiuncta concupiscentia ita infici, vt peccata omnino sint lethifera, ipsiq; Deo exosa. Quod si corporis gesta flagitiosa existant, si humanam vitam non nisi infinitis criminibus funestent: si nihil præclari aut honesti proferant (vti opinantur sectarij) nulla profecto ratio suberit eorum credulitati, qui immortalia fore corpora, atque demum post mortem reficienda arbitrantur. Cum etiam (vt videtur) sectarij moderni Manichæorum vestigijs insistentes, corporum resurrectioni infesti sint: Orthodoxos sanctorum reliquias colentes, cum Vigilantio cinerarios dicunt: quasi cineribus defunctorum corporum religione inhærentes. Infinitas contumelias iaciunt in has sacras exuuias, in hęc organa spiritus sancti: quorum dignitati nihil concedentes, inanem vanamque reddunt resurrectionis fiduciam. At longe alia fuit mens Gregorij Nazianzeni, cum dicat: *Quorum vel sola corpora idẽ possunt, quod animæ sanctæ, siue manibus contrectentur, siue honorentur: quorum vel solæ sanguinis guttæ, atque exigua pasßionis signa, idem possunt quod corpora.* Superstitiosum dicent D. Hieronymum, cum de seipso scribat: *Protinus concito gradu Bethleem meum reuersus sum, vbi adoraui præsepe & cunabula saluatoris.* Insanire iudicabunt Chrysostomum hæc disserentem: *O quanta sanctorum virtus, non solum ipsorum verba, & corpora, sed & ipsa indumenta creaturæ omni sunt venerabilia!* At obijcient, operum valorem, reliquiarumque cultum, Christi meritis derogare. Insignis sane mihi obijcientium stultitia videtur. An non potius inde Christi meritum plurimum commendatur: quod hominum moribus honestatem, ipsorumque corporibus sanctitudinem attulerit? nisi incusemus paruitatem fontis, vnde quamplurimi riuuli erumpunt. Sed de his hactenus, fusius autem libro sequenti.

Gregor. Naz. orat. 1. in Iul.
Reliquiarum cultus argumentum resurrectionis.
D. Hier. ep. 65.
Chrysost. homil. 8. ad pop.

Probatur resurrectio ex cura sepulturæ.
Plutarch. in Num.
Pausan. Attic.

Cum etiam apud omnes gentes, Græcos pariter atq; Barbaros, summa cura viguerit condendi atque sepeliendi corpora; satis liquet animę à natura ipsa iniectam esse quandam cupiditatem resurrectionis corporis sui. Hinc sepulchra (vt à Plutarcho refertur) sacra fuere dicta, quod violari non potuerint, nisi summo quodam scelere & sacrilegio: Imo existimat Pausanias primo excitata fuisse templa ad seruanda defunctorũ monumenta. Proinde nunquam maiori pœna in quempiam animaduersum existimarunt veteres, quam cum alicui sepulturæ ius esset interdictum.

Quo

Quo genere acerbitatis Romani propter enormia quædam flagitia, Cõmodum Imperatorem sunt prosequuti: eius etenim cadauer exanime vnco tractum, in Tyberim deijciunt aut cloacam, vt narrat Lampridius. Heliogabalus quoque (vt idem refert) senatus sententia sepultura destitutus: cognomen accepit infame, tracticij & Tyberini. Apud Iulium Capitolinum huiusmodi fuit populi acclamatio in Maximinum: *Hostis publici caput in profluentem proijciatur, corpus eius nemo sepeliat.* Imo sepulturam tanti fecerunt antiqui; vti eam dixerunt animæ quieti & expiationi omnino esse necessariam. Quod significauit Virgilius in Palinuro: cui in Eliseum ingressus non patuit, quod eius corpus in arenam proiectũ, nondum ritu & ceremonia conderetur. Vnde eius vmbra ita Æneam exoratum habuit: *Lamprid. Commod.* *Iul. Capitol. Max.*

Eripe me his inuicte malis, aut tu mihi terram
Inijce, namque potes, portusque require Velinos. *Virgil. Enead. 6.*

Quocirca immane quoddam crimen reputarunt, quasi naufragio naturæ facto, portum sepulturæ alicui denegare. Iusteque apud Horatium accusatur Agamemnon, quod Aiacis corpus insepultum esse voluerit. A Theseo quoque optimo iure occisum Creõtem Regem tradit Sidonius: quod Argiuis sepulturam prohibuerit. Et vt scribit Euripides: mulieres Argiuæ septem fratrum occisorum à Thesio Atheniensi sepulturam prece supplici efflagitarunt: quam cum illis concedere renueret Thesius, ob facinus quasi violatæ naturæ, grauissimum & atrocissimum bellum exortum est. *Horat. li. 2. serm.* *Sidon. Apoll.* *Eurip. supp.*

Sinite iam terra occultari cadauera,
Nam vnde vnaquæque pars ad hominem coit,
Illuc redit: spiritus quidem in æthera,
Corpus autem in terram.

Apud Sophoclem vitæ suæ periculo se exponit Antigones, vti extincto eius fratri sepulchrum inueniret: *Sophoc. Antiq.*

Vt sepeliatur extinctus frater petimus,
Occisus à Creonte, beneficium commune.

Imo neque infensissimis hostibus victores sepulturam adimere voluerunt. Alexander extinctum Darium Gentilitio sepulchro inferri curauit. Idem beneficium Paulo Æmilio præstitit Hannibal: qui sola Carthagine salua (vt narrat Polibius) similem vitę exitum concupiuit. Phyrrus (vt scribit Eutropius) cum plurimos Romanorum prostrasset, cæcis sepulturam religiose concessit. Laudatur proinde Cæsar Germanicus, qui in illa clade Variana (vt refert Suetonius) suorum reliquias collegit ad sepulturam. *Cæsorum clade Variana, veteres & dispersas reliquias vno tu* *Trog. li. 20.* *Polib. lib 3. hist. Rom.* *Eutrop li. 1.* *Suet in Calig cap. 2.*

Trog. li. 3. *mulo humaturas colligere, sua manu & comportare prius aggressus est.* Lacedæmones sub Tirtheo poëta bellum contra Messenos gerentes, nomina parentum suorum chartulis inscripta, ad brachia deligarunt: vti inspectione literulæ, pro qualitate personæ, vnusquisque sepulturæ, si occumbere fors esset, commodius tradi posset. Hector & Aiax apud Homerũ confligentes, (vt etiam scribunt Gellius & Cicero) priusquam pugnã ineunt, paciscuntur inter se de iure sepulturę, quod victor superato concederet. Huc spectare videtur Colossi, Pyramides, statuæ æneę, ludi ad sepulchra, funeralia imaginaria, cadauerũ vnctiones, velamina & vestes, polinctorum officia, florum iniectiones, quibus indicatum fuit animam desiderio quodam tangi corporis. In quo ritu solertissimi fuere Ægyptij, qui, vt videtur, ad expugnandam mortem (authore Herodoto) mortuorum cadauera aromatibus infarciunt, deinde excauato ligno includunt, defũcti speciem, figura & forma exprimente: vti saltem illo simulachro, vel inuita morte, corpus viuum appareat & superstes. Atque hac opinione resurrectionis imbuti sanctissimi Patriarchæ Abraham, Iacob, & Ioseph, cognoscentes ipsorum corpora cœlis aliquando inferenda, certa quędam loca & monumenta ex testamento sibi ipsis decreuerunt: neque voluerunt ea in communi aliquo sepulchro, impura Gentilium ossa cõtingere.

Homer. Iliad. v. Gell li. 15. Cicer. 2. de glor. Virgil. 6. Enead. Marcian. l. 113. §. vlt. de legat. li. 2. Appian in Iber. Herodot. Euterp. Gen. 50. Iosue 24.

Quæ quidem opinio resurrectionis, vt firmius mortalium animis imprimeretur: quædam eiusdem similitudines ipsorum oculis ex diuina in eos prouidentia obuersantur. Scripturæ quidem nobis ostendunt emortuam Saræ vuluam, vim cõcipiendi fœtum recuperantem; aridam Aaronis virgam, florem proferentem, dispersa ossa, flante vento excitata. Natura autem hæc ob oculos statuit. Dies, cuius cursu recursuque mẽsurantur tempora, occidente sole & resurgente, quotidie interit & exoritur. Labentia & occidua sidera retrogrado cursu altum repetunt. Spicam non edunt semina, nisi cum in terra computruerint. Palumbes moritur, & post quadraginta dies reuiuiscit. Scarabæi morti vicini, in pilam stercoris se abscondunt, quam in terram deprimunt: demum ex suo ipsorum humore iuuenilem ætatem hauriunt. Phenix Arabiæ, quinquagesimum annum agens, condito tumulo ex aromatibus, cum illi insiderit, alarum collisione ignem è corpore elicit & extundit, quo comburitur: mox ex cineribus deflagrati corpusculi pullus denuo enascitur:

Ob oculos versantur similitudines resurrectionis. Gen. 17. Num. 14. Ezech. 37. Epiph. in Ancor. Tertull. de resur. Arnob. cont. gent. Ciril Hierosol. Cathes. 17.

Vna est quæ reparet, seque reseminet ales.

Fortasis quoque verum est, quod retulit Plato, nimirum combustum quendam, post decem dies ad vitam redijsse: vti tali miraculo diuinitus edito resurrectionis spes hominibus inijceretur.

Plato lib. 10. de repub. Philost. lib. 3.

Cæterum non nisi diuina quadam virtute, eadẽ, quæ morte labefactata cor-

ta corpora fuere, reparari possunt, atque vita spirituque rediuiua donari. *Resurrectio diuina virtute peragitur.*
Formę etenim omnes, quæ corporeis artibus insederant, defluxere, & in earum loca vel mixti cuiuspiam forma aut elementaris immigrauit. Superest materia sola, diuersis iam imbuta formis, cuiusque partes situ fortassis atque loco disiunguntur. Ad diuinam itaque virtutem spectabit, deperditas in corpore aptas animæ dispositiones restituere, corporis quoque partes copulare, mox formas mixtiles atque heterogenias inducere, tandem animam antiquo suo domicilio inferre. Intercedere poterit quidem angelorum opera, qua dispersi cineres, aut membra corporis seuulsa, colligantur: integram autem resurrectionem nequit hęc absoluere. Hanc autem efficere quis Deo difficile dicet aut arduum, qui ex nihilo orbis fabricam vniuersam excitauit? Contactu loculi Christus mortuo aliquando vitam impertiuit; Principis synagogę filiam morte extinctā, reuocauit ad auræ vsuram, voce Lazarum è sepulchro eduxit: vti significaret sibi impeditum non fore negotium, defunctorum copora reparare. *Luc. 7. Matth. 9. Ioan. 11.* Materia quidem corporis, animæ regressum suæ potentiæ naturalis appetitu expectat; modum autem diuinæ istius efficientię, non nisi obediētiali (vt loquuntur) sui facultate intuetur. *Resurrectio quomodo naturalis.* Licet enim in ipso termino effecto, nihil nisi naturale appareat ex opere resurrectionis: constat enim vnione corporis & animæ quæ naturalis est; idque naturaliter expetita: in modo tamen præstandæ huiusmodi copulæ supernaturale quid elucet. Vtrum autem ex secundis causis aliqua possit tanquam Dei instrumentū, ad hanc restitutionem corporum physice operari, acerrime in scholis sub D. Thoma negante, & Scoto affirmante disceptatur. *D. Thom. quot 5. q. 2. Scot. in 4. d. 43.*

Neque solum substantia hæc eadem corporum reparata subsistet, quinimo præclarissimis exornata dotibus singulare quoddam decus & ornamentum in cœlis consequetur. *Corporum dotes.* Imprimis nulla grauedine corpora depressa, ad nutum animæ mobilia erunt, & transferentur facillime, quo illi libuerit. Quod probari solet ex illo Sapientis: *Tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* & ex Isaia: *Assument pennas, & vt aquilæ volabunt, & non deficient, current, & non laborabunt.* *Sap. 3. Esa. 40. Sap. 5.* Agilitati huic eximia quædam claritas adiungetur, qua, vt loquitur idem Sapiens: *Fulgebunt iusti, sicut sol.* Atque hoc similitudine quadam cœli stellis irradiati expressit D. Paulus: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* *1. Cor. 15.* Denique deuicta morte corpora supererunt immortalia, proindeque immortalibus cœlis aptissime ea Apostolus comparauit: *Seminatur* (inquit) *in corruptione, surget in incorruptione, seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Quibus eam quoque senten-

ſententiam ſignificauit Apoſtolus, qua Origeniſtarum error reuincitur. Nam vt ait D. Auguſtinus: *Spiritualia ſunt, non quia corpora eſſe deſinent, ſed quia ſpiritu viuificante ſubſiſtent.* Quo modo idem Apoſtolus dixit Chriſtum factum in ſpiritum viuificantem: interim nihil veritati carnis ipſius detrahens: ſecundum quam appellat Chriſtum reſurgentem, primitias dormientium, & primogenitum in multis fratribus. Primitiæ autem (vt adnotauit D. Epiphanius) eiuſdem ſunt naturæ cum reliquis frugibus: eadem idcirco caro reparabitur, quæ interijt. Quod autem corpora mortuorum ſeminibus in terram ſparſis ſimilia dixerit: in omnibus non erit ſpectanda ſimilitudinis ratio: etenim familiari tantum exemplo vſus Apoſtolus, adumbrare voluit reſurrectionis miſterium: cum nihil plene & adęquate explicare poſſet eius vim & naturam. Quid autem ſignificet Apoſtolus illis verbis, quibus dicit carnem & ſanguinem in regnum cœlorum non intrare; optime elucidat D. Auguſtinus: *Proinde quantum attinet ad corruptionem, quæ nunc aggrauat animam, & vitia, quibus caro aduerſus ſpiritum concupiſcit: tunc non erit caro, ſed corpus: quia & cœleſtia corpora perhibetur: propter quod dictum eſt, caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt: & tanquam exponens quid dixerit, neque corruptio inquit incorruptionem poſſidebit.*

Auguſt. lib. 13. Ciu. c. 22. *1. Cor. 15.* *Epiph. Ancor.* *Auguſtin. Enchir. cap. 91.*

De præmio & ſupplicio, quæ hominibus conſtituuntur.

CAPVT XXV.

Finis humanæ vitæ poſitus in præmio & ſupplicio.

VOD hominis officium in actione & molitione quadam conſtituatur, ne eiuſdem curſus & agitatio in infinitum ferantur: cogitandus erit aliquis terminus, quo ſiſtantur, & in quem tandem deſinant. Cum autem videamus hominem non ad aliquod vnum præſtandum naturæ ductu deſtinatum, ſed potius flexibilem eſſe, æquali pondere inter virtutem vitiumque libratum, eius conatibus præmium & ſupplicium reſpondent: præmium quidem, ſi ad rationem vitam inſtituerit: ſupplicium autem, ſi à ratione auerſis ſtudijs voluptati incubuerit. Atque tam huius quam illius cogitatio mirifice faciunt ad pręſtandum hominis officium: magnitudine enim præmij illecti & incitati virtutem non aſperam & difficilem, ſed placidam ſuauemque exiſtimamus: abſterriti vero ſupplicij obiectu nihil voluptate tetrius aut inſuauius eſſe nobiſcum reputamus. Non enim ſapientis animus ad ea ſolummodo, quæ ſenſibus ſubiecta, cogitationem & deſiderium intendit; ſic ne à brutis quidem intelligentia verique perſpicien-

ſpicientia ſecerneretur; quorum omnis ſentiendi appetendique facultas in ea impingit tantum, quæ illis præſentia obuiam fiunt: quinimo in capite viri (vt à ſapiente dicitur) collocantur eius oculi, quibus extrema intueatur. *Sap.9.* Præmio autem ſupplicioque finiuntur & clauduntur omnia. Sapienter idcirco Cyrus, vti ſuorum animos ſibi adiungeret, atque à Medis *Trog.lib.1.* hoſtibus abalienaret, eoſdem pene laboribus confectos, lautiſsimis epulis excepit: cum autem ex conuiuio alacriores videret, rogat, vtrum ſi illis optio daretur, heſternos labores an præſentes epulas eligerent: acclamauere omnes, ſe præſentes epulas expetituros: quibus Cyrus: *Heſterno ſimilem labori omnem vitam acturos, quoad Medis pareant, ſe ſequutos, hodiernis epulis.* Prudentis quoque imperatoris munere functus videtur Hannibal, *Polib.lib.3. hiſt.* qui (vt tradit Polibius) congreſſurus cum Romanis captiuos quoſdam, quos ſecum habebat, ſqualidos, incultos, & macie ferme abſumptos, grauiſsimis etiam compedibus conſtrictos produxit, & exercitui ſuo obiecit. Quo quidem ſpectaculo ſignificauit, quod ſi Romanis ſe dedant, futurum iri, vti ſeruitutis ſimiles miſerias perpetuo experirentur. Itaque videmus opinionem pręmij atque ſupplicij multum conducere ad actionem virtutis. Horum autem diſtributio nō in quemlibet cadit, ſed in ipſum Deum tantum: ſicut Imperator exercitus fortiter agenti militi præmium largitur, torpenti autem & fugienti cingulum detrahit, infamemque dimittit. *Deus præmij & ſupplicij author.* Et quemadmodum cœlum è capitibus noſtris explicatum non ſplendores tantum effundit, ſed & fulmina intorquet: ita ab eodem Numine merx & pœna expectantur. Cuius quidem iudicij ſymbolum paradiſus exhibuit; eius aditum muniente Cherubino. Verſatilis *Forma iudicij paradiſo expreſſa poſt peccatum.* etenim ille gladius, Angelica manu vibratus, fulgore coruſcus, aciem diuinæ mentis expreſsit, quam nulli cordium aut animorum receſſus effugere poterunt. Idcirco (vt inquit Propheta:) *In lucernis ardentibus ſcrutabitur Hieruſalem:* *Soph.1.* Forma autem iſtius romphea, ad ſcindendum comparata, ſignificat grauitatem pœnæ, quam Deus delinquentibus infliget. Quod autem aliorum miniſterio vtantur principes in plectendis reis: idcirco tradidit Deus gladium manui Angeli, quo oſtenderet infernales ſpiritus à flagitioſis pœnas repoſcituros: eximius vero ille ornatus paradiſi cœlum eiuſque pulchritudinem ſcitiſsime repræſentauit. Itaque (vt inquit Apoſtolus:) *Accedentem ad Deum oportet credere quod ſit, & quod ſit remunerator.* *Rom.2.* Nam ipſe eſt: *Qui reddit vnicuique ſecundum opera eius, ijs quidem, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: his autem, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.*

Hanc ita ad diuinam prouidētiam, hominumque ſocietatem, pręmij

Sectarij præmium auferunt & finem humanorũ conatuum.

ſupplicijque ſententiam ſpectantem, hæretici barbaro quodam impioque dogmate conuellere enixe contendunt. Fruſtra dicunt præmium à nobis cogitari: quandoquidem neceſsitate quadam adacti, virtutis officiũ præſtemus. Abſurdius autem de ſupplicio ſentientes, dicunt horrendas illas pœnas his eſſe conſtitutas, qui flagrante concupiſcentia oppreſsi, & ſufficiente gratia deſtituti, prauis moribus abſtinere non potuerunt. Siccine de illo clementiſsimo Deo vobis opinandum videtur? de illo inquam in omnes benignitate effuſo parente, qui multiplici beneficio creationis, cõſeruationis, atque redemptionis genus noſtrum exornauit, vti exiſtimemus eos diriſsimis pœnis excipiendos, qui vi quadam ducũtur ad delicta, neque virtutes poſitas habent in ſua ipſorum poteſtate: quemadmodũ caſtigandum quis ideo nauarcum arbitraretur, quod fortiter reflante vento reuulſo clauo ſolutis nauis repagulis, recta portum non tenuerit? Sed neque in ipſis honeſtis actionibus aliquid pręmio dignũ cõſtituunt. Aſſerũt enim honeſtiſsimos quoſq; conatus peccata eſſe, ipſique Deo exoſos. Vbi præmiũ? vbi retributio apparebunt? Ita ſectarij omnia miſcent & confundunt: delentes cognitionem finium, inuertenteſque natuas ipſorum mediorum, quibus fines acquiruntur: At de his plura libro ſequenti.

Theod. lib. 1. cont. Græc.

Præmium erit animæ & corporis eiuſque ſtatuenda inequalitas.

Iſtius præmij cœleſtis magnitudo, intelligẽtiam noſtram omnino ſuperat, quod & Heraclitus Philoſophus apud Theodoretum agnouit: Οτι μενε τοῦς ἀποθνης κόντας, ὁσα ὀυχ ἐλπονται, ὐδε δουκέουσην. Vita functis ea ſuperſunt præmia, quæ ne in cogitationem mortalis cuiuſpiam vnquã inciderent. Iſtius quidem felicitatis ratio, partim in anima ipſa, partim vero in corpore reperitur: maior minorve pro diſpari conditione eorum, qui acrius remiſsiuſque optimis inſtitutis inſudarunt. Quæ quidem pręmij inæqualitas excitat quoque homines ad illuſtriorem vitæ ſanctimoniam: vti nimirum ipſi Deo viciniores, vberiorem ab ipſo hauriant felicitatem: ſicuti videmus in humanis rebus maiora præmia, contentiones itidem maiores efficere. Verum opinionem hanc ita promouentem ad virtutes, reijciunt omnino ſectarij, ſtatuentes cum Iouiniano eandem in omnibus vitæ perfectionem: & ex conſequenti æqualem felicitatis gradum.

Hier. cont. Iouin.

Damnatorum locus.

Caſt. ver. infer.

Sicut autem locus beatorum animis, corporibuſque capiundis, ipſum cœlum amœnitate iucundiſsimum conſtituitur: ita etiam reprobis torquendis, infernalis quædam cauea, deformis horrendaque deputatur. Non me fugit quamplurimos olim gehennæ localem ſitum, tanquam puerorum territamentum, & germanas gerras, atque figmentum Poëticum repudiaſſe: conſcientiæ ſtimulis & remorſu, omnem malorum cru-

ciatum

ciatum definientes. Quibus & ſectarij paſsim oblandiuntur: cupiunt enim ea omnia amoliri, quorum ſpecies homines à libidine coërcerent. Orthodoxorum autem eſt ſententia, infernum certo quodam loco eoque ſubterraneo contineri: quod ſimiliter opinatos fuiſſe Platonem, Ciceronem, Virgilium, alioſque innumeros oſtendit Auguſtinus Eugubinus. Quocirca ad deformitatem infernalis gurgitis exprimendam, quæcunque fœda, turpia, horrendaque hominum oculis occurſabant in terris, ea ad inferos tranſtulerunt. Hinc ſtyx in Arabia flumen ex altiſsima montis crepidine erumpens, tamque celeri motu decurrens, vti argentum, æs, & ferrum, veluti fluitantia ſecum rapiat, inferis adſcribitur. Acheron fluuius Italicus, concauis eminentium montium ita vndique incluſus, vti ſolaris radij acceſſu nunquam illuſtretur: propterea ob atratam obſcuramque formam ad inferos quoque religatur. Similis naturæ in Hiſpania Cocitus, vorticoſus torrens in inferos influit. Antiqui Styge odium, Acherōte triſtitiam, Letheo obliuionem, Cocyto luctum, Flegetonte ardorem ſignificarunt. Sed ne ſectarij veterem inuidiam nobis cōflent, dicantque nos facile nimis philoſophis & poëtis aſſentiri: ea proferam teſtimonia, quibus refragari non poſſunt. Chriſti Domini ſententia, ad æternas pœnas reprobos deſtinans, ita expreſſa eſt ab Euangeliſta: *Ite maledicti in ignem æternum*. Cum autem dicat *Ite*, quis non animaduertit locum caſtigandis aſsignari, in quem debeant diſcedere? Non enim itur ad cruciatus ſolius animæ perferendos: qui nihil commercij habent cum loco; ſed vbique ſimiliter ſuſtinentur. Cum autem ſubiungat, *In ignem æternum, paratum diabolo & angelis eius.* Aperte demonſtrat ignē hunc diuinę iuſtitiæ eſſe inſtrumentum, ad vindicanda ipſorum ſcelera. Huic ſimile eſt illud Apocalypſeos: *Viui miſsi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis & ſulphuris. Et apprehendit draconem ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus, & Satanas, & ligauit eum per annos mille, & miſit eos in abyſſum.* Atque hoc idem ſenſerunt patres Orthodoxi: Tertullianus vero hæc habet: *Hos Plato veluti gremium terræ deſcribit in Phedone, quo omnes labes, ſordium mundialium cōfluendo, & ibidem deſinendo, & quaſi cœno immūditiarum ſuarum craßiorem hauſtum, & priuatum illic aërem ſtipent; nobis inferi non nuda cauoſitas, nec ſubdiualis aliqua mundi ſentina creduntur: ſed in foſſa terræ & in occulto vaſtitas, & in ipſius viſceribus eius abſtruſa profunditas. Siquidem Chriſtum in corde terræ triduum mortis legimus expunctum, id eſt in receſſu intimo & interno, & in ipſa terra operto, & intra ipſam cauato, & inferioribus adhuc abyſsis ſuperſtructo.* Arnobius quoque, hæc in eandem habet ſententiam: *Sicut ignes Ethnæ montis & Veſuuij montis, & ardentium vbique terrarum flagrant, nec erogantur: ita pœnale illud incendiū non damnis ardentium paſcitur, ſed inexeſa corporum laceratione nutritur.*

Auguſt. Eugub. lib. vlt. peren. Phil. cap. vlt.

Matt. vlt.

Apoc. 19.
Apoc. 20.

Tertull. lib. de Anim.

Arnob. li. 8. cont. gent.

August. 2. retract. cap. 24. *tritur.* Nec omittam Augustinum, qui inquit: *Magis mihi videor dicere debuisse, quod sub terris sint, quam rationem reddere, cur sub terris esse credantur, siue dicatur quasi ita sint.* Neque alienum à ratione hoc pœnę genus alicui apparebit. Corpora etenim quę deliquerũt, castigãda sunt: idq; adustione ignis cõmodissime, cuius vis magis acerbitatẽ diuinæ sententiæ exprimit. Locus quoque aptissimus subterraneus, in quo mali puniuntur: quod enim elementorum terra sit infimum, merito ad eius centrum relegantur nepharij, quod electione vitæ à diuinis beneplacitis recedentes, terrenis fęcibus auidissime inhęserunt.

Quomodo peccato pœna infinita debeatur. Anxiè autem à multis inquiritur, vnde nam iuste à Deo tam breui ac fluxæ voluptati sempiternus cruciatus rependatur. Nihil etenim in peccato esse videtur, quod æternitatem huius supplicij exęquet. Atque vti omnium sensus hac de re excutiamus: prisci illi & antiqui opinati sunt, non ignem torreri hæc eadem corpora, quę mortalẽ vitam ab animis acceperunr, sed solutis animis, exiles quasdam & tenuissimas substantias, quas vmbras dixêre, adiunxerunt sententijs suis: atque has existimati sunt, cum ipsas animas detinere, tum caloris frigorisque vim in illis infernis locis persentiscere: harumque interiectu animas infernalibus pœnis castigari:

Virgil. Enead. 6.

Et nunc magna mei sub terras ibit imago.

Corpora vti vmbra in inferno. Quocirca Æneæ Virgilius, suos vita defunctos, aspectabiles fecit: ita tamen tenues, vti ad omnem eius contactum atque amplexum ipsi viderentur disparere. Deinde mulctam hanc infernalem non sempiternam credidere, sed temporalẽ: vnde Pythagorica Palingenesia atque renascẽtia effluxit, à philosophis atque poëtis celebrata: quod nihil ab illis vnquam legi magis receptum aut conclamatum. *Palingenesia Pythagorica.* Suplicium itaque interminum rem putantes comprimis iniquissimam, nõ impune tamen quẽpiam existimantes, vitę suæ turpitudinem ferre: ne nulla prorsus Dei prouidentia crederetur: animas malorum in quædam corpora crassiora, ipsisque magis infesta, detrudi affirmarunt: in quibus pœnas flagitijs debitas penderent: mox deijci ad inferna loca, tãdem Letheo flumine epotas, (cuius haustus illis eorum omnium obliuionem induceret, quæ expertæ essent) plene tandem expiatas ad meliora, vtpote humana corpora, remeare docuerunt. Denique post triginta millia annorũ redire annum Platonicum, in quo eadem, quæ fuere restituantur, nõnulli arbitrati sunt. Vnde Ouidius:

D. Aug. 12. Ciu. cap. 13. Ouid. 1. Metamor.

O genus attonitum, gelidæ formidine mortis,
Quid Stygia, quid tenebras, & inania verba timetis?
Morte carent animæ, semperque priori relicta sede,

Nouis

Nouis domibus viuunt, habitantque receptæ.

Quomodo desipuit ille, qui se aliquando credidit fuisse meretricem Leontinam, deinde Homerum, tandem pauoné: atque Apollonius Tianæus, qui existimauit se nactum animam Palimedis. *Philost. vit. Apoll.*

Nostri autem ad veritatis elucidationem propius multo accesserunt. *Pœna inferni quomodo infinita.* Statuendum autem ante omnia videtur, ipsam pœnam, quam perpetiuntur miseri illi, certo quodam intensionis gradu esse definitam: inepta sane natura quæuis existit, ad suscipiendam punitionem infinitam; immo nec talis à quopiam cogitari poterit: solum cruciatus iste, extensione durationis interminus apparebit. Hinc tamen ipsum malum incrementum capere nullus non videt. Acerbius enim est duobus diebus torqueri, quam vno: vltra proportionem vero omnem acerbissimum in perpetuum puniri atque affligi. Et vti iustæ istius castigationis rationé exquitamus: non absque operæpretio erit repetere eas species atque formas pœnarum, quas (vti scribit Gellius) olim Græci reis decreuerunt. Primã *Gell. lib. 6. cap. 14.* vocitarunt Κολάσιν siue νουθεσίαν, inflictam in illius emendationem correctionemque qui plectebatur. Alteram τιμωρίαν dixerunt, institutam ad *Pœna inflicta reis apud Græcos.* tutandum eius honorem, in quem delinqués offenderat. Postremam παράδειγμα, nuncuparunt susceptam, vti eius aspectu, alij sui officij admonerentur. Græci sine dubio inexploratum habuerunt hoc æternum supplicij genus: reducitur tamen ad secundam illam speciem. Quibus proinde & alia addi potest, illa nimirum quæ in ipso scelere sui causam habet persistentem: cuiusmodi est cruciatus infernalis. D. Augustinus hac in *D. Aug. li. de nat. boni cap. 31. de fid. cont. Manich. cap. 9.* re curiosius admonet non esse inquirendum, sed quemadmodum in ciuilibus taxatio pœnæ à principis voluntate oritur: ita quod hominum flagitijs æterna pœna constituatur, satis idonea (inquit) causa erit, ipsius Dei arbitrium. At hoc nimis duriter dictum nõnulli existimantes, aliam subesse rationem suspicati sunt. Dicũt itaque delinquentem grauius ita ani- *Valent. 1. 2. q. 87. art. 4. punct. 4.* mo esse affectum, vti cupiat in nefaria illa actione perpetuo manere atq; perseuerare: ea propter æternã pœnam iustissime ei infligi asserunt. Verũ hoc mihi visum est leuissimum. Non enim constat crimen committentem velle semper declinare à recto. Quemadmodum qui intemperanter comedit, non expetit semper genio indulgere; sed solum in hac temporis morula breuem voluptatem haurire. Quod si peccanti talem animũ attribuere velimus, eundem quoque concedere debemus recte operanti. Merebitur idcirco quælibet virtutis actio sempiternum præmiũ, eo quod qui ex virtute operatur, velit semper tali operi incumbere. Esto peccantem animo ita esse comparatum, vti velit perpetuo voluptatem consectari: huiusmodi tamen affectio nihil est aliud, quam quædam habitualis

animæ diſpoſitio: habitu autem nihil meremur aut demeremur. Nam qui iuſtitia modo eſt prædit9, ita ex habitu poteſt animo affici, vt ſi illi occaſio daretur committendi crimen, illud velit omnino perficere: nihilominus ita diſpoſito nulla pœna debetur. Peccatum enim poſitum eſt in actu libero voluntatis, non in diſpoſitione habituali: requiritur idcirco actus, quo quis deſideret in æternum perſeuerare in delicto, qui ſane non inuenitur. D. Thomas duo diſtinguens in peccato, conuerſionem nimirum ad creaturam, auerſionemque à Deo: dicit inde nepharium actũ ſempiternam pœnam promereri, quatenus eſt auerſio à Deo, bono quodam infinito. Sed hoc neque ipſimet D. Thomæ ſatis conſtat, neque veritati. Forma enim peccati ex ipſius ſententia non eſt auerſio à Deo, niſi in omnibus peccatis eadem ſit forma, idemq; gradus turpitudinis; quod affirmare eſt erroneum. Omnia autem peccata ſunt auerſiones à Deo: id eſt inimicitiæ quædam habentes vim expellendi amicitiam cum ipſo, veramque iuſtitiam. Ipſaque auerſio, ſi ſit gratiæ priuatio, non eſt forma peccati, ſed eius effectus, eaque poſterior. Cæterum admittentes hanc auerſionem pro legitima cauſa æternæ pœnæ, nihilo magis dicetur. Hæc etenim auerſio non eſt priuatio Dei, ſed iuſtitiæ, quę finita eſt ac limitata: finitum idcirco pariter delictum: non ergo demerebitur æternam pœnã. Quocirca alij, inter quos Bartholomęus à Medina, aſſerunt ipſam iniquitatem peccati ſeu malitiam eſſe infinitam: proinde infinitam quandã pœnam merito conſciſcere. Hanc vero infiniti menſuram inde dicunt aduenire peccato: quod hoc cõmiſſum ſit in bonitatem Dei infinitam. Quẽadmodum grauius eſt ipſo genere delinquere in Principem, quam in priuatum virum: ita obſeruata proportionis ratione, infinitum quid erit in ipſum Deum offendere. Hæc tamen duplici ex cauſa mihi videntur falſa; primo quod ſi quodlibet peccatum gradu eſſet infinitum, omnia euaderent æqualia. Porro ſi infinitum eſſet peccatum, nulla iuſtitia finita ſatis digne expiaretur: ſed ad eius expiationem extrinſecus quidam fauor Dei requireretur: quod vti erroneum Concilium Tridentinum reiecit. Inde autem quod peccatum in Deum committatur, ſolum liquet peccatum eſſe infinitum obiectiue. Quomodo infinitæ ſunt operationes fidei, ſpei, charitatis, atque viſionis beatificæ. Conſtat tamen has ſuis formis eſſe finitas: eo quod collatæ ad alias operationes, non creſcant vniuoce, ſed in aliena ſpecie. Idem ſtatuendum de peccato in Deum, comparato cum alijs iniurijs, quæ hominibus inferuntur.

D. Thom. 1.2.q.87. art.4.

D. Thom. 1.2.q.72. art. 1.

Medin. 1.2.q. 87. art.4. & 3.part.q. 1.ar.2.

Cõc. Trid. ſeſſ. 6. Can. 11.

Ratione ſtatus quẽ peccatum ſua natura conſtituit infinita pœna illi debetur.

Veriorem itaque cauſam huius rei attigiſſe videtur Scotus. Cum enim, inquit, perpetuo duret in ipſa anima labes & macula peccati, caſtigatio debet eſſe perennis, atque illi commenſurata. Quod ſi quis dicat,

hac

hac ratione etiam venialem culpam æternam pœnam postulare, quę semper animam afficit corpore egressam: dicam adhuc aliam esse rationem mortalis, aliam venialis delicti. Exacta etenim hac vita, crimen mortale constituit ipsum animum in quodam statu, & quasi termino. Cum enim præsentem vitam nobis concesserit Deus, in qua æternam felicitatem promereri possimus; consequens est, excurso hoc tempore, cum benignitatem Dei contemnentes in crimen aliquod grauius optione nostra concesserimus: huiusmodi delicto constitui nos in quodam statu atque termino: in quo vti perpetuo maneamus, ipsa rei natura efflagitat. Quamobrem si Deus regressum in hác vitam alicui damnato concederet: digne satis eius culpa, illa perpesione pœnæ nondum esset expiata: quandoquidem sicut culpa illa meretur pœnam sibi respondentem, ita meretur quoque nunquam habere gratiam ad resipiscendum, sed demeretur potius, vti sit animæ status quidam sempiternus.

Scotus in 4.d.21.

Ipsa autem pœna quam damnati experiuntur duplex est, vna damni, altera sensus. Damni ea quæ consistit in priuatione, ac defectu visionis beatificæ: sensus vero quæ posita est in quadam molestia & cruciatu, quê animæ sensus aut corporis suscipiunt. Inter scholasticos autem controuertitur, vtrum pœna damni in omnibus sit æqualis necne. Medina aliorum sequutus sententiam putat esse inæqualem: quod sic ostendit. Eo detrimentum seu damnum maius est, quo bonum perfectius aut sublimius alicui aufert: sed inter eos, qui flammis addicuntur, non omnes ab æquali gloria excidunt: quod cum in dæmonibus satis luculentum, tum in hominibus nec obscurum est. Qui enim in maiori vitæ parte recte se gerentes tandem incidunt in mortalem culpam, hinc patiuntur grauius damnum, quam alij qui totam vitam, in sceleribus collocarunt. Illos enim manebat præmium augustius, quam hos. Opinantur autem alij contrarium, ac dicunt pœnam damni in omnibus æqualem: hoc autem sic conficiunt. Damnum nihil aliud est, quod patiuntur reprobi, quam amissio beatitudinis; hac autem omnes æqualiter carent; cum nihil eius retineant: eadem idcirco omnium pœna damni. Existimarem tamen controuersiam adhibita distinctione facile posse dirimi. Dupliciter enim comparare possumus peccatum mortale cum pœna damni, primo consideratione habita personæ, cui inest, secundo iuxta suam naturam tantum. Ratione quidem personæ, in qua plura aut pauciora merita extiterunt: inęquale infert damnum: sicut enim expellit maiorem iustitiam, ita quoque priuat illustriori gloria. Cæterum natura sua quodlibet peccatum mortale, sicut pugnat cum omni iustitia, ita cum omni beatitudine: ea propter pœna damni inæqualis est, non ex natura peccati, sed ex accidente

Pœna damni & sensus.

Medin. 1.2. q 87. ar. 4. Sot. in 4. d. 16. q. 1. ar. 1. Abul. in cap. 25. Mat. q 639. Ledes. par. q. 29. ar. 1.

Alexan. 3. part. q. 57. memb. 3. Palud. in 4. d. 22. q. 1. Durand in 4. ar. 1 q. 2. Capitol. in 4. q. 2. ar. 3.

dente personæ. Quid autem in hac horenda punitione sit grauissimum, istis exprimit D. Chrysost. *Intolerabilis gehenna, & illa pœna, tamen licet quis innumeras ponat gehennas, tale nihil dicet, quale illa felici excidere gloria, à Christo odio haberi, audire nescio vos, accusari quod eum videntes esurientem non pauimus: etenim infinita satius est sustinere fulmina, quam illam mitem faciem nos auersantem videre, & tranquillum oculum in nos respicere non sufferentem.*

Chrysost. homil. 84. ad pop.

Pœna sensus vnde.

Obscurum autem est, nec facile euidenti aliquo argumento demonstratur: quonā actionis genere infernalis ignis reprobos diuexet: corpora autem, cum ad animas accesserint, vnicuique liquet igne posse torreri: solum perplexa est quæstio de cruciatu spirituum ex igne. Putant aliqui, ignem tanquam Dei instrumentum actione quadam physica qualitatem aliquam separatis substantijs inferre: vnde acerbitatem percipiant. Hoc tamen minus probabile est, duplici de causa: primo exinde quod ignis naturæ suæ relictus, nihil possit moliri vltra vires: sicut nec mundum hūc creare. Illa autem potentia obedientialis effectiua, quam nonnulli comminiscuntur, philosophiæ & sensui mihi videtur repugnare. Præterea vix cogitari poterit aliqua qualitas impressa spiritibus, quæ ipsorum naturis aduersetur. Grauissimum autem videtur esse, atque molestissimum ipsis, quod de hac re opinatur D. Thomas: cum dicat ideo igne spirituales substantias puniri, quod repugnante ac renitente ipsarum voluntate, illo, veluti carcere, coërceantur. Alijs autem, vti & mihi, grauius iudicatur, quod arbitratur Scotus: nulla etenim molestia spiritui acrior & acerbior esse poterit, quam mente atque cogitatione affligi. Videmus enim homines, etiam cum illis omnia prospere affluxerint: tamen quod animis perturbentur, dirissima quasi supplicia perpeti. Eodem modo, imo multo magis spirituales substantiæ cum percipiant, se cogitationem ignis vel inuitos sustinere, vel eadem impediri à notione reliquarum rerum, existimabunt illud, sentientque vti ipsis quid omnium grauissimum.

D. Thom. 1. par. q. 64. art. 4.

Scot. in 4. d. 44 q. 2. Gab. ar. 2. Rich. art. 2. q. 9.

Deflagratio orbis.

Huiusmodi autem pœna, tunc malos plenissime excipiet, quando incendium, hunc mundum deuastarit. Hanc autem deflagrationem prisci quoque agnouerunt, vt scribit Augustinus Egubinus. Inter quos Plato post Homerum prædixit ἐκπύρωσιν. Vnde & Ouidius:

August. Egub. l. 10. Peren. Philos. Ouid. Metamorph. Lucret. lib. 5.

Esse quoque in fatis, reminiscitur affore tempus:
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli
Ardeat.

Et Lucretius: *Vna dies dabit exitio, multosque per annos*
Sustentata ruit moles, & machina mundi.
Nec me animi fallit, quam res noua miraque menti
Accidat, exitium cæli, terræque futurum.

Cuius

Cuius quidem rei Lucretius cum alijs naturalem quandam causam arbitratur. Quemadmodum enim cœlorum influentiæ cataclismum olim induxerunt: sic etiam dicunt confluentibus signis in cancrum, omnia arsura. Vnde Tertullianus: *Dei enim opera peruigili obtutu contemplanda sunt, in quorum sinu carbonum medius est ignis: siue quoniam ad ignem diem iudicij mũdus iste festinat.* Satis quidem constat, indies calorem crescere, cum corpora fiant tenuiora: ipsique terræ fructus, exhausto liquore, ficciores, & quantitate minores euadunt. Senec. li. 3. quæst. Cēsor. lib. de natal. die. Tertull. in lib. de Trin.

Vix illud lecti bis sex ceruice subiret: Virgil. 8. Æneid.

Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Et Iuuenalis: Iuuenal. Satyr. 15.

Terra malos homines educit atque pusillos.

Senescentem autem mundum ita describit D. Cyprianus: *Non hieme nutriendis seminibus tanta imbrium copia, non frugibus æstate torrendis, solis tanta flagrantia est, non sic verna de temperie suæ sata læta sunt: nec adeo arboreis fœtibus autumnæ fœcundæ sunt: minus de effoßis & fatigatis montibus eruũtur marmorum crustæ: minus argenti & auri opes suggerunt exhausta iam metalla: & pauperes venæ breuiantur in dies singulos, & decrescunt; deficit in agris agricola, in mari nauta, miles in castris, innocentia in foro, iustitia in iudicio, in amicitijs concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina.* Nequit idcirco mundus vel suapte natura perennare. D. Cyprian. ad Demet. Tempus deflagrationis. 1. Cor. 7. 1. Rom. 13. Theß. 8. & 2. & 20. Dan. 2. & 7.

Circa tempus autem istius vniuersalis defectionis, scio multos curiosius inquisijsse, fortassis etiam temerario pronuntiasse. Quid de hac re veteres senserunt, per compendium exponam. Permoti quidam authoritate scripturæ, diem iudicij olim instare existimarunt. Diuidentes namque ætatem istius sæculi in duodecim partes, duodecimam solam restare suis calculis comperierunt. Atque ex Prophetia Danielis didicerunt, exactis quatuor Monarchijs, quarum Romana tantum superest, mundi cursum absoluendum: idcirco Christiani (vt tradit Tertullianus) enixe Deum rogabant pro imperio Romano. Alij vero longius progreßi, mundi ætatem sex millium annorum spatio definierunt. Ita Iustinus martyr, Irenæus, Lactantius, Ambrosius, Hylarius. Cõiectura inde desumpta, quod sex dierum tempore mundus fuerit conditus, in septimo autem sanctificato requies consequuta. Vnde Lactantius: *Ergo quoniam sex diebus cuncta Dei opera perfecta sunt, per sæcula, id est, sex millia manere in hoc statu mundum necesse est.* Cabalistæ hanc ratiũculam adnectunt, quod litera Aluph, apud Hebræos significans mille, in primo capite Geneseos sexies repetatur. Istius autem diuinationis vanitatem exitus satis declarauit. Alij autem (de quibus D. Augustinus) spacium septem millium annorum mũdo attribuunt, Tertull. in Apoll. cap. 32. & 39. Anacl. ep. 2. Cyp. lib. 2. epist. ep. 3. Ciril. Hierosol. Catech. 4. Lactant li. 7. c. 14. 15. Iustin. q. 71. Iren. lib. 5. cap. vlt. Hilar. in Matth. Can. 17. Ambr. li. 7. in Luc. gloss. ord. in 5. cap. Gen. Cabal. D. Aug. in Psal. 6.

tribuunt, proinde quibusdam Psalmis præfixum titulum dixerunt, *pro octaua*, quasi absoluto cursu septem millium annorum, sequeretur octaua, in qua esset remuneratio beatorum. Denique alij tot annos duraturum mundum à Christi morte affirmarũt, quot ante illam durauit. Firmamẽtum habet hæc opinio ex verbis Prophetæ Abacuch: *In medio annorum viuifices illud*. Vnde dicunt Christum in Hierusalem passum: quæ ciuitas est in meditullio Iudææ: natum iacuisse inter duo animalia: crucifixum inter duos latrones: expirasse in medio elementorum, nimirum aëre, ipsumque inter nos & patrem esse medium. Quomodocunque vero cõputus iste instituatur, certum est fines sæculi in nostra tempora incidisse. Progressum autem eius ita disterminat D. Augustinus: vti eius infantia durarit ab Adam ad Noe, à Noe ad Abraham pueritia: ab Abrahamo ad Danielem adolescentia: à Daniele ad transmigrationem iuuentus: à trãsmigratione ad Christum, ætas virilis: à Christo autem ad finem sęculi, senectus sit permansura.

Abach. 3. Vid. Acost. lib 1. de nouiss. tẽp. cap. 2. Lumnium de vicinit. Iudic. D. Aug. li. 83. quæst. q. 38.

Cum autem extremi iudicij dies nos omnes expectet: ni omnem nostri curam abijcere velimus: parati esse debemus ad sustinendum impetum illius ventilabri, ne cum leuibus paleis dissipati, in fornacem ignis ardentis deferamur. Quæ autem nunc nobis oblandiuntur, cito elabentur, nosque deserent. Prudentis idcirco est oculos habere in capite, (vt loquitur Sapiens) quibus extrema intueamur. Sane huiusmodi cogitatio Platonem hominem omnino Philosophum acerrime ad virtutis studiũ incitauit. Sic autem loquitur: *Vt ergo diximus, atrocissimas vitiorum ferentes in anima cicatrices, à iudice in pœnas mittuntur. Cum autem ab omni cicatrice peccatorum detersam videbit animam: nec quæ sit, nec vnde fuerit quærens, admiratus ad beatorum insulas mittet. Ego igitur ô Calicles, has rationes verissimas esse credens, nihil aliud considero, quam quomodo mundissimo animo ad Iudicem accedam: ac ideo neglectis humanis honoribus, conabor recte viuendo optimus fieri.* Saluberrimum dubio procul Platonis consilium. Quod si ipse, vel Philosophia tantum imbutus, inde diuini iudicij excepta notione, ad morum integritatem, eorumque plane contemptum, quæ vulgaria opinione magni fiunt, seipsum excitauit: quis nobis diuinioribus multo instructis disciplinis animus adesse debebit, interim dum cogitamus nos celeri ac concito gradu ad supremi iudicis tribunal properare, eisque nos hac in vita rebus distineri, quæ caducæ, quę vanę, quæque nihil prorsus compendij, cum aliquantulum temporis effluxerit, nobis constituent; sed potius sicut modo nos superstites visco illinunt, fece corrumpunt, scelere contaminant; ita cum naturæ cesserimus, in nos ardere facient iudicis vultum, eius acuent euaginatum gladium, omniaque diuinæ vltionis instrumenta ex-

Vita instituenda ex ratione vltimi iudicij.

Sap. 9.

Euseb. lib. 12. præpar. cap. 2.

ta expedient, quæ à nobis criminum pœnas reposcant? Tunc reipsa comperiemus flagrantes formas, vibratos ex arcu cupidinis ocellos, animæ venustatem corrupisse, eamque veluti rogum quendam ad carbones ac cineres redegisse. Tunc aridum illud ac tenax desiderium habendi, nobis constabit fuisse Satanæ muscipulam, qua illaqueatos, imo grauissimo ferri ac plumbi libramento onustos, in prædam homines rapuit, ac in stygen ad cruciatus nullo vnquam tempore finiendos, plusquam miserabili clade & ruina deturbauit. Liquido ad intelligentiam nostram apparebit inanem fuisse nominis venditationem, & aucupium illud valde incommodum, quo exertis viribus, explicatis alis, ad perennitatis culmina, ad famæ canoros strepitus, ad potestatis splendores studia nostra contulimus. Disparia quidem hominum vitæ instituta iam reperiuntur: hic ex mercimonia lucrum, iste ex militia gloriam; hic ex literis nomen, ille ex magistratu honorem; hic ex molliori cultu luxum, iste ex re congesta imaginariam iucunditatem quærit, ambit, venatur, persequitur, appetit, suspicit: veruntamen omnes ęquo gressu in idem prorsus iter ingrediuntur, & peręque accelerato motu pergunt ad tribunal. Vbi non de re parui momēti, imo non de iure imperij, non de controuersa in altissima scientia quæstione, sed de intermino, proh Deum, animæ iuxta ac corporis statu: vbi iudici haud resistet potentia, neque illud acre vel celatum ingenij acumen, vim sententię ipsius effugiet aut eludet. Cur itaque hisce huius morulæ rebus toti auidissimeque inhęremus? Cur patimur has vnice sub oculis poni, & earum vmbratili specie sensus nostros deliniri, capi, & in seruitutem summam, ita spretis abiectisque melioribus bonis, deprimi? Quę pedibus sternuntur, quæ fluxa & caduca, quę noxia, magni ęstimamus: alia vero, quæ capitibus nostris imminent, parum facimus, neque recto iudicio eorum momenta cum animis nostris reputamus. Quid plura? pergimus ad tribunal, dictorum, factorum, cogitatorumque rationem ibidem reddituri: è quorum districtissimo examine pendet, quod recipiendi simus in cœlos, vel amandandi ad inferos. An non igitur è re nostra fuerit summopere sic vitā hic inferius instituere, ita eam Christianis virtutibus exornare, vti in nobis sit nihil, quod tunc clementissimum oculum nostri iudicis reuerberet, quod eius misericordiam deserēs, iustitiæ occurrat ac vindictæ? Hoc sane concilium sapientissimi quique sequuti sunt; momentaneis bonis abstinere voluere, vti æternis gauderent, nullius terroribus perterriti conciderunt, vt supremi iudicis romphæam, manu angeli quondam vibratam, declinarent. Ludant interim sectarij, choræas ducant, quandoquidem tam securi effecti de prædestinatione sua ad præmium, ac quod Deus ipse existat: nullum proinde timorē

mori locum concedant, neque Dei ignem & ventilabrum extimeſcant; potius omne tempus vitæ ad Veneres, ad voluptates diuulgent: virtutes ſua hac ſecuritate & Endimionis ſomno ablegēt: nos melioribus edocti, timore ſacro exultantem carnem animamque reprimimus, vitiorum ſpectra, falſis iucunditatum coloribus picturata, horremus; virtutibus autem, omni quo poſſumus nixu, inſudare; nobis ſententia ſtabit firmiſsime.

Hæc morum firmamenta ſunt, quæ commode deducenda iudicaui ex phyſica ipſius hominis tractatione: atque in iſtis enarrandis primus hic Liber inſtituitur: quæ vero ex eiuſdem hominis morali conſideratione hauriri poſſunt vitæ componendæ documenta, Libro Secundo ampliſſimam diſſerendi occaſionem exhibebunt.

FINIS LIBRI PRIMI.



DE TRIPLICI HOMINIS OFFICIO,

IVXTA NATVRALEM, MORALEM, ET THEOLOGICAM RATIONEM.

Liber Secundus.

Quisnam sit vsus perturbationum? qua in re cum Stoicis nostrorum temporum Sectarij officium virtutis corrumpunt, dum perturbationes omnes peccati, & noxæ culpabilis insimulent.

CAPVT I.

QVVM hactenus fuse satis disputatum à nobis videatur de eis omnibus, quæ exactam accuratamque faciunt naturæ humanæ cognitionem: reliquũ est, vti rectum ordinem susceptæ inquisitionis obseruantes, de ijs modò tractemus, quæ ad hominis officium, munus, & operationem referuntur. Duo enim sunt in ipso homine ad rationis intuitum maximè elata, & naturis suis admodum conspicua: substantia nimirum, & eiusdem functio, quæ recta actione constituitur. Quorum prius superiori libro, argumentorum capita recolligentes, & in summam quandam conferentes omnia (vti vires tulerunt nostræ) elucidauimus. superest modò alterum, quod huic libro insequenti amplissimam pariter

Ratio ordinis in hoc lib. 2.

Duo in homine spectãda, substantia & operatio.

riter atque vtilissimam materiam, iucunditate etiam respersam exhibebit. Sicut autem præcipua vis hominis posita est in cognitione & appetitione: ita in istis graue quoddam vulnus & summum detrimentum collapsa fractaque eius natura excepit. expertaque est suo malo, quantum ignorantia auerterit mentem à rectis institutis, depresserit eam ab altis studijs, & quàm immani quodam impetu, concupiscentia laxa & dimissa voluntatem præcipitarit ad tetra, ad ambigua, incerta, labilia, nulla: denique à summis, statutis, defixis, solidisque bonis eam deduxerit. Quibus vt remedium aliquod excogitaremus adhibendum, susceptum est hoc à nobis opus, & in votis est, ignorantiæ tenebras, per mortalium mentes effusas, & sensus nostros occupantes inuoluentesque, veritatis radio profligare: lubricum deinde appetitum, & quouis leui perturbationis æstu huc atque illuc facilè mobilem, firmatum consilio virtutis reddere, & actione recta constantem. Ignorantiam quidē antea superasse iudicabimur, & exegisse hominū cætibus tam ingens malū. Iam enim monstrauimus singulas humanæ naturæ partes, pensiculatè etiam earundem vires examinauimus, dignitatem extulimus, exposuimus, infirmitates, finē & scopum constituimus, media indicauimus; nihil deniq; omisimus, quod hominem promoueat quoquo modo ad intelligentiam officij sui. At vt hoc ipsum, quod certa ratione iam tenemus, ipso opere & effectu absoluamus, & ad Ideam mente conceptam, expolitum aliquid & quadratura ipsa concinnatum exprimamus, adhuc difficultas operandi quamlibet illustratam mentem remorabitur, & aliorsum interdū impellet, quàm quo ratio prospectat. Idcirco sicut erranti nihil proficit viam notitia patefactam habere, qua incedat ad optatum itineris exitum, nisi robur quoddam & agibilitas membris corporeis insiderint: ita ad officium parum conferet rerum notitia, nisi vis quædam & expetitio idonea voluntati accesserint. Quare necesse est, vt firmamentum aliquod adferamus, quo appetitus alioquin vagus & fragilis stabiliatur, tum ad ipsas virtutes auidius consectandas, tum etiam ad istis oppositos à voluptate & dolore inuectos impulsus fortius repellendos. Nihilominus, quòd vnusquisque in seipso necessitatis maxime legem persentiscat, qua motibus quibusdam turbulentis affectionum pectus illius vrgetur, concutitur, neque alicui integrum sit omnino agitationes istas penitus à se abijcere: operæpretium erit, artem aliquam & methodum excogitatam habere, cuius institutis commoniti, seuerum, agrestem, & truculentum hunc hostem nostrum appetitum emollire, cicurare, inflectere possimus, & ad nostras vtilitates referre: ita enim pruden-

Malum ex peccato in mente & in appetitu.

prudenter faciunt, qui exilio mulctati in Geticas, aut alias quaslibet
barbaras, & immanitate feras nationes deportantur: in quibus Roma-
na elegantia, & vrbanitate tinctus Ouidius aut Scipio tanquam ciuis
aut legitimus magistratus versabitur, suo imperio, arbitrioque alioqui
ferocissimos illos, ratione, rerumque vsu, & experientia subijciet, & ad
vsque pedes dimittet. Ea diuini Iudicij prolata sententia animus mo-
do percellitur, qua ad exilij pœnas, & cum brutis quibusdam, in horrido
quodam solo incultoque conuictum destinatur: Quid enim sunt in-
effrænes istæ perturbationes menti obluctantes, nisi animalia quæ-
dam rationis morumque expertia? adeo vt, qui illis rerum summam,
abiectione sui commiserit, in humana specie, iure brutum quoddam
dici poterit. Quid corpus hoc aliud eisdem efferatum, quàm sabule-
tum inutile, spinetum molestissimum, hispidum & hirsutum quoddã
monstrum, à natura ipsius animæ maxime dissentiens? Quare vt exi-
lium istud euadat mitius, & externum solium familiarius fiat, exqui-
rendæ sunt rationes aliquæ. Licet autem in vniuersum de huiusmodi
perturbationibus superiori libro tractauerimus, datur etiam & hic
locus commodissimus, vbi de earundem naturis pauca quoque dispu-
temus. nihil autem quantum apud animum meum, rerum momenta
agitare potuerim) æquè ita ob oculos statuit vim affectionum harum
in animam, ac ventus iste spirabilis aëris partes in diuersa impellens.
Et vt singula aptemus in hac similitudine illustria: Sicut ventus, aut
emissus ille tenuis spiritus, ob insitam quandam energiam, aërem alio-
quin loco consistentem, facilè motum reddit & agitatum: ita pertur-
batio quam Græci ὁρμὴν dicunt, Latini impetum, mentis cogitatio-
nem quodammodo rapit, & appetitum in omne latus versat. Insi-
liunt in animam summa quadam celeritate: quas vt ipsa exceperit,
procliuis statim existit in illa, ad quæ excitata impressaque vis eam
adiecerit. Et quamuis spiramen istud aliquando in turbinem erum-
pens, omnia inuoluat, ac præcipitet nonnunquam: grauissimaque in-
terdum mala secum aduehat: attamen incolumitati animalium,
copiæque fructuum non parum faciet moderata eiusdem respiratio,
& tranquillior eius auræ suauis & iucundus aliquis afflatus. Sic nam-
que ne diutius stagnans aër concretas fæces contrahat, agitatio istęc
ventorum impulsu illata, qua dissilientes extenuatęque eiusdem par-
tes concitantur, crassiorem omnem materiam egerit, subsidentes sor-
des excludit, & refrigerio quodam æstum illum, qui alioquin humo-
rem omnem exsugeret, temperat, & ad mediocritatem reducit. Haud
absimili ratione, quæ in animæ basin impingunt affectiones turbulen-
tæ,

Perturbationes rationi dimittendæ.

Vita istæc exiliũ & conuinctus agrestis.

Ventus imago & forma perturbationum.

tæ, sępissime pręcipitem eam agunt, deuoluuntque ad vitia appetitum: furentes quodammodo intelligentiam omnem extinguunt, assultu & rabie quadam mentis consilia perturbant. Quod vero ex vsu & moderatione earundem, cum summo decore quodam actionis, & pulchritudine, virtutis quoque emolumentum acquiratur, nobis inutiles prorsus non censebuntur. Continent enim bonarũ omnium actionum amplissimam segetem, & rationis artificio idoneam subijciunt materiam. Venti ex contrarijs orbis plagis exorti, in idem quasi centrum & scopum non raro incidunt, & eandem arborem (vt videmus) in aduersa inflectunt. Eodem modo haud eædẽ semper perturbationes animam feriunt, neq; in eandẽ partẽ perpetuò vrgent: nunc enim è corpore, veluti inferiori plaga exurgunt, nunc vero ex anima, superiori parte erumpunt, mouent hominem, sistunt, eundem progredi faciunt & regredi, calore inflammant, frigore constringunt, igneum pallidumque constituunt, efferunt, deprimunt, dilatant, cohibent, & contrarijs planè motibus distorquent: ac quod ad similitudinis proportionem plurimũ facit, eodem ferme numero affectiones istæ continentur, quo venti. Authore Plinio duodecim recensentur ventorum species, subsolanus, vulturanus, Euronotus, Auster, Libanotus, Aphricus, Fauonicus, Eaurus, Trasceus, Septentrionalis, Aquilonaris, Cecius. Perturbationum quoque duodenarius est numerus, quem in duas æquales partes distribuentes, bipartito appetitui, concupiscibili nimirum & irascibili iustè respondentes inueniemus: ita vt priores istæ sex ad concupiscibilem pertineant, quæ sunt amor, desiderium, odium, abominatio, delectatio, dolor, seu tristitia: ad irascibilem vero istæ, spes, desperatio, audacia, timor, ira, segnities: quibus Aristoteles adiungit zelum, gratiam, nemesin, misericordiam, inuidiam, erubescentiam.

Plin. lib. 2 Nat. hist. cap. 47.

Egid. Rom. lib. de regi. princ.

Arist. 2. Rhetor.

Quod verò ad vsum modò spectat istorũ motuum, & ex eis enatum illud quod retulimus commodum, duplicis generis hostes & aduersarios habemus: vtrosque quidem cùm naturæ ipsi, tum etiam honestissimis actionibus infestos. Quorum nomina si expectetis consignanda, veteres accuso Stoicos, & nostrorum temporum in diuinis Sectarios. Sapientiam, omnemque animæ præstantiam in seueritate censuræ & acerbitate quadam disciplinæ collocant Stoici, non in moderatione affectuum, aut ad rationis imperium eorundem inflexione: sed potius in eorum exterminio, euulsione, eiectione, abdicatione que virtutem quærunt. Si enim (vt loquuntur) animæ infixæ maneant perturbationes, vti inutiles & syluestres herbæ neglectum culturæ

Stoici & Sectarij perperam sentiunt de vsu affectionum.

culturæ probabunt, neque aliquando desinunt esse nociuæ, aut moribus veluti frugiferis, salubribusque stirpibus admodum incommodæ. Illam eapropter curam & contentionem adhibere debet quilibet, qui præstantissimus esse cupit, vti loco penitus eradicatæ pellantur. Ideoque fine lætitia, gaudio, aut tripudio aliquo iucunditates omnes fortunæ aut virtutis affluere debere ad animam aut corpus definiunt. Si fortuna in Phalaridis taurũ quempiam coniecerit, absque dolore, tristitia, aut sensu vllius acrimoniæ tormenta imperturbato constantique animo illi perferenda statuunt. Istorum autem truculentiam & immanem Philosophiam communis omnium fermè hominum notio, ipsius quoque rationis momenta, denique rerum vsus eliminârunt, & sibilo scholis exegerunt. Aristoteles quidem affectus hosce ad duos reuocans, nimirum ad voluptatem & dolorem, *virtutis (inquit) est stasuere, quibus lætandum, quibus dolendum.* Transferendæ sunt itaque istæ affectiones ad illam materiam, quã prudentia rectaque consilia virtuti subijciunt: neque omnino dolendum aut lætandum non est, nisi de illis dolorem suscipere velimus, quorum iactura ad virtutem potius iuuat, quàm impedit, aut ex lætis animo gestire, quæ officio probi viri nocent omnino & detrahunt. Cæterũ moderatè dolere licebit, si modò infortunium aut temeritas nostra naturæ malum aliquod, aut moribus inimicum quid intulerit. Lætari etiam, animoque exultare nihil prohibebit, si quid nobis, vel studijs nostris comparatum, vel aliena industria inuectum rectè acciderit. Duplici autem via affectiones (vt exquisitè exacteque illarum vsum explicemus) ad animæ decus & ornamentum plurimum conferunt. Primò quidem quando ratione iubente & euocante excitantur in nobis, obiectaque exposita habent optimo iudicio adamussim conformia. Nemo enim est (vti opinor) qui secum diligentius paulo reputans istiusmodi motus, non videt eorum accessu aculeis quibusdam admotis, tardum, languentem, flaccidumque animum ad præclaras molitiones instigari: ex quibus insigniores postmodum actiones prodeunt. Reuera enim nerui sunt animæ, quibus vis omnis insidet ad virtutem, igniculi sunt, è quibus flamma acrioris conatus exilit: & natura ipsa calcaria hæc indidit illi ad cursum concitatius absoluendum. Si autem stupiditas animæ, aut corporis pituitosa moles, ingenitas hasce vires oppresserit, animaduertimus torporem quendam, omnem vitam obruere, ipsarumq; virtutũ actiones ita frigere, languescere, vt testudinis videantur potius motus, quàm hominis operationes. Profectò in hac tarditate & segnitie nihil ego suspicio præclari aut admiror: & nisi violentia quadam &

Stoici falsi.

Aristot. 2. Ethic. cap. 3.

Perturbationes tales quales materia circa quam versantur.

Duplex vsus perturbationũ ad virtutẽ.

Matth. 11. impetu è ſacris literis didici, in ſublimi illo cælorum ſinu beatitudinem acquiri poſſe: Gradus iſtos, quibus cælum à terra diſterminatur, paſſibus ſuis nunquam metietur remiſſus, repenſque viator. Nunc leonino robore obſiſtendum aduerſis, interdum Aquilinis pennis ad iuga montium pernici volatu contendendum. Tarda molimina
Pſal. 105. (vt quidam dicit) neſcit diuina gratia. Hoc modo Phinees ira percitus,
1. Mach. 2. ad tutandā diuini honoris cauſam, vires omnes exerens, Deo placuiſſe
Vſus iræ. dicitur: & Chriſtus Dominus inſiliens in illos ſacrilegos, temploq; eijciens, qui loci ſanctitudine abutebantur quæſtu, rationis ſuæ imperio
Marc. 11. motum aliquem appetitus ſenſitiui abſque dubio excitauit. Inſigne illud donum pariter Dei, quo nos ipſum amore complectimur, teſti-
Eſa. 26. monio Eſaiæ proles eſt & effectus timoris. *A timore tuo concepimus & peperimus ſpiritum*, & ex Apoſtoli ſententia: *Triſtitia quæ ſecundum Deum*
2. Cor. 7. *ſuſcipitur, ſalutis eſt initium.* Ne quis iam fidem adhibeat Sectarijs dicentibus, timorem peccatum eſſe, & turpe factum quid. Atque (vt de ſingulis aliquid dicamus) facile erit rationem dare, ob quam perſpicuum ſit, motus iſtos cuiuſſibet virtutis actioni vim quandam & energiam adferre. Quod quidem egregiè quoque docuit Gregorius
Greg. Niſſ. lib. de Reſur. Niſſenus. Metus itaque exultantem & efferentem ſe nimio cohibet, pacatumque reddit ad ſuſcipiendam virtutem humilitatis, & in omni actione promptum ad moderationem aliquam admittendam conſtituit. Ira exacuit inſtar cotis iraſcibilem partem, & ad præclara facinora mentem inflammat. Qui ex bonitate naturæ, amoris vi erga illos ſunt propenſiores, à quibus beneficia mutuati, aut cum quibus ſocietatis & communionis vinculum contraxerunt, ij cum diuinæ gratiæ cælitus dilapſum ſubſidium illis ſuperuenerit, idonei maximè quoque euadunt ex naturæ hac propenſione ad amores etiam ſpirituales & diuinos. Vela enim quodammodo expandit generoſitas ſuauitaſq; naturæ, ad excipiendum pleniorem flatum cæleſtis illius fauonij. Licet autem ea ſit vis ſolius gratiæ, quæ poſſit naturæ bonitate alteri infe-
D. Thom. 1. part. q. 62. ar. 6. riorem, æqualem ipſi, imò & ſuperiorem in vitæ perfectione conſtituere: nihilominus ſicut Angeli (vt iam ſchola Theologorum docet) ad menſuram naturalis perfectionis, gratiæ quoque quantitatem acceperunt: (interim illis naturale nihil ineſſe conceſſerimus, quod gratiæ ſit meritorium) ita diuina prouidentia in moderatione humanarum actionum, quemadmodum voluntate & intellectu vtitur hominum ad illorum emolumentum ex virtute & iuſtitia: ſic etiam & naturæ ingenijque in illis præſtantia: cui donum ſuæ gratiæ cum accommodarit, ſuauius feliciuſque vtraque coniuncta, ad integrum Officium

præſtan-

præstandum concurrere manifestum erit. Optime idcirco Plato de hac re sentire visus, ipsamque veritatem adsequutus, qui animæ partem rationis lumine collustratam, Aurigæ similem facit: vim autem sensu præditam, in duplicem appetitum concupiscibilem & irascibilem discriminatam, iugatis equis ad bonum cursu festinantibus, & à malo quantocius refugientibus scitissimè comparat. Neque longius indagatione nostra à notissimis principijs recedendū, vt istius dogmatis rationem certa aliqua scientia assequamur. Ea enim inter appetitum superiorem inferioremque copula, nexusque intercedunt: & tali ordine in vna eademque animæ substantia collocantur, vti intensior acriorque semper euadat superioris operatio, ex inferioris connixu: cum in idem prorsus obiectum vtraq; facultas delata fuerit. Quocirca quando prudentia debitam materiam, necessarijs quoque ad virtutis honestatem circumstantijs vestitam, suo recto iudicio actioni obtulerit, facilius intensiusque voluntas conatum suum ad rationis ductum accommodabit, si modò appetitus suo quoque motu, idem quasi opus suscipiat, & coniuncta vi eundem progressum teneat.

Plat. in Tiph. partitio animæ.

Alius verò modus, quem in secundo partitionis membro posuimus, quo affectus isti nonnunquam virtuti multum opis conferunt, tunc existit: quando à ratione totaque mente auersæ perturbationes insurgunt in nobis, & ad nefaria turpiaque factu animum vehementius impellunt. Cui enim perspicuum non est, nihil ita facere ad Pugilis alicuius egregiam laudem, ac hostis ipsius virtutem, robur, & in pugna infractū animum? Hæc enim superata, posteritatis memoriæ commendatam, insignem celebremque efficiunt victoriam. Corpore autem debilem, & animo trepidantem aduersarium deuicisse, quodnam tandem decus? Prudenter itaque etiam suo honori, gloriæ quoque ac æstimationi consuluit Seuerus Imperator: Deuicto enim Pescenio nigro, & morte deleto, vnicum tanti viri monumentum supereat, ipsius videlicet statua, ad eius encomium egregio quodam insignita epigrammate. Seueri familiares, vt eius gratiam captarent, monumentū rebellis & peruicacis hominis deijciendum dixerunt, nec memoria dignam pessimi illius atrocitatem inclamarunt. Imperator verò postulationi ipsorum ita respondit: *Si talis fuit, sciant omnes qualem vicerimus: si talis non fuerit, putent omnes nos talem vicisse: imò sic sit, quia talis fuit.* Non minor sanè laus, aut tenuior æstimatio effectis à nobis accrescent, si turbulentiores motus appetitus, quasi atroces aduersarios infesta acie in nos insultantes, mente, consilio, ratione, animique virtute expugnauerimus. Quod enim decus

Perturbationes auersæ à virtute, illi prosūt.

Iul. cap. in Pescen. nig.

egregio partum facinore, Herculem æternitati, hominumque perpetuæ recordationi commendauit monſtra illa contrucidantem: idem præclaros nos efferet & conſpicuos, ſi immanes impetus irritati appetitus vel ſedauerimus, vel ad virtutem, reuulſo quaſi ex hoſtili manu claua inflexerimus. Vtiles proinde ſunt ad encomium, ad ornamentum, ad victoriæ ſplendorem perturbationes excitatæ. τὰ χαλεπὰ καλά, difficilia pulchra.

Ardua molimur, ſed nulla niſi ardua vincunt.

Ouid. *Difficilis noſtra queritur arte labor.*

Difficultas amoris illectamentum.

De ſpinis illis natiuo ortu flagranti Roſæ ſuffixis dici ſolet, quòd ſint illectamenta amatoria: neſcio enim quanam latenti ratione ſpeciem floris illuſtrent. Et quando non ſine protenſæ manus laceratione aliqua, & acerbitate aculei decerpi poſſit, amantem floris magis incitant ſpinæ illæ, & acriori amoris ſtimulo exuſcitant: ſimul dolorem & iucunditatem carpenti afferentes. Spinarum etiam cauſa colorem oculus ſuſpicit floridiorem, odorem nares ſentiunt iucundiorem, & ex perpeſſione ipſius pænæ, deſiderio eius incrementum accedit. Facile enim in propatulo eminentem Roſam præterimus, vepribus autem inſitam difficilius. Hanc ipſam difficultatem præclaris virtutum operibus annexam, quam ſpinam dico, ex aliqua perturbationum, veluti ex radice enatam, amatorium puto ad virtutem illectamentum. Caſtitatem namque (illum carnis noſtræ florem) nemo admiratur in Angelo, aut ſecreta ſubſtantia. In homine verò, in quo illecebra eſt voluptas, & in quam propenſa ruit carnis eius moles, quis non ſuſpicit? quis tantæ virtutis amore non capitur? ipſamque idcirco carnem iudico ſpinam, & amoris incitamentum, quòd calcaria ſubmoueat cuilibet tardo & abiecto animo, quibus ad tam inſignẽ virtutem acrius moueatur. Nucleus ex ipſo cortice ſuauior redditur, æſtas iucundior hyeme & frigoris horrore elapſis, meſſis lætior poſt labores inſumptos agriculturæ: neque aliquando ſe ita ſpectabilem præbuit Hercules, quàm cum Leonis exuuijs tectus, clauam manu tenens prodijt in publicum. Virtutis eapropter eſt non omnino perturbationes haſce exterminare, ſed illas potius temperare, ſanis conſilijs ſubijcere, & ad quandam mediocritatem reuocare. Nam cum feruntur etiam in obiecta rectæ rationi conſonantia, ita ſunt moderandæ à ratione, vti non excedant iuſtum quendam terminum iudicio prudentiæ pręfixum. Licet enim augmento ſuo intenſiorem faciant voluntatis operam, & inde merito quoque aliquid conferant interdum; nihiloſecius ſi immoderatius excreſcant, æſtu quodam, non libertate

bertate

bertate, sensu, non ratione, electio fiet aut propositum. Vt si quis etiam iusta ex causa nimium ira excandesceret, vindicta illa inde suscepta ad temeritatem & præcipitantiam accederet potius, quàm ad virtutem. Seruanda est itaque mediocritas, ex qua voluntatis ipsius impetus magis quoque erit expeditus: certa tamen interim ratione libratus, & in virtutis metam non temerè, sed iudicatò directus.

Neque fieri vnquam poterit, (quantumuis rigida cura pectori immineat perpetuò) quod diuinant Stoici, vt nimirum perturbationum fibræ omnes penitus auellantur in nobis. Nisi enim naturam ipsam quis compresserit in se, & eius vim penitus deleuerit, nequaquã motibus istis planè vacuus esse valebit: pertinent enim ipsæ ad naturæ integritatem, eiusq; functiones rectè præstandas. Propensione quippe natiua, iucunda appetimus, & ex illis acquisitis voluptatem capimus: quod munus est appetitus concupiscibilis. Aduersa quoque reformidamus, vel ausu virili procul ea pellimus: quod appetitui irascibili officium attributum est. Quamuis enim ex delicto protoplastæ, affectiones istæ turbulentiores iam euaserint, atque in peccatũ & illectamenta sensuum acrius incumbant, difficilioremque reddant & rigidiorem virtutis operationem: nihilominus consistente iustitia, neque errante Adamo, naturam hominis debuissent comitari: tametsi ita moderatæ, vti originali integritate rectæque rationis imperio facilè regi & circunduci potuerint. Qua moderatione adhibita, egregiam sane operã virtuti nauassent, & veluti iniectis stimulis ad præclara hominem incitassent. *Hæ partes* (ait D. Augus.) *in paradiso ante peccatũ vitiosæ non erant: non enim cõtra rectam voluntatẽ ad aliquid mouebantur, vnde necesse esset eas ratione, tanquam frænis cogentibus abstinere.* Cedant Stoici vel vnum inter mortales, qui omni prorsus motu appetitus sensitiui abstinuerit? Frustra autem munus illud hominibus demandant, quod effectione impossibilitatem implicat: vel quod paucis, si alicui tandem vnquam contingat. *Nos* (inquit D. Hieronymus) *affectus & perturbationes, quamdiu in tabernaculo corporis huius habitamus, & fragili carne circunducimur, moderari & tegere possumus, amputare non possumus.* Præclare itaque de istis perturbationibus sensit Antoninus Pius: qui quum videret è suis quendam morti amici acerbius indolentem, eaque de causa in aliorum reprehensionem incurrisse: excusationem dolori eius prætexens, dixit: *Permittite illi vt homo sit, neque enim Philosophia vel imperium tollit affectus.*

Perturbationes extirpari non possunt.

D. August. lib. 14. cap. 19.

D. Hieron. ep. ad Demetriam.

Iul. Capitol in Anton. Pio.

Sed ne videamur ita Stoicos premere, & insistentes ipsorum vestigijs in angustum cogere: partitionem quandam affectionum, quam ipsi tradunt, simulate aut fraude aliqua maláve fide non preteribimus: illa

Stoici aliquas admittunt perturbationes.

illa enim videntur ſenſus ſuos paulo latius explicare, & in apertum campum locumque ſpacioſum opinionis copias educere. Non enim omnimodam ἀπαθείαν & vacuitatem affectionum velle inducere videntur iſti: nam diſtinctione iſtorum motuũ facta, quoſdam libenter admittunt incidere poſſe in conſilia ſapientis alicuius: alios verò longius ablegant & exterminant vtpote vitioſos, & ſapientiæ prorſus infeſtos. Ita D. Auguſtinus ipſorũ dogma pertractans, has, quas recipiunt, enumerat perturbationes: *velle*, cum ad bonum impetu quodã ſtimulamur: *gaudere*, quando adeptum emolumentum ex ipſa poſſeſſionis æſtimatione mentem iucunditate aliqua exhilarat: *cauere*, ſeu propoſitum firmatum, & animę virili conſtantia defixum euitandi, & ſubducendi ſe ab illis occaſionibus & vitæ inſtitutis, quæ in errores & lapſus homines ſolent pręcipitare. Quas affectiones Græco nomine Cicero ex Stoicorum ſententia, εὐπαθείας dicit. Latine *conſtantias*. Reliquos vero motus, vtpote *cupere*, *lætari*, *metuere*, *triſtari*, negant ad ſapientem ſpectare, ſed ad ſtultum potius & inſanum aliquem: cuiuſq; mens ſæua procella à quiete & ſtatu rationis deducitur. Et hos poſteriores motus, ſolum volunt eſſe perturbationes, morbos, & ęgritudines animorum, à Græcis appellatos πάθη. Quos recenſet Virgilius,

D. Auguſt. 14. lib. 2. cap. 1.

Cicer. 4. Tuſcul.

Virgil.

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque, &c.

Sed ad iſtorum errorem redarguendum ſatis abunde facit authoritas D. Auguſtini. *Apud nos autem iuxta Scripturas ſacras, ſacramque doctrinam, ciues ſanctæ Ciuitatis Dei, in huius vitæ peregrinatione ſecundum Deum viuentes, metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque.* Eodem idcirco modo ad virtutem conferunt, ſicut & prioris generis concitationes. Quis enim iuſtè venire poterit criminatum ab eis quicquam admiſſum, qui optimarum rerum deſiderio tenentur, qui ex affluxu præſtantiſſimarum virtutum iucunditate aliqua perfunduntur, qui atrocitatem delicti horrentes, extimeſcunt, qui doloris acerbitatem ad luendam expiandamq; ſcelerum pœnam iugi pœnitentia ſibimetipſis conſciſcunt? At contra Stoicos vetuſtate ipſa contritos, ſatis iam diſputatum.

D. Auguſt. ſup.

In alios modò ſunt tela iacienda, & Theologię panoplia expedienda, ad tutandam veritatem quorundam errore, ſeu potius inſania impetitam: qui nouitate ſolum ortus ſui ſpeciem quandam fucatæ eruditionis vulgi ſenſibus intulerunt: neque aliunde audiendi videntur, quàm quòd noui ſint, recenterque in officina pictoris adſcititijs coloribus ad tempus delibuti. Iſti quidem longius è ſapientiæ placitis, mentis delirio & deliquo progreſſi quàm vnquam Stoici, appetitus ſenſitiui temerarios omnes motus, imò iuſta aliqua cauſa ſuſceptos,

Contra hæreticos dicentes omnem cõcupiſcentiam eſſe peccatũ.

(concupi-

(concupiſcentiæ communi nomine inuoluentes) peccata dicunt eſſe, animæ noxas,& æterna caſtigatione digna crimina. Nemo autem in iſtis huiuſmodi paradoxon demirabitur multum, qui illorum ſenſus in reliquis Theologiæ rebus exploratos habuerit. Si namque humanę voluntatis opera vniuerſa, etiam quæ diuina gratia, & ſpiritus Sancti aura afflante fiunt & exprimuntur, ipſorum ſententia peccata ſint mortalia: quanto magis appetitus ſenſitiui irritationes,& turbulenti motus laxatæ naturæ, ineffrenes rabidæque affectiones peccata iure cenſebuntur, immanis cuiuſdam ſceleris labe & piaculi atrocitate infectæ & denigratæ? Sed vt dilucidius horum ſtultitiam prodam, ipſoque eius oſtentu ridiculam & amentiæ vicinam eſſe probem, tria ſuo ordine explicabo.

Inprimis aſſero definioque perturbationes in vniuerſum ſumptas, indifferentia quadam ita à virtute & vitio ſeiugi: vti nec huius deformitatem, nec alterius venuſtatem naturis ſuis participent: ſed rationis imperio vſuque omnino fieri,quòd virtuti inſeruiant,aut ex arbitrij deflexu,vitio ſuppetias ferant. Statim atque de hac re pertractare ceperam, menti occurrebat ſimilitudo illa, quæ inter ventum & motus hoſce intercedit. Et quum in plurimis conuenientiam oſtenderam ſuperius: vnam tamen ſimilitudinis rationem & analogiam in hunc vſque locum conſultò diſtuli. Venti quamuis varij ſint, & plane inuicem oppoſiti: tamen (vti videmus) nauigationi in vniuerſum ſumptę omnimo vtiles euadunt & neceſſarij. Non enim eaſdem oras nauigantes omnes repetunt,ſed in Oriente appulſum iſte,in Occidente alius quærit. Qui enim nauigationem illam meditatur ſolam, qua Caleto traiectus eſt in portum Dorobornię,certum quendam flatum cupit is,& oppoſitum reformidat,ne in aduerſa deferatur.Ea autem eſt pręſtantia humanæ animæ,vt nauigationis vniuerſalem quandam imitetur rationem,particularem longe excedens. Nam ſi tanquã turbo aliqua excitetur perturbatio rationi prorſus contraria,& in ſcopulos ſyrteſque vitiorum impetu quodam directa: ita huic reniti & reluctari poterit libera agendi facultas hominis,vti ex ipſa reſiſtentia virtutem veluti Portum quendam feliciſſime teneat, quamuis perturbatio ſe immanem oſtentarit. Sin vero in illam ipſam partem concitatio appetitus vergat,in quam recta ratio prona quoque incumbit, nullo ferme negotio lapſus animæ erit ad tutiſſimam virtutis oram. Atque ſic quacunque ex parte ſpirauerit ventus, ſemper animæ proſpera continget nauigatio. Rei enim ſumma non ex ipſa perturbatione,ſed ex voluntatis electione & propoſito dependet. Nam ſicut

Perturbationes indifferentes

ex vsu optimo affectuum egregiæ emergunt actiones: ita quum illis habenas laxarit mentis moderatrix ratio, & imperium demandarit, ad perniciem ruunt. Sic Hercules furore correptus, arma quæ in hostium necem quondam intentauerat, in liberorum teneros artus postea miseranda cæde conuertit. Sicut enim ex eodē ferro gladius extunditur & vomer rusticanus: ita eadē perturbatio ratione temperata, & libidine in rabiem versa, vitium pariet aut virtutem. Panopliam & munitionem omnem bellicam, quam paramus ad expugnandum hostem, si superati deuictique fuerimus, nobis ipsis infestam habebimus & lethalem; telaque propriæ pharetræ lateribus nostris infixa percipiemus: ita motus, qui animum exacuunt & inflammant ad virtutem, quorumque vi hostiles nefarij dæmonis impetus repellimus, & generosis pectoribus obsistimus malis, si malignus ille spiritus victoria potitus semel arripuerit, & ad vitia deflexerit, summa quadam atrocitate eisdem animam deuastabit funestabitque. In quam sententiam ita D. Augustinus: *Denique in disciplina nostra non tam quæritur, vtrum pius animus irascatur, sed quare irascitur: nec vtrum sit tristis, sed vnde sit tristis; nec vtrum timet, sed quid timet. Irasci enim peccanti, vt corrigatur, contristari pro afflicto, vt liberetur, timere periclitanti, ne pereat, nescio vtrum quisquā sana consideratione reprehendat.*

Euripid. Hercul furen. Senec. her. fur.

D. August. lib. 14. cap. 5.

Alterum est quod pronuncio, omnium nimirum vitiorum fomitem perturbationibus istis esse implexam. Incentiua enim sunt, & iam candent quasi ad conflagrationem, cuniculi in pectus nostrum inducti, in quibus delitescunt dæmonum insidiæ, glandes puluere sulphureo eiaculatę in aciem animę, virgultę visco illitæ, ad remorandas agiles & volatiles mentis cogitationes. In istis syrtes, Capherea saxa, Euripi, Scyllæ, Charybdes, Symplegades. In istis Echenis armatas classes vi ventorum sistens, Syrenes modulato cantu ad scopulos perlicientes, Salmacis aquæ, quæ haustu viros effeminant: continent enim affectiones prauæ omnis offensę, noxæque causas. Lex diuina præfracto ausu non infringitur, nisi furente perturbationum aliqua: fraudes Satanicæ neminem inducunt in nequitiam, nisi prius distortum & à ratione penitus auersum motum, rei cuiuspiam illicitæ obiectu concitarint. *Vnusquisque* (inquit D. Iacobus) *tentatur à concupiscentia sua*. Quo pacto in delicti alicuius patratione, vires proprias animæ in nos ipsos vertimus. Eodem modo D. Ioannes recta distributione, quæ vniuersali concupiscentiæ notione significantur, eos motus eiusdem enumerans tanquam peccati occasiones & origines recenset: *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscen-*

Vitij cuiuslibet causa perturbatio appetitus.

Iacob. 1.

1. Ioan. 2.

tia

tia oculorum, aut superbia vitæ. Nam (vt interpretationem D. Thomæ vtpote textui accommodam admittamus) carnis concupiscentia designantur motus omnes appetitus, qui perceptione voluptatis ex gustu, & tactu, cæterisque corporis partibus finiuntur. Concupiscentia vero oculorum, alta illa & curiosa abstrusarum rerum indagatio, vel ambitus, & honorum studia, quatenus nominis gloria & splendor concupiscenti facultati iucunda & grata quoque deprehenduntur, exprimi videntur. Superbia autem vitæ significat irascibilis partis appetitiones, quæ in arduis difficillimisque consequendis aut superandis distinentur. Sic etiam Apostolus Paulus, dum prauitatum species & formas enumerando repetit, omnes ad affectiones concupiscibilis aut irascibilis facultatis, vtpote fontes & principia reuocat: *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia.*

D. Thom. 2. q. 77. art. 5.

Gal. 5.

In quem locum disserens D. Augustinus, nomine carnis ostendit non intelligi solam hanc molem in illecebram voluptatis procliuem, sed integrum potius hominem, tum quoad animũ tum etiam corpus, in deterius mutatum. Nam tametsi fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, ebrietates, comessationes, carnis sint opera, & ex illa vti proxima causa erumpunt: tamen idololatriæ, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, inuidiæ potius animam afficiunt, in qua originem etiam habent: eaque de causa spirituales nequitiæ dicuntur: sicut & priores, carnales. Nihilominus radices, species istæ omnes affectionum infixas habent in appetitu concupiscibili aut irascibili, & ibi succrescunt. Nam versantur singulæ, aut circa alicuius delectabilis expetitionem, vel contrarij repulsam: vti facilè expendenti singula liquebit. Et ipsius Augustini testimonio probatum est peccata omnia, aut cupiendo aut timendo committi. Quocirca dum illud Psalmi explicat: *Incensa igne & suffossa*, istis duobus eleganter admodũ causas malarũ actionũ omnes inculcari docet. Incensum enim igne, quod ardente concupiscentia fit: suffossum autẽ, quod timore in obscurũ veluti locũ, ac subtarraneum oculis hominũ non peruiũ conijcitur: quando nempe extimescit quis verũ fateri, aut iustũ aliquod ac legitimũ actione sua vel verbo adstruere. Concupiscibilis verò partis obiectũ duplex est, (vt adnotauit Scotus) *honor & voluptas*. Quæ ipse appellat prima cõcupiscibilia: atq; ex cõsequenti irascibiles vires exercentur vel in remouẽdis ijs, quę sensuum voluptates impediũt, vel in superandis difficultatibus annexis acquisitioni iucunditatum.

D. August. 14 Ciu. cap. 2.

August. Psal. 38.

Scotus in 3 d. 34. q. vnica.

cunditatum. Est enim (vti alias diximus) irascibilis facultas, concupiscibilis vindex, & eius quasi pręsidiarius miles.

Videtur nō omne crimē pendere ex aliqua perturbatione appetitus.

Verum contra hæc quæ disseruimus hactenus, veluti ex diametro facere videtur solemnis illa & decantata vitiorum distributio: qua asseritur à Theologis, quædam fieri ex infirmitate: ea nimirum quæ ex fragili conditione appetitus sensitiui perpetrantur: alia autem ex ignorantia: denique alia ex certa, statuta, & decreta malitia. Non ergo semper extimulante ac solicitante nos perturbatione aliqua offendit animus; sed nonnunquā ex ignoratione veri, ex obstinatione quoque dura, & obfirmato iudicio in falsa aliqua sententia. Existimarem nihilominus hoc parum momenti habere ad euertenda ea, quę statuimus. Nam qui inscitia inductus delinquit, profectò is iucundum quid appetere videbitur semper: in hoc enim appetitus concupiscibilis desiderio aut amore incumbit: vel irascibilis virtus nimia ferocia ad ea incitabit ipsum, aut ab ijs fuga subducit, quibus deberet ille potius restistere, aut contra ea depugnare. Quare quòd ignorantia prima causa sit, ob quam erratur sępius, atque hæc multum ponderis secum ferat ad deprimendum animum in vitia, propterea culpa & lapsus aliqui ignorantię adscribuntur: interim tamen existunt impellente quoque aliqua affectione praua. Idem assero de peccato illo, quod dicitur à malitia ortum. Nam cum præfractus animus (is nimirum) qui inter vitium & virtutem comparationem instituens, adhuc vitium persequi decernit, noxam contrahit, quæ attribuitur malitiæ, vti causę propriæ, & magis particulari: nihilominus hic quoque opem conferente sensitiuæ partis motu aliquo in culpam impingit.

Videtur peccatū iniustitiæ nō fieri ex aliquaperturbatione.

Adhuc & alius breuiter eximendus scrupulus se ostentat: huiusmodi autem est. Qui iniustitia conciuem lædit, is nulla perturbatione ad hoc facinus induci videtur. Nam virtus iustitiæ (etiam ex sententia Aristotelis) voluntati insidet, non appetitui sensitiuo, neque moderatrix est hæc virtus affectionum: ad illam tamen spectat coërcere & impedire actum iniustitiæ. Idcirco hæc eadem iniustitia non existit irritatione aliqua appetibilis facultatis, sed ex sola prauitate voluntatis. Verum qui ita mordicus iustitiæ munus à moderatione appetitus remouent, ab illis sciscitari velim: vtrum aliquando vrgente tentatione aliqua dæmon solicitet homines ad iniustitiæ crimen, necne? credo hoc mihi eos non fore negaturos. Nam vnusquisque (vt ait Apostolus) tentatur à concupiscentia sua. Ex vi itaque perturbationis alicuius vitiosa emergit iniusta rei alienæ appetitio aut detentio; si modo dæmonis fraude existat. Etenim putarem equidem

dem labem hanc iniustitiæ non inferri mortalium animis, nisi quando nimius amor pecuniæ aut immensum habendi desiderium insurgunt, & appetitum hominis sensitiuum occupant: neque auarum aut iniustum quempiam dabunt mihi, nisi eum, cuius pectus immoderatus rei familiaris amor obsederit, & cupido pertinax tenuerit.

Superest quòd tertio loco constitueram, in quo quidem insulsi nostrorum temporum hęretici euincendi sunt, & fœdus immanisq; ipsorum error veritatis rationibus redarguendus. Neque hoc pręstare viro Theologo aut Catholica literatura vel modicè tincto operosum erit aut impeditum opus. Tam crassam enim hæresim orthodoxæ sententię isti opponunt, absurditatis magnitudine ita in omnem partem prodigiose effusam: vti in illam telum immittere vix quispiam poterit, nisi pariter collimet: in quam paruulorũ etiam sagittæ frequenter impingunt. Sed quid est quod proferunt ludimagistri nostri, seu inuerso nomine in rebus Thelogicis magistri ludi, & ad iocos hominum creati? quid tandem ludicris suis venditant, qui magistri esse cupiunt? Hisce vocibus è tripode pronunciant oraculum. (interim qui oculati magis hæc legunt, vti ipsi risum reprimant, velim.) *Concupiscentia omnis peccatum, & appetitiones turbulentæ inferioris facultatis animæ lethalis culpæ quoque reatu inficiuntur: illis etiam non consentiente libero hominis arbitrio.* Videre obsecro quam prępostere cupiunt isti sanctitate sua, quam affectant, peccati vim extenuare: cum potius numero & pondere vitiorum mortalium animos ac corpora moliantur obruere. Et quum è communi societate segregatam vitam inire se velle simulent, ne maculam aliquam impuritatis ex communi & Catholico consortio contraherent, iam in peccata omnemque colluuiem seipsos suorumque asseclas insana hac opinione præcipitarunt. Quicquid agunt demum homines peruigiles, peccatum est; quicquid appetunt somno oppressi, pariter, peccatum est; quicquid superior pars præstiterit, peccatum est; quicquid inferior concupierit, peccatũ est: quod diuinis sanctionibus repugnat, peccatum est, quod eisdem consentit, non minus peccatum; nocte & die peccata fluunt in animam, superius, inferius, vndiq; peccatum. In hac massa sordium, & congesta illuuione, quis probos viros, honestos, religiosos, puros, aut nitidos aliquos esse existimabit? nullibi comparebunt splendentes Nazaręi, ac Christi cruore loti christiani, si morum labes, omnes hominum actiones hoc pacto, quo volunt Sectarij, corruperint. Aliter informari & instrui potuerunt hi, qui Scripturarum notitiam glorioso titulo, seu potius scelerato furto sibi vendicant: si aliquando attentius paulo legissent epistolam D. Iacobi: vbi ex

Quid Sectarij sentiũt de appetitus motibus.

Psal. 63.

Sectarij vim peccati amplificant.

Thren. 4.

Iacob. 4. vbi ex concupiſcentia,peccati progreſſum omnem accurate deſcribit: *Concupiſcentia*(inquit)*cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero cum conſummatum fuerit, generat mortem.* Quid eſt autem aliud concupiſcentiam excipiendo è nefando ſpiritu ingeſtũ ſemen concipere, quàm iniquæ perturbationi,excitatæ à Satana, voluntatem plenam & liberum conſenſum præbere? ſine quo concupiſcentia neutiquam peccatũ conciperet,aut in ſe implicaret illius maculam: ſed vt inquit D.Auguſtinus: *Ad Agonem interim manet, non ſibi ad illicita conſentientibus nihil omnino nocitura.* Et poſt: *Conſentientes autem ſibi ad illicita reos tenet: & niſi per medicinam pœnitentiæ,& opera miſericordiæ, per cœleſtem Sacerdotem pro nobis interpellantem ſanetur, ad ſecundam mortem damnationem perducit.* Sed vt omittam alia teſtimonia, quæ vel arrogantia ſua facile contemnunt illi, vel deprauatæ ſententiæ excogitatione eludunt tantam maieſtatem authoritatis,petitione arctius ipſorum ſenſus conſtringam, efficiamque credo, vti reducti ad anguſta, ne quà effugiant. Concupiſcentia itaque iſtæc,quam criminis inſimulatis, eſt ne ipſa facultas naturę inſerta,qua appetimus,iraſcimur: aut actus aliquis inde expreſſus, vel denique aliquid ab extrinſeco obiecto in appetitum traiectum? Si prius iudicijs veſtris conſtitueritis, Manichæorũ infamia & nota inurendi eſtis, qui ipſam naturam malam eſſe, & ab iniquo principio propagatam dixerunt. Vis namque illa concupiſcibilis & iraſcibilis ad naturam ſpectat (vt ſatis liquet) humanam. Verum ſi ex alijs veſtris placitis, de mente etiam veſtra in hac controuerſia coniectari mihi liceret, (quamuis conſequentiam,pręrupta tortuoſaq; & in ſinus implexos, dubioſq; anfractus doctrina à vobis ſuſcepta perpetuo incidens parum curet)huius hæreſeos ſuſpicione vos liberarem. Ni fallor itaq; ratione tranſgreſſionis admiſſę ex Protoplaſtæ errore fieri dicitis: vt concupiſcentia ſit peccatum, etiam in renatis. Vt autem hoc expendatur exactius,in ipſo Adamo antequam decideret à ſanctitate, & culmine ſuæ conditionis ſtatuendum, quod eadem, quæ poſtea extitit in illo, reperiebatur appetendi poteſtas: quam etiam Chriſtus Dominus, vti infixam naturæ humanæ proprietatẽ, adiunctam habuit ſuæ perſonæ. Neque enim ex peccato quidpiam naturæ poſteris deperijt: Concupiſcentia idcirco quæ peccato eſt obnoxia ex Adami lapſu, non poterit eſſe appetitus ipſemet aut concupiſcibilis aut iraſcibilis. Quare repulſi ab hoc effugio, alium exitum pertentant, & dicunt: Non facultatem ipſam,ſed quoſlibet actus etiam temerarios & præcipites eiuſdẽ, anteuertentes quoque rationis vſum, & conſenſum arbitrij, peccata eſſe,& horrenda quædam ſcelera. Neſcio profectò,vtrum potius egre-

Auguſt. 2 de peccator mer. cap. 4.

Probatur cõcupiſcentiam non eſſe peccatũ

gıam

giam hanc istorum stul tiam mecum tacitus demirarer, vel adhibita teueri ori discussione,& scholastico quodam congressu eam serio refutarem. Sed vtrumq; simul præstitero. Infantes,quibus imbecillitas naturæ rationis vim denegauit, an non vtroque appetitu concitantur? frequentius efferuescunt, lasciuiunt, immoderatius se gerunt,(sensus hęc testatur) peccántne istis motibus ? quæro ab eis. Quid ni dicetis? quibus enim ademptum est liberum culpa originaria arbitrium,ab illis non est expectandus liber consensus aliquis. Quocirca necessitate ad id adacti, quod actione temeraria appetitus suscipiunt, nihilosecius peccant,& grauiter delinquunt. Pręclari viri & probè instructi, quo magistro vsi didicistis in infantibus pręter originale crimen, actuale quoque & personale confingere? hoc aliquando fuit delirium Pelagianorum,ob quod meritò illos Diuus Augustinus vti deridendos ab omnibus publice suis scriptis traduxit sæpius, neque refutatione dignos censuit. *Nonne tanta infirmitas animæ & corporis, tanta rerum ignorantia, tam nulla omnino præcepti capacitas, nullus vel naturalis vel conscriptæ legis sensus aut motus, nullus in alterutram partem rationis vsus, hoc multo testatiori silentio, quàm sermo noster proclamat atque iudicat.* Quare si Augustino censura sit differenda, non ex tam leui momento concitatæ, & temerariò effusæ concupiscentiæ peccatum decernendū erit, quod ita in diuinam iram incurrat,vt perennes illos cruciatus iuste promereatur: sed requiritur rationis in vtramque partem vsus, diuinæ legis notio, adeoque liberi arbitrij consensus: quæ quum in infantibus non deprehendantur, quantumcunque appetitus eorum ebulliat, efferuescat, aut in rabiem concitetur: nihil damnatione tamen dignum admittent motu suo. Eodem modo si in adultis perturbationum impetus spectemus, illos fieri videbimus indormiscente ratione, iacente voluntate, & ex sola imaginatione & conceptu obiecti sensibilis: haud aliter atque in ipsis brutis & infantibus. Imò renitente voluntate interdum, mente & electione nostra hosce motus, quos ex iure necessitatis patimur, exosos habemus, & nollemus ita illis agitari, & æstu quodam eorum huc atque illuc iactari. Idcirco si infantum libidines & appetitus incitationes,culpa & crimine prorsus vacent, etiam adultorum appetiones rationem præcurrentes, & naturæ temeritate solum ferocientes noxam non obtinebunt aliquam: si modo ex plena animaduertentia rationis,illis liberum voluntas consensum non adijciat. Qua enim alia ex causa irritationes appetitus, quæ rationis expertibus insunt,culpa & peccato carent? si dicunt ideo euenire, quod mente & libero arbitrio eiusmodi agentia destituantur: molem & fabricam

D. August. lib. 1. de peccato mor. cap. 35

erroris, quam proprijs manibus hactenus intenta cura construxerũt, diruunt iam & pessundant: Eadem enim est ratio ortus & originis perturbationum in hominibus, atque in brutis, priusquam ratio & voluntas accedant. Sed ad aliud subsidium miseros hos & nimia solicitudine perplexos, video dilapsos. In hominibus motus isti peccata sunt, non vero inquient in brutis, quod hominum etiam temerariæ appetitiones sint legi diuinæ contrariæ, non verò ita brutorum impetus. Sed obsecro, quo tandem vestra hæc insania pergit? non sufficit quòd in naturę detrimentum, & humani generis dedecus sempiternũ error vester processerit? adhuc vultis & in blasphemiam incidere, vt huiusmodi tetro colophone institutis vestris lauream adferatis? affingitis absurdissimi, imò blasphemi, Deo Opt. Max. summam imprudentiam dogmate vestro. Quasi verò motus isti ipsius Dei sancita lege sint prohibendi, quibus nullus mortalium abstinere poterit, etiam qui Stoicis disciplinis quantumuis pectus excoluerit? æque prudenter lege hominibus, ac pœna etiam æternę damnationis illis comminata, vetitum esset, ne quis ipsorum simo naso nasceretur in posterum. Sin vero hanc pręceptionem in ciuili magistratu stultam diceremus, ipsumque grauiter errare profiteremur, si edicto abstentu impossibile suis mandaret: quis sanæ mentis simile quid Deo ascribet? Quæro namq; cur expertibus rationis animantibus talis lex lata non fuerit, ita suo appetitu ferocientibus vti videmus? Si dicant frustra id fieri, quandoquidem ratione & libero arbitrio priuati culpabiliter legem transgredi non possint: iam errorem suum abiecerunt, & ad peccatum requirunt nobiscum rationem & arbitrij consensum. Sin autem asserant (ad quod etiam illos cogit ipsorum dogma, vti aliena vis omnis absit) Deo visum non fuisse, vel illi non placuisse eiusmodi legem brutis edicere; iam fatentur eodem modo rationis expertes crimen iniquitatis commissuros, quo modo homines delinquunt, si illis æquè atque hominibus lex lata fuisset: atque ex sola Dei voluntate prouenire affirmabunt, nulla discrepantia naturas rerum discriminante, quòd hominum perturbationes sint peccata, non vero brutorum concitationes. Detestandi qui estis, & terrarum orbe exigendi. Itáne causam peccati in vnius Dei beneplacitum (cui inuisum est omne peccatum, cuiusq; opera casta sunt & illibata) reducitis? truculentum Deum vestris inuexistis placitis. Æternas pœnas suscipient homines, & quare? quòd Deus eum legem sanxerit, qua illis quosdam actus interdixit, à quibus tamen ipsi se cohibere non possunt, sed ab ipso naturæ authore ad eosdem excitantur. Pudet, pudet profectò in istis diutius immorari,

aut

aut cultioribus literis agrestes & bardos coërcere: quorum capita subiugare, & sub terram dimittere, ex operis ipsius facilitate, & negotij viliori æstimatione, tenuis laus esset, & trophæum humile & obscurum. Adhuc tamen non desinam illos fugientes persequi, aut auersa eorum pectora vno aut altero telo petere. Si ex quorundam sententia verũ sit, appetitus perturbationes non esse eiusdem actus aliquos elicitos, sed potius ab externo obiecto incursante in sensus, impressiones quasdam: & hac de causa passiones dici, quòd ipsæ passiua susceptione admittantur: hinc tamen nequaquam efficitur perturbationes esse peccata. Nam in caput efferentis pedem domo pluuia si incidat, aut in apertos oculos à rebus effusæ species si irruant: in istis tamen nulla peccati ratio continetur. Quare ergo quòd obiecta sensu perceptibilia appetitum feriant, & impressionem aliquã eidem inferant, etiam aliquando inuito homine, vel nihil minus cogitante, peccatum & offensa æstimabitur? Vti tamen victoria adhuc illustrior euadat, fingam demum quod dici poterit in eorum defensionem. Peccatum hoc concupiscentiæ neque ipsa facultas est naturæ, neque aliquis eius expressus actus, neq; quidpiam extrinsecus impressum, sed priuatio quędam auxilij gratuiti, quo inferior appetitus in suo officio contineretur, persistente Protoplasta in originali iustitia. Optimè iam teneo mentem vestrum. Sed vultis ne in istis consistere? tandem dicite mihi ingenuè? & si hæc profligauerim quoque, mihi victoriam iudicijs vestris deferre num placebit? timeo enim effugia vestra & dilapsus, adeò lubrici estis, & omni anguilla flexibiliores. Vos sane tanquam Veneris filios cum Ænea semper nube video obuolutos, & in vmbram quandam hactenus verbera incidisse suspicor. Vtrumque vobis ipse lubens concederem, & cum Venere necessitudinem summam, & cum vmbra inanitatem. Sed pergo. In hac priuatione duo despicio distinctione necessario partienda, vti disputatio dilucidior euadat. Primũ est ipsa priuationis forma, quæ ab opposito habitu, nimirum gratia & iustitia speciem & naturam mutuatur suam: & nihil aliud est quàm absentia illius gratiæ, quam quis habuisse iure tenebatur: vt à simplici ac nuda negatione hanc priuationem separemus. Alterum, quod huius priuationis non forma est, sed effectus, nimirum inclinatio seu propensio appetitus in illicita, & in ea, quæ sensibus solummodo grata existunt. In priori peccatum inueniri non potest. Nam si concupiscentia vitiosa sit priuatio gratiæ, erit priuatio istæc vel iustitiæ ipsius, & doni sanctificantis, aut alterius specialis muneris primo parenti diuinitus attributi. Si autem concupiscentia defectus sit ipsius iustitiæ,

Perturbationes impressæ peccata esse nõ possunt.

Homer Iliad. 6.

Priuatio doni originalis iustitiæ non est peccatum.

consectarium est Christi merito iustificatos concupiscentia carere, quod falsissimum est, neque id dicunt Sectarij: repugnatque cum Apostolo aperte: nam eidem simul habitus & priuatio non competūt. Sin vero concupiscentia sit destitutio alterius beneficij, quod Christus humano generi nunquam attulit, ita nimirum vt sit carentia & orbitas plenæ obedientiæ appetitus sensitiui erga rationem: neque peccatum quidem erit iste defectus. Nam peccatum quum sit inimicitia quædam contra Deum, opponitur iustitiæ, sanctitati, & amicitiæ cum eodem. Illa autem priuatio, aliud donum respicit distinctum a iustitia. Et sicut talis doni præsentia non reddit iustum hominem, ita nec priuatio eiusdem constituet iniustum: nisi eam logicam acumine suo excogitarint hæretici, qua didicerunt priuationem auferre amplius aliquid (vt loquuntur) quàm habitus oppositus reponere poterit. Habitus autem ille naturam perfectam constituisset, non tamen iustam: priuatio idcirco eiusdem læsam & mutilam eandem faciet, non tamen iniustam aut Deo exosam. Nunc venio ad illam appetitus propensionem in malum. Hanc quidem si peccati insimulare velint Sectarij, ipsam naturam cum Manichæis vti incusent necesse est. Nam si primus hominum conditus fuisset in natura pura & simplici absque omni gratiæ adminiculo, eodem modo propensus fuisset ad illicita, sicut iam post peccatum contigit nobis esse inclinatos. Nihilominus talis propensio non esset peccatum. Nam sic neque ex potentia Dei absoluta condi potuit natura humana, quin peccato statim esset obnoxia: quo nihil absurdius, quodque asserere iniurium est in hominis naturam, & ipsummet Manicheorum commentum. Hanc enim propensionem naturę in illecebram, ipsi intimè defixam esse quis non videt? nam ex substantiæ ipsius conditione promanat. Si enim equus generosus fræno detracto inde propensus sit ad ferociam, id ex naturæ ipsius oritur qualitate, sic enim ipse comparatus est à natura. Ita primus parens delicto suo appetitui fręnum diuinæ gratiæ excussit, quo adempto, propriç naturæ relictus, inclinatus fuit ádmodum ad turpia, & ad sensuum illectamenta. Quare si in illo, aut etiam in nobis, qui cum iustitia accepta à Christo illud præstantissimæ moderationis fręnum non suscepimus, sola propensio appetitus sit lethale peccatum, ipsa natura etiam ab intrinseco erit mala, vitiata, & scelere contaminata. Quod post tetram illam labem Christiano nomini Manicheorum furoribus illatam, horreo plane dicere. Istis ferum hoc & hęreticum animal, quasi septo aut cauea inclusum habeo ad ludibrium. Non euadet vti credo. Ipso silentio, & gemitu quem edit, victum se &

Rom. 7.

D. Thom. 1. part. q. 95. ar. Molin. de op. sex. dier. disp. 27.

Naturæ propensio in malum non est peccatum.

domitum

domitum profitetur Cum huiuſmodi abſurda & portenta in ipſorum commentis quotidie detegimus: interim nihil ipſi proferunt in excuſationem erroris. Conticeſcunt, vel vt ranæ in cauernulis coaxant, & ruſticano ſtrepitu pompam in angulis queritant. Si audetis tandem vos compello, calamo (omittentes interim reſtes, funes, cruces, flammas, lanienas, & eiuſmodi barbara argumenta) crimina hæc à veſtra gloria propulſate. Exoſcularer profecto ingenia, ſi modo ex iſtis emergere aliquando poſſitis incommodis, & infamia defatigata veſtra nomina dextere liberare. Sed in poſterum quid ſperem à vobis, cum hactenus tam obſtinate deſipueritis? at de his etiam alias poſtea fuſius diſputabimus.

De natura amoris, eiuſdemque partitione multiplici.

CAPVT II.



Qvod circa appetitus incitatos motus omnis virtutis occupatio diſtineatur, atque in illorum æſtu tranquillando, & ad malaciam quandam reducendo, mentis exercitatio præcipue verſetur: de illis ſingillatim, vt hominis officium, quod in actione poſitum eſt, conſtituatur, pertractandum eſt. Non quòd inſtituti noſtri ſit de ſingulis diſputationem fuſiorem inſtituere: inde enim prolixa nimis euaderet tractatio, & in rebus non ita obſcuris ingratus labor à nobis ſuſciperetur. Quare capita ſolum, & principales affectiones, ad quas cæteræ conſequuntur expendentes, hanc methodum quoque & ſeriem diſputandorum obſeruabimus: vti primo in loco vis & energia perturbationis, quam ſuſcipimus diſcutiendam, dilucide explicetur: mox in medium adducantur rationes, quibus animus firmari poſſit, & contra aduerſum motus illius impetum rectis conſilijs corroborari. *Actiones morales, circa appetitus perturbati. nes verſantur.*

Inter hos autem appetitus motus & affectiones ſupremum locum, arcem, & quaſi imperium obtinet Amor, cui natura ſceptrum plane & diadema committit. Qui ſi tandem rationi infeſtus euadat, tyrannus ipſe erit, & pluſquam barbaricæ ſeruitutis iugo atque flagro vim humanam & ſuperiorem illam animæ facultatem deprimet ac cædet. In quo duo mihi conſpicua videntur. Primum, quod ſi qua demum turbulentia ſuſque deque feratur appetitus, amorem deprehendemus veluti ducem ſemper ſe oſtentare, qui aliam quamlibit excitet ſua authoritate perturbationem. Eaque de cauſa *Amor protopaſſio.*

recte dicitur à Philoſophis Amor protopaſſio. Reliquæ affectiones quidem tametſi alioquin cæcum & temerarium impetum adhibere ſoleant, ita tamen ex imperio amoris munera ſua conſtanter obeunt, vti ratione regi quodammodo videantur: vel ſi qua illarum ſit inſania, illa ſolius cenſebitur eſſe amoris. Nam ne tranſuerſum quidem vnguem ab hoc amore diſcedent, cuius elatũ vexillum ſic intendunt, vt quod ille iuſſerit, id examuſſim perficiant, & exequantur. Proinde amore reſiliente, coniunctim fugam capeſſunt, amore inferente ſe in hoſtiũ cuneos, pari conatu periculis ſe obijcunt & inſequuntur: amore deferueſcente, ſubducunt ſe ſtatim, vim ſuam reprimunt, gradum ſiſtunt: & quò amor denique progreditur, eò feruntur vniuerſæ.

Amorem tuentur, ceteræ perturbationes.

Alterum eſt quod ſub aſpectũ intelligentiæ etiam noſtræ cadit: nimirum amoris promouendi ac tutandi cauſa, cæteros omnes motus ſuſcipi ab appetitu & eiuſdem amoris iuſſu irritari vel ſedari: ita vt nihil in nobis niſi vnus amor operari videatur, quocunque demum modo appetitus perturbatione aliqua exagitetur. *Amor* (inquit D. Auguſtinus) *inhians habere quod amatur cupiditas eſt, id autem habens, eoque fruens lætitia, fugiens quod ei aduerſatur, timor eſt: idque ſi acciderit ſentiens triſtitia eſt.*

D. Auguſt. lib. 14. cap. 7.

Amoris vis

Quamobrem totius vitæ ratio eo pacto ab amore deducitur, vti eius curſum & inflexum facilè videre poſſimus, ſi modò vnum amorem in nobis diligentius paulo examinemus. Sicut enim Nauis clauo dirigitur, aut flatu in optatas fauces & ſinus inuehitur: ita noſtrarum actionum momenta & incitationes omnes, vim ſuam & progreſſum ab amore mutuantur. Pondus eſt quo deprimimur, ventus quo in ſublime raptamur, aura qua recreamur, turbo qua in gyrum & orbem volutamur, eiaculatus quidam ſpiritus, quo diſſipamur. Amantem enim leuitas agilitaſque tam corporis quàm animi comitantur: mentem ad omnia excitat amor, nihilque vel in cælo abſtruſum, quod amore non exquiratur. Amor ad ætherea euectus ſpacia, curioſius ornamenta cæli cogitatione ſua depingit, motus, ſigna, ortus cæleſtium illorum corporum perſcrutatus. Amor adhuc altius elatus, clauſtra illa ſuperna mente reſerauit, & ibi exiſtentium rerum pulchritudine captus, cætera omnia faſtidire cæpit, & illorum tantummodo arctiſſimo deſiderio teneri: neque curam aut ſolicitudinem hanc deponendi animo facultatẽ concedit, quouſque illis bonis potitus fuerit. Proh inſignem amoris vim, quæ ita miſeri hominis pectus concoquit & diuexat, quæ ad tam alta & ſublimia humi repentem animalculum, voto & concupitu erigit: vti non regnum aliquod terrenum, imò neque orbis Monarchiam tantum, ſed aliquid iſtis omni-

bus infinitis fermè gradibus excellentius, imò bonum quoddam diuinum tantopere expectat. Amor ipsi etiam Deo bellum horrendum indixit. Ita enim peruersa amoris cupiditas in quibusdam septentrionalium aliquando deſæuit, (hoc ſcribente Olao magno) vti quòd illis Deus votis reſpondentia dona nonnunquam haud largiretur, poſt immanes illos Gygantes in oppugnationem cæleſtis Regiæ excelſam turrim extruentes, alioſque ipſius Dei hoſtes apud Poëtas celebres, fundis, iaculis, aliiſque inſtrumentis bellicis in aciem contra ſuperos, incredibili quodam auſu, intrepidiſq; animis procedere ſoliti fuerint. Amor terrarum orbem cęde & ſanguine funeſtauit, omnia itinera & locorum ſpacia ſuo motu & agitatione eſt dimenſus: cui marini vortices timorem non incuſſerunt ſpe lucri excitato, aut auia littora terrorem. Neque barbarorum ſæui & truculenti mores impetum eius cohibuerunt: nulla denique exuſta ſub torrida zona gleba, aut ſub brumali glacies, & frigoris concretus horror, greſſum illius retardarunt. Quid non tentauit audaciſſimè? quid non perfecit feliciſſimè? Reputet ergo cum animo ſuo vnuſquiſque quidnam amet, dimittat ad imum pectoris ſui recto filo ſuſpenſum perpendiculum, & quum amorem agnouerit ſuum, de cæteris ad vtramque animæ portionem ſpectantibus facilè illi coniectari licebit. *Interroget ſe quiſque* (inquit Auguſtinus) *quid amet, & inueniet vnde ſit ciuis: & ſi ſe inuenerit ciuem Babyloniæ, extirpet cupiditatem, plantet charitatem: Si autem ſe inuenerit ciuem Hierusalem, toleret captiuitatem, ſperet libertatem.* Amor per omnem ætatem velox excurrit, & imperio ſuo cuncta adminiſtrat. Iuuenes ad libidines præcipites rapit, ſenes gloriæ appetitione, & ambitus cura ſuſpenſos tenet. Temerarius Iuuenis ex amore: eodem quoque vim ſuam exerente tardigradus eſt ſenex: amor quippe illum cohibet, iam enim incipit ſibi vitam habere chariorem: & æſtimatio nominis in oculis illis vetuſtate infuſcatis magis ſplendet & emicat: quum enim cetera obſcura ſunt illi, gloriam tamen coloribus depingit mirifice, & luce illuſtrat ſua: honor pulchertime ſemper in oculis ſenum effloreſcit, concidente corpore ad auctoritatem vnice contendunt ſenes, quam Cicero apicem ſenectutis vocat. Anni etiam partes & zodaici interſtitia omnia occupat. Nam quando terrā vernantes herbæ, arborum frondes, & ſegetes iucundiſſimæ, floreſque, depicta veluti ſtragula ornarunt, tunc ad auram, ad proſpectum, ad dulcem fauonium excipiendum, ad ſuauiſſimos euaporatos odores captandos homines exuſcitat amor. Cum vero omnia gelu & denſa niue horrere & ſqualere inceperint, eoſdem in domuum receſſus idem amor ex amictu

Olaus lib. 2

D. Auguſt. in Pſal. 64

Amor in anni ætate dominatur.

Amor in temporibus anni.

Cicero de ſenect.

amictu & ornatu ad oculos sensusque oblectandos idoneos cogit, genio indulget, & vnumquemque dierum facit genialem. Quum autem circa corporis cultum cura impensa ipsa perpetuitate & diuturna consuetudine iucunditates illas corporeas molestas reddit, & quodammodo graues: quando voluptates demum omnes nimia assuetudine à corpore defluxerint, adhuc amor non excidet pectori, sed animam repetens literarum studio illam inflammabit ac recreabit: in Bibliothecam quippe aliquam omnis generis librorum instructam, defatigatam alijs studijs inducet: vbi iucundissimarum rerum cognitione, vtpote partium mundi scitissima descriptione, præclarè gestorum narratione, accurata obscuri ænigmatis aut placiti Philosophici seu Theologici lucidatione, quantumvis fessam mirificè afficiet voluptate.

Amor occupat omnes vitæ status

Omnes denique vitæ status obtinet amor: curas rei familiaris inter coniugatos leuat amor sobolis: solitudinem in Clericis iucundam præstat castitatis & virtutis amor: miles amore cõcupitæ victoriæ inflammatus cuspides vibratas, aut contortos è tormentis maioribus globos non extimescit: Mercator ne obiectu quidem insani maris cum spuma ad littus allisi exanimatus subsistit: amore quippe lucri ad nauigationem incitatur. Rusticus (cuius neque tugurio amor prorsus abstinet) cum ad labores suos cogitationem conuertit, amore iubente, & in prouentum intendente, animum non despondet.

Amor triplex.

Sed vt hæc distinctius adhuc pertractentur à nobis, vniuersalis amoris notio in suas particulares species prius partienda videtur. Triplex itaque amor dicitur, naturalis, animalis seu sensitiuus, & rationalis. Naturalis quidem non est elicitus actus alicuius facultatis animæ aut corporis, sed propensio solum in id, quod naturæ maxime est consentaneum: quo amore omnia erga conseruationem sui ac perfectionem affici ex certis quibusdam indicijs deprehendimus. Sic pluuia decidens in orbes guttatim se colligit, vti melius contrario resistat: impetu quodam flumina mare, in quo perennitatem consequantur, repetunt: sublatus in altum lapis Centrum requirit. Amor animalis seu sensitiuus actus est expressus ipsius appetitus, & ex cognitione aliqua nimirum imaginationis profectus. Qui quidem sicut animatis solummodo competit; ita homini cum bruto pariter est communis: ferturque in illud, quod sensibus iucundum apprehenditur.

Amor rationalis duplex.

Amor rationalis operatio quoque est voluntatis, seu partis superioris animæ, quæ ad regulam rationis suos conatus efformat: atque ex duplici quidem cognitione emanat iste amor. Prima illa est, quam in vnoquoque naturalis parit intelligentia: vti quando ex communibus

notio-

notionibus menti illatis disquisitione propria, aut aliorum instructionibus vsi ipsius Dei & rerum humanarum cognitionem adsequimur: cuius vi etiam amore eadem cognita complectimur. Altera verò illa est, quæ cælitus animis infusa, & fides appellatur: cuius adminiculo non quomodocunq; diuinum numen sociosq; homines intelligimus amandos, sed ex charitatis feruore: quæ quidem notitia rebus à Deo reuelatis innititur, vtpote qua percipimus ad eundem finem supernaturalẽ nimirũ Deum ipsum omnes homines perꝗ; esse institutos, eundemque sortitos Christum communis salutis authorem, infirmitatis reparatorem, atque militiæ ducem. Amor porro ille sensitiui appetitus quandoq; rationalis dici poterit: cum videlicet in illud obiectũ tendit, quod ratione constituitur ac decernitur. Nam circa res sublimes & spirituales amor sensitiuus nonnunquam versatur: in quarum appetitione (vt Propheta loquitur) non cor solum, sed & caro exultat atq; lætatur. Quem maxime dicuntur illi experiri, qui in ipso ingressu ad vitam sanctiorẽ lacte & melle à Deo Opt. Max excipiuntur. Quando enim contingit vti res cæteroquin naturis suis ab omni concretione seiunctæ, ac si sensibus essent perceptæ nobis exhibentur, & veluti aliena forma sensui familiari obijciuntur, appetitum sensu præditum rapiunt ad se: quem non aliter atque ipsam voluntatem concitare solent. Vt autem ex ratione obiectorum species omnes istius amoris in vniuersum colligamus: sciendũ D. Antonium septem recensere. Prima illa est, qua erga vitam ipsam afficimur, quam non nisi ægre admodum amitti & perire omnes volumus: Secunda ad sensuum tendit voluptates ex eis rebus hauriendas, quæ ipsis arrident: Tertia parentes respicit, & sanguine coniunctos: Quarta propendit in coniugem & thori socium: Quinta patriam complectitur. *Vicit amor patriæ laudumque immensa cupido.* Sexta amicos diligit. Septima & vltima res externas intuetur, vitæ emolumenta atque diuitias. In quibus omnibus, nisi adsit ratio moderatrix, facillime erratur. Si tamẽ in illis ratio modum ponat, & ad honestum finem eas referat; sicut culpa vacabunt, ita quoque virtuti inseruient, & honestissimis institutis adferent momentum.

Amor sensitiuus aliquando rationalis.

Psal. 83.

Septẽ species amoris

Septenarius autem iste numerus, ex parte obiectorum desumptus, adhuc pressius considerari & in pauciora reduci posse videtur. Quod vt melius percipiatur, fundamentum amoris prius distinguendum est ab eiusdem obiecto. Vt enim aliquem amore persequamur, necessario cum illo debemus coniungi ex cõmunione & participatione alicuius boni: atque iuxta varias formas istius communionis, varij consurgent amores.

Obiectũ & fundamentũ amoris.

amores. Coniungimur enim consanguineis ipsa naturæ propagatione, cum amicis in aliqua similitudine morum, nempe in conuictu, in vitæ genere: cum vxore, sobolis propagatione; cum Conciue & Commilitone eisdem aut similibus studijs; cum patria, educatione & sustentatione; cum ipso Deo Opt. Max. quàm arctissimè & coniunctissime copulamur: in qua copula cæteri nexus omnes eminenter continentur & coërcentur. Amicus est enim Deus, parens, patria, principium, finis, & omnia. Quæ autem rationes formales in obiectis istius amoris videntur esse: sunt honestum, iucundum, pulchrum, & ipsemet amor. Quantum ad prius, ea demum facies est honesti, vt non secus atque magnes ferrum trahens, hominũ affectus ad se cogat & inuitet. In quam quum quis mente sua intenderit, mirabiles affectus inde excitari solent. Fieri non potest, vt excellens illa virtutis species in alicuius odium, etiam proiectissimi ad omnem turpitudinem, incurrat: virtutis proinde sedem asperis etiam cautibus inclusam nec auersamur, difficultatum spinas, quibus obsepitur, delicatiores digituli non refugiunt. Virtutem autem ipsam, cum eius formam à cæteris rebus mens sua cogitatione secreuerit, & visendam extulerit, nemo est quantumvis flagitiosus, aut immanitate morum efferatus, qui illius desiderio non tenebitur: si vel eiusdem vmbratilem solum quandam notionem animo complexus fuerit. In iucunditates autem quam inclinatæ sint appetitus nostri affectiones, non quenquam esse autumo, qui nesciat aut non percipiat. Voluptatis enim illecebra incitante, omnia ferme ab homine peraguntur: neque tam durum est pectus, quod hæc non emolliat, aut ita præceptis sapientiæ munitum, quod hac interdũ concussum, grauius nutare, vacillare, & in casum ruere non incipiat. Ingens sanè & mirabilis vis est voluptatis. Si lana vel bombycinum ad ferrũ aut chalybem allidatur, scintilla inde non excutietur; requiritur enim attritio corporum ipsa duritie firmatorum ad scintillæ eiectionem. Voluptate autem quid mollius aut tenerius? Hæc tamen cum ad pectus etiam Philosophi alicuius appulerit, illud ita feriet, vti ex ipsa collisione non scintilla aliqua, sed ingens flamma amoris, furoris quoque fumo admista, erumpat sępissime. Pulchri alicuius aptè concinneq; effigiatam formã intuetur oculus, quæ obiecta sensibus, interius deinde ad cor ipsum peruadens & animæ sedem, amorem vehementem excitat. Neque satis demirari possumus ea, quæ lineamenta hæc corporũ scitè deducta, colorisque adhibita tinctura, in orbe terrarum perpetrarunt, qualem quantumque animorum æstum corporumque motum inter homines effecerunt.

Cum Deo omni modo copulamur

Obiecta amoris quæ.

Amor virtutis.

Amor iucundi.

effecerũt. Pulchrum quid? Extima superficies corporis idonea figura explicata: quid exilius? Rubri albique efflorescens temperatura, quid inconstantius? Tenuitas tamẽ hæc formæ & ei adiuncta inconstantia, mortaliũ animos curarum labyrinthis & meandris implicarunt, sapientiam mentibus expulerunt, horrenda bella conflarunt, cædes ediderunt, ciuitates deuastarunt, & summa imperia ad extremam seruitutem abiecerunt. Quod verò ita in pulchrum animus intento cursu auidissimè tendat, Platonici eam rationem, quam duci arbitrantur à sympathia, assignant. Volunt enim animã harmoniam quandã esse ex certo ordine & serie rerum optime inter se cohęrentium coalitam: quam, quum ad pulchrum aliquod cogitationis suæ motu accesserit, quod hoc pulchrum apta quadam proportione & partium situ quoque perficiatur: ex ipsa cognationis similitudine dicunt amore capi & deliniri. Alij existimant ipsam pulchritudinẽ corporeã, vmbrã quandam esse virtutis interius in mente latitantis, eiusq; veluti purpurã: in quam proinde quum animus suopte ingenio propendeat, eius gratia pulchritudinem externam, quæ alterius est indicium, amore similiter prosequitur. Vltimo loco posuimus inter amoris causas, ipsum amorem. Vnicuique autem perspicuum est, quantam vim habeat iste in aliquo ad amorem conciliandum. Nihil enim maius ab amico expectare possumus, quam vt nos redamet. Et ab hoc ipso amore præstita beneficia quæcumque vim omnem suam & valorem mutuantur. Si magni quidpiam dederis, interim amor frigeat in pectore tuo, quod manu porrigitur exiguum erit aut nihil. Cæterum verò qualitate doni exile beneficium, amoris accessu, quo redditur, ita augmentum capit: vt in ingentem quandam summam & pretium, quantumvis de se modicum sit, excrescat. Denique hæc vna ratio est ad amorem, qua præcipitur: *si vis amari, ama*.

Amor pulchri.

Amoris amor.

Ex istis quænam sit amoris natura facile iam constare poterit. Est enim appetitus aut voluntatis expressus actus circa illud, quod aut nobisipsis aut alteri bonum est & conueniens. Si enim aliquid diligimus sui gratia, vtpote amicum, amor existet amicitiæ: sin verò nobisipsis bonum optamus ex alio, euadet amor concupiscentiæ. Quando autem alteri bonum desideramus amicitiæ amore, quod ab eius persona distinguitur, forma obiecti incitans affectum ad amorẽ, non est bonũ ipsum, sed persona amici. Similiter quando ex eiusdem boni cogitatione lætitiam animo capimus, in personam semper amici amoris ratio & incitatrix prima vis recurret. Nostri autem causa desiderata omnia causam habent expetitionis, nos ipsos. Quare sunt,

Amor amicitiæ & concupiscentiæ.

D.Thom. 1. 2. q. 2. ar. 4. Molin. 1. part. q. 63. ar. 3. mẽb. 2 disp. vnic. Ocham. in 2. di. 1. q. 3. art. 2.

qui in eodem actu amoris subtili quadam partitione tum amicitiam, tum etiam concupiscentiam distinguunt: ita vt respectu boni, sit concupiscentia; respectu autem personæ, siue nostræ siue alienæ, amicitia. Sed in istis spinetis diutius morari non lubet. Ad intelligendam verò amoris istius proprietatem, iuuat quod docet Aristoteles, diligentius expendere: cum dicat actum amoris circuli cuiusdam formam imitari. Circulus enim in illud punctum vti finem desinit, quod eius principium quis animo fuisse cogitabit. Qua ratione superius ostendimus, operationem intellectus à ratione principiorum ad scibilia progressam, & ab eisdem ad principia reuersam, circularē esse.

Amor operatur ad formam circuli.

Eodem plane modo idem in voluntatis quoque motu videre est. Id enim quod primo incitat ad amorem, & huic initiũ prębet, bonitas est rei in cogitationē nostrā incidentis. Hæc enim pellicit & attrahit sui obiectu voluntatē ad amorē, & insinuat se latentius in animi sensus. Postquā verò excitus sit appetitus, cũ amor laxato sinu effundat se ad illud, cuius desiderio distinetur: vltimũ finem in ipso constituit, quod tamen aliquando agitationis principiũ fuit. Et sic relabitur idem in seipsũ: terminus & exordiũ coalescunt. Contingit idcirco voluntatis operationē quodāmodo esse sphæricam, & amorē in orbem effigiari.

Vtrũ amor sẽper prior alia quauis perturbatione.

Sed quod superius diximus, amorem nimirum inter cæteras perturbationes primam sedem occupare, & omnibus imperitare: duo sunt in disputationem quæ cadunt, ac indigent exactiori, & magis polita, subtiliorique inquisitione. Primum est, vtrum operationes omnes tam concupiscibilis, quam irascibilis appetitus requirant vti antecedentem causam, actum amoris, necne? Alterum quamnam rationem causæ vendicat sibi amor, quando motus alios sibi subiectos suo imperio excitat aut compescit? Circa prius D. Thomas eam secum inijsse visus est sententiam, qua existimauit perturbationes quascumque ex amore oriri, neque aliquid ab homine vnquam suscipi actione eius, siue ad rationem conatum suum efformet, siue à ratione eum distorqueat, quod amore præcedente non existat. Nullus enim ex eis, quibus potitus est, voluptatem & lætitiam capit, nisi eorundem flagret amore: sed neque timebit discrimen amissionis, nisi pariter eorum amore ferueat: bilis nulla excitabitur ad abigenda ea, quę impedimento nobis sunt, nisi concupiti boni alicuius amor pectus inflammet. Denique omnia vrgente & exstimulante amore perfici videntur: hoc autem D. Thomas tribus rationibus adhuc confirmat. Si, inquit, concupiscibilis appetitus vniuersas motiones animo lustrauerimus, perspiciemus eas omnes circa bonum aut malum occupari. *Naturaliter*

D.Thõ. 1. 2. q. 25. ar. 2. & 27.

D.Thom. 1. 2. q. 25. ar. 2. & q. 27. ar. 4.

autem

autem prius est bonum malo, eo quòd malum est priuatio boni, vnde & omnes passiones, quarum obiectum est bonũ, naturaliter sunt priores passionibus, quarum obiectũ est malum, vnaquæque scilicet sua passione opposita. Vnde conficitur, amorem impetu suo prius ferri in bonum, quàm quod odio quis habeat contrarium, aut ex illo tristetur. Porrò nihil obtinet orationem finis, præter illud quod est bonum: finis autem primò expetitur, deinde assumuntur media in finis adeptionem. Ex quo liquet amore diligi debere prius hunc finem, & mox consequenter ad alia fieri progressum. Neque solum cæteris motibus partis irascibilis amor semper prior erit, quod adductæ rationes suaserunt: verum etiam affectionibus ipsius concupiscibilis facultatis idem amor ducatum præbet: quod & hoc tertio argumento adstruit D. Thomas. Quæ ad finis consequutionem (inquit) aliquid conantur, ea tria exigunt vtpote necessaria. Primum, vti appetens rectè apteque comparatus sit ad id, quod expetitur, ex proportione quadam virtutis eius ad finem. Deinde requiritur motus appetitus in hunc finem. Tertium est quies appetitus in bono iam parto & acquisito: quo quidem naturæ cursus sistitur & finitur. Hæc autem ita accommodat D. Thomas ad suum institutum, vti ex enumeratis priori respondeat amor, seu simplex complacentia boni, secundo desiderium, tertio gaudium & delectatio. Semper itaq; amor quemlibet alium motum appetitus anteuertit. Assertum hoc à D. Thoma tuentur eius interpretes, & illius rationibus applaudunt: cum cæteris Caietanus & Medina. Hoc autem si accuratiori disputatione agitaretur, non vsque adeò verum fortassis appareret: breuissime vero & succinctè illud paucis ventilabo. Assumo itaque tanquam legitime mihi concedendum: distinctione nimirum reali perturbationum reliquarum actus discretos esse ab actu amoris, & ab illo habere separatas diuersasque rationes obiectorum: denique à varia multiplicique mentis notitia profluere. Hæc enim si quis mihi negauerit, non video quomodo is numerum aliquem affectionum rectè constituat, aut quoad speciem inter appetitus motus discrepantiam. At si mihi vltro ea dederint, qui partes D. Thomę sequuntur, quantum ego coniector, pariter victoriã concedẽt. His itaq; defixis & statutis, dico contingere sæpius vti imaginationi primò occurrat aspectus alicuius formidolosi solum, interim rationes, quæ ad amorem inducunt, delitescant, nec compareant. Quęro iam vtrũ cum ita percussa imaginatio fuerit obiectu alicuius tristioris spectaculi, num appetitus timere & horrere possit necne? si affirment, fatebuntur sine amoris adminiculo excitari perturbationem timoris, nec quicquam hanc commer-

Caiet. & Med sup.

 cij habe-

cij habere cum amore. Si negent, in absurdum impingent, asserentes nimirum appetitum suo obiecto proposito nullo pacto moueri. Et præposterè dictum mihi videbitur, quòd appetitus timere non possit, aut odio habere, etiam quum rationes illi obiectæ fuerint, quæ ad timorem aut odium ducunt, nisi prius solicita cura exquirat causam aliquam amoris. Euocatur enim & excitatur appetitus ad illud solum, quod illi tunc obijcitur: si amabile proponatur, existet amor; si obtentum aliquid, delectatio; si malum in vniuersum, odium, dolor, timor, aut tristitia. Verum ne quis suspectam ideo habeat istius litis terminationem, quòd præiudicio communissimę sententiæ prematur, quæ etiam pro affato habetur: & qua dicitur, amorem inter cæteras perturbationes esse protopassionē quamdam: axiomatis sententiam ita explico. Protopassio est amor ratione dignitatis, energiæ, & vigoris sui: protopassio etiam est exinde, quòd illi motus omnes subijciuntur. Qui enim aliquid amat, oppositū necessario is auersatur: eodemque se parat ad assequutionem concupiti, & armat ad expulsionem contrarij. Non tamen semper actus amoris in ipso momento consurgit, in quo excitantur cæterę perturbationes: (vti dilucide argumenta superius probarunt) quærimus enim iam de amore non quomodocunq; elapso, sed de illo, qui actionem physicam habeat in cæteras affectiones appetitus. Atque ex istis non obscuræ erunt solutiones argumentorū, quæ ex aduerso constituimus. Quorum primum id solum efficit, vti naturę ordine prior sit amor, nec reluctamus quidem: & fortassis si ab infantia & ipso ortu hominis omnes actus appetitus repetere velimus, primus euaderet amor: nec de quopiam esset timor, dolor, aut odium, nisi prius eiusdem amor in illo viguerit. Pro certo tamen & explorato quis hoc enunciare poterit? Negamus autem existente odio aut dolore simul actum amoris semper insurgere, qui eorum sit causa. Altera ratio iniquam inuoluit comparationem: nam odium, timor, aut tristitia non sunt veluti electiones, sed potius displicentiæ ob aliquid mali & fugæ ab eodem, & huiusmodi fine includuntur. Tertia non satis vero fundamēto inniti videtur. Nam appetitus amore suo proportionem non acquirit cum bono delectabili, sed hanc potius natura sua sibi vendicat, si bonum illud limitibus naturæ sit inclusum, nec vires eius excedat: nam si priusquam appetitus aliquid amet, aut odio habeat, proportione & aptitudine hac destituatur, operari nunquam poterit. Ex parte enim causæ, & actus primi proportio talis est necessaria. Sin autem hanc habuerit natura sua inuolutā comparatione facta ad amorem, eodem planè modo sicut appetitus suapte

Quomodo amor primus inter affectus.

natura ſine actu ſecundo aptus eſt ad amorem: ita quoque abſque eodem amore idoneus erit ad quamlibet aliam perturbationem eliciendam.

Contingit autem (vti diximus) amorem alijs motibus præire: idcirco ſecundo in loco indagandum ſuſcepimus, vtrum amor iſte cauſa dici poterit affectionis inde excitatę. Medina opinionem illam tutatur, qua dicitur, amorem eſſe cauſam efficientem cuiuſlibet alterius perturbationis: quemadmodum exiſtimat idem cognitionem alicuius principij effectricem eſſe cauſam notitiæ concluſionis inde deductæ: Sed apertè veræ philoſophiæ (vti mihi videtur) repugnat Medina. Nam ſicuti demonſtrauimus, non exiſtente amore flagrat aliqua alia perturbationum: quod non accideret, ſi amoris actus efficiens eſſet iræ, aut timoris, aut cuiuſlibet alterius motus diſtincti ab amore ipſo. Appetitus etiam ſicut comparatus eſt ad amorem, ita quoque ad alias perturbationes. Verum ex ſola per intellectum aut imaginationem rei amabilis facta notitia, rapitur ad amorem: eodem proinde modo quum alterius ſenſibilis notio animo ſe ingeſſerit, ex vi facultatis appetendi, actus aliquis eius circa illud emanabit. Nihil enim ad operationis efficientiam in ſenſu præditis requiri videtur, præter ipſam potentiam, & obiectum aptatum ad vim naturæ, atque eiuſdem aliquam apprehenſionem. Quòd ſi amor cauſa efficiens eſſet, (vti exempli loco dicamus iræ) tunc cum poteſtate iraſcibili amor ille vnam conſtituere deberet integram vim efficiendi. Hoc autem verũ non conſtabit. Nam ſicut amor alia res eſt ab iraſcibili illa virtute, ita aliam quoque vim habet ad agendum: & quum non ſit forma aliqua ad modum habitus inhærens iraſcibili, illámve ſuo acceſſu formali determinans ad certam aliquam rationem actionis, nunquam vnam completam cauſam conſtituet cum illa facultate. Formæ enim ſubiecto & re diſtinctæ ac ſeparatæ, neutiquam in vnam actionem poterint conſpirare, ex eadem ratione efficientiæ. Idem iudicium ſit de actu cognitionis principiorum & actu ſcientiæ circa concluſionem. Subijciuntur quidem perturbationes reliquæ amori, & ad eius mandatum exeunt, aut ſe continent: ſed tamen abſque vlla ab eo efficientia. Quemadmodũ enim operante imaginatione, intellectus agens hanc aut illam extundit ſpeciem intelligibilem, hanc mox aut alteram rem intellectus poſſibilis cognitione ſua complectitur: ita iniecta etiam menti cuiuſpiam notione, voluntas incitatur ad amandum, aut odio habendum, & exinde ad aliam perturbationem: nemo tamen affirmabit cauſam eſſe efficientem ſpeciei intelligibilis imaginationem, vel

Quando amor cauſa reliquarũ perturbationum.

Medin. 1. 2. q. 26. ar. 2.

Amor non eſt efficiens cauſa omnis perturbationis.

vel ipsius actus intelligendi, aut ipsam intellectionem causam esse efficientem appetitionis vel fugæ in voluntate.

Vtrum cognitio sit causa actus volūtarij.

Caiet. 1. par q. 80. ar. 2. Greg. q. vnic. concl. 1. 2. & 3. Ocham. quo. 2. q. 18. Med. 1. 2. q. 9. ar. 1

Hic autem ex vno alterum emergit dubium: in quo ancipiti sententia inquiri solet à Philosophis: vtrum notitia siue intellectus siue imaginationis sit causa appetitionis cuiuslibet, vel an potius obtineat solum extrinsecam rationem conditionis requisitæ. Caietanus, Gregorius, Ocham, quos sequitur Medina, existimarunt ipsam cognitionē causam esse efficientem amoris, aut alterius motus appetitus: neque efficientiam hanc appetitum tantum retinere. Nam (vti ipsi dicunt) notitia excitat appetitum, & illius generalem vim destinat & defert ad peculiare quoddam obiectum; quod quidem non faceret, nisi effectrix causa existeret ipsius actus ab appetitu dimanantis. Et antequam re ipsa & concretè quod in votis est constiterit, illud ipsum mouet & impellit voluntatem. Hoc autem pręstare censebitur per quoddam sui dictum intentionale: exinde nimirum, quod animæ formata notione expressum in mente eluceat: Idcirco intellectio efficiens euadet intentionis in voluntate, aut cuiuslibet alterius motus in appetitu.

Henricus quol. 45. Scot. in. 2. Dis. 25. q. vnic. Capreol. q. 1. ar. 3. Ferrar. 1. Gont. cent. cap. 44.

Veriores tamen hac in re mihi videntur aduersę sententię doctores alij, Henricus, Scotus, Capreolus, Ferrariensis, & inter neotericos Valentia, qui cognitioni aut apprehensioni deferunt solum rationem conditionis extrinsicę, respectu operationis à voluntate aut appetitu profectę. Ita vt sit veluti quædam approximatio tantū, qua obiectum proponitur facultati appetendi. Nam actus aliquis non poterit esse alterius actus causa efficiens. Qui si aliquid efficiat, habitus illud erit potius à tali actu producendus, non alius actus. Vt etiam superius dictū est, appetitus & voluntas cum mentis cognitione coalescere non possunt in vnam aliquam virtutem principij, cum subiectis ipsis secernantur. Et quidem prioris sententiæ leuitas fusiorem refutationem non desiderat. Rationes autem quibus innititur, ostendunt solum necessariam esse aliquā notitiam, ad excitandum affectum: quod nullus inficiatur. Ipsum vero obiectum nondum existens, haud mouet secundum esse, quod appellant intentionale: quasi cognitione ipsa, veluti forma tale dicatur: hoc enim pacto notitia non causa esset efficiens tantum motus in voluntate existentis, sed finalis potius: ipsaque notio obiecti animo impressa ratio formalis euaderet rei appetibilis: quod nullo modo est opinandum. Mouet itaque obiectum secundum esse intentionale, quatenus possibile delectabile, siue honestum & nondum existens. Quod autem ita auulsum est à concretione, rationem quandam rei & entis interim obtinere poterit: vti perspicuum est

Esse intentionale finis quid sit

in gradibus metaphyſicis atque in poſſibilibus aut futuris diuina intelligentia ab æterno conſpectis.

Quod vero multum ſecum afferat emolumenti inclinatio amoris ad vitam humanam recte etiam & ex virtutis norma traducendum, ea propter diligentius de iſtius perturbationis natura, vi, & efficacia pertractandum. Non autem in vniuerſum ſui amor vti vitioſus eſt reputandus. Hunc enim pectoribus noſtris ipſa effectione diuina infuſum habemus, quem excutere nullo modo licebit. In hoc autem ſtudium noſtrum & intentio vigere debent: vti bene dirigatur amor iſte ſui: non in ea quidem, quæ ex ſpecie vmbratili in oculis vulgi effloreſcere videntur, ad quæ etiam deprauatus ſenſus perturbate & immoderate anhelat: quin potius curandum vti illarum rerum ſit amor noſter, quæ ſolida ſunt, vera, & gennuia bona, non petulantia carnis conſtituta, ſed recto iudicio decreta & diiudicata. Sui enim amor rationi infeſtus, malorum omnium auctrix & parens. Lites, bella, cædes, amore inſtigante exiſtũt. Amoris aucupio fędę voluptates & lenocinia ſenſuum exquiruntur, eo denique deuenit interdum ſui amor, vti in ipſius Dei contemptum prorumpat, & illius Thronum quaſi immani ſcelere inuadat. Verum ſi rationis pręcepto amorem ſui quis bene ad formam honeſti compoſuerit, fontem is ſibi conſtituet, ex quo virtutum omnium riuuli perenni quodam fluxu in animæ hortũ influentes emanant. Qui enim recte ſe ipſum amauerit, is imprimis virtutes ſibi comparabit, ſolertia & cura diuinæ gratiæ ſubſidium adſciſcet, & ſupremi illius numinis honores ſibi ob oculos ſtatuens, eos ſuis conatibus metam præfiget. Vt autem diſtincte diſputatio noſtra inſtituatur in lucta hac deſcribenda inter animam & amorem noxium & incontinentem: in memoriam reuocanda eſt partitio illa facientium ad voluptatem, tradita à D. Ioanne Euangeliſta, qua ea quæ confuſa ſunt, & propemodum infinita, certa ratione & diſtributione ſub vno quaſi aſpectu conſtituuntur: *Quicquid eſt in mundo* (inquit) *aut eſt concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ*, his enim limitibus & cancellis circumſcriptæ ſunt vires amoris: ſi à virtute excuſſo rationis imperio, rabido aliquo impetu deflexerint. Iam autem iſtius appetitionis pręcipuam partem aggredimur.

Amor ſui quandoque bonus.

Sui amor cauſa omnis mali.

Auguſt. 1. de ciuit. c. 21

Partitio delectabilium.

1 Ioan. 2.

De magnitudine amoris coniugalis.

CAPVT III.



LLIVS morbi curationem haud vnquam futuram eius arte existimarem, quem mali ipsius natura, principium & progressus effugiunt penitus. Neque muneri suo is satisfaciet medicus, qui patentes tantum & ad aspectum expositos effectus, vti vultus colorem, corporisve habitudinem explorate tenet: interim abditas & latentes causas, in quibus vis morbi delitescit, ignoret. Quin potius si fieri poterit, ad medelam procurandam, intima quęque corporis euoluenda excutiendaque. Qui per immensos illos vastissimi maris tractus prędonibus & piratis infestos, eminentibus vndique scopulis cinctos, aut subsidentibus vadis fallaces, nauigationem instituunt: nisi illorum animos certa locorum flexuumq; notitia imbuerit, procul dubio directo cursu procedent ad naufragium. Quoniam vero ita contigit, vti nihil sic ad animæ perniciem per hominum sensus grassetur atque amor concubitus, appetitusque libidinis: idcirco istius vesanę perturbationis, qua nulla ferocior, nulla concitacior, nulla periculosior, veluti grauissimi morbi rationem opprimentis, ortus & origo diligentius sunt inuestiganda. Sic enim fiet, vt errori rerũ scientiam opponentes, infirmitatique robur adferentes, morbi curationem aliquã præstemus: mali deniq; causas medullis penitius infixas amputemus. Ita est ab ipsa natura comparatum, vti vnusquisque hominum vitæ suæ ratione veluti nauigationem quandam suscipiat, mercesque inde expectet vrberrimas, honorem, voluptatem, aut virtutem. Qui ingenio vigent, & efferuescentem appetitum, vel ætatis diuturnitate vel artium disciplinis, rationi subiecerunt: honoris finem sibi proponunt, famam appetunt & auram popularem. Et hi flatu interdum ambitionis, cuius desiderio tenebantur, ad scopulos allisi pereunt. Quorum autem artus iuuenilis feruor vegetarit ac inflammarit, humorque calore temperatus meatus corporis laxarit, ad voluptatem contenduntij, ad amores sępius meretricios & impuros. Atque æstu quodam perturbationis iactati, Sirtes requirunt & Sirenarum cantus. Ad virtutem vero progressio difficilior est & asperior. Negotium hoc præclarum pauci suscipiunt studio, pauciores vero absoluunt actione. Ceterum ad voluptates quotus quisque est qui non conuolet acerrime, viciorum metropolin, & escam appetitionis humanæ? cuius quidem

Tria alliciunt hominũ appetitus, honor voluptas, virtus.

quidem præcipua pars posita est in amore quodã calido & libidinoso, seu potius in mentis deliquio ac furore. In quam sane haud aliter ruunt homines plerique, atque vespertiliones & miseræ auiculæ illæ, quæ nocturnis circumfusæ tenebris, in accensas faces, cum nimius splendor illorum oculos perstrinxerit, sese ingerunt: temerario & precipiti volatu in eas ipsas flammas conijciunt, à quibus postea absumuntur. Cupidines vt ardentes tædæ tunc corpori subduntur, quando error mentis obscuritate sua animi sensus optinuerit. Has etiam (quod vitã propriam neglectam habeant quidam) suis ipsorum pectoribus ipsi sponte inferre volunt, & funesto cum animi tum etiam corporis incendio consulto & data opera deflagrare concupiscunt. In istis autem discutiendis curiosius non hærebit stilus, ea est enim mortalium propensio, ita latent in nobis incentiua libidinis: vti solo ostentu earum, vel depictæ aut adumbratæ voluptatis aspectu accendamur nonnunquam ad turpissimas appetitiones. Ob quam causam prudenter obseruatum est, istius mali victoriam in discessu mentis & fuga esse positam: ita vt careat animus omnino (si fieri possit) istius illecebræ vel tenui aliqua cogitatione. Parcius idcirco de his agemus, congrue pro persona, quam sustinemus, satis tamen fuse pro argumenti ratione, quam tractamus.

Si vtriusque sexus primęuam constitutionem animis recolere velimus: videbimus profecto mutui amoris inter virum & mulierem intercedentis, intimas quasdam causas esse & secretissimas ipsi naturæ à Deo commissas. Proinde istius amoris igniculos in ipso sui ortu infusos habet humanum corpus, quos ita abstrusit diuina virtus in profundo eius, vti expelli vel extingui nunquam valeant. Quando enim homini socia vitæ esset assignanda mulier, cum qua ex perpetuo conuictu & officiorum necessitudine consenesceret: desumpta ex latere ipsius Adami costa, efformãdo femineo corpusculo materiam exhibuit: ab arce proinde & meditullio humani corporis origo feminæ petitur & ortus eius, vti inde cum nobilitate insignior, tum ipsa coniunctione amabilior homini redderetur. Quid enim ita vitalia continet, ipsiusq; corporis molem firmat ac sustentat atque costa? Quarum complexu, corpus integrum compaginatur, figura eius efflorescit, robur subsistit, ipsumque cor, quod vitæ est sedes, munitur & continetur. Latus costis vallatum corpori defatigato quietudinem prębet, idem obuersantia mala forti & generoso impetu propulsat. Hinc quod viribus humanis latera ita inseruirent, nullo alio indicio melius recessus sui amoris Christus Dominus, quo humanum genus complectebatur, patefacere

Ex condi- tione crea- tionis ori- tur amor masculi in feminam.

Ioan. 19.

cere voluit, quam sui ipsius lateris apertura, ex qua sanguis & aqua effluxerunt: ad ecclesiã expoliendam atque nobilitandam. Ex hac itaq; arctissima viri cum muliere coniunctione euasit omnino, vti feminam vir non solum vtpote eius obsequentẽ imperio & sociam vitæ respiciat, verum etiam tanquam aliquid sui, ex proprio eius corpore enatam agnoscat, ac ideo summo amore prosequatur. Atq; vti internuncijs oculis, & feminee forme aspectu virile pectus amoris sensum promptius cõciperet, idoneam in hunc finem mulieri speciem indidit Deus, quæ vndique illectamentis illustrata, vim quandam cogendi viri animum obtineret: in quam sententiam hæc D. Basilius: *Ipsam quoque effigiem ac speciem feminei corporis molliorem effinxit Deus: vt & tactu, & aspectu, & motu, teneritudine denique & delicata agitatione membrorum, & inspiciens & inspecta masculo esset voluptatis illecebra, quocunque se verteret, vndique sese illius sensibus ingerens.* Quo quidem femineum corpus, vt eo loci ostendit Basilius, *aduersus masculum ineffabilem accepit vim, per quam ferme dixerim ignorante anima, quæ in ipso est, viri corpus vltro ad concubitum pertrahit.* Non autẽ existimandum est amoris huius initium & semina ipsa, quæ naturæ impressit & inseuit Deus, statim in turpem ferri voluptatem. Licet enim huius incentiuum amori annexum plerumque se solo cogat homines in dementiam concedere, nihilominus sunt alia puriora ac honestiora, vtpote ab opinione similitudinis, bonitatis etiam, ex conuictus dulcedine deducta, quorum ostentu excitatur amor ille, qui à natura est institutus, quique homini moderate insedisset Adamo non delinquente. Illa autem bruta ac calida libidinum consectatio rationis quoque inest expertibus, neque hominis proprius motus existit: cuius etiam naturam si spectemus, in quouis animali ex calidi humidique temperamento constante, videbimus eam esse vehementissimam ac suo æstu feruentem.

D. Basilius lib. de ver. virg.

Amor coniugalis, nõ omnis turpis.

Arist. 2. eth. cap. 3.

Ouid lib. 4. Fastorum.

Senec. Hypol.

Sacer est ignis credite læsis
Nimiumque potens, qua terra mari
Cingitur, alto quaque æthereo
Candida mundo sidera currunt.
Hæc regna tenent pueri immitis
Spicula: cuius sentit in imis
Cærulus vndis grex nereidum
Flammasque nequit eleuare mari.
Ignes sentit genus aligerum.
Venere instincti, quã magna gerunt
Grege pro toto bella iuuenci,
Si coniugio timuere suo?
Poscunt timidi prælia cerui,
Et mugitus dant concepti
Signa furoris, tunc virgatas
India tigres decolor horret:
Tunc vulnificos acuit dentes
Aper, & toto est spumeus ore.
Pœni quatiunt colla leones
Cum mouet amor, tunc silua gemit
Murmure sæuo, amat insani
Bellua ponti, luceque boues:

Vendicat

Vendicat omnes natura sibi,
Nihil immune est: odiumque perit
Cum iussit amor, veteres cedunt
Ignibus iræ. Quid plura canam?
Euincit sæuas cura nouercas.

Iam vero ad causas vicinas magis venio istius amoris: & vt omittamus ea, quæ obiecti conditiones conficiunt, vtpote formæ elegantiam, virtutis pulchritudinem, morumque suauitatem. Primum locum in eo, qui istac perturbatione corripitur, vis obtinet illa & contentio imaginationis. Sunt enim aliqui ita à proprijs ingenijs comparati, vti perfectius & multo actius quã alij faciunt, apprehendunt siue ad voluptatem siue ad dolorem conducentia: ita vt alio tranferre animi cogitationem vix possint, aut mente recedere ab illo, quod semel maxime appetendum iudicarint. Quorum autem imaginatio in actum tanto cum conatu non exilit, neque tam firmiter inhęret conceptis, illi nec eque huiusmodi motu afficiuntur. Obsequitur autem imaginationi appetitus sensitiuus: cuius affectiones ad illum gradum insurgunt, in quem phantasia operatione sua prius deuenit: si hæc tenuis fuerit, segnis pariter & ferme iacens erit appetitio: sin vero acris & concitata motio vim imaginatricem ad quidpiam detulerit, eodem ferme passu & incessu turbulentia quadam admodum & intenta molitione appetitus incitabitur. Hoc autem non ex vnico solum actu aut coniectu imaginationis primo in rem desideratam proficiscitur, sed ex frequenti vel maxime directione & actione eiusdẽ multiplici. Accessu enim actuum, quasi ponderum iniectu quodam phantasia penitus deprimitur tandem: & habitudine quadam lubens propendit in illud, cuius notionem sæpius excepit. Atque hinc etiam patet ratio, ob quam vires paulatim acquirat amor iste, fortiorque indies, atque malum euadat demum ineluctabile. Nam mens, ratio, & intellectus, tametsi dignitate cęteris naturæ pręstent facultatibus, fallacem tamen sæpissime non dedignantur sequi phantasiam: siquidẽ in illud incumbunt acrius, quod imaginatio coloribus suis illustratum magis aut sensui iucundius exponit. Neq; tarda vel torpedine obmersa in illius rei expetitione voluntas apparebit, quam iudicium & concilium semel approbarunt. In quos idcirco furor iste inuasit, ita inuicem in orbem succedentibus cogitationibus perpetuo quodam cursu agitantur, vti nullius alterius rei speciem notionémve in animum admittere illis integrum sit, præterquam eius solius, cuius amore flagrare ceperunt. Quicquid egerint, forma illa adamata oculis obuersabitur. Concilijs hæc intererit grauioribus, & cum somnus oculos oppresserit, corporisque membra defatigatio strauerit: adhuc imaginatio viua, agilis, exci-

Imaginatio causa amoris.

excitata, ideas formasque depinget, excudet: nec patietur appetitum vel tantillum temporis ab angoribus & diuexationibus respirare.

Virgil. 6. Aeneid.

Haerent infixum pectore vulnus
Verbaque, nec placidam membris dat cura quietem.

Hoc autem non à sola phantasia venit, sed reciproce ab ipso appetitu. Nam cum imaginatio appetitum semel irritarit, vicissim excitus appetitus, & submissa face accensus, non permittit imaginationem esse ociosam, sed ipsam diuturno ac continuo labore pensum reddere summa quadam coget tyrannide. Vnde mutua haec harum operationum consequutio, quae ab his facultatibus promanat, efficit, vti mens perturbatione istac concussa dimissis curis quiete frui nequaquã possit: imo prius aliquando corpus languore sternitur, quam imaginatio & appetitus cessent huic amori inseruire.

Causa amoris hominis ingenium facile & iucundum. D. August. 1. lib. ciu. cap. 20.

Alteram causam dixerim istius affectionis ingenium & naturam cuiuslibet propriam. Vt enim adnotauit D. Augustinus, non aeque omnes visis pulchris capiuntur. Amor etiam ille, qui amicitia, gratitudine, veneratione, & obsequio continetur, non aequaliter in omnes incidit. Agrestes enim, efferati, & barbari Scythae beneuolentias non colunt: & istiusmodi truculenti & saeui homines malis aliorũ minime indolescunt, aut praeclare gestis delectantur, beneficia omnino aspernantur, magistratum egre ferunt, denique immania horum pectora ab omni prorsus amoris sensu abhorrent. Sed neque vllo diuinorũ amore tanguntur. Hinc septentrionales bellum aliquando dijs ipsis indixere. Extremi orientales Sinenses & Iaponij longe absunt à superum cultu. Emolitum sane pectus amor postulat, mansuetum, educatione ciuili excultum, & dulci quodam sanguine irrigatum. Nec mirũ, quandoquidem amor quasi ardens quidam radius in cor humanum delatus, teneritudine quadam illud resoluit: praestatque vti liquefactum quodammodo fluat atque ad illos exeat, quorum affectione detinetur. Eiaculatus autem radius in cautem aut calibem, quid demum efficiet? in ceram vero directus, illam facile eliquabit. Ita cum pulchri alicuius forma ad sensus cuiuspiam barbari hominis appulerit, resiliet statim, neque vllam plane impressionem eius animo inferet: Sin vero impegerit in animum generosum, humanitate plenum, sanguinis claritudine illustrem, & ad omnem beneuolentiae motũ facile ductilem, locum cuspis inueniet, fouebitque talis vulnere suo dolorem. Modo si infamem turpemque illam libidinem cogitatione nostra segregemus ab amoris affectu, in quem natura ipsa inducit: sicut absque dubio res est longe diuersa ab ea: saeuit enim amor castus & sincerus, interim

Olaus lib. 1 Maph lib. 3 Hist. Ind. Herodot. lib. 5.

libidines

libidines, mens & ratio, vtpote hominibus cum brutis communes, auerſentur multum: ſupererit aliquid culpa noxaque vacans: in quod ex peculiari ingenio vnicuique attributo, iſte propendet quam alius concitatius. Nec enim eiuſdem obiectu ſimiliter afficiuntur omnes.

Cur in penates rarius tenues ſubit *Sen. Hypol.*

Hæc delicatas eligens peſtis domos?

Vnde ſi Paridis loco Therſites aut bubulcus aliquis in Helinam incidiſſet, tantam aliquando recuperandæ feminæ cauſa, hominum cladẽ atque ſtragẽ haud eueniſſe probabiliter ſatis quiuis opinabitur. Fortaſſis etiam alij ſpecimen illud non exhibuiſſent caſtitatis & continentiæ in expugnatione Italiæ, Africæ, Hiſpaniæ, Galliæ, aliarumque regionum amœnitate loci, & ad voluptatem rerum vbertate florentium, quam Gothi & Vandeli, quibus ab ingenio eſt veneres aſpernari. *Saluian. lib. 1. de Iudic.*

Quinimo corporis quoque ratio magnam vim huic amori affert. Quo enim organum tactus defęcatius eſt, & ex ſanguinis puritate floridius, exilientibus ſpiritibus viuacius, carnis teneritudine delicatius: eo ſicut maior intenſiorque voluptas delectationis vſu percipitur, ita eiuſmodi corporis conſtitutio appetitionem reddit magis acrem & feruentem: ſiue elapſæ alicuius ſenſationis memoria, ſiue nunquam perceptæ iucunditatis cogitatio, notionem aliquam illecebræ in animum induxerit. Procliuis autem omnimodo eſt imaginatrix facultas in ea, quæ ſenſibus maxime arrident. Corporis autem temperiei, velut igni ſtipula accedit helluatio: ingeſti enim immoderatius cibi, vinumq; intemperantius hauſtum, cum ebullierint, venaſque ſuo ardore & ſpiritu tum accenderint, tum inflauerint, ad libidines pronum hominẽ reddunt: & cæteroquin bene conſtitutum animum ad fęculentas illas deijciunt voluptates. *Non Etnei ignes* (vt ait Hieronymus) *non vulcania tellus, non Veſæus, aut Olimpus tantis ardoribus æſtuant, vt iuueniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ.* Quo luxu corporiſque mollitie cum viri nobiles cæteris antecedant, tum in illos maxime impetum facit inſanus amor. Superba enim Venus Baſilicis Regijſque delectatur, tuguriola, caſas, mappalia facile contemnit. Pedisſequa tamen eſt gulæ & vitæ cum otio traductæ ſocia.

Corporis qualitas amoris cauſa.

D. Hieron. epiſt. 10. ad Fur.

Vis magna mentis blandus, atque animi calor *Senec. Octau.*

Amor eſt, iuuenta gignitur, luxu, otio:

Nutritur inter læta fortunæ bona.

Cui

Cui etiam viam parant diuitiæ & fortuna felicior ; in fauo etenim mellis aculei delitescunt , qui animam pungant.

Senec. Hypol.

Quisquis secundis rebus exultat nimis,
Fluitque luxu semper insolita appetens:
Hunc illa magnæ dira fortunæ comes,
Subit libido.

Ciceron. 4. Tuscul.

Summa vis amoris libidinosi.

Quæ omnia si in vnam sententiam contulerimus , verissimũ illud Ciceronis comperiemus : quo asserit : *Omnibus ex animi perturbationibus profecto nulla vehementior.* Si enim obiectum huius intueamur , nihil ita ad voluptatem facere videbimus : sin vero recessus & nostri pectoris latebras excutere velimus, animaduertemus sane recte constituta corpora & mansuetudine subacta in hanc illecebram maxime esse inclinata. Vnde virtus opposita, vndequaque difficultate obsepta, præclarior illustriorque apparet. Vim hanc animorum excitatam amoribus, tantam esse crediderunt gentilitijs olim imbuti opinionibus, vti Deam quandam existimarint, in cæteros diuos imperium quoque obtinentem: ac si ad vnam Venerem Monarchia orbis, cælestium, terrestriumque moderatio spectarent.

Senec. Hypol.

Hinc volucer omni regnat in terra potens,
Ipsumque flammis torret indomitis Iouem.
Gradiuus istas belliger sensit faces.
Opifex trisulci fulminis sensit Deus.
Et qui furentes semper Etneis iugis
Versat caminos , igne tam paruo calet.
Ipsumque Phœbum , tela qui neruo regit,
Figit sagitta certior missa puer.
Volitatque cælo pariter & terris grauis.

Sophoc. Trach.

In quam sententiam & Sophocles: *Cum amore enim manus qui conserit*
Veluti pugil, nõ sapit, is enim imperat
Et dis vti vult.

Tantam autem animi rationisque procellam à diuorum studijs nos Christiana disciplina ac vera philosophia instituti longe ablegamus. Nam cum turbo nimbusque ater omnia hęc inferiora inuoluerit: cælum tamen tempestatis expers est , & natiua sua claritudine semper corruscum. Fatemur quidem amorem, sed castiorem purioremque, cæleste illud lumen attigisse, ad terras sedesque nostras dimisisse , humanis artubus summam illam maiestatem immiscuisse, hominem fratrem nostrum & ecclesiæ sponsum exhibuisse Deum. Quem amorem suum, & cum nostra substantia arctissimam copulam, amoris coniugalis simi-

Amor qui in Deũ cadit qualis.

lis similitudine illustrari, eoque nomine commendari voluit. *Viri* (inquit Apostolus) *diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea.* Mutuam proinde illam potestatem in alterius carnem, quæ viro cum muliere intercedit, Apostolus sacramentū vocat in Christo & ecclesia. Vere quidem perspexit diuina prouidentia, quantā vim apud homines obtineat affectus coniugalis: quam firmo vinculo mortalium animos constringat: nouitque nihil acrius humana pectora isto amore posse impetere. Propterea vt immensum & excellentem illum sui amoris gradum nobis notum faceret, nosque vicissim tam insigni benefactori ad amoris debitum soluendū promptos redderet & expeditos: amorem quodammodo nostrum vsurpauit, nostrisque flammis ardere voluit: & amori alioquin fędo cælestem quendam colorem & venustatem adferre. Illum denique amorem inuexit, non qui acrimonia sensus corrodat, perturbationis ęstu rationē impediat, sed qui summa potius suauitate animū deliniat, & quodam gustu delitiarum mirifice reficiat recreetque. Ardet quidem, sed vti aromata, quorum gratissimus odor calore funditur. Et quemadmodū feminei corporis ex virili costa efformatio primitus amorem inter hos sexus conciliauit: Ita copula Christi cum natura hac nostra, quæ (vti animaduertit D. Augustinus) plasmatione illa expressa fuit, ad amorem diuinum nos excitat prouocatque. Et quidem non inepte prorsus ad amoris hanc vim describendam, (quod & tradit Athenæus) veteres eo vsi sunt emblemate, quo medium locum Adonidi attribuentes, hinc Herculem illinc Mineruam collocarunt. Herculeum sane pectus secum amor adfert, omnibusque fortitudinis præsidijs communitū. Operosum aut impeditum non videtur, quod amor suscepit perficiendum: sed potius ad optatum exitum facile & decliue. Aduersa intercurrentia haud sentiuntur, aromata aut flores discurrentibus pedibus substerni videntur: ruentes imbres, nectaris & Ambrosiæ guttatim fluentiū dilapsus æstimantur: exerti, emicantesque gladij timorem nullum aut pauorem incutiunt, vbi amor iam pectora obtinuerit: Ita animis corporibusque obfirmantur plane, qui istis calent ardoribus. Quos quidam expertus, aptam rei protulit sententiam.

Ephes. 5.

D. August. tract. 9. in Ioan.

Hercules & Minerua amori inseruiunt

Propert. lib. 1. eleg.

Me mediæ noctes, me sidera plena iacentem,
Frigidaque eò me dolet aura gelu.

Sed non solum difficilia, quæ externa sunt, amor iste superat, verum etiam animi rationem euincit, extinguit, dum mille curis & anxietatibus in diuersas partes & opposita omnino vota eam sæpius distrahit:

Plaut. Alcest.

Iactor, crucior, agitor, stimulor, versor
In amoris rota miser,
Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior,
Ita vt nullam mentem animi habeam.

Vnde ex proprio malo intemperieq; perturbationis doctior factus Plautinianus iste seruus: *Bonum est* (inquit) *pauxillum amare sane, insane non bonum est.* Corpus etiam vesanus affectus plerumque exurit, exhaurit, sanguinem ebibit, omnesque artus absumit deuastatque.

Senec. Hypol.

Labitur totus furor in medullas,
Igne furtiuo populante venas.

Quis fortissimorum imperatorũ hac vi impetitus non concidit? quę regna florentissima non euertit? vnde imbelles Romani post tot trophæa, nisi quod Asianis immersi delitijs, libidinibus inseruierint? Quid aliud immanis & indurati illius Pœni emolliuit pectus, telumque manibus callo obductis excussit, si non Campaniæ veneres? *Vna Hannibalem* (vt inquit Seneca) *Hyberna soluerunt, & indomitum illum niuibus atque alpibus eneruarunt fomenta Campaniæ. Armis vicit, vitijs victus.* Sampsone nihil sane fortius, hunc tamen Herculeus amor elumbem fecit. De quo hæc Ambrosius: *Validissimus omnium Sampson legitur, qui Leonem etiam suis manibus strangulauit, sed vtinam amorem suum suffocare potuisset. Messes incendit Allophilorum, sed & ipse mulieris vnius arsit igniculo.* Et in eandem sententiam D. Hieronymus: *Sampson Leone fortior & saxo durior, qui & vnus & nudus mille persequutus est armatos; in Dalilæ mollescit amplexibus.* Ardentes etenim illi calores fortissimo inclusi pectore, virile robur, animique firmitudinem ita soluerunt, vti meretricij suffultus genibus, quasi ab omni mente & sensu alienatus: nec obuersantem vitæ periculum despicere, neque barbarorum crudas voces stridentiaque verba exaudire potuerit. Quique Allophilorum confertas stipatasque turmas, tanquam Leo trementes fugans ouium greges, dissiparat, is vnius feminæ delinitus artibus, concutitur, prosternitur, in seruitutem abducitur, omnemque plane expertus est captiuus indignitatem. Ac sic anteactæ vitæ pręclare gestis extremum dedecus attulit lasciuia. Cum Dauidem cogito sanctimonię gradu tam insignem, diuino beneficio ab exigua & tenui fortuna ad dominatum & imperium subuectum, fędi istius amoris impetum, cum humanum pectus obtinuerit, admiror. Siquidem hæc tam præclari hominis animum perfregit, tanti ponderis auri massam flatu suo tanquam leues pulueres dissipauit. Coniectum enim oculi cum in ipsum vibrasset Basiliscus, virus aspectu hausit, vnde peccatum, & noxa temporis puncto, regem, prophetã, Athletam,

Senec. Epist. 1.
Ambros. Apol. Dauid. cap. 4.
Hieron. Epist. 22.

Athletam,& Christum perdiderunt. Salomon postea, in quo ad miraculum vsque sapientia eluxit: cuius fama nominisque celebritas vbiq; terrarum increbuerant, & cum ipsius orbis terminis eius virtus certamen inierat: ita nihilominus turbulentia insani huiusce amoris impetitus desipuit, vti turpissimas & fęculentas plane voluptates, ablegatis aliarum rerum præclaris studijs, tantus vir misere sit cōsectatus. Quiq; ab vxoribus sic passus est sibi illudi: vti eas in mentem admiserit cogitationes & consilia, de quibus ne somniaret quispiam, qui ratione aliqua vel modice frueretur. Quot demum in hoc Christiano orbe reperientur adolescentes, sacrorum alioquin mysteriorum fide illustrati, artium porro disciplinis & liberali educatione exculti, qui victricibus istis flammis manus superati concedūt, se prostratos & exscissos fatentur vltro? Et cum generositate naturę faciles ipsi sint & procliues ad omnem honesti postulationem, si tamen illis turpes dissuadeas amores, aut illorum animos oratione quantumnis neruosa ac polita ab otiosis illis studijs ad meliora traducere laboraueris: cum vocem intenderis, cum spiritum reciprocando sudaueris, surdo interim cecinisse videbere, vel Apenninos montes tanquam itineris tui socios singulo illigatos tecum à tergo voluisse ducere. Ita hærent defixi in propositis, vti cum certo vitæ periculo, teterrima infamiæ nota, offensa Dei grauissima, animęque æterno detrimento, quibus malis se obnoxios libenter agnoscunt, illecebram suam, fucatam Venerem adhuc statuerint adamare. Hic dicerem profecto Cirtes omnes, vada, arenas, scopulos, Syrenes, arcta, in animarum corporumque direptionem & deuastationem recolligi & coaceruari. Hic busta, cineres, periuntium sepulchra videntur. Hic aperitur vastissimus horrendusque hiatus dehiscente inferno, quo maior mortalium pars absorbetur, & ad pænas intolerabiles dimittitur. Vnus iste amor fęditate sua turpis, mora momentaneus, vsu deceptrix, & exitu tristis, plures funestauit, quam omnes aliæ appetitus incitationes. Quæ ætas denique immunis? quæ conditio libera? *Sen. Hyp. Amor inuadit in omnē ætatē & sexū.*

Nulla pax isti puero: per orbem
Spargit effusas agilis sagittas,
Quæque nascentem videt ora solem,
Quæque ad occasus iacet ora seros,
Si qua feruenti subiecta cancro est,
Si qua maioris glacialis vrsæ,
Semper errantes patitur colonos,
Nouit hos æstus. Iuuenum feroces
Concitat flammas, senibusque fessis

 Rursus

Rursus extinctos reuocat calores.
Virginum ignoto ferit igne pectus:
Et iubet cælo superos relicto,
Vultibus falsis habitare terras.

Epict. dialog. Interrogatus Epictetus philosophus ab Adriano Augusto, quidnam esset amor; illi respōdit: *Obliuiosi pectoris molestia, in puero pudor, in virgine rubor, in femina furor, in iuuene ardor, in sene risus, in derisore delicti nequities.* Nec est quod quis philosophiæ pręceptis plus nimio confidens, cum amore pugnam expetat, vel strenui neruosique corporis robore communitus, victorię spem in viribus ponat: nam philosophiam hanc amor iste statim obliuione obruet, & robur vno aspectu ad blanditiem composito, franget superabitque. Salomonis sapientia, Sampsonisque fortitudo spolia sunt amoris. Idcirco non tam pugna & contentione, quam fuga & sui subductione sæuum furentemque amorem veteres profligari rectissime iudicarunt. Hunc si contempseris, nec aspectu dignum duxeris, iam hostem deuicisti: alioquin in condescensu periculum, in familiaritate autem excidium delitescit. Fortem adeo se semper amor iste exhibuit, & animorum veluti Herculem: vti nihil ferme sit, quod ausu aggressuque suo non expugnarit. Quid obsecro penes Antiquos Deorum donarijs sacrosanctius, quorum sacrilegam expilationem nullo pænarū genere arbitrati sunt iuste posse expiari: nihilominus vti audaciam suam proderent, & amoris magnitudinem notam facerent, qui huiusmodi phrenesi laborarunt: ipsis Dijs sacra dicata signa eripuere: suisq; veneribus donare: vti Epomondas, Theopompus, Ononarchus, Philomelus, & alij quos recenset Athenęus. Athen. lib. 13. diphno. cap. 28. At Mineruam quoque vicinam sibi amor habet: proinde sermonis nitet elegantia, dicendique copia redundat. Nescio enim qua occulta ratione verborum & sententiarum, fędi impurique poëtæ præ alijs, coloribus affectus suos atque libidines ita depinxerunt: vti legentium animos quasi Syrenis cantu quodam dimulceant. Stimulante amore lingua quantumuis barbara in orationem soluta pulchre differit: & excita hac immensa perturbatione, ingenti quadam vi ad audientium aures verba accidunt.

Veruntamen generosum pectus ex honesti instituti difficultate excitabitur potius, quam languescet ad hunc amorem euincendum: quod nempe egregium illi videatur in cōmuni hoc incendio, orbisque ἐκπύρωσει florem castitatis illibatum seruare, & in multorum naufragio, ad tutum speciosumq; istius virtutis portum appellere. Quæ mox dicturi sumus, hoc manifestum facient.

Impuri

Impuri amoris amulætum, confectum ex diuino amore, atque castitatis animo concipienda pulchritudine. Ex hac etiam parte ostenditur, Sectarios solutis ipsorum institutis ad libidines, officium virtutis deprauasse.

CAPVT IIII.



VM inter omnes appetitus nostri motus, qui magnam vim ad delectationis perceptionem adferunt, primas sibi vendicet amor: tum ab homine, qui ex ratione recta mores suos instituere debet, nihil cum tanta contentione curandum, quam vt amori huic legem ex præscripto mentis edicens, nociuis illis ardoribus pectus suum liberet, illudque ita excolat: vt virtutum hortus efficiatur, in quo prę-sertim castitatis lilia enitescant. In hac quidem molitione, operis difficultas & pręstantia inter se contendunt, quęnam illarum vberiorem gloriam strenue decertanti pareat. Triumphus, hominum applausus, illos aliquando exceperunt gloriose, qui singulari certamine aduersarium deuicerant, qui feram aliquam horrendis contectam setis, armatam vnguibus, iuba terrificam, oris rictu immanem, trucidarant ac discerp serāt: quorum gestorum fama celebrisque memoria ferme ipsam æternitatem exęquarunt. Tamen iudicio sapientum sicut excelsius quid perficiunt: ita & maiori laude dignum pręstant, qui impuri amoris vim coërcent, eius impetum reprimunt, Venereas faces extinguunt, Adonidis tela ignea cuspide acuminata, cristallina excipientes carne, tanquam leuem emissum calamum reijciunt. Nam qui prioris generis facinora perpetrarunt feliciter, hi amori reluctantes parum, tandem turpiter perturbationi cesserunt. Quapropter si coronarum species omnes, antiquitus in præmium victoribus concessæ, (quasque recenset Aulus Gellius) in vnam confluerent, satis castitate dignam aliquam haud viderentur constituere. Libidinum expugnator virentem è gramine coronam, ad continentiæ colorem indicandū, meretur Obsidionalem: quippe qui florente & feruente iuuentute, quando voluptatum cupiditate animi sensus obsessi tenentur; irruentes in ipsum cum facibus hostes à se auerterit. Huic quoque accedat Ciuica, è fronde querna in torquem formata: quod nempe virtutes reliquæ, vitæ illibata castimonia ab excidio vindicentur. Murali quoque cingantur

Maxima laus ex libidinis expugnatione

Gell. lib. 5 cap. 6.

Omnes species coronarum debētur casto

eius tempora. Deuicta etenim luxuria, quasi excenso muro facilis & apertus est aditus ad hostium spolia. Castrensi donetur, qui primos lasciuientis ætatis impetus retuderit, & in libidinum castra, in quorum præsidijs omnia plene vitia delitescunt, irruperit. Quidni & nauali insignitus prodiret? corpus enim humanum in nauis formam compaginatum, castitate veluti nauarcha cursum eius moderante, Syrenes, Cyrtes, scopulosque euasit. Tandem ad supremum decus corona adiungatur triumphalis, siue ex lauro, quam coruscatio aut libidinum fulgetra non tangunt: siue ex auro, cuius vim & valorem fornacis feruor probat commendatque. Profligata sane iacent vitia, aut religata ad currum trahuntur, cum furentem amorem lactea & eburnea castitas superauerit. Quod autem alij corporis robore & lacertis præstiterunt, non id fecerunt proprio aliquo munere, quo à brutis secernuntur, sed communi quadam ossium & neruorum firmitudine. Libidinum autem expugnatio peruigili ratione & in virtutis opus intenta mentis agitatione, quæ hominis propria sunt, peragitur.

Amor amore pellendus.

Ingentem pyram edaci ferme absumptam flamma, si igne insuper iniecto affirmarem ab incendio posse vindicari, grauissime sane errare viderer. Modo autem venereos ignes, etiam igne extingui assero, & amorem amore pelli conuenientissime definio. Qui insano correptus amore formam alicuius misere deperit, si alia longe pulchrior, quæ & oculis eius elegantiorem speciem inferret, obtinenda illi occurreret: procliue admodum esset tali, veteres amores deponere, nouosque suscipere. Nam quæ prius gemmea venustate prælucebat, collatione iam habita, lutea appareret. Ita si animum sensusque intendere velimus acrius in eximiam illam splendentemque ipsius Dei naturam, sic ea nos raperet in sui amorem purissimum, iuxta & admirationem tantæ magnitudinis: vti quamcumque fucatam Helenam, veluti fictitijs coloribus delibutam statuam, aut sepulchrum forinsecus ornatum, vix aspectu nedum amore dignam duceremus. Quid autem prohibet, quo minus hoc cælesti amore flagremus omnes, & vnicum animæ nostræ sponsum diligamus pulcherrimum Deum? Imo quid in animum incidit aliquando, quod ad prętantissimum hoc institutum, eundem vehementer non exstimulat? hunc sacrum amorem spirant, & nobis suadent, cælum, terra, omniaque huius Machinæ ambitu complexa. Istius amoris illectamenta sunt, seu munera amatoria, vniuersa quæ videmus. Cum vero ea sit amoris ratio atque natura, vti intensius semper in illud deferatur, quod cum amante maiorem habet similitudinem & cognationem: consectarium est, nostræ animæ substan-

tia exi-

tia existente syncera, omnisque admixtionis terrenæ experti, ipsam sua sponte ea vehementius appetere, quæ similiter à crassiori concretione seiuncta existunt. Existimamdumne sensus per corporis instrumenta diffusos, in illecebras ex materia cui insunt contagiosas, propendêre magis, quam animam in supremum aliquod spirituale bonũ sibi adfine, & simillimum Deum? vel ex corporalium vsu, maiori voluptate perfundi sensus credendum, quam immortalem mentem, si modo à sibi longe subiectis rebus proprio auulsa imperio, carnis lacunas deserens, agilique penna sursum sublata, superni amoris dulcedinem degustare incipiat? Non iisdem (vt docet Aristoteles) delectamur senes, quibus pueri: propterea quod nouis quibusdam notionibus informata mens, earum rerum leuitatem despiciat, quarum infantiam ceperat cupiditas. Verum quod primis nostris annis nobisque veluti infantibus in hanc vitæ scœnam prodeuntibus occurrit, quid aliud est quam voluptas, sensuum decreta iudicijs? Cum vero in melioribus studijs prouectus animus adoleuerit, exiles illas voluptatulas, primæ ætatis crepundia deponet, & diuinis assuetus cogitationibus, inferiora hæc facile contemnet.

Amor animæ naturalis est rei immaterialis.

Arist. 2. Rhet.

Iam vero vt mente & cogitatione ea complectamur, quæ pectus ad diuinum hunc capessendum amorem præparent; paucis & summatim argumentorum capita perstringentes, quædam inferemus. Ad exhibendam idcirco vmbratili saltem opere animo spectabilem supremi Numinis pulchritudinẽ, cuius opinione imbutus, eius solius amore ardeat: duplici ratione tantarum perfectionum abyssum mente contemplamur. Primo si ea intueamur, quę in Deo existunt absoluta, atque ipsius substantię veluti necessaria attributa: mox si cogitationem intendamus in alia, quę ipsi voluntatis suæ electione libera accidunt, & ad nostrum tota relata sunt emolumentum. Cum itaque ex effectis manifeste nobis innotescat Deum optimum & maximum supremam omnium esse causam, suaque præstanti virtute singulares propriasque formas rebus separatim indidisse: ignorare nemo poterit, quin intelligat, ita hęc omnia fuse sparsimque distributa perfectionum genera, multo insigniori modo simplici quadam diuinæ naturæ indiuisibili vnitate collectim comprehensa, in eadem clariora esse, quã in seipsis multiplici actione elaboratis & variegato opere seorsim collocatis. Quocirca dum terrę istius depressam inferius molem, herbarum, florum, plantarum, gemmarumque differentijs non ad necessitatem solum excultam, verum etiam ad pompam ornatam, & ad gloriam ipsam præfulgidam, depictamque eius stragulam oculis conspicimus:

Pulchritudo Dei duplici ratione dignoscitur.

D. Thom. 1. p. q. 4.

cimus: Deum ipſum, cuius hæc omnia expreſſiones ſunt leuiores & formæ vmbratiles, illuſtriorem multo ſplendidioremque eſſe mente intelligimus. Terrę mariſque in immenſum effuſa ſpacia ſenſu percipientibus, ſtatim cogitatio quędã animos ſubibit immenſitatis diuinę omnia coërcentis, & in ſtatera librantis vniuerſa: atque (vt inquit Dionyſius) terrarum orbem, tanquam ſpongiam in vaſtiſſimi maris ſinum iniectam, eius amplitudine vndequaque ambiri fatebimur. In altum autem obtutum noſtrum excitantes, tot luminibus diſtinctum & irradiatum cælum dum videmus, ſpecies quædam noſtris oculis obuerſabitur ſplendoris illius, & immenſæ lucis, quibus diuinam ſubſtantiam amictam, in ipſo ſole tabernaculum ſuum conſtituiſſe iudicemus. Siquidem veriſſimũ eſt illud à philoſophis toties inculcatum: nimirũ perfectiones effectuum elucere magis in ipſa cauſa & prima origine, quam in ſuis proprijs formis diuiſim exiſtentia partitis. Cuius exquiſitæ perfectiſſimæque pulchritudinis ſpeciem, hanc diuinam inquam, ſi conferat quis cum inani, lubrica, imo putrida corporum vultuumque venuſtate, impuri ſtatim pigebit amoris: animoque dolebit vehementer quiſpiam ob iniuriam Deo illatam: eamque grauiſſimam exiſtimabit, qua ſpreta tanti Numinis forma, neſcio quam vmbrã & ideam ſatis ſordidam & maculoſam hactenus conſequutus fuerit. Animus recordatione tantæ ingratitudinis emolleſcet credo. Demus autem te tuiipſius tantum amantem, propria commoda huc vſque ſpectaſſe: veſanum tamen errorem agnoſces & incuſabis. An non damnum tibi conſciuiſti vel maximum, qui omnium ſupremum Dominum, cuius amore frui poteras, meretriculæ viliſſimæ cauſa ſpreuiſti, abieciſti? quę hæc inſcitia? quod in te ipſum concitatum odium? qua crudelitate ipſe animam tuam funeſtaſti? *Iniuriam facies illi,* (inquit Auguſtinus) *& damnum tibi, præponendo illi quod fecit, cum velit ipſum tibi dare, qui fecit.* Longe aliam profecto ſuorũ conſiliorum rationẽ conſtituit Pſalmiſta, cum dicat: *Circuiui & immolaui.* Circuiuit quidem, quando per opera ipſius Dei oculis menteque diſcurrens, ſingulorum naturas inſpexit: immolauit vero, cum ex iſtis diuinam inueſtigans perfectionem, tanti Numinis amore captus, illius flammis ſuauiter arſit, & in Dei obſequiũ ſtudia omnia ſua conſecrauit, animum corpuſque amoris conſtituens holocauſtum.

Dionyſius Cæl. hier. cap. 2.

Auguſt. in Pſal. 34.

Pſal. 26.

Alius autem modus eſt, quo mens humana in bonitatis & excellentiæ diuinæ opinionem deuenit: vnde ad tanti Numinis amorem ſimiliter incitetur. Quando nimirum nobis diuinitus collata beneficia animis recolentes, ipſum Deum veluti munificum principem, & pa-

Beneficia Dei nos prouocant ad eius amorem.

rentem liberis indulgentem perspicimus: Hinc enim summum quodam gratitudinis iure illi obstictos nos esse comperiemus. Quo pacto ingentem hanc rerum machinam, in nostros vsus diuinis manibus fabrefactam, animis videntes, tanti muneris largitione ad gratū quoddam obsequium eius auctori præstandum inducimur: intelligimusque Deum optimum & maximum, non solum bonitate sibi propria & natiua insignitum: verum etiam erga nos benignissimum & clementissimum se Dominum præbuisse. Iam autem quis tam sæuus & barbarus inuenietur, qui aperto sinu expansoq; appetitu ad impuros excipiendos amores amplius erit paratus: interim ad aspectum Dei ita in omnem benignitatem effusi, nostrosque amores non promerentis solum, sed & voce ad eosdem nos sollicitantis, se contrahere velit, tantamque oblatam amicitiam penitus aspernari? Dona pensemus vtriusque, & quid intersit discriminis facile iudicabimus. Venus modicam illecebram, immoderatum æstum, ingentes sordes, & venenatos dolores profert. Quæ autem diuinis sparguntur manibus? quod sumus, quod viuimus, quod mouemur, quod cælo fruamur, quod solo sustentemur, quod gratia muniamur, quod ipsa gloria coronemur. Et cum ita carnalibus nos delectari videret Deus: nihil volens omittere, quo in se omnem amoris nostri æstum converteret: illectamentum quoddam carnis sibi appendit, oculis nostris conspicuum quidem, ipsa forma & specie adeo venustum, vti angelicis ipsis mentibus summa sit dulcedo & felicitas in tam pulchrum spectaculum obtutus suos intendere. Hic salutares incantationes exaudiuntur, hic pharetra amoris euacuatur: siue viuum, siue etiam mortuum Christum contemplemur, in cuiuslibet pectoris ingenui magnetem incidemus. In tam suaui autem modulatione, quæ sensuum iucunditas? in excussis sagittis, quæ vis & efficacia? In medijs ignibus, quod Salamandræ concretum frigus inuenietur non incalescens? Quid ni Christum alterū Cupidinem dicerem: nō Veneris quidem sed Virginis filium, facibus & telis armatum; etiam oculis orbatum: non vt insano impetu in aliquos incurrat: sed ne deformitates nostras & næuorum turpitudines intueretur: ac ideo inquit Psalmista, dormiuit & somnum cœpit. In quo tamen grauissimo somno, perpetuis ictibus cor ipsius ita concutitur, sic amores stimulis continuo exagitatur, vt dicentem audire liceat: *Ego dormio, cor autem meum vigilat.* Ex cruce autem, in qua corporis eius nerui extenduntur, veluti ex quodam arcu ignita sua tela emittit, & multorum pectora ad concupiscentiæ expugnationem, amoris spiculo traiecit. Hanc ingentem vim

Dona Dei comparata cum alijs muneribus.

Psal. 44.

Christus fomes amoris.

Psal. 3.

Cant. 5.

Esa. 49. amoris, ab oculis hominum in sua pharetra tanquã electum quoddam
iaculum abscondit Deus: quo etiam improuidos (nam & aspectum
auiculæ fugit auceps) vulnere sauciaret. Quis etenim in pharetram
carnis Christi, ad omnem prorsus humilitatem abiectę intendens, tan-
tam illi telorum vim inesse suspicaretur? Virgineum autem illud cor-
pus puritatis lilijs amictum, quod nostri causa tanquam vestis Ioseph
proprio cruore roscidũ, quem non moueret ad amorem? cuius animus
rigido frigore ita duratus, & tanquam crystallum concretus, qui in
istis feruoribus vndique volitantibus resolutus in aquas non fluat?
Trog lib. 10 Deprædicanda singularis illa Alexandri, qua in amicum vsus est, hu-
manitas. Cum enim sibi charissimum Lysimachum in fronte graui-
ter percussum cerneret, capiti suo turbinatum illico diadema detra-
hens, linteę illius fasciæ lacinia quadam vulnus ei ligauit, ad sisten-
dum sanguinis fluorem. Verum cum vulnus lethiferum ex proto-
Psal. 21. plastæ delicto natura nostra excepisset, protinus imperator noster
Christus diadema abiecit, non homo, sed hominum vermis videri
voluit: insuper proprio cordi vulnus inflixit, vti ex vitę fonte effluens
cruor malo nostro cateplasma afferret: morteque sua, non lacinia, no-
bis vitam tutam esse voluit. Ad hæc quid illecebræ & incentiua fædis-
simi amoris? quid spinæ & vrticæ inter lilia & rosas? Quid carbones
inter fulgentissimas gemmas? quid fætorem anhelans meretrix, prę-
Paulin. ep. sente Christo suauissimorum aromatum spirante odores? Nihil sane.
2. ad Sene. *Meliora enim vt* inquit S. Paulinus *mihi amici vulnera, quæ Christus accepit, vt
sanaret me, quam voluntaria inimici oscula, quibus mihi per illecebras delectatio-
num suarum, caro malesuada blanditur, & me quasi illo paracidali Iudæ osculo
paratus in captiuitatem meam prodit inimicus*: Et alibi ad hunc castissimum
Epist. 4. Christi amorem nos sollicitans, inquit: *Illum osculemur, quem osculari
castitas est, illi copulemur, cui nupsisse virginitas est, illi subijciamur, sub quo iacere,
supra mundum stare est, propter illum deijciamur, cui cadere resurrectio est, illo
commariamur, in quo vita est*: Istius autem amoris vim & energiam, qua
diuina complectimur, igne tanquam hieroglyfico sacra scriptura ex-
Apoc. 3. primit: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum* *De excelso misit ignem in ossibus*
Thren. 4. *meis*. Et in Leuitico ex legis præscripto, iecoris aruina igne erat con-
Leuit. 3. sumenda: propterea quod iecur hoc nostrum, in qua sedem figunt cu-
pidines, si diuini amoris ignibus præoccupatum fuerit, ab alijs inqui-
natis affectionibus liberum euadat & immune. Cuius cælestis plane
amoris esca & fomes est Christus, quique amore de terrarum orbe
triumphum egit. Armorũ etenim panopliam describens regius Pro-
pheta, qua parta fuit ab ipso victoria, femori cum accinctum gladium
dixisset,

dixisset, subiunxit: *Specie tua & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna*, quasi in decore quodam hominum corda ad amorem allicien- te, omnem belli neruum consistere affirmaret. De quo etiam dicitur, *Ecce homo stans super murum adamantinum, & in manu eius adamas*: quod ni- mirum Christus ad se omnes suaui quodam pelliceat attractu & dulci violentia cogat. Hinc Euangelista Ioannes ipsum intuitus est aurea Zona circa mammillas succinctum: talis est enim locus corporis, qui cordis presidio destinatur. Sacerdotes reliqui, quod fomite concupis- centiæ vrgerentur, Zona lumbos strinxerant: quo vitio cum virginea Christi caro abstinuerit, non lumbos, sed pectus, amoris fornacem cin- gulo incinctum habuit. Illius sane amoris ratione ortum est, vt in ecclesia Catholica tam multi reperiantur, qui in ipso iuuentutis flore, rerum summa oppulentia, & sanguinis illustri claritudine, abdicatis huiusce mundi studijs, impuro illo amore extincto, alijs desuper illa- tis facibus ardentes, vitam à plebe segregatam, institutorum etiam se- ueritate præscriptam, in qua diuinis solum vacent, degant libentissi- me, & exosculentur: atque in suis solitudinum cauernis turturũ instar canunt; *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia*. Hinc etiam ap- paret, quanto interuallo Israelitam disiunxit Deus ab Ægyptio: si ce- spiciamus hæreticorum greges, illos inquam hircos asperrimis vitio- rum pilis contectos, carnis petulantia fœdissimos. Hi enim cum cha- ritatem erga Deum fidei suæ priuilegio, vel potius morum prauitate expugnarint: mirũ non est si vbique pessimis caleant fœteantque amo- ribus. In quam obsecro Christiani orbis prouinciam nefarij hi incen- diarij pedem intulerunt, cuius florem libidinum æstu non corrupe- runt? igne & sulphure candentia lilia vbique non deuastarunt? quid Anglia mea aliquando nitidius, quid castius vnquam eluxit? cui ab in- genio est Cypri delitias, & veneres auersari: eaque de causa, olim reg- num hoc literis clarum, armisque gloriosum, beatissimæ Mariæ Virgi- nis dos est nuncupatum. Nunc autem, proh dolor, castitatis acerrimi hostes, voluptatum sectatores rabidissimi, concupiscentiarum manci- pia, tantum decus & patriæ ornamentum sceleratæ vitæ turpitudine funestarunt, musarum Pernassos, cælibum claustra in lupanaria verte- runt & prostibula. Modo forma & ipsa castitatis facies inspicienda, ex cuius etiam aspectu haud exiguam voluptatem animus concipiet.

Psal. 44.
Amos. 57.
Chrys 70.
Simach.
Apoc. 1.
Exod. 29.
Leuit. 8.
Cant. 2.
Heretici hostes castitatis.

Principio non leue momentum, ad inflammandos mortaliũ ani- mos huiusce virtutis amore, mihi continere videtur difficultas ipsa, qua vndique tum præclarum cum animæ tum etiam corporis orna- mentum obsessum apparet. *Nam*, (vt inquit Tacitus) *hominum optimi*

Difficultas ipsa inui- tat ad ca- stitatem.

Cornel. Tacit. lib. 4 anal. *altißima cupiunt*: experimur autem hanc nostræ carnis molem pruritu quodam perpetuo exagitari, & furore nonnunquam corripi ex libidinis incitatione. Eoque vehementior & ineluctabilior eius motio existit, quo causam habet nobismetipsis viciniorem & pectoris nostri recessui penitus infixam. Quare præclarum erit institutum & Heroici cuiuspiam iuuenis magnanimitate dignum, voluptati huic contraire, eiusdem fomitem debilitare, carnemque suam, cum à flamma, tum etiam fumo liberam tueri & conseruare. Excelsus quidem is animus erit, qui hasce libidines ex ipsa fœditate, generisque vili conditione contempserit: corporeque suo, vtpote anima insignito, & ipsius diuini spiritus existente armamentario, indignas prorsus luxuriæ duxerit illecebras. Sicut qui sericis induti incedunt, si admodum ciuiles sint, & munditiei studiosi, à sordibus quibus ipsorum habitus turpitudinem attrahat, longissime recedunt: eodem modo, qui carnis suæ decus, iuste magnanimus adolescens pensarit, verebitur ne vel leui contactu cupiditatum, aut vllo ad fędos amores accessu, tantā integritatem elegantiam atque florem deturpet, violet, aut deuastet: hunc ita existimantem suspicio, & deprędico. Neque adeo admirationem mihi commouet Dauidis spectaculum: quo intueor ipsum immanis gigantis detruncatum caput manu tenentem, atque cum mente conspicio castissimum Iosephum relicto pallio, ab impura meretrice cum virenti virtutis palma diffugientem. Iste etenim noster illibatus, Danielem superat leonum ora comprimentem: quandoquidem plusquam leoninam rabiem in humano furentem pectore, rationi subijciat: Sed neque tres pueri in medio ardentis fornacis intacti ambulantes, sic miraculum aliquod efferunt, atque adolescens ille, qui iuuenilibus ardoribus circunseptus, à conflagratione libidinum se tutatur & defendit. *Nam* (vt inquit D. Ambrosius) *grauiores inimici sunt praui mores, quam hostes infesti.* Hinc factum est, vti nihil ad aspectum nostrum ita effulgeat, suaque specie insigni aliorum sensus in admirationem rapiat: atque in adolescente castitas, & illibatæ carnis efflorida continentia. Imo qui libidinibus sese deuastandos ex animæ impotentia quadam misere tradiderunt: nihil ita suspiciunt, nihil æque laudant, atque in alijs quem ipsi amiserunt, pudicitiæ florem.

Gen. 26.

Ambros. serm. 88.

Verum vti distinctius in istis oratio progrediatur, triplicem cum D. Ambrosio castitatem constituimus: coniugalem, vidualem, & virginalem. Circa priorem istius virtutis speciem, statuendum non voluptatis aut libidinis explendę causa, naturæ matrimonij vsum fuisse indultum: sed potius institutum in prolis propagationem, & humanæ vitæ

Ambrosius de viduis. Triplex gradus castitatis.

vitæ ſubleuandam neceſſitudinem. Animaduertimus enim ipſa bruta animantia libidines ex coitu fugere, cum generationi tempus attributum effluxerit. Hominesque ſui officij admonere videntur: ne alia de cauſa actum illum ſuſcipiant coniugij, quã vti ſobolis inde generetur. Niſi enim honeſto huiuſmodi fine conatus alioquin turpis & homini indignus emendetur, non video quomodo poſſit in ſapientis alicuius votum incidere. Propterea vt ſcripſit Tertullianus, cum eccleſia Christi primæuo ſuo flore eſſet conſpicua, tantam puritatem corporibus baptiſmi latice ablutis attribuendam exiſtimarunt pij: vt cum prægnante vxore concubitum, nullo quidem pacto licitum crediderint. At hic infimus eſt caſtitatis gradus, poſt hũc ſecundus ex viduitate. Qui cum virginali integritate, quæ continentiæ apex eſt, in hoc conuenit: quod tam hæc, quam ille propoſitum implicet abdicandi à ſe ex coitu voluptates. Quamobrem de vtriſque promiſcue diſputabitur.

Tertul. lib. ad vxor. lib. de pudicit.

Nunc itaque ingredior (vt apud ſanctiſſimum Iob diuina ſapientia loquitur) in theſauros niuis. Theſaurus ſane caſtitas, ſi tantæ virtutis pretium digne æſtimemus: nix pariter, cuius ſpecies inter colores eſt palmaris, frigore autẽ terram à ſpiramine coërcens, eam calore fouere dicitur, vermeſq; eius corrumpentes fœcunditatem enecare. Ita cum caſtitatis nix carnem compreſſerit, efficiet vt animus erga Deum charitate ferueat, & vti opprimãtur eſurientes vermes, qui voluptatis vſu generati conſcientiam exedunt. Hęc autem mentis corporiſque præſtantia, quæ virginitate (vt loquuntur) continetur: non eatenus ſolum virtus eſt, quatenus ad contemplationem iuuat, aliaſque cum ſumma probitate coniunctas excellentes actiones: verum vt apertiſſima ratione docet diuus Thomas, intra latitudinem ambitumque continentiæ cogitationes noſtras coërcentes, perſpicue videbimus in hac ipſa ſpecie eximiam eſſe virtutem, eiuſque partem pręſtantiſſimam. Sicut enim intra rationem liberalitatis maxime inſignis virtus eſt magnificentia: ita nunquam ſuſcepiſſe voluptatem ex concubitu, neque inpoſterum illum velle in ſe admittere, rationi conſentaneum eſt, imo Heroicum quid, ingenti laude præmioque digniſſimũ. Niſi enim eximium quid eſſet, & ipſo genere ſublime, in Chriſtum Dominum non incidiſſet: qui illibatum virginitatis florem, ex horto vteri virginij deſumptum, in vitæ decurſu ſeruauit, cruci affixit, ſepulchro intulit, in cęlos inuexit, & ſecum florentem feret ad tribunal. *Vox turturis audita eſt in terra noſtra*, vt interpretatur Chryſoſtomus: quando inchoante vernali incremento floris, fructuſque Eccleſiaſtici, turtur caſtitatis inſigne, Chriſtus nimirum Dominus in carne ingemuit. Idcirco vt ſcribit Cy-

Iob 28.

Virginitas eſt virtus.

D Thom. 2. 2. q. 152. ar. 3.

Cant. 2.

Chryſoſt. homil. 2. de virt.

Cyrillus Catech. 12. bit Cyrillus Ierosolymitanus, *Adoretur qui de virgine natus Christus, & agnoscant virgines sui status vel dignitatis coronam, agnoscat eorum ordo & institutum qui vitam sollitariam agunt, castitatis gloriam.* Matrem etiam suam delegit Christus virginem, vti hanc integritatem carnis sibi præcipue consecraret, nobisque eandem magis spectabilem exhiberet. Cuius
Cant. 7. quidem venter (vt in Canticis dicitur) aceruus est tritici vallatus lilijs. Peperit namque & nobis effudit messem admirabilem, prouentumque incredibilem cælitus illud dimissum granum, & in virginis vterum coniectum. Eiusque medulla vitę nostræ firmitatem continet,
Psal. 147. atque gustui summam adfert suauitatem. Ita tamen filium enixa est, vti nequaquam lilia virginitatis amiserit, sed illis potius circunuallata,
3. Reg. 10. integerrime in ipso partu eluxit. Hic summus ille Princeps Salomon, æterni patris æterna sapientia, solium & thronum ex ebore formatum habuit, in quo resideret. Eboris candor virginitatis inditium: aureę autem bracteę, quibus ebur immarginatur, charitatis pretium declarant. Paradisus sane Christiparæ vterus, eius vnus Christus co-
Psal. 62. lonus, deserti & vallis amœnissimæ flos vnicus. Vnde: *In terra deserta, inuia & inaquosa, sic in sancto apparuit. Conceptus quidem* (inquit Nazian-
Greg. Naz. orat. 2. de Pasc. senus) *ex virgine animo & carne à spiritu sancto purgata: nam & procreationem honorari, & virginitatem præferri oportebat.* Iste quidem spiritus ventus fuit
Osee 3. ille vrens, qui libidinis & concupiscentiæ fontem in virgineo corpore exsiccarat. Atque idem spiritus castitatis mox lilio insidens, tanquã operosa apis melleam Christi carnem miro artificio composuit. *Nam* (vt inquit Cyrillus) *decebat sane purißimum puritatis Doctorem ex puris pro-*
Cyrillus Catech. 12. *dire thalamis. Si enim qui apud Iesum bene fungitur officio, abstinet à muliere, ipse Iesus quomodo ex viro & muliere proditus erit?* Tanta est itaque virginalis instituti præstantia, tamque sublime eius decus, vti decem virginibus non abiectum quid, sed ipsorum regnum cælorum Christus compara-
Matth. 25. uerit. *Simile est regnorum cælorum decem virginibus.* Et alio in loco, virginitatem vmbram quandam esse docet & figuram illius diuinissimi
Matth. 21. status atque conditionis, qua beati in cælis fruuntur: cum dicat: *In resurrectione nec nubent, nec nubentur.* Propterea qui furentem æstuantemque in libidines carnem reprimunt, angelorum mores in terris emulari dicuntur. Quo quid ad virginitatis commendationem altius proferri poterit? supremam quidem dignitatem inter corpora cælo
Virginitas virtus cælestis & Angelica. concedit Philosophia: humanum autem corpus virginitate excultum cælum quodammodo euadit. Sicut enim cælum purissima est substantia, quam nullæ inficiunt maculæ ex elatis sursum vaporibus concretę: ita fulget omnino illa caro, quam virginalis continentia munit &

quasi

quasi in alto suspendit, ad quam voluptatis lacuna, ardore libidinis euocante humorẽ, labem aut turpitudinis notã transmittere non valebit. Reueremur splendentem nitidumque illius habitum, qui in conspectum prodit excultior: at magis suspiciet mens iuuenile corpus, quod in cæli cuiuspiam naturam ob tantum decus visum est transijsse. Istius dignitatis typum prębuerunt pelles illæ hyachintinę, quibus tabernaculum cooperiebatur. *Exod.26.* In pellibus, animalium exuuijs, speciem mortis intuemur: in colore autem hyachintino, extimam cæli faciem ac venustatem contemplamur. Cum enim ex seueriori disciplina, veluti mors appetitus concupiscentiam extinxerit: tunc demum color ille cælestis & hyachintinus plane carni tanquam pelli inducetur: vnde animæ tabernaculum pulchre vestiatur, & ipso cælo amicta appareat. Quo quidem pacto virgineũ corpus cum paradisus est terrestris, in qua flagrantia & rubentia poma ad Christum vti solum firmo statu conuersa reperiuntur: tum quoque ipsum cælum immortalitate diuturnum, synceritate purum, lumine & decore splendidissimum. Sed quid hic consisto, cum virginitatem tantum ad cælos euexerim? altius adhuc ascendere debebit encomion: quandoquidem ipsis Angelis tanta carnis integritas hominem parem faciat & æqualem: si non superiorem. *Gen.28.* Hanc etenim existimarem scalam Iacob, qua nos ad Angelorum consortium, vtpote eorum socii ascendimus: vicissim rursus, qua illi ad nos, tantam dignitatem in nobis admirantes, descendunt. Nam libenter nobiscum manus implicantes, choreas ducunt inferius hic in terris. Non enim ille purpureus color aut ardens flagrantia odoris in flore ita apem allicit, atque efflorescens in iuuenili carne virginitatis lilium ad hominem angelum inuitat. Crederemque non tam ipsum in empyreo cælo sua delectari sede, atque gremio casti alicuius adolescentis, cum illud sui pręsentia atque cura custodiendum susceperit. Quid enim in ipsis Angelis ita deprędicamus, quam quod secreti ab omni labe contemplationi vacent, nihilque in se admittant turpitudinis terrenæ & contagiosæ voluptatis? Hæc autem tam illustria, tamque genere ipso insignia, carni nostræ adfert virginitas, & ęquali lance corpus coalitum & sincerum librat spiritum. Quid modo cum tanta pręstantia conferri poterit, si gloriam quęres? quid cum tantanta gloria, si emolumentũ expectes? *Generosius quippe* (vt ait D. Augustini) *elegit Aniciana posteritas tam illustrem familiam beare nuptias nesciendo,* *Augusti.ep.179.* *quam multiplicare pariendo, & in carne iam imitari vitam angelorum, quam ex carne adhuc numerum augere mortalium. Hæc est vberior fœcundiorque felicitas non ventre grauescere, sed mente grandescere, non lactescere pectore, sed corde candescere,*

non

Greg. Naz. in illud Euangel. cum consummat.

non visceribus terram, sed cælum orationibus parturire: in quam sententiam hæc quoque Greg. Nazian. *Angelorum vitam elegisti, in eorum ordinem te aggregasti*, Et post: *An non plane angelicam eam, quæ carnis vinculis alligata sit, non secundum carnem viuere, sed natura ipsa celsiorem esse?* Audiamus Ambrosium virginitatis egregium præconem: *Nec mirum si pro nobis Angeli militent: quæ Angelorũ moribus militaris.* Accedat etiam D. Cyprian. virginum institutor celeberrimus, qui nec sub mortis suç articulo virginum curam deposuit, sed quasi zelotipia ductus, cautione sua adhuc virginum formæ atque elegantiæ districte voluit consulere. *Virginitas* (inquit) *æquat se Angelis, si vero exquiramus, etiam excedit, dum in carne luctata, victoriam etiam contra naturam refert, quam nec habent Angeli.* Libenter Angelos ad eos, qui virginitate florent, confluere testatur Chrysost. *Nam si Angeli Abrahamum, illum virum mulieri coniunctum & filios nutrientem, liberalitate hominis allecti petierunt, multo magis cum maiorem virtutem inuenerint, & homines carnis contemptores, ac pene extra corpus, cum illis morabuntur & consentaneam choræam constituent.*

Ambrosius lib. 1. de virginit.

Pontian. in vita Cyp.

Cyp. lib. de bono pudi.

Chrysost. in cap. 22. Matth. homil. 7.

Virginitas Ecclesiæ Catholicæ nota.

Hoc insigne virginitatis decus semper in Christi ecclesia ita eluxit vnice ac splendide, vti quantumuis phanaticorum sectæ ementirentur sanctitatem: nunquam tamen præstigijs vllis aut fucatæ artis excogitatis rationibus, istius virtutis gloriam sibi adsciscere potuerunt: sed propria hęc semper & genuina Catholicæ matris & vere gemmea nota eius fronti appensa enituit. Qua non solum ab ethnicorum hominum cetu secreta semper fuit, sed ab hereticorum pariter conuenticulis luculenter admodum discriminata. Hinc (vt superius diximus ex Cyrillo) qui apud Iesum legitimo sacerdotio fungitur, muliere abstinet. Quod si propter muneris dignitatẽ ab illis peracti, qui cruentas immolarant hostias, obseruata fuerit castimonia; ab ijs inquã qui tabernaculo inseruierunt: quanto magis excolenda à diuinissimis mystis, gratiæ mysterijs, veritate plenissimis rite initiatis? vmbræ autem & figuræ solum istius nostri ex castitate decoris in veteri illo religionis vsu pręcesserunt: vti ex lino sacerdotum fæmoralia, excisi salicum rami, in celebritate tabernaculorum adhibiti: quos Homerus appellat ὠλεσίκαρπους: Frugiperdos, propagationi nempe ineptos. Vtebantur etiam veteres in suis ipsorum sacris cera & melle: quorum effectrix Apis hieroglyficum æstimatur castitatis. Vnde Maro:

Cyril. Catech. 12.

Exod. 28. Leuit. 23.

Pier. verb. Apis.

Illum adeo placuisse apibus imitabere morem,
Quod nec concubitu indulget, nec corpora segnes
In venerem soluit, aut fœtus nexibus edunt.

Sed quod tam sublimis virtutis cultus natura sua arduus sit & difficilis:

cilis: Iudæi non tanta diuinæ gratię copia donati, quanta Christiani, ab hac perfectionis apice multum defecerunt. Illa fortassis aqua, quam ex rupe Mosaica virga elicuit, vim quandam habuit sedandi ardores concupiscentiæ, vti intra coniugij terminos consisterent: at ex Christi latere effusus cruor augustius quid operatur, omnium libidinis flammam in nostris pectoribus extinguens. Hinc virginum seu potius Angelorum chori in ecclesia Christi visuntur, qui voto virginalem florem carnis retinentes, illum Deo consecratum esse cupiunt, de quibus D. Cyprianus: *Nunc nobis ad virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria est, maior & cura est. Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles laudis & honoris, opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi.* Laboriosa est castitas, concedo, sed fortia agere & pati, Romanorum est. Et mihi ebur pulchrius videtur, quod ex antiquitate sanguineũ. Virginitas eo laudabilior, quo Martyrio vicinior. Infamis autem gentilitas nunc lege nunc vituperio ipso virginitatem profligauit. *Cælibes esse prohibunto*: Ita ex tabula aliquando præcepere Romani. Ex statuto quoq; Licurgi, istius virtutis sectatores (vt ait Plutarchus) *nudi media hyeme per forum cogebantur, & omni honore priuabantur.* Quod si in speciem aliquam exhibere tentarent colorem huiusce excellentiæ, cum Atheniensi illo mista (vt scribit Origenes) cicuta vsi sunt: nihil in mente habentes, quod tantam pareret venustatem. Quid virgines commemorarem Vestales? esto hominibus abstinuerint, pudicitiam tamen in tanta familia, in vestibus ad pompam excultis, in frequenti per plateas incessu, in occurrentium salutationibus, in voluptatum affluentijs non intueor. Flamma illa, quam in templo sacram Vestæ fouebant, non tam castitatem adumbrauit, quam libidinis ardorem, quo ipsarum pectora iugi flagrarunt incendio. Altiori adhuc opus est instituto, eoque Christianorum proprio, quo non ex necessitate, sed consilio electioneque libera; non cum corporis tantum integritate, sed etiam animæ virore & vigore castitas decernatur. Quod factu quidem possibile negarunt olim Ethnici, (vt tradit D. Athanasius) sicut nostris temporibus Sectarij. *Et prorsus nullam fidem virginitati habentes, & impossibile esse dictitantes eam virtutem in hominibus reperiri, ijdem vbi iam credidêre Saluatori ex virgine nato: non solum eam in nobis esse agnoscunt, sed ipsi ea pudicitia & sanctitate corporis præstant, & vicissim ab Ethnicis ipsos iam tales esse factos credi non potest.* Mirum autem non est, si eo vsque gentilitia hebetudo haud aspirarit: nam vt creditur cælibes dicti sunt quasi cælites, græce ἤϊθεοι: quod cælestes illos spiritus vitæ ratione imitentur. Decus

D. Cyp. lib. de habit. virg.

Tab. 12. leg. Cicero. lib. 1. de leg.

Plutarch. in Licurg. Plat. reipub

Orig lib. 1. cont. Cels.

Virginitas ignota gentilibus.

Athanas. Serm. de Cruce.

autem hoc quod depręđicamus, solius Romanę ecclesię decus est: nos gemmam hanc cælitus dilapsam possidemus, florem hunc hortus noster tantummodo profert. Cæteri omnes externi, hęretici, atque sectarij turturibus nostris comparati, Noe coruo impuriores videbuntur. Gnosticis hęreticis quid fœdius? exosam habuerunt virginitatem. Ariani omnes (vt scribit Athanasius) maculosissimi, virginitatem ablegarunt. Manichęi honesti formam assumentes, ex clandestinis congressibus turpissimi, virginitatem violarunt. Lutherani ex incesto procreati, virginitatem constuprarunt. Caluiniani & Bezitę, qui Sodomę flammas vix effugerunt, sceleribus cooperti virginitatem orbe exegerunt. Mihi credite species istius virtutis, Geneuę, Basileę, aut in id genus orbis sentinis non inuenietur. Veneres alunt, & hircos olent, veneris filij, & hircorum duces sordidissimi. Nostra autem Romana ecclesia, noua Ierusalem, ad formam illius cælestis effigiata, suas habet virgines, Angelorum socias. Atque hinc mihi certo certius apparet, rorem cæli in virgineum nostrę ecclesię vellus decidisse: Ethnicorum autem & hęreticorum aream, nimio libidinis ardore & salacia carnis aridam esse, atque instar carbonis exusti & deflagrati nigerrimam.

Hæretici osores virginitatis. *Clemens Alex. lib. 2 Strom.* *Athanas. Epist. ad Solitar.* *August. de Mor. Manich.* *Iudic. 6.*

Neq; aliter ex pręmissis sequelam hanc conficio, quã olim in eadem causa D. Athanasius ad Constantium loquens: *Nunquam sanctum illud & cæleste æternæ virginitatis mandatum feliciter adimpletur, nisi duntaxat apud nos Christianos. Atque in eo magnum documentum est, plane apud nos esse veram religionem. Has præ reliquis omnibus beatæ memoriæ religiosissimus pater tuus Constantinus in pretio habuit, & tua religiositas in suis scriptis pretiosas & sanctas nominauit.* Hęretici itaque, qui se virginitati infestos ostendunt, desciscere videntur à communi placito, quod hominibus vel ipsa natura attulit. Nulla etenim ferme gens extitit, (vt ostendit D. Hierony. contra Heluidium) penes quam non viguerit pręcipua quædam cura castitatis seruandę. Saltem qui sanctitatem aliquam pręse tulerunt, hac virtute comprimis ornari desiderarunt. Hinc sacerdotes Matris Deûm sibi testa virilia amputant, Cybiles herbarum succis euirantur, Herophantas Atheniensis cicutæ sorbitione castrari voluit: (vt narrat Alexander). Proinde in violatorem consecratæ huiusmodi pudicitię, omni acerbitatis pœna Romani animaduerterunt. Florina ob stuprũ cum Cantilio scriba sub terram necatur: & Fabius pictor Delphos ad oraculum mittitur sciscitatũ, quonam genere expiationis, quod tantum scelus esset patratũ, Dij placari possent. Imo existimarunt castitate Deos, tanquam florum sertis, plurimum delectari. Vnde Tibullus

D. Athanas. Apolog. 1. *Virginitas ab omnibus deprædicatur.* *Hierony. lib. 1. cont. Heluid.* *Alex. lib. 4 cap. 14.* *Lic. decad. 3. lib. 2.*

sacra

ſacra recenſens, quibus agreſtes ſibi propitios Deos facere ſolebant, caſtitatem in primis miſtas adhibuiſſe teſtatur.

———— ———— diſcedite ab aris, Tibul. lib 2 Eleg. 1.
Queis tulit heſterna gaudia nocte Venus.
Caſta placent ſuperis, pura cum veſte venite:
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

De duplici caſtitatis munimento, ſenſuum nimirum cuſtodia, & corporis ſeueriori diſciplina: quæ quidem iſtius virtutis firmamenta impij hæretici turpiſſimo dogmate contutere atque euertere conati ſunt.

CAPVT V.



Eriſſimum eſt illud Philoſophi effatū, nihil intellectum ſui iniecta notione ferire, quod non prius ex ſenſibus aliquem ſubintrarit. Per hos enim omnes ad animam rebus ingreſſus patet. Ea propter quorū ſuſcepta notitia animæ cenſetur magis incommoda: ab iiſdē ſenſus quātocius ſunt auocandi. Imo ſi fieri poterit, ea moderatione gubernandi, vt in eiuſmodi à ratione & mente diſſentanea, nunquam incidant. Nam ſi rex aut princeps ex vulgari ſorte quemlibet indifferenter ad colloquium non admittit, aut vitæ conſuetudinem: ne imperij maieſtas contemptui obiecta cadat: Ita neque mens, cui diadema & ſupremam natura authoritatem demandauit, facile ſe dimittere debebit ad promiſcuos aſpectus, & negotia vniuerſa, quibus ſenſus libenter diſtinentur. Sin aliter fecerit, paulatim in diſcernendis rebus acies intelligentiæ eius cęcutiet, & vis omnis regiminis tandem intercidet. Quod cum in cæteris ſenſuum oblectamentis ſatis liquidum ſit & manifeſtum: tum maxime in affectione impuri amoris verum eſſe conſtabit. Græce quidem amor ἔρος, quaſi εἰς ῥεῖ, quod foras, ab oculis nimirum fluat. Putat enim Plato ab oculis aſpicientiū prodire quoſdā radios ſpiritibus ita temperatos: vti traiecti ad pupillam eius, qui videtur, mox ad cor ipſius peruadant, pectuſque eius inflamment, pręcordijs ſummam quandam grauedinem inducant & moleſtiam, cæteraſque ægritudines omnes efficiant, quibus miſeri torquentur amatores. Propterea oculus amoris ſedes dici ſolet. Quemadmodū autem

Senſus cohibendi.

Plato de pulchro.

Athen. lib. 13. c. 6.

ciuitas obsessa non prius capitur, quam murus eius fuerit expugnatus, cæteræque arces & propugnacula deiecta aut recepta: ita vesana libido animam ad sui deditionem non cogit, nisi postquam ab aliquo pulchro vibrata species oculos occupauerit, & fascinatione quadam eorum aciem penitus perstrinxerit. Haud etenim aliter mens & ratio erga sensus afficiuntur, quam mater erga prolem, vir erga feminam. Quamobrem descensu quodam dimittens se animus ad sensus, cum illis colludit, illarum rerum admiratione capitur, tum desiderio tenetur, quæ ad sensus cum voluptate affluunt. Desiderauit idcirco regius
Psal. 101. Propheta fieri tanquam passer solitarius in tecto, atque in secretæ vitę angulis delitescere concupiuit vehementius: ne ad aspectum quidem formarum venire statuens. Quantam vim haberet Bersabeę exposita species, ad traducendos animos in libidinem, nouerat: neque ipsum
Thren. 13. latuit Sampsonis robur Dalilæ elegantiã eneruasse. *Oculus meus* (inquit Propheta Ieremias) *depredatus est animam meam.* Quanta vis oculi ad inflexionem animi? Quanta eiusdem immanitas & crudelitas, qui eum in prędam postulat, & cum Actęonis cane herũ dente dilacerare con
Gen. 39. cupiscit? Relinquere potius voluit castissimus Ioseph palliũ in manu meretricis, quam inspectioni aut colloquio cum turpissima femina diutius fidere. Fuga autem oculis speciem noxiam statim excussit, priusquam altius illi insideret: eodemque discessu appetitum quoque liberauit: qui nisi ab oculo expugnari non potuit. Esto vnico oculi coniectu mentem ad amores non statim prępicitari, hesterna conuersatione nihil aut parum de animæ firmitate & constantia detractum fuisse: guttula tamen dilapsa in eandem sæpius incidens partem, durissimum excauat lapidem; per angusta foramina aut tenuissimas carinæ commissuras subintrans maris aqua, licet principio haud multum ponderis nauigio adferat, tandem tamen illud in fundum deprimet. Ita quamprimum sensus in pulchra delati fuerint, modicam quidem in animam impressionem efficient: vix eam in initijs quatient: verũ cum diuturniori vsu illecebræ inualuerint: loris quasi animam constringent, & neruis eam illigatam ferent, referentque qua illis collibitum fuerit. Prudenter idcirco consultoque Africanus Scipio Pœnos Hispania eijciens, potita victoria, in pręda captas virgines aspicere re-
Flor. Lib. 2 *cap.* 6. cusauit: ne, vt inquit Florus, oculis virginitatem libaret. Cuius viri eximiam continentiam, felicem belli exitum peperisse, à multis dictũ
Iob 31. est. *Pepigi* (inquit Iob) *fedus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine*: Merito, dicitur enim dolosa Venus: propterea quod ita latenter
Straba Venus. se per sensus in animum insinuet, vti eius motus vix deprehendi possit.

sit. Ideoque Straba pingitur, non directo aspectu, sed ad fallaciam & petulantiam composito respiciens. *Straba Venus, quia praua*, inquit Epictetus. *Epict. in dialog.*

Sensus autem non solum cohibendi sunt, vt illæsa seruetur virginitas, verum etiam vita, quantum fieri poterit, forensibus aulicisque negotijs subducenda. *Discessus vitæ regni situs ad castitatem.* Vnde Propheta Osee: *Adducet Dominus ventum de deserto.* Quibus significat diuinæ gratiæ spiritum in desertis locis inueniri. In ciuitate autem hominibus referta, aut in siluis fronde densatis, quis æstuans auram capiet, qua refrigeretur? *Osee 13.* egrediendum potius in campos, locaque turbis vacua, liberiora, magisque aperta, in quibus suauiter spirantis istius zephiri flatum excipiamus. Quare vt humor noxius per corpus exundans, vrente spiramine exhauriatur, vel ardor ille corporum cælestis spiritus effuso rore mitigetur, ad solitudinem festinandum: vti ex thesauris Dei eductos ventos, (sicut loquitur Psalmista) passis quasi velis anima suscipiat. *Psal. 13.* Ad quod à populari cōcursu seu ulsum vitæ diuerticulum, vti castitatem illibatam Propheta Ieremias seruaret, contento quodam cursu properauit: *Ierem. 13.* quando lumbare lineum, quo lumbos pręcinxerat, in foramine petræ abscondit. Lineū quidem lumbare, emortui & detriti corporis hieroglyficum. Sicut enim linum suapte natura infuscum, frequenti lotione & attritu candorem nanciscitur: ita humanum corpus vti candidissima castitatis specie effulgeat, sæpius pęnitentię lachrymis lauandum, afflictionibus varijs quasi ictibus concutiendum. Sed quod nec lachrymis, neque in ictibus secura prorsus sit castitatis custodia, idcirco ne tam præclara gemma Prophetæ excideret, vel latrocinio exponeretur, ad foramen petræ cucurrit, in quo cingulum abscondit: quod in illo recessu ita penitus computruit, vt merito illud Dauidis canere potuerit: *Domine tu possedisti renes meos.* *Psal. 138.* Si enim Vlysses (vt fingunt Poetę) ne Syrenum cantilenis ad sirtes & scopulos ex deflexu illectus impingeret, prudenter cera obseratis aurium meatibus, nauali malo ligari voluit: multo magis in hac vita nostra tot infessa, non obsessa tantum voluptatibus, curandum videtur, vti ab illis, actionum secessu declinantes, secretiora petamus: Ne tandem Syrenum vocibus fracti, nauigationis terminum portumque ipsum exitium sortiamur. Modum vero huius abscessus istis describit Ambrosius: *In hac ergo naui quisquis aut arbori se religauerit, aut aures suas diuinis scripturis clauserit, dulcem procellam luxuriæ non timebit.* *Ambros. Serm. 55.* Neque hoc animæ consilium in præsidium castitatis excogitatum Cicero penitus ignorauit, qui vnicum ferme modum declinandi libidines in fuga positum existimauit. *Cicero 4. Tusc.* *Abducendus etiam est nonnunquam*

animus ad alia studia, solicitudines, curas, negotia, loci denique mutatione tanquam ægroti non conualescentis sæpe curandus est. Quamobrem si quamprimũ libidinis appetitio ferire & pulsare animos inciperet, statim nobis cura esset ipsis initijs contraire: nullo ferme negotio leuiores illæ impressiones repellerentur. Cæteroqui si laxati ad omnem cupediam, cupidinemque voluptatis, blandienti inimico, sęueritate morosius non occurramus: postquam in anima impurus amor radices altius egerit: cum eam penitus insiderit: sero nimis de remedio erimus solliciti: nisi vt quidam dicit, restem cogitemus aut præcipitium.

Senec. Hypol.

Quisquis in primo obstitit,
Pepulitque amorem, tutus ac victor sit.
Qui blandiendo dulce nutriuit malum,
Sero recusat ferre, quod subijt iugum.

Nemo idcirco, quantumuis sapiens aut virtute excultus, sibi nimiũ fidat: nisi enim delinquendi occasiones effugerit, impossibile plane, vti volitantibus istis telis & ardentibus spiculis aliquando non traijciatur. Vsu enim vitę, conuictus consuetudine, opulentia, supellectilis splendore vires capit libidinis appetitio. *Carnis concupiscentia* (inquit Chrysostomus) *acrius insurgit aduersum eos, qui in hominum viuunt frequentia, quos & decora facies & corporis nitor capit per oculos, & verbum obscœnum per aures ingressum, rationem nobis turbat frequenter, & arte moderata cantio animi constantiam labefactat.* Quoniam vero istius appetentiæ vis omnis ab extrinsecis rebus non prouenit, sed magna eius pars intimis corporis medullis penitus insita manet: idcirco vt ratione cohibeatur ineffrenis appetitus, ipsaq; virtute castitatis definiatur in voluptatẽ naturæ propensio: satis non erit auulsu & discessu quodam vitæ in latebras se abdidisse, verũ insuper ipsius corporis ratio habenda, in cuius pectore & natiuo calore ferociunt libidinum æstus. Proinde cum à foro & hominum strepitu in solitudinem aliquã perrexerimus: nihilominus nimio inibi calente sanguine, phantasiæ ludibrio excurrente liberius, depictas Veneres amore prosequemur: & cum D. Hieronymo in media æremo consistentes, Romanis interesse delicijs, illasque formas nobis intueri videbimur. Qua de causa veteres Vulcano nuptã Venerem finxerunt, propterea quod calore efferuescente proni homines sint in libidines. Imo maior & acrior cura adhibenda est in hac nostri corporis seuera disciplina, quam in eiusdem secessu. Fieri enim potest vti corpus aliquando extenuetur, sic frigeant artus & languescant: vti visis pulchris, aut forma illius Dianæ venatricis inspecta, nulla exoriatur concitatior voluptatis appetitio, aut inueniatur Actęon aliquis à suis

Chrysost. Homil. 4. de Lazar.

Corporis calor dimittendus vt seruetur castitas.

Hieron. Epist. 22.

Epict. dialog.

canibus

canibus decerpendus. Cæterum turgeſcentibus venis & nimio ſpiritu inflatis fieri nequit, vti anima in medijs flammis non vratur libidine, non coinquinetur fumo. Quare dum corpori operam noſtrã admouemus, & in illud ſeueriori diſciplina animaduertimus, voluptatis ipſam arcem inuadimus, eiuſque armamentarium expugnamus. *Saturaui eos,* Ierem. 5.
& mœchati ſunt, inquit Propheta Ieremias. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria*, dicit Apoſtolus. Ephes. 5. Et ſanctiſſimus Iob ita Veneris ſedem deſcribit: *Sub vmbra dormit, in ſecreto calami & in locis humentibus.* Iob 40. Vmbra & calami ſecretum angulos deſignant libidinũ. Vult enim Venus (vt quidam loquitur) ſua furta celari. Loca humentia, corpora vino & crapula redundantia, copioſo exęſtuantia ſanguine, abdominis immanitate depreſſa ſignificant.

O prorſus in pugnis amor Sophoc. Ant.
Inuicte, qui in lautas fere
Poſſeſſiones irruis.
Amor puellæ in mollibus
Dormire qui ſoles gremijs.
Qui per maria vaſta ambulas,
Nec non ſtabula per agreſtia. Sed vt Græce dicitur,

Ἐν πλησμώνῃ τοι κύπρις, ἐν πεινώσῃ δεῖ οὐ.

In abundantia Venus, non in penuria.

Fertur Venerem interrogaſſe ſuum Cupidinem, quare inter cęteras pulchram etiam Dianam telo non aliquando feriret: illi reſpondit Lucian. lib. 3. Cupido, quod venatrix eſſet, & tam agili pede rupes montiumque cacumina iugi labore peteret: propterea fieri haud poſſe dixit, vt conſtanti firmoque traiectu ſpicula in metam ferantur. Vbi enim otium abijcitur, laborque corporis ſuſcipitur, ibi in caſſum volitant Adonidis miſſilia. Idcirco oppoſita quadam ratione Venus expellenda, quam qua nos ipſa aggreditur. Quomodo autem noſtros animos pertentet, deſcribit pulcherrime Aurelius Prudentius: Pruden. in Pſycom.

Non tamen illa pedes, ſed curru inuecta venuſto,
Saucia mirantum capiebat corda virorum.
O noua pugnandi ſpecies, non ales arundo
Neruo pulſa fugit, nec ſtridula lancea torto
Emicat amento, framia nec dextra minatur.
Sed violas laſciua iacit, foliiſque roſarum
Dimicat, & calathos inimica per agmina fundit:
Inde eblanditis virtutibus halitus illex,

Inſpirat

Inspirat tenerum labefacta per ossa venenum.
Et male dulcis odor domat ora, & pectora, & arma,
Ferratosque toros obliso robore mulcet.

Istis autem vis summa & rigor à nobis opponenda, obblandiens canis pedis calce abigendus, cruce Christi & perpessionis acerbitate corpus debellandum, decor inedia corrumpendus, absumendus sanguineus humor parsimonia victus, collidenda ad saxa defatigata membra, vultu ad iram plane composito rigide admodum veneri resistendum. Vt enim inquit Apostolus: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Mortem carni inferendam docet, ni velimus voluptati succumbere. Mors autem nihil facile, nihil emollitum sonat, sed arduum quid & asperum, atque à sensuum iucunditate prorsus auersum. Propterea alio in loco admonet: *State ergo succincti lumbos vestros in veritate.* Non itaque otio torpendum, non molli culcitra membra fouenda, sed peruigili animo standum erit, neque lumbi diffluere debebunt ad libidines, & ad omnem turpitudinem laxari: sed seueritate potius constringi, & ex instituto Baptistæ, pellicea zona coërceri. Quo pacto idem Apostolus, vas electionis diuinæ gratiæ liquore plenissimum, atque amoris flamma lucidissimum, corpus suum castigauit, & in seruitutem redegit. Atque ne delicatam aut ad mollitiem infractam existimemus Christiani hominis conditionem, sapientis voce ita admonemur: *Sepi possessionem tuam spinis.* Duo sunt breui hac admonitione complexa, primũ (quod & supra narrauimus) auocatio est mentis ab illis rebus, quæ lenocinium pariunt & illecebram, atque inclusio quædã est & veluti animæ septum, à vaga appetitione illam cohibens. Alterum vero quod modo pertracto, acris quædam est rigidaque corporis curatio, asperioris vitæ adhibitis spinis: quibus contectus Herinacius in foramine petræ, à sagittis & arcu cupidinis procul semotus, tuto delitescit. Spinas istas, & seueri instituti aculeos sibi consciuerunt omnes, qui in hac fragili & lubrica carnis mole, integritatis atque continentiæ florem illibatũ esse studuerunt. Spinæ etenim densatæ & inter se implicatæ, (vti animaduertimus) torridum solis radium desuper coquentem, à flore depellentes, eius speciem ab adustione tutantur: nonnunquam etiam arcent belluæ auiditate ad pastum deiectæ labia: quibus alioquin carperetur. Ita spinæ durioris disciplinæ, animæ florem, decus hoc iuuenile ab ignibus defendunt feruentis concupiscentiæ: & cum ad voluptatem, obiectum aliquod animum sollicitarit: venenum melle illitum reijciunt. Obblandientis meretriculę impurum os, cuius halitu

tanquam

Rom. 6.
Ephes. 6.
Eccli. 28.
Psal. 103.

tanquam insalubri spiritu viuus ille color corrumperetur, repellunt. Qua ex ratione, sui iam casus expers factus primus parens, eaque de causa concupiscentiæ fraudulentas simul atque violentas inuasiones magis reformidans, (grauissimo enim suo damno sibi timorem compa-
rauerat) vt scribit Tertullianus, ficulnea folia pudendis adhibuit, *Tertull.*
quibus acris quidam dolor & grauissimus pænę morsus carni pecca- *lib. 3. cont.*
trici admouerentur. Qua quidem castimonia & acerbitate per totius *mart. c. 37.*
vitæ decursum vsus fuisset, nisi interueniens diuina benignitas eius corpus pelliceis tunicis mollius induisset. Propherę postmodum quam seuerissime carnem ieiunijs, vestium rigore, peregrinatione assidua
castigarunt. Elias, in quo castitatis exemplum eluxit, non longe à *3. Reg. 16.*
torrente Carith absconditur: vbi dapes coruus illi parat, & torrentis
fluenta potum subministrant. Rechabitæ in rusticis tuguriolis & ad *Ierem. 35.*
horam duraturis casis commorantur: ciuium frequentiam, opulen-
tiam, luxumque auersati. Sanctissimus Dauid ita algore seueritatis, *Psal. 118.*
noxium illum corporis humorem exhausit, vti (quod ipse testatus est) factus fuerit sicut vter in pruina. Qui Christū virginum ducem quasi lilium inter spinas sequuntur: Cruce in fronte erecta, bellum vo-
luptati indixerunt. Hinc Apostoli nudi, egeni, sine sacculo & pera *Lucæ 10.*
per orbem terrarū vagantur: viuunt, sed non ipsi, viuit autem in illis *Philip. 1.*
Christus. At neque in femina sine castigatione hac, tuta esse poterit continentia: non illi sola fides sufficiet ad ardores libidinum extin-
guendos, vt delirant hæretici: sed cū Magdalena turriti crines, ad mun- *Lucæ 7.*
di pompam captandam erecti & calamistrati, passi atque laceri diffluere debebunt ad Christi pedes: oculi illi, qui animarum prædam aliquando egerunt, qui venenata iacula euibrarunt, lachrymis ma-
dent necesse est: corpus ardore libidinis subsultans, sacco & cilicio *Hieronyi.*
exulcerandum, ferocia denique carnis disciplinæ freno edomanda. *Epist. 10.*
Vnde D. Hieronymus: *Meretrix illa, in Euangelio baptizata lachrymis suis* *Phil. de*
& crine, quo multos ante deceperat, pedes Domini tergens, saluata est. Non habuit *vita cōtēp.*
crispantem mitram, nec stridentes calceolos, nec orbes stibio fuliginatos, quanto *Hieron. in*
fœdior, tanto pulchrior. Intueamur deinde ex continentia celeberrimos *Marc. epip.*
illos Christianos, qui sub instituto diui Marci Alexandriæ vixerunt: *lib. 1. cont.* *hæres.*
primitias inquam agri Ecclesiastici, nouella florentis arboris germina. Hi autem non alijs studijs puritatem defensitarunt, quam iugi labore, fame, siti, vigilijs, omnisque generis asperitate. Hæc ratio est tutandi integritatem animæ corporisque. Atque huiusmodi rigore, eximius
quidam cultus Deo exhibetur. Byssus retortus, cuius vsus in sanctua- *Exod. 26.*
rio frequens & nominatus, castimoniam carnis adumbrauit: vt nota- *Orig. ibid.*

Greg. lib. 30. Moral. cap. 10. runt Origenes, & D. Gregoris magnus. Nisi enim caro violentia quadam in illius transuersum, in quod suo innato pondere inclinat, quasi retorta feratur: nec tabernaculo idonea, neque integritati apta inuenietur. Via autem hæc, in quam Christiani sunt ingressi, ardua est, anfractuosa, omnique laborum magnitudine plenissima. Propterea qui delitijs vacant, qui otio languent, qui ex sola fide dormiunt, inepti prorsus sunt ad institutum Christianum, in quo carnis continentia effulget.

Hierony. Epist. ad Heliodor. Vt enim inquit D. Hieronymus: *Corpus assuetum tunicis, loricæ onus non fert: caput opertum linteo, galeam recusat: mollem otio manum durus exasperat capulus.* Fæda illa concupiscentiæ illuuies, qua quodammodo tabescimus, genus quoddam est morbi hydropici. Quo qui laborant, si ingluuiem ventris & dapes consequantur, in mortem cito incidunt: parsimonia vero & frugali victu curatio adfertur: ita voluptate interitus, rigore vero salus paratur. Despiciamus iam & alios præclaros athletas, castitatis virtute conspicuos, videamusque quibusnam artibus tantam gloriam sint indepti. Quid Basilio Monachorum patre nitidius? de eo autem hæc refert alumnus eius Nazianzenus: *Nazian. orat. in laudem Basil.* *Illi tunica vna & pallium vnum, & humi cubatio, & balnei contemptus, illa eius decora ornamenta & vigiliæ, & cœna suauissima atque pulmentum illi erat, nouum inquam illud condimentum, panis & sal, & potio sobria & vberrima, quam nobis nihil laborantibus fontes proferunt.* Cui ministrorum apud hæreticos, tametsi sua fide bene saginato, talis dieta arridebit? Quis illorum vulcaniorū gelidæ aquæ haustu, & non potius vino ingurgitato, ardores suos libenter extinguet? Sed fortassis nullus illorum indigebit tam superstitiosa contentione. Deus bone, indiguit Basilius, flos & ornamentum præsulū, & non indigebit furiosus libidinum assecla minister? At fides & vxor sufficient. Quid plura? Infausta fides, quæ nihil nisi vxorem quærit, misera vxoris conditio, quæ fidei in subsidium venit. Progrediamur vlterius. Gregorius Nazienzenus, vir sane spectabilis, cum ex vitæ integritate, tum etiam doctrinæ & eruditionis præstantia, eisdem austeritatis semitis insistens, insultantem libidinem coërcuit. *Greg. Naz. Carm. vit.* Sic enim carni suæ comminatur: *Quocirca vrere me tandem, ac libidinem istam petulantiāque compesce, nec in animæ meæ perniciem perpetuo furere, debacchare: alioquin testor fore vt te acerrime oppugnem, omnique doloris genere frangam, atque cadauere imbecilliorem te reddam.* Et postea: *Venite iam, & quidem magna copia scelerum expiatrices lachrymæ, veni laboriose tam mentis quam corporis peruigilium: vt flammæ meæ ardorem minuatis, fœtidamque vitiorum putredinem absstergatis. Venter satietatem ablegет, genua humi defixa obrigescant, cinis cibi loco*

sit,

sit, asperrimus saccus mollia membra vndique tegat, veraces animæ suppetias ferant.
Veni tristis cura, carnis domatrix, futura supplicii mihi semper ob oculos pones,
Atque hæc quidem stoliditati meæ vecordiæque medicamenta ipse adhibebo. Et alibi: Greg.Naz.
Ego in hac canitie corpus lanio, oculos premo diurnis nocturnisque curis. Ter mi- orat. de
seram animam conficio, vt eam flammam extraham. Hæc arma, hæc castitatis calum. vit.
præsidia, hæc illa sunt, quibus communiti, quotquot ab orbe con-
dito integritatis gloriam adsequuti, voluptati renunciarunt. Vnum
Christum Dominum excipio, in quo concupiscentiam vnio hyposta-
tica extinxit, ideoque nulla perturbationis concitatio vsum rationis
eius potuit anteuertere. Demo etiam beatissimam Virginem, diuinæ
gratiæ priuilegio ita fomite penitus exutam, vti nullo pacto illi casti-
tas difficilis fuerit aut molesta. Cæteris vero omnibus quantumuis
iustis, grauissimum contra libidinem bellum incumbit: ni frangi
velint, & nouo diluuio suffocari. Audiamus quoque D. Hieronymum Hieron.
bella sua, tanquam alterum Cæsarem, describentem: *O quoties ego ipse in* Epist. 22.
eremo constitutus & in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horrida
Monachis præstat habitacula; putabã me Romanis interesse deliciis? sedebam solus,
qui amaritudine plenus eram, horrebant sacco membra deformia, & squalidũ cutis situ
Æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie Lachrymæ, quotidie gemitus. Et si quando re-
pugnantem somnus inueniens oppressisset: nuda humo vix ossa hærentia collidebam,
de cibis vero & potu taceo. Cum etiam languentes Monachi aqua frigida vtantur, &
coctum quid accepisse luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metũ tali me carcere
ipse damnaueram, scorpionum tantum socius & ferarum: sæpe choræis intereram
puellarum. Pallebant ora ieiunijs, & mens desiderijs æstuabat, in frigido corpore, &
ante hominem sua iam carne præmortuum, sola libidinum incendia bulliebant, atque
omni auxilio destitutus, ad Iesu iacebam pedes, rigabam lachrymis, crine tergebam,
& repugnantem carnem hebdomadarum inedia subiugabam. Non erubesco confiteri
infelicitatis meæ miseriam, quin potius plango, me non esse, quod fuerim. Memini
me clamantẽ, diem crebro iunxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus,
quam rediret Domino increpante tranquillitas. Ipsam quoque cellulam meam, quasi
cogitationum mearum consciam, pertimescebam, & mihimet iratus & rigidus solus
deserta penetrabam, & sicubi concaua vallium, aspera montium, rupium prærupta
cernebam: ibi meæ orationis locus, ibi illud miseræ carnis ergastulum, & ibi testis
est Dominus, post multas lachrymas, post cælo inhærentes oculos, nonnunquam vide-
bar mihi interesse agminibus angelorum, & lætus gaudensque dicebam, post te in Cant. 1.
odorem vnguentorum tuorum cucurrimus. Videte obsecro certamen Chri-
stiani militis, panopliam intelligentijs vestris excutite, atque ad ocu-
los speciosum nihil, vel ad sensus iucundum apparebit. Nam vt inquit Ambros. 4.
Ambrosius: *Non vitta capitis decus, sed ignobile velamen, vsu nobile castitatis.* lib. ep. 32.

Non exquisita, sed abdicata lenocinia pulchritudinis. Non illa purpuræ insignia, non luxus delitiarum, sed vsus ieiuniorum.

Sanctiores semper affectarunt castitatem, ex vitæ duritie.

Hoc autem adeo rationi consentaneum semper iudicatum, vti apud omnes plane gentes, pænes quas sanctimoniæ cura viguit, seuerior semper corporibus disciplinæ ratio adhibita fuit; idque solius naturæ, (vt videtur) instituto. Palliati Philosophi integra vita spectabiles, non plumis & carpentis, non florum sertis, aut venereis delicijs suum decus pepererunt aut seruarunt: sed assiduis laboribus, duris corporum exercitijs, sensui admodum molestis: vtpote inedia, algore, & summa in rebus omnibus asperitate. Quorum exempla Imperator Aurelius, cum annum ageret duodecimũ, sequutus, pallium sumpsit, & ad illorum prescriptam normam (vti tradit Iulius Capitolinus) eam deinceps tollerantiam exercuit, vti humi cubaret, vix autem nocte agente, instrato pellibus lecto accubaret. Pythagorici carnium esu abstinent: Sinici cum sacculo & pera oberrant: Sacerdotes Ægyptij pane, sale, & hyssopo vescuntur: apud Indos gymnosophistæ omni penitus corporis laniena & cruciatu se conficiunt, quorum castitatis votum probauit Plutarchus: *Qui per annum pollicebantur se velle à re venerea & vino abstinere, Deumque continentia sua venerari*. Turcæ eiusmodi quoque studia susceperunt, acerrima quidem ad corporũ integritatem custodiendam. *Habent* (inquit Cuspinianus) *Turcæ religiosos multos externo habitu differentes. Quidam incedunt nudi, operientes verenda tantum, tam magnam præ se ferentes patientiam: vt quasi impassibiles, nec hyemis frigora nec æstatis calores sentiant: Alij paupertatem professi, nihil de rebus terrenis cogitant, nec in crastinum aliquid reseruant. Alij perpetuum silentium tenent, nullam cum hominibus conuersationem habentes. Viuunt multi inter homines, plerique in nemoribus & siluis. Quidam in ciuitatibus aquam baiulant ad bibendum optimam: nihil inde mercedis expectantes, seu hospitalitatis officium exhibentes. Habitant aliqui circa sepulchra mortuorum, & ex oblationibus viuunt.* Apud Iapones existunt Ioques, de quibus ista narrat Maphęus: *Vnus omnibus præerat, insigni duritia & austeritate vitæ, neglecta semper barba, & capillo asperso cineribus, corpore obsitus pannis, ac seminudus, dira macie liuidus: hisce alijsque id genus artibus in tantam sui admirationem adduxerat cunctos: vti qua pedes aqua lauisset, hanc Armuziæ rex ipse religionis causa potaret.* Istis quoque ratio suffragatur. Si enim corporis ardor philosophię tantum pręceptis restingui posset: vel eius propensio in libidines solius mentis institutis in contrarium reflecti: inanis esset laboriosa eiusdem exercitatio, frustra homines suæ carni tanta opera vim inferrent. Veruntamen corpus hoc nostrum sagina plenum, discurrente & ebulliente in venis sanguine accensum, surdum se præbet ad voces

Iul. Capitol. in Aurel.

Laert. vita Diog.

Nemes. de myst. Aegip.

Plutarch. lib. de cohibend. ira.

Cuspin. de rel. Turc.

Map. hist. Indic. l. 14.

voces & hortamenta rationis. Ferum est enim animal immansuetum, seruile mancipium, & propterea alio castigationis genere cicurandum, mentisque imperio subijciendum. Scribit Trogus, cum Scythę in Asianos expeditionem facerent, domi solum relictis mancipijs, propter diuturniorem expectationem maritorum, qua misere ipsorum vxores cruciabantur, incontinentes feminas, illos vna strage deletos facile credentes, seruis interim nupsisse. Redeuntes autem mariti ad propria, manu istorum mancipiorum ingressu in patriam prohibentur. Quocirca ad sua recuperanda aciem domini instruunt, & ex belligerandi pręceptis telis hastisque armati ad pugnam procedeunt dispertitis manipulis, situ conuenienti & forma alarum exercitum componentes. Post hunc tamen martium apparatum & seueram cum hoste congrediendi rationem, fugantur à seruis domini, & finibus illius loci turpi fuga eijciuntur. Expulsis autem, sanius aliud consilij genus, & ad rem ipsorum accommodatius in mentem postea venit. Secum enim reputare ceperunt mancipiorum contumaciam flagello & fuste coërceri optime solitam, non armis aut militari disciplina: proinde iudicarunt, quod si istiusmodi instructis machinamentis aciem renouarent, atque eos altera vice aggrederentur, omnino euenturū vti in fugam trepide serui illi dilaberentur: quod & rei exitus verissimum deinceps comprobauit. Aspectu etenim illarum scorpionum & virgarum in pauorem acti, pristina verbera recolentes animis, (vti ingenium fert mancipiorum,) victoriam dominis dispalati, vitæque fuga consulentes, reliquerunt. Eandem prorsus existimo rationē corpora tractandi. Cum enim in imperiū rationis inuaserint, atque virtutes appetitus motus, vt legitimos dominos expulerint: non philosophiæ munimentis expugnanda, sed veluti mancipia castiganda manu, virgę & flagelli solo ostentu trepidabunt, dimittentque se ad obsequium rationis, si ictus, seuera & rigida disciplina accesserint. *Trog. lib. 2.*

At quorsum hæc? quid spinas, aculeos in familiam Christi adscitis admoues, clamitabunt sectarij? Quid in paradisum voluptatum postliminio reductis, tribulos iterum porrigis? Vnius fidei synecdoche, quæ hactenus amplificasti, feliciter amputantur. Si fidelis fueris, castus eris, si fidem non habueris, quid frustra de castitate laboras? Quare fidem tantum scripturarum lectione tuere, & seuerioris disciplinæ molestia liberaberis. Sed quid? Theologumne audire vedeor, vel potius meretriculam lupanari exeuntem ad compita, vti istis vocibus amores suos aucupetur? Meretricem certe. Quid enim ad veneres, animos iuuenum acrius sollicitabit, quam istiusmodi cantilena? pinguis, *Sectario carnis superflua est castigatio.*

rufus, hirsutus, vagus, petulans, lasciuus, vnius fidei adminiculo castus erit. Quis hoc credit? ardebit stipula, quam ignis corripit: Caluinista Cerere & Baccho distentus, an non ardebit? impostores pessimi. Pudor vos prohibet, ne apertis sententijs luxuriam & veneres adseratis: sic enim lapidibus vos homines obruerent, & infami saliua fędarent: salaces tamen vulpes hoc idem occulte pertentatis. Dicitis summam Christianæ iustitiæ in vna fide positam: quare ni fides errore aut infidelitate vobis excidat: nulla turpitudinis labes animã aut corpus coinquinabit. Sed qualis sit istius fidei exitus, principes vestri & heroës abunde satis suis moribus declararunt: deinde illorum placitis sata posteritas, miserabili spectaculo & virtutum funebri excidio patefecit. Fœdus Lutherus, qui tam necessarium Veneris vsum dixit, quam quod mares simus, aut quod edamus, vel bibamus. Impurus Caluinus stigmate infamis. Sordidus Beza inuerso amore efferatus, nequitiei horrendæ ganeo, & cinędus lutulentus. Knoxius Scoticę ecclesię euangelista, triplici vxori ipse męchus iugatur. Et quod attinet ad eos, qui vestris imbuti dogmatibus, sua peruicaci defectione ecclesiæ Romanæ nunciũ remiserunt: verũ est quod quidã scribit in vestris rebus satis doctus: *Nullo vnquam sæculo antea libidines adeo frequentes, adeo variæ in omni genere sexus ætatisque exarserunt, atque hoc sæculo nostro.* In Germania ex euangelio fructus, non lilia, sed fęces, serpentes, & butones describit VVigandus. *An non videmus adolescentulos hoc tempore palam scortari? & si ab hoc vitio retrahuntur, sibi dari vxores flagitare contumaciter? puellas quoque, si aut libidine lapsæ sint, aut alias impudice lasciuiant: tam has quam illos proterue hanc Lutheri legem obtendere, neminem caste continenterque posse viuere, cum Venus æque necessaria sit, ac potus cibusque? ex his nouis nuptiarum ritibus pueri nubunt, puellæ nubunt, & sic nascentur viri illi tam strenui heroës, qui bello Turcas vltra Caucasum montem submouebunt.* Equidem non miror hæc, ad vestram namque fidem omnino consectaria est libido. Non solum quod fidei persusi dulcedine, à sensu omnem acerbitatem remouendam velitis, verum etiam, quod vlterius in sordes progressi, dicatis fide illæsa impunem fore scortationẽ, omnemque proiectæ libidinis appetentiam. Excultiorẽ sane virtutem in medijs Turcis inueniri existimarẽ, quam in scholis & synagogis vestris. At de istis alibi. Sunt aliæ quoque optimæ rationes, quibus mens informata venereas delectationes execrari poterit: quæ quod in vniuersum voluptates vituperent, cum de temperantia egerimus, commodius multo pertractentur.

Lutherus serm. de matrim.

Hamil. lib. 2.

Silu. Caz. de corrupt. mor.

VVigandus lib. de mor. Germ.

Amor

Amor intemperans quomodo moderandus?

CAPVT VI.

TAmetsi illis facultatibus ad agendum comparatis hominem probe munitum instructumque videmus: quæ satis virium habent ad sua ipsarum obeunda munera: non tamen illarum singulæ suopte ingenio modum operandi ita habent certum & statutum, vti indormiscente ratione accommodate ad hominis dignitatem semper operentur. Quin potius neglecta mentis cura, fines à natura constitutos, vis sensibus insita transcursu facile excedet: & voluptatis immoderata appetitione exstimulata, in extrema quælibet deferetur. Hoc enim sibi solum sensus vendicat, vti propositam expetat delectationem. Cæterũ vero conuenienter vt hæc ipsa appetitio relata sit in hominis vtilitaté, neque vlterius progrediatur, quam ordo rerum & mensura sinunt: rationis opus est imperio. Bruta quidem, quod ratione penitus vacent, ne ipsorum naturis male consultum videretur, legé quandam habent suis ipsorum sensibus infixam, qua sic instituuntur, vt in debitos fines semper moueantur: neque hæc naturæ præscriptio patietur ea constitutos terminos transilire. In homine autem, in quo authoritas elucet rationis, sensus ita non sunt compressi, aut directi in suos fines, vti aliquando latius non vagentur quam par est: proinde inducto freno indigent, quo carent innato: omnisque illorum moderatio à ratione proficiscitur. Quo modo appetitus ciborum, quo nos ipsos in vita seruamus, tametsi instrumentis quibusdam corporis perficiat refectionem & vegetationem: neque ad hæc pręstanda alterius facultatis opera indigeat: nihilominus voluptatis esca captus & irretitus, à ratione auersum penitus opus molietur, & in vitium fęde incurret, si ab eius pręsidio desertus, ad libitum excurrere illi permissum fuerit. Nomine autem istius appetitus non intelligimus sensum famis, sitis, vel eam iucunditatem, qua palatus in ciborum attritione perfunditur: hęc enim vitio carent; quandoquidem nec rationi subsint. Quare per appititionem ciborum designamus actum quendam elicitum concupiscibilis appetitus, aut etiam voluntatis, qui ratione sit moderandus: ne turpis euadat & vitio gulæ, quod Gręce γαστριμαργίαν appellant, coinquinatus.

Nõ omnes animæ facultates suis naturis fretæ bene sẽper operantur.

Operationibus in vitæ finem necessarium institutis, quæ difficultatem

Operationi quare adiuncta delectatio. tem aliquam, laborem aut turpitudinem adiunctam habent, attribuit natura voluptatem: cuius obiectu animalia incitarentur ad appetendum: atque ex ipsa voluptatis perceptione leuius ferrent molitioni annexa incommoda. Quo consilio, cum ciborum vsus omnino faciat ad conseruationem vitæ, cibis ipsis iniectum est illectamentum quoddam suauitatis, quod operationi fastidium adimeret, illamque redderet magis expetibilem. Iam vero inter homines & bruti appetitum hoc intercedit discriminis: quod homo, si modo habenas sensui concedat, nullum plane modum inueniat is cupiditatis suæ: sed in immensum voluptatis feratur desiderio: ita vt neque operationis formam teneat naturæ consentientem, sed potius contrariam: quæque non solum rationi aduersetur, verum & ipsi corpori, in cuius tamē gratiam ciborum appetitio suscipitur: quod in illis cernitur manifesto, qui esculentorum immani quantitate vim naturæ penitus obruunt. Bruta vero animantia quantumlibet voluptati inhient, eiusque ferociant concupiscentia: nihilominus corporibus quam primū fecerint satis, vlterius voluptatis ostentu non ducuntur, sed intra debitos ipsorumque vitæ conuenientes terminos consistunt. Quocirca ad rationem in homine spectat, (cum eiusdem appetitus ad id præstandum infirmus sit) ita cohibere sensuū incitationem, vt voluptatis desiderio inescati, nunquam fines excedant, quos natura ipsa necessitati, conseruationi, & propagationi abunde satis consulens, aliquid etiam ex largitate muneris moderatæ voluptati concedens, defixit, decretoque rerum ordine constabiliuit. Ex quibus liquet, quænam sit appetitus gulosi ratio in vitium incidens. Videtur enim omnino referri ad voluptatem, & illud deserere, quod præstantius est. Finis ciborum vsui constitutus, vitæ est conseruatio: quā mens & consilium intuentur, cui affixa est voluptas, tanquam vmbra è corpore effusa; in quam tantum intendit appetitus. In eandem itaque rem vtraque facultas vergit, ex diuerso tamen motiuo & incitamento. Si autem mens primario quod sibi proprium est statuat perficiendum, integrum illi erit, etiam in voluptatem paululum secundo quasi in loco concedere: non enim culpabile omnino est, aut à ratione auersum, vitæ sustentatione necessariæ adiunctam cupediam desiderare: hoc etenim naturæ concedendum videtur, saltem vt indifferens quid, æque à virtute & vitio distans. Puto tamen nullam voluptatem, sub hac propria notione, virtutis obiectum constituere: & ex consequenti nullam eius appetitionem virtute esse præditam: induit tamen voluptas aliquando rationem honesti: vti cum sanitatem cupimus,

Differētia inter appetitū ciborū in homine atque in bruto.

Obiectum gulæ quale sit.

Voluptas aliquando honesta.

cupimus, eruditionem, vitæ subsidia, in beatitudine corporum dotes; quæ iucunda sunt: est etenim amor sui laudabilis, quo huiusmodi appetimus. Idcirco voluptatis desiderium ex cibis in leuamem quoddam naturæ concessis, atque vti corpori quandam adferunt perfectionem, quam etiam Deus ipse non negauit, aut lege prohibuit, vitiosum non erit. Scio tamen difficillimũ esse ratione philosophica conficere, quonam pacto voluptatis sensus natura sua sit vitiosus, qui nec animæ, nec corpori, nec sibi, nec alteri detrimentum adfert. Iste siquidem sensus, non videtur ab intrinseco malus, sed potius ipsi naturæ cõmodus & opportunus: beati enim aliquando omni abundabunt sensuum iucunditate. Sed quod ad nostrum institutum attinet, dum ratio modum excedens temperantię, sensuum voluptate ducitur, in vitium procul dubio incidit. Non enim illa voluptas expetenda est, nisi vt corporis necessariæ sustentationi adiuncta: qua absente culpabilis prorsus euadet illius expetitio, & vt loquitur D. Thomas: *Hoc solum pertinet ad gulam, quod aliquis propter concupiscentiam cibi delectabilis, scienter excedat mensuram in edendo.* Ex quibus videtur D. Thomas vitij istius vim & naturam in duobus reponere; quantitate nimirum cibi, & eiusdem delectatione: pręcipue tamen in delectatione. Si enim exquiramus id, quod ab appetente inordinate cibos primario spectatur, illud non tam esculenti quantitas, quam iucunditas reperietur. Nam quod tanquam finis in votum hominis incidit, bonum est honestum aut delectabile: honestatem vero rabida isthæc appetitio non persequitur, in delectationem proinde vnice intendet. Non tamen delectatio quæuis est vituperabilis, sed illa quæ contraria est præceptioni rationis; qui quidem respectus dissonantiæ in sensu iucundi, nudam non sequitur condicionem cupediæ, sed tum ex ciborũ quantitate, tum etiam eorum qualitate, veluti ex integro fundamento consurgit. Illectus enim appetitus voluptate gulæ & gustus, satietatem non quærit ex mole ciborum, sed voluptatem, quæ nullis terminis circumscribitur, aut honesto fine decoratur: vnde & res est à ratione prorsus aliena. *Quibus vilis corporis salus* (vt asserit D. Augustinus) *malunt vesci in quo delectatio est, quam saturari.* Istius autem immoderati appetitus obiectum, dupliciter decernitur. Primo solius rationis constanti iudicio, deinde legis regula & præscriptione. Temperantiæ enim aduersatur ciborum vsus non, ille solum, quem perpetuus omnium gentium consensus damnat & reprobat, ipsaque intelligendi vis humanæ naturæ insita, vtpote vitiosum reijcit: verum etiam is, qui contra legem diuinam aut humanam legitime latam suscipitur.

Thom. 2. 2. q. 148. art. 1.

Præcipue in vitio gulæ spectatur delectatio.

August. lib. de vera relig. c. 53

Decernitur obiectum tẽperantiæ dupliciter.

Quo pacto intemperans extitisset Iudæus ex esu carnis porcinæ vel immundorum, aut si statutum aliquod ieiunium violasset. Ad quæ duo genera obiectorum reducuntur quinque illi modi delinquendi contra virtutem temperantiæ, recensiti à D. Gregorio Magno & alijs. Nec putandum ex sola quantitate ciborum gulæ noxam oriri: sunt enim alij alijs corporum ratione cibi appetentiores: qua de causa fluida Gallorũ & Germanorum corpora vastiorem refectionem exigunt. Quin potius originem trahet ex cura exquisita dulcedinis capiendæ in ciborum comestione, etiam cum abest quantitas immoderatior. Tale est iudicium D. Basilij: *Siquidẽ gulæ vitium non in escarum copia, naturæ suæ vim positam exercere nouit, sed in voluptate & gustatu: licet modicis admodum vtare.* Ex quibus obscurum modo non est videre, in quibusnam versetur temperantiæ virtus. Hæc enim gustus frenum quoddã est, cibi appetentiam rationi subijciens. Quod quidem pręstat, dum ciborum appetitus lasciuire non permittitur circa voluptatem, aut vlterius progredi, quam ab ipsa defixus finis & terminus patiuntur. Ita vt neque in genere ciborum, neque in comestionis modo quidpiam fiat rationi repugnans, aut quod rabidi alicuius desiderij immanitatem prodat. Iam vero rationum præsidia exponemus, quibus mens & ratio aduersus hanc turpem abiectamque ciborum appetitionem muniantur.

Greg. Mag. 31. moral. c. 6. Isiod. lib. 4. Etimol. Anton Sum. tit. 6. p. 4. Thom. 2. 2. q. 108. art. 4.

Basilius homil de abdic. rerũ.

Ante omnia tamen vis istius amoris, quo ex cibis voluptatem tantopere desideramus, aperienda & dilucidanda: vt exploratis hostium copijs, melius subinde ad conflictum animos paremus. Tria autem in vniuersum occurrunt, quæ ortum appetitionis huius complectuntur, qua in cupedias ferimur & gustus oblectamenta. Primum est temperies quædam comestionis organo insita, coalitaque ex primarum qualitatum commixtione. Siquidem degustatio ciborũ, genus quoddam tactus est, & ex consequenti ponitur in quadam immutatione sensus, quam ingesti in os cibi, & dentium attritione comminuti efficiunt: dum expresso cum humore modicoque calore palatum aut linguæ radices contingunt. Cui idcirco fluida, mollis, & delicata in istis partibus caruncula obtingit, quod hęc facile alterationem ab extrinseco excipiat, is pronior erit ad voluptates cibarias. Ex parte etiam ventriculi eiusque situs cum Aristotele Galenus istius cupiditatis causam assignauit: *In vehementiori appetentia* (inquit Aristoteles) *venter omnibus animalibus sursum procurrit, adeo vt nonnulli cum primum recipere eum affectum sentiunt, foras sibi repere ventrem dicant.* Sicut enim (vt docet Galenus) fortiori quadam vi protensæ manus vicinum quid arripitur: ita

Causæ vniuersales appetentiæ gulosæ.

Arist. de hist. animal.

Galen. lib. de natur. facul. c. 8.

ita ventriculus gulę proximior, veluti manu, cibos auidius ad ſe rapit. *Proinde in quibus animalibus hæc tria ſimul incidunt, vehemens oritur cibi auiditas: gula parua, & oris laxitas ampla; in his paulum extenſionis momentum totum ventrem ſurſum in os agit.* Altera vero ratio deſumitur ex victus conſuetudine. Eam enim vim conſuetudo habet, vti in naturam verſa, non tam conſuetudo, quam natura poſtea ſit appellanda. Vſu namque voluptatis magis irritatur appetitus, & potentior inde euadit contra rationis imperium. Quod autem frequentius reipſa ſenſus experiuntur, illud vt animo ſæpius obuerſetur neceſſum eſt. Proinde mentibus obiectę cupedię perpetuo illas ſollitant, & inuitant ad rabidas ciborũ appetitiones. Ipſumque organum guſtus frequenti ex eſu nonnihil mutatum, pruritum quendam ſentit, quo exſtimulantur homines mirifice ad voluptatem edulij. Fatentur enim qui vinum ad inſaniam bibunt, ingeniumque poculis ingurgitant, ex ipſo hauſtu acrius incitari guſtum ad cupiditatem illius liquoris. Cum autem à comeſſatione interiecta ceſſatio eos abſtraxerit, impreſſamque illam vim guſtui deleuerit; multo facilius huiuſmodi abſtinent voluptate.

Iſtis autem cauſis, quæ magis vniuerſales apparent, propriam & peculiarem, idque ex natura obiecti depromptam, adiungit D. Thomas: *Ad primum ergo dicendum, quod ipſe cibus ordinatur quidem ad aliquid, ſicut ad finem; ſed quia ille finis, ſcilicet conſeruatio vitæ, eſt maxime appetibilis, quæ ſine cibo conſeruari non poteſt, inde etiam eſt, quod ipſe cibus eſt maxime appetibilis.* Si enim ea quæ extra nos poſita ideo nobis in votis ſint, quod noſipſos in primis diligamus: ſequitur vitam, cui cętera innituntur bona, ſumme eſſe amabilem. Cum itaque defluentes corporis partes ciborum vſu reſtaurentur, ſine quo vita dilaberetur: ea propter appetitui vehemens quoddam alimentorum deſiderium natura iniecit. Apprehendimus namque animis alimentum, non vt quid plane à nobis diuerſum, ſed in noſtram ſubſtantiam, quam chariſſimam habemus, conuertendum. Atque vitæ iſtius tutandę gratia eſurie & fame exacuati quorundam dentes, quæ fœda animalia, ipſoque aſpectu horenda, auidiſſime contriuerunt? Quis voluptatis ſenſus animum illius feminæ Hieroſolymitanæ ſubiuit? quę inedia ad rabiem vſque adacta, propriã prolem in cibos parauit. Quomodo ſubridentis pueruli, & matri applandentis vultus, ferream illam mentem non emolliuit? At crudelẽ manum armarat fames, quæ vitam ipſam vi eripuit, quam paulo ante vterus donarat. Sanguinem filij mater impauida expreſſit, artus dente dilacerauit: efferatam quippe reddidit fames mulierem, nec paſſa eſt eam infantuli moribundi clamores audire, aut trementia membra

Cauſa appetitus guloſi ex parte obiecti eius.

Thom. 2. 2. q. 148. art. 5.

Ioſeph de bello Iud.

Ignobile gulæ vitiũ. oculis intueri. Verum si homini ab intimis suæ naturæ principijs vlla ingenita sit nobilitatis æstimatio, aut excellentiæ cuiuspiam cura: profecto quod hoc gulæ vitium longe sit sordidissimum, atque ad fæces nec cogitatione quidem ferendas abiectum: nihil aliud postulari videbitur, ad tam immanis, portentosi, impurissimiq; sceleris detestationem, quam vt nos homines esse, & ad altissima quęque ipso ortu nostri erectos cogitemus. Pessime principi illi consultum, & inglorium penitus eum reputaremus; cuius sceperum, diadema, imperium ex arbitratu famuli alicuius tractarentur. Nostris simili modo studijs indignum prorsus censebitur, mentem ad gulæ appetitiones vilissimas abijcere. Eoque acriori concertatione malum hoc repellendum intelligimus, quo nobis constat ciborum appetitum inęffrenem, nihil aliud esse quam serui cuiuspiam pręfractam insolentiam in dominum suum. *Liu. decad. 3. lib. 1.* Ruente Hanibale cum Pænis in Italiam, quando Alpiũ iuga superarat: Scipio Romano exercitu instructus illi occursans, exinde vel maxime suorum animos in hostem accendit, quod oratione ad eos habita adseruerit, non cum hoste, sed cum seruo potius dimicandum: propterea non ita tantum, sed & animi indignatione illi fore obsistendum intulit. Quæ obsecro sunt ganeam hanc suadentia? obscura nostra, dedecorosa, quæque ratio vti seruos habet & mancipia. Proh pudor: venter abdomine prodigiose distentus, idolum erigitur, cui mens & ratio omnem suam operam atque studia deuoueant. *Philip. 3.* Cuius infimam conditionem istis Apostolus detexit: *Esca ventri, & venter escis: Deus autem hunc & has destruet*: *1. Cor. 6.* Interitum atque turpem exitũ spectat ventris cura: nihil excelsi cõtinet aut diuturni. Sensus etenim gustus tactusque ita carni penitus immersus, vti inter naturę facultates infimum plane locum obtineat: proinde tam abiecti sensus, tam turpis cupediæ cultus in neminem incidit, nisi in hominem quempiam teterrimæ sordidissimęque consuetudinis: cuiusque animus nullam pręclari alicuius facti cogitationem capit, cuiusue voluntas, egregii nihil molitur, sed omnem suum conatum deiecit ad infima quęque. *Arist. 3. Eth. cap. 11* Hoc sane iudicium est summi illius Perepatetici. *Ac tales quidem euadunt ij, qui seruili admodum ingenio præditi sunt*: dicti rationem istis tradit: *Meritoque vt turpis & flagitiosa maledicti loco abijcienda videtur, propterea quia inest in nobis non qua homines, sed qua animalia sumus.*

Gula vitiũ ferinum. Nihil enim ita rationis expertium animantium ingenium habet, atq; pastus quotidiana refectio. Excepto enim tantillo temporis, quod libidini concedunt, in reficiendis corporibus omnis ferme vitæ ipsorũ spacium collocant. Integros dies campos fuse explicatos oberrant, &

ventri,

ventri, dimiſſis capitibus pabuli dulcedine illecti indulgent: ac ſi ipſorum laboribus præfixa meta ac conſtitutus terminus nihil aliud eſſet, quam cibi in corporis caueam ingeſtio. Iſtis, vitæ ratione quam ſimillimi, crapulæ & helluationis aſſeclæ. Quid obſecro diſcriminis intercedit? niſi quod bruta ferinos mores concinne aptent ſuis ipſorum formis: homines vero tam præclaram corporum ſtructuram, ſpectabilem quidem, brutorum prępoſteris actionibus corrumpant efferantque. Deſipuit mirum in modũ Eſau, qui omnia dulcedinis ſenſu æſtimans, ampliſſimum patrimonium cum polento viliſſimo commutauit. At qui gulæ mancipium eſt, cui ventris ſordes vnice arrident, non externarum rerum poſſeſſionem amittit vt Eſau, quin ipſam mentem, ſuę naturæ arcem, ac principem prodit, in popinam deturbat, & inuerſo ordine monſtrum quoddam in ſeipſo effingit, cuius aluo caput dimittatur. *Dederunt iſti* (vti cum lacrymis aliquando cõqueſtus eſt Hieremias) *pretioſa ſua pro cibo.* Verum cum omnia noſtra ita abiecerimus, cum ventris cauſa marinos vortices ſulcauerimus, ſiluarum latebras euoluerimus, aëris alta euolauerimus: quem tandem exitum finemque ſtudia hęc inuenient: quid excelſi aut inſignis, etiam poſtquam ad vota atque viſcera omnia expetita affluxerunt, eminebit? horum omnium periodum, atque totius circuitus centrum, iſtis deſcribit Greg. Naz. *Nec Thoros altos ſtruamus, ventri delicias ſternentes, nec vina generoſa, coquorum lenocinia, liquorum profuſas magnificentias in precio habeamus: nec terra & mare charũ nobis ac precioſũ ſtercus afferant: hoc enim nomine delicias ornare ſolio.* Merito idcirco Græci (quod traditum eſt ab Aulo Gellio) duobus iſtis ſenſibus addictos, guſtui nimirum atque tactui, infamiæ nomina notaſque inuſſerunt: eos appellitantes ἀκρατεῖς, vel ἀκολάςους: nos incontinentes dicimus, aut intemperantes, voces moderatiores vſurpantes. Vnde Gellius: *Iſtæ autem voluptates duæ, guſtus atque tactus, id eſt libidines in cibos atque in venerem, ſolæ ſunt hominibus communes cum brutis: & idcirco in pecudum ferorumque animalium numero habetur, quiſquis eſt his infimis voluptatibus præuictus.*

Gen. 25.

Hieremias Thren. 1.

Greg Naz. orat. in Chriſt. natal.

Gell. lib. 19 cap. 2.

Ex aduerſo autem temperantiæ laus hinc mirifice elucet: cuius opinione mens imbuta, à ſordibus auulſa, ad optima ſeſe transferat. Tanta etenim virtus abijcit & penitus ſpernit gulæ illecebram, ventriſque tyrannidẽ omnino profligat. Tunc autem rationis imperium conſpicuum eſt & ſplendidum: quando cura diſtrictior gulæ dapes à corpore ablegat. Hebraici illi pueri ſpeciem admirabilem atque oris pulcritudinem ſingularem adepti, dum victus tenuitati atque parcimoniæ ſtudent. Ita cuius appetitum huiuſce virtutis moderatio cohibuerit,

Temperantia virtus alta & ſplendida.

Dan. 1.

buerit, eius animus summo quodã decore atque venustate enitebit. Nam nisi multum ad hominis dignitatem tuendam continentiæ lex natura sua faceret, nequaquam ipsi adhuc florenti & lapsus nescio fuisset diuinitus imposita. Tunc quidem efferuescens concupiscentiæ fomes inedia absumenda non erat, vti facilius rationi appetitus subijceretur: ad hoc enim abunde satis fecit integritas illa iustitiæ originalis. Tamen ab ipso Deo præclarum quid visum est & iudicatum: vti in medijs illis delicijs vndiquaque ad hominis sensus appellentibus, esu illius speciosissimi pomi abstineret ipse, idque ex legis huiusq; virtutis pręscripto: atque sic iucunditatem gustus alioquin licitam à se rationis imperio abdicaret. Quod si deinde scripturarum seriem cogitantes, memoratu eam repetamus, inueniemus nihil quidem pręclari operis ad felicem exitum vnquam perductum, cui viam abstinentia non muniuit. Neque aliquando hominis mens se ad ardua magnaque præstanda erexit, nisi temperantia victusq; tenuitas eam prius armarant. Quemadmodum enim ingurgitatio ciborum animum deprimit, ita ieiunium eundem à carnis cæno excitat euocatque, & ad optima virtutum studia adiungit. Moyses illa dignitas, qua ducis, Magistratus, atque sacerdotis muneribus est defunctus, indicta abstinentia stabilita fuit. Trium puerorum auitã fidem pietatemq; eduliorum contemptus tutatur. Danielis prophetia ieiunio firmatur, eiusq; vi leones ad ipsius pedes rabie deposita mansueti dimittuntur.

Temperantia magnorum operũ effectrix.

Exod. 34.

Dan. 2.

Dan. 14.

Lucæ 4.

Præmissum ieiunium Christo Domino victoriam contra satanam parauit, & euangelij fausto nuncio aditum aperuit. *Preclara res* (vt inquit Gregorius Naz.) *est continentia, & paruo contente viuere, nec à voluptatibus superari, nec ventri, tanquam truculento & sordido domino, parêre.* Percurramus sub breuitate orbis hæroës, eos videlicet qui bellica virtute freti, aut etiam ciuili institutione, proprios regni fines amplificarunt, & imperium ad exteros quam latissime deduxerunt: videbimus plane omnes parcimoniæ fuisse studiosissimos: nihilque prius aut religiosius exercuisse quam temperantiam. Cum à Cyro orientis domitore quęreretur quid ei pro cæna parandum, respondit, panis: nam iuxta fluuiũ Nili sum cænaturus. Carthaginenses (vt refert Aristoteles) vino in pręlio abstinent. Curauit Augustus aquã ad ciues deferri, ne sitirêt (vt scribit Suetonius.) Ægyptij à Pescennio nigro vinũ flagitantes, istis excipiebantur: *Nilum habetis, & vinum petitis?* Augusti autem continentiam ita testatur Sueton. *Cænam ternis ferculis, aut cum abundantissime senis præbebat: vt non nimio sumptu, ita summa parcimonia.* Et ad Tiberium hęc Augustus ipse: *Ne Iudæus quidem, mi Tiberi, tam diligenter*

Greg. Naz. orat. in laud. Basil.

Tẽperantia antiquorũ.

Trog lib 1.

Arist. Iconom.

Suet. in Aug

Flauian. pesc. nig.

Suet. Aug. cap. 73.

sabbatâ

sabbati ieiunium seruat: quam ego hodie seruaui: qui in balneo demum post horam primam noctis duas bucceas manducaui, priusquam vngi inciperem. Huic neque hac ex parte inferior Tiberius: de quo idem Sueton. *Trans Rhenum vero eum vitæ ordinem tenuit, vt sedens in cespite nudo cibum caperet, sæpe sine tentorio pernoctaret.* Vnde Tibul. Suet. in Tib.

At sibi quisque dapes & festas extruet alte, Tib. Eleg 1 lib. 1.
Cespitibus mensas, cespitibusque thoros.

Eiusdem cęnam lautiorem ita descripsit Sueton. *In solemnibus ipse cœnis pridiana sæpe ac semesa obsonia apposuit: dimidiatumque aprum.* Laudatur Hannibal, quod in Italiam arma mouens, stans cibos sumpserit, & vertice nudo cæli ruinas exceperit. Plinius Traianum, & Marcellinus Iulianum ob temperantiam deprędicant, quibus ventrem solarium extitisse narratur. Mamertinus quoque Iulianum laudat, quod statarium caperet prandium, quod cibo non exquisite condito, sed castrensi vteretur. Et vt scribit Spartian: munificentiæ ergo porcellum per triduum, & leporem etiam per triduum sępius diuisit. Athletę illi eximij ex lucta Olympica celebres, ficuum succis victitabant. Pythagorici, vti melius philosophiæ operam nauarent; carnibus abstinent. Narrat quoque Plinius quendam iudicio Romuli absolutum, qui vxorem occiderat vinum potantem. Cuius vsus Romanis feminis ita fuit infamis postea & interdictus, vti osculo quotidiano à viris examinarentur an temetam gustassent nec ne. Egregios illos, quos sublimi carmine celebrat Homerus, non delicijs, ganeis, aut lustris immersi luxum sunt consectati: sed victus potius parcimonia, algore, æstu, rerum indigentia, duroque vitæ genere tantam gloriam sibi pepererunt. Quorum conuiuia bouinis carnibus instructa narrat poëta: ne secundas mensas, bellaria, ceteraque gulæ irritamenta illos adhibuisse cogitemus. Philoxenũ ventris hominẽ, isti omnes summo contemptu prosequuti: Ille nempe non pręclare gestis, sed gutturis longitudine beatitudinis rationẽ emensus, tũc viri munus perfecisse sibi visus est, quando misere gustui & abdomini obsequium pręstans, vesperi mulso lactucas in crastinam comestionem irrigasset.

Sueton in Tib. c. 34. Polib. lib. 4. Plin. peneg. Marcel. l. 2. Mamertin. penegeric. Spartian. in Iulian. D. Hieron. cont. Iouin. Plin. lib. 23. Athen lib 10. cap. 13. Polib. lib. 6. Alex. ab Alex. lib. 7 cap. 3.

In quem autem truculentum hoc gulæ vitium grassatur, non ipsi propriam tantum noxam illud inuehit in animam: sed inde veluti ex aluo Troiani equi erumpentes hostes, enumera alia mala rationi quidem infensissima exeunt. Nabuzardi coquorum principis delicto Hierusalẽ tota diripitur, & incendio deuastatur: qui immoderate cibis, vino, & ingluuiei indulget, animo & corpore vti deficiat necessum est. Haud enim aliter grauiori onere depressa nauis in fundum mittitur, quam

Gula occasio aliorum vitiorum. Hier. 3.

quam eſculentorum congerie repletus ventriculus ſecum ad infima rapit mentis concilia. Cum enim (vt adnotauit D. Thomas) naturæ calore excitati vapores cerebrum occuparint, tunc ſicut ſolaris radij vi è paludoſo loco euocatus humor nebulam facit: ita ſanguinis feruore euocati illi ſpiritus humidi, rationem craſſa quadam caligine obnubilabunt atque conſtringent. Ratione autem opreſſa, quid aliud curabit etiam onuſtum corpus, quam accubitum, plumas, lectiſternia? non illa deorum ſacra, ſed dedecoroſa, quæ in popinis & luſtris recondun-tur. Mens & ratio ea ſunt, quæ vicijs obſiſtunt, quod ſi hęc grauedine obmerſa, & exſciſa fuerint immanitate ciborum: nihil obſtaculi ſupererit, quominus fędiſſimæ omnes cupiditates in nos inuadant. Vnde D. Greg. *Dum vitio gulæ non reſiſtitur, omne quod homines fortiter egerunt, perdunt.* Appoſite idcirco Dionyſiũ veteres temulentum ea forma expreſſerunt: vti ad inſaniam adactus videretur. Quid enim aliud eſt deliquium animæ & defectus concilij ex vino, quam inſania, ſi non hac peior, cum non deficientis naturæ neceſſitate, aut infortunij interuentu accidat, ſed voluntatis vitio tantum comparetur?

D. Thom. 2. 2. q. 148. art. 1.

Greg. 37. Moral.

Dionyſij Bacchi forma.

Athen. lib. 2. cap. 1.

Dionyſio porro tripodem appoſuēre: ex qua vera, tametſi pectoris arcana edici ſoleant: quandoquidem ebrietas conciliorum receſſus omnes aperiat etiam hoſti, nihil ſanctum aut abſtruſum eſſe ſinens. In vino (vt dicitur) veritas. Mentem ita perturbat temulentia, vti omnia foras hominis bona proijciat ad prædam diripienda. Refert Timæus Tauromitanus, quoſdam iuuenes vino plus nimio madidos, eo vſque dementiæ proceſſiſſe: vti domum in qua ipſi verſabantur, triremem exiſtimarint; locum vero, ex capitum vertigine, qua iactabantur, mare vehementius perturbatum cenſuerunt. Vnde ad euitandum naufragium, exonerandam nauem omnes clamant: atque ſtatim domus ſupellectilem eijciunt. Quod cum iactationem nimiam illis viſum fuerit non ſiſtere, in thalamos ſecretos ſe condunt, vti ſic à moleſta illa agitatione, anguli anguſtijs incluſi, conquieſcerent. Facile autem eſt probare vitiorum lernam hanc eſſe intemperantiam. Humanitatem inprimis exuit & excutit hęc noxa. Qui énim ſibiipſis vel maxime gulę auiditate & dapum illectamentis indulgent, ij aliorum malis non indoleſcunt, neque eas ſentiunt animis acerbitates, quas inedia conflictati perpetiuntur. Opprimit hoc malũ vim intelligentię, eius aciem quantumuis naturę munere, aut exercitationis ſtudio exacuatam, hebetat atque retundit. Proinde ſapiens ſcientię amore accenſus, hanc ſibi legem edixit: *Cogitaui in corde meo abſtrahere à vino carnem: vti animam meam transſferrem ad ſapientiam.* Quaſi nulla alia ratione acquiri

Athen. lib. 2. cap. 1.

Eccli. 2.

acquiri posset rerum notitia: quam vini atque deliciarum abdicatione: Ebulliente sanguine, quē ebrietas inflammat, ira excandescunt homines, & ad vindictam temere prorumpunt. Quorū oculi nec aduersas vires, neque latentes insidias contemplantur: sed ardore quodā ipsi exciti in necem ruunt propriā. Libidines quoq; prouocat & elicit ingluuies. Qui fieri poterit, vti immodice venter infarcinatus & mero calefactus non despumat (vti loquitur Hieron.) in libidines? nisi stipulis conflagrationē iniectum ignem adferre inficiari velimus. Vinum intemperantius haustum Patriarchę femora impudicis aspectibus detexit. Atq; causas Sodomitici sceleris, in vnam summā recolligens Propheta, inquit: *Ecce hac fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otiū ipsius & filiarū eius.* Quid in istis moror? cū aperte constet vitiorum omnium matrem esse & parentem insanam hanc, deformem, fedamque crapulam. In quam sententiam hæc à D. Basilio dicuntur: *Vt enim fons aquæ si in plures riuulos sit dissectus, vicina riuulis illis loca omnia herbarum viriditate conuestit, & quasi pubescere facit: sic vitium gulæ, si per cordis tui venas se effuderit & distinxerit, indeque permeans sensus tuos omnes irrigauerit: vbi libidinum multarum in te siluam conseuerit, animam tuam ferarum habitaculum efficiet.* Nec solum in cetera vitia pręcipitat homines intemperantia: verum insuper eos ita ligat stringitque in malis, vti difficillimum illis sit à prauis moribus ad virtutes deinceps receptum habere. Horrorem sane intemperanti hæc à D. Basilio dicta incutient. *Etenim multos ego animaduerti sæpius, qui cum alterius cuiusuis generis vitijs laborarent, ad sanitatem tamen redirent postea: qui autem hoc morbo tenerentur, vt aut in occulto esitare eos delectaret, aut ventris ingluuie duci se sinerent: neminem ex omnibus vidi vnquam, qui conualuerit.* Quemadmodum enim Brasilienses trigres velocitate cursus præstantes, ijdem carnibus aliove cibo ad satietatem pasti, gregarijs etiam canibus pręda fiunt: ita quem intemperantia ceperit, illum fędissima quæque vitia statim opprimont, & nullo ferme negotio nec mouentem se iugulabunt.

Hieron. Epist ad Heliod.

Gen 11.

Ezech. 16.

Basil. homil. de abdicat. rerū.

Basil. sup.

Maf. lib. 2. hist. Ind.

Nihil sane miri, si direpta ciuitate, deiecto muro, locis omnibus præsidio militari occupatis, tandem imperator belli forum aut arcem adeat, atque insideat, postquam obsiderit. Ea propter cum vitia reliqua popina in animam secum intulerit, ventrisque indulgentia, quibus omnem eius firmitatem atque robur nefarius dæmon, tenebricosus princeps expugnat: tunc obtenta quasi victoria, in vniuersas corporis partes grassatur statim: sese in humanos artus, fædus & teterrimus ille spiritus liberrime insinuat. Ita solere euenire, vti eorum corpora sępius à malo dæmone correpta & exagitata cruciarentur,

Dæmon in illos inuadit qui Gulæ dediti.

qui heluationi operum nauantes, immanitate crupulæ abdomen laxarunt, cum prisci tum etiam moderni obseruarunt. Sententia est hęc porphyrij. *Sunt autem corpora hominum istis plena, & maxime illorum, qui delicatis cibis viuunt. Comedentibus enim nobis adueniunt, & inhærent corpori, idcirco ieiunium & castitas maxime commendantur: non quia principaliter Deus bonis istis placetur, sed vt recedant illi, qui sanguine & immunditia gaudentes, vt his fruantur, in viuentium corpora ingrediuntur.*

Euseb. l. 4. præpar. cap. 12.

Concubia etiam nocte, cum quieti membra traduntur, epulis prægrauatis sensibus, imaginationi dormientium illudere solet dæmon, ad turpia cogitata animos eorum affectusque referre. De qua re hęc Plato: *Cum dormientibus ea pars animi, quæ mentis & rationis particeps sit, sopita langueat: illa autem, in qua feritas quædam sit, atque agrestis immanitas, cum sit immoderato obstupefacta potu atque pastu: exsultare eam in somno, immoderateq; iactari. Ita hinc omnia visa obijciuntur à mente ac ratione vacua, vt aut cum matre corpus miscere videamur, aut cum quouis alio, vel homine vel Deo, sæpe bellua; atque etiam trucidare aliquem, & impie cruentari, multaque facere impure, atque tetre cum temeritate atque impudentia.* Quod si temperanter pasti cubitum petamus, notiones, appetitionesque aduersi omnino generis animę inferendas, docet idem Plato: *At qui salubri & moderato cultu atque victu quieti se tradiderit, ea parte animæ, quæ mentis & consilij est, agitata, erecta, saturataq; bonarum cogitationum epulis, eaque parte animi, quæ voluptate alitur, nec inopia enecta, nec satietate affluenti: quorum vtrumque perstringere aciem mentis solet, siue deest naturæ quippiam, siue abundat atque effluit. Illa etiam tertia parte animi, in qua irarum existit ardor, sedata, atque restincta: tum eueniet duabus animi temerarijs partibus cõpreßis, vti illa tertia pars rationis & mentis eluceat, & se vegetum ad ominandum acremque præbeat. Tum ei visa quietis occurrent tranquilla atque veracia.* Istiusmodi consilio inductos fuisse Pythagoricos credibile est: vti suis fabarum esum districte interdicerent. Habet enim iste cibus inflationem magnam, tranquillitati mentis eiusque serenitati aduersam. Proinde ad fabam vel ingluuiem illorũ priscorum in somnis visa referrem: quando se cum dijs colloquutos, aut spectra vidisse commenti sunt, vel etiam de futuris temere pronunciare voluerunt. Nescio qua vanitate freti omnia somnijs prospera & aduersa, certa incertaque adscripserunt illi. Ceterum neque illam quidem, quam tantopere enixeque ex edulijs voluptatem spectant intemperantes, aliquando consequuntur. Fugit etenim hæc veluti vmbra ipsam appetentes. Haud mirum: nam obruit intemperantia sensum: vnde cum copia esculentorum ægre abstinent, tum ex illorum vsu nihil ferme iucunditatis percipiunt nimium edaces.

Gulosis dæmon per noctem illudit.

Apud Ciceron. lib. 1 diuinat.

Gula voluptate caret, eam habet temperantia.

Nauseam

Nauſeam faſtidiumque pariunt cibi etiam exquiſitiſſimi toties ingeſti. Propterea Perſæ, qui ganeis immerſi dies agere ſoliti ſunt: nouarum cupediarum inuentoribus ad leuandam moleſtiam ex helluatione, præmia conſtituerunt. Penes quos ventris ſtudium, diuturnũ non permiſit eſſe imperium: coquos nempe & lixas, philoſophorum atque militum locis habuerunt. Econtrario autem Epycurus (qui vt fama iam increbuit) voluptati primas conceſſit, hanc non in ciborum copia quęſiuit, ſed in victus potius tenuitate, atque famis exacuatæ appetentia. Acrior namque ciborum auiditas ſenſum optime prępararat ad dulcedinis guſtum: ſeu potius cibis ipſis alioquin inſipidis & agreſtibus fauum mellis gratiſſimumque adfert condimentum. Quocirca Epicurus omnia etiam ad voluptatem referens, aqua polenta & hordeaceo pane victitauit. De qua re pulcherrime copioſeque & ad veritatem accommodate omnino diſſeruit D. Chryſoſtomus: atque oſtendit vberiorem voluptatem ad animos ſenſuſque Hebręorum per deſerta & auia loca iter facientium, affluxiſſe, quam Ægyptiorum domi commorantium, & nulla inedia famelicorũ, ſed potius delicijs genioque incumbentium. Illius aquæ limpidæ hauſtum ex rupe virgæ percuſſione ſcaturientis, melle conditum ideo affirmat, eoſque mel de petra ſuxiſſe, quod ſitis, liquori admirabilem quandam attuliſſet dulcedinem. Interea loci vti omittamus varia, & propemodum infinita morborum genera, atque multiplices corporum vexationes, ex intemperantia enatas: quibus dubio procul modica & exilis illa in comeſtione voluptas, acerbitate diriſſima exinde conſequenti abunde compenſatur: nihil ęque morbos pellit, atque ratio victus moderatior. Hinc de Aureliano hęc ſcripſit Flauian: *Medicum ad ſe quum ęgrotaret nunquam adhibuit: ſed ipſe ſe inedia præcipue curabat.* Merito idcirco Thimotheus Athenienſis Platonis cænam, qua parce & modice excipiebatur, ita apud Ciceronem laudauit: *Veſtræ quid in cænæ non ſolum in præſentia, ſed etiam poſtero die iucundæ ſunt.* Plerumque etiam iſtius vitij deformitas in corporis ipſius deprauata figura ſpectabilem ſe prodit. Non animam ſolam illuuie fędat intemperantia, quin & corpus, cuius gratia tamen voluptatis ſtudium ſuſcipitur, peſſundat, grauat, eneruat, deprimit, deformatque. Cruentas illas puſtulas vultui infert, quibus veluti carbunculis totus collucet. Per oculos defluus humor cutem ſulcat, eoſque lippos reddit, ad conſtantem aſpectum propter tremorẽ & aciei infirmitatem ineptos. Facies intumeſcens, tetro quodam humore inflata, erumpente ſanguine in extima, ſemper ardere videtur. Stulta autem hilaritate os ſolutum, morionis ſpeciem reprępſentat.

Ciceron. Tuſcul. 5. Athen. lib 4 cap. 6.

Athen. l. 4. cap. 2.

Chryſoſt. homil. quod nemo læditur niſi à ſeipſo.

Deuter. 32.

Flauian. Aurel.

Tuſcul. 1.

Mala corporis ex ingluuie.

Pectori infixum caput dimittitur ad ventrem, vastum illud atque portentosum idolum. Cuius circuitus adeo immensus: vti non cibos tantum ingentis molis ac magnitudinis, sed & culinaria omnia complecti videatur. Corporis incessus veluti alicuius graui pondere onusti progressio est. Extentis brachijs, reflexis tibijs, anhelus & sudans tantos labores, (non tamen reipublicæ ergo) perpetuo exantlare miser cogitur Epulo. Post quam luctam cum cibarijs & corporis mole, cathedra opus erit & puluinari; quibus motu defatigata membra reficiantur; flabello etiam ex tenuori pluma indigebit, vti ventilata aura æstus illos mitiget, atque sibi rifrigeret. Quem ita quiescentem, (licet non vitam contemplatiuam agentem) postulatum consultumque aliquid ad reipublicæ statum spectans, si conueneris: inprimis oculi eius errabundi te vix aspicient, capite ita graui & obnubilato. Deinde auerso vultu sonum verborum eius vix aures sentient aut perferent. Quod si loqui ac respondere dignetur, principis instar paucis concludet, horamque cænę vel somni modo iustare minaciter concrepabit.

Romani sæpius leges tulerũt contra intemperantiam.

Prudenter idcirco Romani sępius suis legibus ipsorum imperio hoc turpissimum vitium exigendum censuerunt. Cuius enormi cupiditate nouerant ingentes sumptus delicijs impensos exhauriri, qui ceteroqui in longe meliores vsus reipublicæ proficuos conferri poterant. Quis magistratus feret in vnum aliquod animal ea ciborum pretia expendi quotidie, quæ multorum vitam commode sustentarent? quomodo crassitudine ita obesus non potius habendus vti patriæ pestis, aut rapax aliquod sæuumque animal, quod raptu aliorumque interitu vitam propagat ipsius? vix illum diceret quispiam sicarium, qui in hunc insiliret, aut ei ventriculum confoderet, humanæ societatis hostem agressus. Fortassis melius & consultius ciuili bono prospicerent leges: si crapulam & latrocinium rite expendentes, hinc latronem illinc epulonem pati fune illaqueantes, colla cruci illis suffigerent. Quis obsecro horum reipublicę grauius adfert nocumentum?

Aul. Gell. lib. 2. c. 23. Macrob. Satur. lib. 3 cap. 17. Alex. ab Alex. lib. 6 cap. 11. Manut. lib. de legib.

Frequenter itaque & districta cura Romanus senatus hanc ingluuiem vrbe expellere sategit. Primũ quidem hoc tentauit lege Orchia, quę & numerum præscripsit conuiuarum. Deinde Fannia, quæ assibus centum sumptuum modum definiuit: postea Didia, qua vocati ad profusiores epulas pænis subijciuntur eisdem, quibus earum instructores. Deinceps accessit Licinia, cuius hæc fuit sententia, quam expressit macrob. *Cuique indies singulos triginta duntaxat asses edundi causa consumere liceret, ceteris vero diebus, qui excepti non essent, ne amplius apponeretur quam carnis aridæ pondo tria, & salsamentorum pondo, libra quod ex terra, vite, arbo*

reve

reve natum sit. Atque de istis multa narrantur apud Alexandrum ab Alexandris. Nemo credo est, qui non exosum plane habet conuiuium illud, quo Romanus Antonius & Cleopatra Ægypta inter se certarunt, quis eorum in cænæ apparatu maiores faceret expensas. Antonius terra marique conquisita edulia, ad satiandum ingluuiem mensæ intulit, nullis quidem sumptibus, solicitudini, aut labori parcens. Cleopatra vero haud ferens se vel à Romanis luxuria superari, sponsioni prouocauit in vnam cœnam insumi posse sestercium centies: quocirca insequenti die reparauit Cleopatra conuiuium. Cui cum interesset Antonius, in illo nihil noui aut admirandi videri dixit: quandoquidem ex quotidianis & parabilibus ferme omnia constarent. Regina vero subridens, phialam petijt: & acris aliquid aceti illi infundens, statim auriculæ ingentis magnitudinis appensum vnionem detraxit, atque in humorem illum iniecit: quo eliquatum vnico haustu sumpsit Cleopatra totius Ægypti prętium. Manum quoque admouere cepit alteri vnioni, qui etiam ad aurem pendebat eiusdem ęstimationis; illumque pari modo absumere secum decreuerat: admonita autem à Numacio Planco certaminis arbitro, quod prioris gemmæ prodigalitate victoria iam potiretur: vlteriori sumptu abstinuit. Tanta autem luxuries, tam in vtrisque immoderata helluatio, factis dignum sane exitum attulerunt. Ille etenim gladio seruili, hæc aspide interijt. Quos cum delicijs eneruatos Augustus Cæsar intelligeret, nihil dubitauit quin eosdem leuissimo prælio superaret, intulit namque: *Fieri non potest vt is, qui regio luxui mollitieique muliebri indulget, viro aliquid dignum vel consulat vel agat.* Haud dissimilem istis nuper Anglia nostra quendam extulit, inter aulicos celebrem, nomine Magnifici, splendidiq; conuiuonis notissimũ. Cum autem iste ad Principis gratiam receptũ haberet: muneris loco quidã, vti amico suo religionis auitæ causa in carcere & arcta custodia detento, sua prece & fauore apud principem libertatẽ obtineret, quam plurimos nummos aureos catholicus vir illi obtulit. Orthodoxus vero numeratis pecunijs vultu & quodãmodo ętiam verbis homini insinuabat, se egre admodũ propter assiduas expilationes, & ex prole numerosam familiã (sunt enim Caluinistę hoc in genere nobis truculentissimi) tantę pecunię dispendiũ ferre posse: toruo quodam vultu & ad contemptũ composito Barbarus ille epulo munus intuens: Quid, inquit, hæc ad meos apparatus conuiuiales? crastinus sol prius non occidet, quã in mea latrina condantur vniuersa. Proh fœdũ animal: dignũ sane Caluinista responsũ. Quæ honestis institutis sibi & liberis multoque studio orthodoxus

Macrob. lib. 3. c. 11.

Luxus Antonij & Cleopatræ.

Dion Cass. lib. 50. hist. Rom.

parauerat: & ex quibus moderato victu (qualem suadet Romana fides) diu sui vitam suorumque sustentare potuerat, helluo Caluiniana hęresi caninus, cupiditate epularum irritatus, cito & vna fercula absumit.

Temperantia, quam ieiunium ecclesiasticum decernit, ad animæ sanctimoniam plurimum conducit: sicut ex aduerso istius stabilitæ ex lege abstinentiæ violatores sectarij: cum tantæ virtuti obsunt, tum etiam vitæ impuritati insigniter patrocinantur.

CAPVT VII.



SÆpius mecum demiratus sum, quibusnam tandem artibus sanctitatis aut religionis æstimationem, qua tamen gloriari solent, apud vllos vel tenui rerum notitia imbutos, impij & sacrilegi sectarij sibimet compararunt. Maxime cum inter cætera castimoniæ instituta ab illis violata, ieiunij quoque Ecclesiastici præceptum perfregerunt, omnisque abstinentię hostes se infensissimos prodiderunt. Si etenim ex deprauatæ carnis vitio iniqui prauique mores emergant: profecto quemadmodum ij, qui hanc carnem durius tractantes inedia eam conficiunt, aliaque excipiunt acerbitate, vitijs fortius & securius inde obsistunt: ita ex opposito qui eadem infarcienda fouendaque modum omnem & rationem intemperanter transiliunt, atque inclinatæ alioquin propensęque naturæ ad factu turpia, helluatione sua incentiuum adiungunt: cum eo virtuti nuntium remittant, tum scelera contento impetu studioque immenso consectantur. Verum astutum hac ex parte versatilemque, ad quorundam aspectus fallendos se præbuit hæreticus Epicuręus. Si enim aperto ausu, cônceptisq; verbis ieiunium temperantiamque in crimen vocasset: impostoris aut potius cuiusdam cacodęmonis certa indicia ostendisset, dictis ipsius proinde fidem nequaquam conciliasset, aut tantum virtutis decus, cuius pulchritudine hominis ingenium capitur, vllo dedecore defamasset. Circumactis idcirco spiris & varijs deductis ambagibus, quod minime moliri videri voluit, hoc ipsum fraudulenter perfecit: virtutis nimirũ tantæ expugnationem & ipsius honesti excidium. Specie itaque religionis

Ieiuniũ occulte negãt hæretici.

gionis

gionis laruatus, ecclesiasticum ieiunium, cuius cultus penes Romanos est in more positus, tanquam superstitioni ritum obnoxium, temerandum obliterandumque vociferatur: neminem definiens Christiana libertate donatum, tenere posse imperium Pontificium: quo vel ad certos dies ieiunus ex eius præcepto esse debeat, vel vt designato ciborum genere abstineat. Non sextæ feriæ (inquit) aut sabbati, vel ipsius quadragesimæ ab apostolicis temporibus obseruatum ieiunium, aut decreta alia abstinentia quempiam fidelium morari oportebit: sed sine omni scrupulo (corpori modo malum nimia repletione non consciueris, nec reipublicæ nocueris) nihil animæ ex conuiuio aut epulo officies.

Placida sane doctrina, sensui grata, hęretico nec indigna. Hoc etenim constituto effato, putabitne aliquis interea loci temperantiæ virtutem in tanta licentia integram mansuram & illibatam, cum temerariæ, lasciuę, ardentique iuuentuti, ieiunij lex ita permittatur, vt si velit quispiam à se abdicare lautiores epulas, id quidem facere poterit, sin minus illi visum fuerit, tunc pro libertate fidei, conscientięque imperio, indulgere immunis genio valebit? quis eorum tunc ieiunij cogitationem in animum reuocabit, aut institutum vsque adeo acerbum vltro sponteque amplectetur? Mox subiungunt: nihil meriti, boniue operis ciborum abdicationi inesse: ne existimemus viribus nostris parari sanctitatem, cum summa crucis iniuria: ieiunium itaq; vt laboriosum, ita incommodum, infrugiferumque concludunt. Hanc quidem consequentiam vt veracem & legitimam cum sibi quispiam persuaserit, illi nulla causa ieiunandi apparebit, epulandi quamplurimæ. Tandem caprato vultu & iracunde negat sectarius dimissis culpis impartitæ iustitiæ munere, abstinentiam vllam vim habere satisfaciendi pro pænis, quæ iustificationi supersunt, sed vna iustitia Christi nobis imputata, in ipso momento, quo fides tantum beneficium à Deo oblatum arripit, omnes acerbitates alioquin perferendas, absorberi asserit. Hæc si vera sint, verum pariter erit, nemini nisi stulto ieiunandum. Vnde occultis quibusdam rationibus, temperantię neruos immensis isti cupiditatibus succidunt. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro.* Nos vero, quod postea disputaturi simus de potestate Ecclesiastica in condendis legibus, de valore etiam bonorum operum ad vitę cęlestis consequutionem, in istis modò non hęrebimus. Ostendemus autem solum, quanta huiusce virtutis cura Romanos orthodoxos semper ceperit, quibusque institutis concupiscentiæ ferocitati, vnde vitia omnia pro-

Nulla causa ieiunādi ex doctrina hæreticorū

Gen. 49.

prorumpunt, sedulo restiterint: è contrario quoque, quam procliues & rabidi plane ad voluptates extiterint hęretici, quantũque ventri, ipsorũ Deo, perpetuo detulerint. Ex quibus ea elicietur demum sententia, qua aperte ęstimetur, an horum vel illorum suscepta fides veracior sit, diuinisque rationibus magis consentanea. Fidei etenim indicia, notę, signaque haud fallacia vitæ sunt opera: *Ex operibus cognoscetis eos.*

Matth. 7.

Inficiari credo nemo poterit, quin fateatur abstinentię cultum ad religiosa exercitia, muneraq; rationis obeunda, paratissimum. Quemadmodum enim puluerulentum speculum intuenti oculo conspicuam non refert vultus imaginem, sed tersum solum aliquod purumque: ita mens crapula & ingurgitatione infuscata, inepta prorsus euadit diuinarum rerum notionibus excipiendis. Ea propter temperantię lege, ex cibo potuque, crassiores voluptates abijciendæ: vti exinde mens vegeta, serenaque lutulentis fecibus elatior, vibratos in se diuinitus veritatis radios excipiat: eosdemque in omnem etiam corporis actionem refundat. Huiusmodi consilio quadraginta dierum sęuerissimum ieiunium ad purgandam carnem, colloquio cum Deo, eiusque conspectui præmisit legislator Moyses. Elias eam venerationé aurę tenui, sub cuius specie Deus in monte Horeb se illi spectabilem fecerat, concessit: vti tantundem temporis, ieiunio suam ipsius mentem munire & defęcare voluerit. Ita Daniel trium hebdomadarum ieiunio pręparatur, quo aptior subinde esset ad diuinę viritatis perceptionem. Confert pręterea plurimum hoc ipsum studium ad edomandam carnis cupiditatem. Quemadmodum enim ingens aliquod incendium, pabuli subtractione extinguitur: ita feruor ille & ardor illicitę voluptatis statim subsidit: cum escam & fomitem ciborum quis illi ademerit. Atque ita quodammodo mercium eiectione in mare, nauis nostræ mentis in alto laborans, fluctibusque iactata, naufragium declinat, & in portus optatissimum sinum moderato cursu inuehitur. Quę adeo patenti eminentique veritate clarent, vti à nemine sat scio, nedum hæretico, ad quidlibet negandum peruicaci & refractario, tanquam falsa repelli poterint. Nam si spectemus id solum, quod omnium gentium animis communis natura inseuit, euidenter satis constabit, quantum ad sacratiora studia ieiunia faciant. Hinc apud Romanos Numa Pompilius dum mysterijs operatur, venere carniumque vsu abstinet. Eodem ritu Iulius Cæsar religiosius Deos precatus, oleribus & leguminibus tantum victitat. Sacris Isidis initiandi Alexandrini, decem dierum spatio vino & carnibus

Abstinẽtia cognitioni vtilis.

Exod. 34. *3. Reg. 19.* *Dan. 10.*

Vtilis abstinentia ad edomãdam concupiscentiam

Alex. ab Alexad. lib. 4. c. 17.

Suet, Aug.

non vtuntur. Atque vt transeamus ad vere pios sanctosque: Iudęi ex diuino pręcepto ieiuniis addictissimi fuere, & eorundem traditione paterna obseruantissimi. Qua de causa frequens apud illos cęna pura: cuius meminerunt Philo, Tertullianus, & D. Hieronymus. Hęc autem constabat ex pane & sale pro obsonio, & hyssopo pro condimento. Istius generis strictum rigidumque ieiuniũ apud hos adeo celebre fuit & diuulgatum, vti omnibus plane externis innotuerit. Propterea Augustus Cęsar (quod in eius vita prodit Sueton.) gloriatur se quadã die ita cibis abstinuisse: vt ne illo quidem Iudæi religiosius sabbathi sui ieiunium seruarent. Nazaræi vinum non gustant. Rechabitæ ex fluento potantes sitim extinguunt. Baptista locustis tantum & melle siluestri pascitur. Primi illi Christiani, sub disciplina diui Marci Euangelistę vitam instituentes, (vt scripsit Philo, Hieronymus, Epiphanius, atque alij) ad vesperam tantum cibum sumpserunt, carnium atque vini vsu prorsus carentes. Nos idcirco, quorum altius est institutum, quorumque cursus expeditior concitatiorque est ad sanctitatis culmen, multo maiorem curam in castigatione carnis adhibere debemus: velocius abijcienda sarcina, ferocius occurrendum cupiditati, atque arctiori abstinentia menti insultantes impetus reprimendi. *Gula nudos facit*, (inquit Ambrosius) *ieiunia operiunt exutos: vnde dicitur operi in ieiunio animam meam. Bonum operimentum, quod animam tegit, ne à tentatore deprehendatur, ne à tentatore nudetur. Bonum velamen, quod tegit culpam, tegit obstinentia, tegit gratia: beati enim quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Tegit gratia, dum remittit & omnem abolet errorem; tegit abstinentia, dum obumbrat vitium, & mœsto abscondit affectu, atque extenuat pœnitendo: etenim ieiunium & eleemosyna à peccato liberant.* In eandem quoque sententiam Chrysostomus: *Ieiunia, ac vigiliæ, ac sanctæ afflictiones humiliata corda macerant, sed macerata corda purificant. Membris subtrahunt fortitudinem, sed conscientijs addunt nitorem.*

Phil. de vit contẽp. Tertul lib. de pœnitẽt. Hieron. in Marc. lib. 2 cont. Ioui. Sueton. August. Num. 6. 3. Reg. 4. Marc. 1. Philo de vit. contẽp. Hieron. in Marco. Epiph. compend. Ambros. de ieiun. cap. 4. ep. 133.

At hæreticos hęc verba proferentes audire videor: Ieiunandum, nec abnuimus: hoc vltro Catholicis damus. Minuta tamen illa & scrupulosa diligentia in delectu ciborum, qua superstitiose implicantur, sicut inanis est, ita prorsus infrugifera. Nam ex Apostoli testimonio esui conceditur quicquid ciborum in macello venit. Nouum sane ieiunandi genus, (tametsi hoc commentum vestrum plus nimio ieiunum) ieiunare vultis, sed ventre carnibus distento, vino torridi madidique; præclara tunc de abstinentia disputabitis. Enimuero cum carnis debilitatio ex ieiunio decernẽda sit, nunquid aptius perfici poterit huiusmodi institutum, quam illis edulijs abstentis, quæ ad nutritionem

Chrysost. homil. 10. ad pop. Delectus ciborum displicet. hæretico. 1. Cor. 10. Quare delectus ciborum.

tionem ſanguiniſque copiam maxime faciunt? qua de cauſa Chriſtianę profeſſionis heroës, quorum ſanctitatem vix imitari, nullo autem modo exęquare nobis conceditur: carnium & vini vſum ſtricta lege religioniſque voto interdictum vetitumque habuerunt. Verum quidem eſt, illorum hominum ſententiam penitus à vero alienam fuiſſe, qui cum arbitrarentur quoſdam cibos ſuis naturis vitiatos, vtpote quos tetrum aliquod malumq; principium conſtituerat: illos veluti impuros abiecerunt: quales extitêre Ebeonitę, Euſtatiani, Marcioniſtæ, pallentes ſqualenteſquē Manichęi: quorum inſaniam nos orthodoxi cum admiramur, tum execramur. Nam ſi carnes reipſa ita ſordidas impuraſque iudicaremus, illas nullo vnquam tempore ad refectionem corporis adhiberemus. Sed quod certorū eduliorum ſecretio & abdicatio multum conferat ad carnis macerationem, eapropter lex eccleſiaſtica, in noſtrum emolumentum intendens, eorundem promiſcuum vſum ſtatutis temporibus vetitum eſſe difiniuit. Proindeque repugnante lege eſus iſtorum inhoneſtus euadit & nefarius. Aduerſantur adhuc hæretici, & ex Apoſtolo dicunt: *Quod intrat per os, non coinquinat hominem.* Ex eſu ergo ciborum nullam quidem maculam anima contrahit. At amabo quam acute concluſum contra ieiunium? Dicam ipſe pariter ex ſenſu ingenioque veſtro: non peccauiſſe Eleaſarum, ſi modo porcinas carnes ethnicorum more manducaſſet: vel quempiam veſtrorum quicquam delinquere, ſi popina reconditus, eſculentorum copia viſcera diſrumpat: quod enim intrat per os, non coinquinat hominem. Abſurdi adhuc edocendi eſtis, & melioribus imbuendi diſciplinis. Cibi quidem ipſi animam non fędant; quem hoc fugit? ſed peruerſa voluntas intemperantius illis vtens, aut intempeſtiue illos adſumens, in os illud ingerit, quod coinquinat animam. Quomodo integritatem ac iuſtitiæ florem pomi vetiti manducatione primus parens corrupit: niſi eum crimine ideo omni liberare velitis, quod nihil in os illatum, animam dedecoret?

Epiph. hæreſ. 10. Socrat. li. 2 cap. 33. Tertul. l. 1. cont. Marc. Auguſt. hæreſ. 46.

1. Cor 10.

2 Mach. 6.

Adhuc tamen dicitis, minime ferendum ab homine Chriſtiano, in libertatem adſerto, iugum illud graue eccleſiaſticæ pręceptionis, cui Romani ſua colla ſubdunt, neque ſub tanto pondere miſeri ingemiſcunt. Audacia ſumma eſt, eaque pręfracta, leges de ieiunio atque victus parcimonia omnibus fidelibus imponere. Quemadmodum illorum animi penitus ſunt abiecti, qui damnationis æternę ſpecie exterriti, ciborum potius cupedijs deſtitui eligunt, quam vnius buccellę guſtu hominum quorundam ſtatutis contraire. Agnoſco faſtus veſtros, ingenium oratio repandit. Neque aliam ſententiam ab eis expe-

Sectarij nolūt legi obedire, ideo ſtatutū damnāt ieiunium.

expectare debui, qui cum orbe terrarum, terræ principibus, cęlique sanctis, partium studio accensi, confligere decreuerunt, quam quę peruicaces spiritus, tumentesque sensus patefaceret. Iam enim diu abhinc in animum meum penetrauit ea existimatio, qua intellexi ægre admodum vos hominibus parere, humanum vos ne dum Romanum imperium defugere. Nemini obedire vultis, nisi vobisipsis & Satanę: omnibus autem pręesse vehementer discupitis. At date mihi obsecro hanc veniam, si modo à tanto culmine authoritatis vestrę iustum aliquod responsum pro æquissimo quæsito ac postulato recipere merear. Sane aut vos erratis prodigiose, (vti nihil grauius interim dicam) vel ego ipse ab omni ratione sensuque alienus consisto. Ita propono quod à vobis quęro. Cum quis certis cibis abstinet, ad remittendam ferociam carnis, aut vt mens liberius, eduliorum cura abiecta & apparatu eorum exquisitiori spreto, diuinis vacet, est ne opus temperantię virtutis, atque rationi consonum, an secus? Non inficiabitur credo insipientia vestra, quin aperte pronunciabit eiusmodi institutū virtutis optimę molitionem esse, idque temperantię: nam anxia cæteroquin & perplexa erit solicitudo vestra, si ad aliam virtutem eam referre velitis: absurda vero & impia, si ab omni repellatis. Maneat itaque, atque sit contentio istęc abstinentiæ, adeoque verus, genuinusque temperantiæ actus. In quid obsecro furor vester modo debacchatur? nisi inde graue piaculum sibi consciuerit Ecclesia Romana: quod suis virtutis opera pręceperit. Quam immaniter in eam inueheretis, si peccata & flagitia mandaret, cum ob opus bonum cum Iudęis Christi sponsum lapidatis, tantamque maiestatem ac Numinis oraculum verborum fulminibus impetitis? Operose nimis distineri vobis videtur Ecclesia Romana in suadendis inducendisque virtutibus: atrox crimen. Verum dicitis: non virtutem ipsam, sed virtutis pręceptionem ac imperium odio habemus ac vituperio. Sancte quidem. Peccatorum durissimas leges, atque acerbam eorum necessitatem à dæmone propagatam agnoscitis, exosculamini imperium hoc tetrum noxæ, quo omnia animæ opera coinquinantur, fatemini libenter, patimini quiete: tantum virtutum leges ac mandata auersamini. Ita Satan in vobis decipiendo furit, furendoque se monstrum præbet: non amplius Angelus lucis, sed carbone nigrior horrenda furia vobis errorem hunc afflauit. Ipse vero in florentissimis scholis, quarum pulueres in vestris angulis essent margaritæ, hanc consequutionem legitimam semper intellexi: molitio est hic conatus optimæ virtutis, hominisque fini vtilissima, ac pæne necessaria; pręcipi idcirco po-

Ioan. 10.

Hæretici non patiũtur præcepta virtutū.

Gal. 1.

co poterit ab ea authoritate, cui publica multorum salus incumbit. Quid? an non princeps ciuilis, qui etiam vt probos honestosque ciues reddat, imperatis virtutum quarundam actibus, illos recto iustoque adstringit? Multo magis hæc vis ecclesiæ erit deferenda; cuius potestas suprema est, cuiusque propositum sibi subiectos optimos reddere ac multiplici virtutum opere exornatos. Sectarij Anglicani, qui parlamenti effatis inhęrent, ne capitis periculum illis immineat, vinculum fatentur canonum atque cultus præscripti, certisque verbis concepti; refugere non audent; eos ita terret interminatum supplicium. Enimvero nisi hanc authoritatē Ecclesiæ concesserint, (quod postea demonstrabo) nulla in Christum fides vna & integra, religio nulla casta & illibata, vitę nulla institutio recta aut honesta diu superent: sed discordijs sensuum commissa omnia cum fuerint, in confusionem tetram, clamores dissonos, distracta iudicia salutis nostræ monumenta tandem relabentur. Repetam itaque obseruata statutaque Ecclesiæ ieiunia: & inde constabit, quantę authoritati innitantur. Tanquam hæreticos sancta illa antiquitas eos semper reprobauit, qui pręscriptum ieiunij ordinem ac formam temere vel intemperanter transilierunt. Quam quidem vesaniam præ se tulit singularem Aëtius, de quo multa narrat Epiphan. Qui epulis Ecclesiæ statutum ieiunium cum sectarijs nostris expugnandum censuit. Quartæ feriæ, prosabbathi, septimanæ sanctæ abstinentiam omnino exterminandam docuit; prępostero autem ritu, (vti fert ingenium hæretici) diebus dominicis inedia fameq; seipsum macerauit. Quod vero attinet ad obseruationem quadragesimalem, institutam ad imitationem dominici ieiunij, constant vnanimi consensu à priscis illis purissimisque fidelium cætibus susceptam fuisse: vtpote qua etiam melius, ieiunium pręmittentes, ad paschalia gaudia seipsos prępararent: seminantes in lachrymis, vti in lętitia meterent, corpora morti tradentes, vti eadem cum Christo rediuiua resurgerent. Istius vero abstinentiæ meminerunt Ignatius Apostolicis temporibus ęqualis. Basil. Grego. Naz. Hieron. Chrysost. Augustinus, Ambrosius: omnes ferme Patres tam Gręcæ quam Latinæ Ecclesiæ. Ieiunij quartę ferię & prosabbathi post Ignatium mentionē fecit antiquissimus Ecclesiastes Clem. Alexandrinus: *Feria quarta Mercurio sacro, sexta Veneri, quos dies ieiunio celebrant fideles, quod alieni maxime esse debeant totius vitæ decursu ab auaritia atque libidine.*

Virtus potest præcipi

Ecclesiæ statuta ieiunia.

Epiph. hæres. 75.

Psal. 125.

Ignat. ep. ad Philip. Basil. orat. 1. de ieiun. Naz. orat. in sanct. lauac. Hieron. in cap. 54. Isa. Chrys. homil. 1. in Gen. Aug. Ep. 119.

D. Augustinus ieiuniū sabbathi recenset: ac refert Ecclesię Romanę monachos tribus integris diebus aliquando cibo potuque abstinuisse: *Ab Apostolicis* (inquit Epiphan.) *institutis, sinaxes quarta, & prosabbatho, & dominica.*

dominica. Quarta vero & prosabbatho ieiunium vsque nonam: nam illucescente quarta sublatus est Dominus: & prosabbato crucifixus. Quatuor temporum ieiunium ante ætatem Calixsti religiose obseruatum constat. Atque in profestis sanctorum ieiunium fuisse in more positum, disertis verbis testatur Bernard. *Sanctorum festa, præcipue primum, sanxit authoritas votiuis præuenienda ieiunijs. Vtiliter plane & non ad insipientiam nobis, si adfuerit qui admoneat. Multa siquidem quotidie peccata contrahimus, & in multis offendimus omnes: nec tutum omnino est celebrandas suscipere festiuitates, nisi prius abstinentiæ purificatione præmissa, quo & digniores & capaciores inueniamur spiritualiū gaudiorum.* Coniunctis itaque inter se rationum capitibus, videamus modo quid inde elici poterit. Ecclesiastica aucthoritate stabilitum ieiunium, sanctissimorū iuxta atque doctissimorum hominum in florenti Ecclesia degentium vsu & obseruatione religiosa celebratū, quorundam paucorum nuda assertione non est temerandum: maxime cum temerariæ illorum voces nec ratione aliqua, neque scripturarum testimonijs confirmentur: sed potius libidinem sonent, omnemque proiectæ vitę fœdissimam licentiam. Hoc mihi adeo perspicuum est & conclamatum, vti satis demirari non possim eorum insaniam, qui in oppositum errorem concesserunt. Nam si ab antiquis illis præsulibus ac proceribus Ecclesiæ hac in re quicquid peccatum fuerit: ignorantiæ, rerumque diuinarum inscitiæ attribuendum, vel appetitioni nimiæ voluptatis. Hæc enim duo ferme sunt, quę hęresin aut fidei aduersum aliquid proferre solent. Sed quis, priscorum illorum patrum lectioni vel modice intentus, accuratam & sublimem eorum in diuinis rebus cognitionem non suspicit? aut eorum dicta pro effatis non habet? Tertullianum, Cyprianum, Chrysostomum, Gregorium, Ambrosium, Augustinum, Bernardum deprędicamus, veneramur: Ecclesię lumina ac stellas nominamus. Hi tamen omnes statuta Ecclesiæ ieiunia coluerunt, ad superstitionē accedere non putarunt, aut Christianæ libertati repugnare.

Ambros. serm 26. Clem. Alex strom. Aug. ep. 86 Epiph. cōpend. doct. Aug lib. de Mor. eccles. cap. 33. Epiph. cōpend doct. Calix. ep. ad Bened. Bernard. sermo. in vigil S. Andreæ.

Legittima causa suscipiēdi statuta ieiunia authoritas patrū & praxis Ecclesiæ.

Ab ignoratione itaque sacrorum existimarem hos longius recessisse, quam Lutherum aut Caluinum. Quod vero ad voluptatem spectat: omnium gentium testimonia, orbis communis fama hac suspicione eos liberabunt. Abdiderunt se in recessus namque monasteriorum; carnem suam vigilijs atque macerationibus durissime tractarunt. Qui autem pręscriptis ieiunijs aduersati, proh fidem hominum, quam fœdi & coinquinati? In popinis & lustris reconditi melius se dicunt feliciusque scripturæ sensum adsequutos, quam nitidi illi splendentesque heroës in omnium virtutum luce versati. Quid obscœno lectione dignum, sectarij isti illuminati commentantur? aut

quomodo illuminati, qui feculentas libidines consectantur, qui solis conspectum ferre non possunt? ieiunia odio habent: vtinam veneres & intemperantiam. Scripturas errori obtendunt, melius autem si errorem vltro aperteque faterentur. Libertatem Christianam violant (inquiunt) Ecclesiastica ieiunia: eos autem mentiri vel decipi affirmat Epiphan: *Quis autem potuit statutum matris dissoluere, aut legem patris, velut Salomon dicit: audi fili sermones patris tui, & ne repudias statuta matris tuæ: ostendens per hæc, quod & in scriptis & sine scripto docet pater, hoc est Deus, & vnigenitus, & spiritus sanctus: mater autem nostra Ecclesia statuta habet indissolubilia, quæ dissolui non possunt.* Definio itaque sectarios, non ex edicto scientiæ alicuius, sed ex rabido appetu cupediarum Ecclesiastica ieiunia huc vsque abdicasse. Quare nec sanctum dogma illud eorum reputabitur, quod pro loco topico culinam habet aut tabernam. Si autem ieiunium quadragesimale eo animo violassent, vti totidem, vel alijs pluribus diebus abstinentiam decreuissent: speciem aliquam fortassis eorum inuentum habuisset: sed cum videamus eis in locis nullum omnino seruari ieiunium, in quibus Romanum illud, orthodoxum, ac statutũ aboletur: argumento est, Satanam eos excitasse ad expugnandum præscriptum ieiunium, vti hoc pacto omnis temperantiæ & ieiunij vsus intercideret. Euentus ipse preiactum hoc pessimum concilium detexit. Videre iam est in Academijs Anglicanis, diebus interdictis, cum assis carnibus sub palliorum lacinijs iuuenes passim ad angulos properantes, vti sic principis eludentes leges, libertate sua Christiana dentibus fruantur. Comestione autem cum seipsos repleuerint distenderintque, tunc splendide gloriantur se Papistas confecisse. A Minerua refugæ: Veneris mancipia. Noui ipse quendam ministrum, qui, cum ad concionandum quadragesimæ tempore conducendus esset à quodam meo etiam consanguineo ius patronatus obtinente: paciscebatur ea conditione suum munus expleturum, si finita concione illi gallus bene obsonatus tostusque apponeretur. Et quod visu mihi tunc puero videbatur nefarium, carnibus ceteris omnibus modeste temperanterque, qui mensæ assidebant, abstinentibus, solus Ecclesiastes ille epicuræus alitem accuratius quam prius textum euoluens, discutiens, membratimque dissecans: tandem integram in immane illud stomachi antrum, seu potius dæmonis lararium, quousque promissa eius barba, tanquam hispida mappa pectus muniens à sorde protendebatur, heluo dimisit. Atque istorum omnium auidissima sunt ingenia in cupedias. Neque si mihi

Epiph. hæres. 75.

aliud

aliud non ſuppeteret argumentum ad frangendam peruerſam iſtorum manducandi licentiam, hoc vnum quod nunc in medium adduco, abunde faceret ſatis.

Puritas primitiuæ Eccleſiæ.

Experientia vſuque rerum innotuit, primos ingreſſus in virtutem ſemper acres eſſe feruidoſque. Quod cum in multis optime inceptis eluceat, tum vel maxime ſpectabile extitit, in religionis Chriſtianæ cultu. Deus bone, calente adhuc Chriſti ſanguine, quos amores cæleſtes primęua illa Eccleſia ſpirauit? quę contentio ad pietatem? quam leui pede terram hanc contingentes, ad ſuperna anhelarunt ardenter? ſane animis æſtuabant illorum temporum ſacris initiati: vernales flores & memoriæ noſtræ miracula. Tunc autem corporea moles extenuata ieiunijs, flagrans cupiditas, aſſidua repreſſa caſtigatione, voluptatum blanditiæ & illectamenta repudiata penitus: mens autem aucta altiſſimis conſilijs, virtutum ſuffulta præſidijs ad ampliſſimam gloriam peruenit. Iſtius autem rigoris nonnihil poſtea remiſſum, deſidiæ, cupiditati aliquam vitæ partem hominis conceſſerunt: atque ita tantus calor paulatim deferbuit, ac propemodum refrixit. Corporis laxior cuſtodia & indulgentior indies effecit, vti longe infra ſublimem illũ perfectionis gradum modo culpa ſocordiaque noſtra deciderimus. Veruntamen diuinus ſpiritus, qui eccleſiaſtico corpori velut anima infunditur; eiuſdem languentia membra deſtinatis tẽporibus vegetauit, excitauit, agilia fecit, & ad optimarũ actionũ curſum expedita reddidit. Hinc excellentis inſtituti homines, pro varia aliorũ neceſſitate, veluti duces cũ doctrina cõſpicui, tum probitate illuſtres emerſerunt in lucẽ: nouis faculis cordiũ frigora fugarunt, vitali quodam ſucco, properantes nutanteſq; ad interitũ artus repararunt; cęleſtiq; lumine craſſas & concretas errorum tenebras diſpalarunt. Iſtius ordinis extitere anteſignani: Benedictus, Franciſcus, Dominicus, Bernardus, Ignatius: cuius diſcipuli ac milites nunc glorioſe hęreticorum caſtris obequitant, intrepidis animis pugnam expetentes, timidoſque hoſtes ad aciem elicientes. Qui omnes ſi ipſorum res geſtas memoria repetere velimus, (vti nobis conſtabit) admirabili quodam ardore ſpiritũs incenſi, carni acrimoniam admouere, eam ieiunijs expugnantes, inediaque conficientes: delicias vt bella ſterquilinia abdicarunt, cilicio ferociam corporis domuerunt, pauperum ſaluti re ſua neglecta inuigilarunt: infra omnes humilitate depreſſi, vt eos quaſi humeris ſubuectos, in cælos ſecum transferrent: atque tales fuere principes noſtri. E regione vero iam ſectariorum phalanges deſpiciamus: primos ipſorum motus, ipſa initia contem-

Demōstratio quod Sectarij missi non sint à Deo ad emendādam veterem ecclesiam.

contemplemur. Si quę sit rerum gestarum susceptę probatęque fidei historia, eius testimonium haud spernam: si quę æqui bonique viri æstimatio, eam non contemnam. Dicant igitur, ostendant mihi aliquam orbis partem, quam inhabitantes sectarij, temperantia honestęque vitæ pręscriptis rationibus excoluerunt? vbi penes illos castimonia, luxus abdicatio, seuerior disciplina? At cur in arenis aut sabuletis virentem aut florentem herbam quæro? vel in fædis locis fauum mellis inuestigo? Nullibi ne vestigia quidem honestatis leuiter impressa, nedum eius monumenta aut trophęa visuntur: omnes etenim longe maculosissimi. Germaniam compotationibus & stupris fędarunt: Galliam delinquendi libidinosa licentia corruperunt, Plesseanis mendatijs denigrarunt, Angliam omni sordium genere cooperuerunt. Saltem in principijs, vti auspicato negotium religionis susceptum ab illis videretur, virtutibus, vitæ pręsertim continentia florere debuissent. Verum statim atque ex aspretis Bernensibus atque paludibus Geneuensibus sectarij Anglicani, cum prius crepidarij, fibularij, aut cementarij pulto & limacibus victui ęgre admodum satisfecissent, quibus vix ossa hęrebant: in pinguia optimaque Anglicani soli arua eruperant, pasti saginatique subinde abundanter, in eam vastam immanemque corporis molem breui excreuerunt, vt plaustris quam rostris aptiores euaderent: bini & bini arcam Noe, concupiscentia diluuium extimescentes, petierunt. Atque ne Deucaleon omnia obrueret, ipsi omnia prius heluando absorbuerũt. Iam quis coniectabit apud animum suum, hos à Deo missos ad repurgandam ecclesiam, ad abolendam superstitionem ecclesiastici ieiunij? nisi ita is desipiat, vti existimet ad abstergendum aureum aliquod vas, aut gemmeum, à lixa aliquo culinare linteum requirendum. Quod si mihi adferant superstitioni ieiunia nostra statuta esse obnoxia, neque à vera Christi Ecclesia vnquam vsurpata: difficilem prouinciam nano & pumilioni imponerem, si modo dicti probationem ab ipso durius exigerẽ. Euoluant Annales ecclesiasticos, & mihi ostendant hoc aut altero anno à salutari Christi incarnatione fideles ignorasse penitus hunc ritum ieiunandi, quem nunc Romani religiose obseruandum definiunt. Dicant deinceps hos aut alios patres, hęc aut alia concilia, cum istęc abstinendi consuetudo inualere ceperat, illi, vti superstitioso cultui restitisse. Hęc nisi pręstiterint, ne stulto quidem aliquid persuadebunt. Veruntamen horum nihil adhuc fecerunt, nec vnquam facient, neque facere poterunt. At Apostoli dicent, districti non fuerunt hac lege pręscripti ieiunij, neque nos eadem obstringi

obſtringi debemus. Pulchre. Quo longius iſti ſaltitant, eo magis à veritate recedunt. Ignatius in Apoſtolica tempora ſtatuta retulit ieiunia, Apoſtoli ergo noſtri ſunt. At nihil nobis, reclamatis, cum Apoſtolicis temporibus, quę etiam fæda ſuperſtitio oppreſſit. Ipſos Apoſtolos tantum curamus, & actus illorum: cetera facile negligimus, parum facimus. Impetiti hodierna die mucrone gladij ſectarij ita reſiliunt, & in fugam proruunt, vti ipſos Apoſtolos momento ſint adſequuti. Hactenus Eccleſia nulla, nihil geſtum ſpectabile, à mille annis impoſtores omnes: neceſſario recurrendum ad Apoſtolos? Verum ſi vos adhuc vlterius perſequi velim, & hos quoque refugæ tandem deſereretis. At expendam acrius quod tentaſtis. Quis credet tam cito à prędicatione apoſtolica libertatem Chriſtianam vbique fidelibus excidiſſe, ita vt nemo, cuius memoriã hiſtoria conſignauit, libertatem hanc à ſuperſtitioſo & imperioſo ritu ieiunandi tutauerit? Hac ſane ex parte vberior gloria Luthero, quã D. Petro attribuenda. Petri etenim fructus zizania obruerunt, & ſuperſtitionis ſpinæ ipſo defuncto ſtatim ſuffocarũt. Lutheri autem ſeges poſt octoginta annos adhuc florens, erecta, procera, abla ad meſſem, ſi tamen non inanis ad incendium. Sane abiectam plane exilemque redditis Chriſti eccleſiam, cuius inſtituta & progreſſus ab Apoſtolis ad Lutheri ſtuprum, aut delituiſſe, vel in errorem & ſuperſtitionem impegiſſe affirmatis. Sine, habeatis hoc, quod Apoſtoli veſtram libertatem conuiuandi admiſerint, vel de ea nihil diſputarint: adhuc tamen vobis negotium hoc incumbet, vti oſtendatis vos illos eſſe, quos Deus deſtinauit reformationis muneri. Inueterata quippe hæc opinio ſtatuti ieiunij ita Romanorum animos iam cepit, vti euelli aut obliterari à vobis non poſſit, niſi vos aut miraculorum effectores, vel ſaltem probos honeſtoſque viros probetis: quorum vtrumque deeſt, vobiſque deficit.

Magdeb. Cent. I.

Sed quid iſtis leuioribus, & quaſi tumultuaria manu confligo? hoc efficiam dilucida apertaque conſequutione: nimirum ex hęreticorum ſcitis omnino ſequi, nullam prorſus cauſam fideli ſupereſſe ieiunandi, aut à luxu delicijſque abſtinendi. Ita cum illis ſermonem inſtituo cominus ac punctim. Sola fides iuſtitiam adfert. Effatum exoſculamini. Nullum exiſtit virtutis opus meritorium vitæ æternæ: ſed potius ſuapte natura omnis hominis actio fæda eſt, Deo exoſa, & grauiſſimum peccatum. Oraculum ſuſcipitis. Fidei iuſtitia ſemel acquiſita, nunquam excidere poterit. Decretum amplectimini. Inter hæc vbi obſecro conſiſtet ieiunium, aut abſtinentia à crapula? Quorſum ſuſcipitur voluptatis repudium? vt acquiratur fides? abſit. Ex operibus

Hæreticus niſi ſtultus fuerit nunquam ieiunabit.

ribus non deriuatur iustitia: sed est Dei beneficium hoc vltroneum. Adepta autem fide, quęro iustam aliquam ratione͂ abdicandi cupedias deliciasq;? Fortasse vt inde carnis co͂cupiscentia mitigetur, ac dimittatur rationis imperio. Inepte. Si enim fides nemini pereat, imo nec possibile sit eam aliquando expelli, stultum erit voluptates repudiare, nulla enim concupiscentia, quantumuis ardens & concitata, iustitiam indeptam valebit labe aliqua opprimere: si in temulentiá quempiam deiecerit, nihil hęc illi nocebit, in quo adhuc viget ac floret Christi iustitia. Sed incrementum iustitiæ ebrietas & comessatio impedient: minime gentium. Vna omnibus competit Christi iustitia: hęc eadem perseuerat, nec augmentum aut accessum capit. Si adhibetur itaque ieiunium, nihil lucri, si spernetur, nihil detrimenti. Dicite mihi iam, per ingenium illud vestrum lepidum tepidumque, quare ieiunandu͂? maxime cum hoc sit arduum, difficile, & naturę hominis admodum acerbum? imo quare quotidie splendide non epulandu͂, & more Gręco luxuriandum? iustitiam hoc nemini adimit, aut noxam infert. Tandem dicitis morbos procreare intemperantiam, & medicis lucra superflua porrigere. Ita isti impuri corporis malo aut pecuniæ sumptu vitij naturam definiunt. Abite sordidi, nec cum culto aliquo ingenio in posterum pugnam expetite.

Orthodoxi rationibus suadent temperantiam. Orthodoxi vero optimis rationibus suos inducunt ad obseruantiam ieiunij Ecclesiastici. Dicunt enim inprimis hinc diuinam in nos clementiam conciliari: *Scitote quoniam exaudiet Dominus praeces vestras, si manentes permanseritis in ieiunijs & orationibus in conspectu Domini.* *Iudith 4.* *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, planctu, & fletu.* *Ioel. 1* *In morbum* (inquit D. Basil) *incidimus per peccatum, sanemur per pænitentiam. Sed pænitentia sine ieiunio otiosa & infrugifera est. Per ieiunium satisfacito Deo.* *Basil. orat. 1. de ieiun.* Admonent pręterea fieri posse, vt nimium efferuescente concupiscentia, adscitum aliquod graue delictum iustitiam animis eijciat: propterea eam concupiscentiam ieiunij seueritate tempestiue fore coërcendam. Quo pacto Apostolus *Ephes. 5.* etiam iustos hortatur, vti caueant ipsi à vino, in quo est luxuria. Ita D. Chrysostomus ferme ieiunandi causas paucis perstringens: *Chrysost. orat. 1. de ieiun.* *Ieiuna quia peccasti, ieiuna vt non pecces, ieiuna vt accipias, ieiuna vt permaneant quæ accepisti.* Ieiuniu͂ porro diuinę gratię auxilio, in eo, in quo iustitia elucet, perfectam vim habet insignis meriti ad obtinendu͂ in cælis pręmium: cuius intuitu obiectuque incitamus hominu͂ sensus ad cultu͂ rigidioris *Lucæ 6.* abstinentię: *Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini*: *Sacrificia* (inquit Tertull.) *Deo grata, dico ieiunia, seras & aridas escas.* *Tertul. lib. resur.* Atque nostroru͂ hæreticoru͂ intemperante͂ hæresin reuincens, hæc D. Ambros. *Ambros. Ep. 82.* *Qui sunt hi præceptores*

ceptores noui, qui meritũ excludunt ieiunij? Deniq; deletis expunctisq; criminũ maculis, omnino credimus, sępius temporariæ penæ aliquẽ reatum superesse: qui ieiunio, sicut & alijs sensui molestis operibus, expietur. Qua de causa prę dolore animi ingemiscens Propheta Dauid, ita loquutus est: *Genua mea infirmata sunt à ieiunio: & caro mea immutata est propter oleum.* Vnde Tertul: *Sicut primum vsus cibi perdidit, ita ieiunium satisfaciat.* Atque hęc nostra sunt motiua ad temperantiam: sectariorum vero incentiua ad libidinem.

Psal. 34.

Tertul. lib. de ieiun.

Explicantur rationes, quibus in vniuersum voluptas ex tactu & gustu vituperabilis redditur. Ostenditur etiam quantũ hæreticorũ placita fœdæ voluptati faueant, quantum etiam orthodoxa instituta illam labem auersentur.

CAPVT VIII.

DVo sunt, quæ gliscentibus armis inter se de orbis imperio confligunt, virtus & voluptas. Quorum vires iussaque cunctis illorum conatibus pręsunt, quæ sensu prędita quidpiam actione sua moliuntur. Et voluptas quidem maximam rerum partem visa est arripuisse. Si enim hominem & Angelum eximamus, animantia reliqua voluptatem persequi videbimus, eaque exstimulante legesque pręscribente operari & ad pręfixas naturę metas conniti. Quę etenim animantum hanc vitam continent, ita affabre expoliteque effecta sunt, vti voluptatem quodammodo spirent, & admirabili quadam iucunditate eorum sensus demulceant. Quid cælo stellis irradiato, terra flore frondeque depicta gratius aut delectabilius? Effusum mare fluctus dum molliter reciprocat suos, & solari radio percussum vibrat atque cum littore placide colludit, aspectus nostros summa delectatione cogit afficitq;. Aëris aura moderate pulsa, grato spiramine afflat dulcedinẽ. Alię porro mundi partes, quę sensu pręditis edulia offerunt, homini autem recreationes piscationum, venationum, aucupiorum, corporibus animisque mirifice obblandiuntur. Ipsosque homines si modo cogitatione nostra dispertire velimus, illorũ plures inueniemus voluptatibus operam dare, quam virtutibus: adeo vt rerum Monarchia voluptati ferme sit decernenda.

Vis voluptatis in animantibus.

Lucret. lib. 1.

Æneadum genitrix, hominum diuûmque voluptas,
Alma Venus, cæli subter labentia signa,
Quæ mare nauigerum, quæ terras frugiferentes
Celebras, per te quoniam genus omne animantum
Concipitur, visitque exortum lumina solis.

Cum enim voluptas sensuum iudicio constituatur, virtus vero rationis prescripto: quod pauci sint qui mentem ingeniumque excolunt, plures qui sensuum ductum sequuntur, hominum socordia inertiaque hoc prestantibus: eapropter voluptas ad dominatum ferme peruenit: virtus autem paucorum regina non tam lato imperio vim suam extendit. Atque (vt adnotauit D. Thomas) non omnibus rationis momēta satis perspecta sunt, quæ ad virtutē instituunt. Irritamenta autem sensuum, quę ad voluptatem impellunt, neminem plane effugiunt; tametsi vitam suā quis veri ignoratione obruerit. Idcirco voluptas facile in omnium animos incurrit, virtus vero in eorum sensus tantum deuenit, qui iusta rerum æstimatione, cuncta librantes, delectationis fucatam speciem à virtutis solido firmoq; pondere secernunt & distinguunt. Hoc autē non cuiuslibet est opus, sed sapientis mentisque præstantissimę. Conabimur itaque voluptatis istius recessus omnes aperire: licet enim hęc in speciem fulgeat, nihil tamen ad eius contemptum odiumque ita facit, quam eiusdem natura, si semel bene & examussim perspecta fuerit, atque in apertum è suis tenebris educta.

D. Thom. 1. 2. q. 4. art. 4.

Inimica imprimis est voluptas hominis ipsius dignitati, quam deijcit prorsus pręcipitatque ad sordes, & quęque impura detrudit: maxime itaque vituperanda, vlla si cura gradus aut honoris nos tangat. Sensui quidem voluptatem natura attribuit, quæ illi medicinę loco esset, (vt ostendit D. Thomas) non quæ sui gratia expetenda. Quod enim grauedine quadam corporis nonnunquā oppressi homines à pręclaris operibus desistant, vel ambigua cura districti, modos rationesque inquirant sollicite, quibus leuentur: Idcirco voluptates in pretio haberi solent, & ab illis acrius contentiusque exquiri, qui naturę grauiori onere fatigantur, vel molestia maiori corporum ratione affliguntur. Hinc fit (quod & D. Thomas animaduertit) vt iuuenili ętate florentes, nimio calore eorum artus inflammante, & acri quodam humore ex superfluitate enato, arrodente interiora, voluptatem concubitus acrius appetant. Melancholici etiam pondere iniquæ naturæ aggrauati, qui semper tristia animis meditantur: vti laboranti naturæ leuamen aliquod & subsidium adferant, easdem voluptates

Causæ appetendi voluptatē.

D. Thom. 1. 2. q 33. art. 7.

tates vehementius consectantur. Duplici autẽ de causa nobis voluptatis conditio abiecta plane comparebit: primo ex ipsa regula, qua voluptuariæ actiones præscribuntur; deinde ex rebus ipsis, de quibus voluptas capitur.

Quantum ad prius, hoc inter virtutem atque voluptatem discriminis intercedit: quod voluptas sensuum notione decernatur, virtus autem ex sententia solum pendeat recti consilij eiusque partis in homine, qua ipse cæteris præstat animantibus. Iam vero quam absurdum & præposterum sit spreta contemptaque ratione, sensuum dictamina veluti imperia agnoscere, illisque se dimittere, quis statim non videt? Hoc etenim pacto brutis & ferinis moribus vita nostra efferata redderetur: neq; ab ipsis beluis homines vitæ modo distinguerentur. *Cum te videro fornicantem*, (inquit D. Chrysostomus) *quomodo te hominem dicerem, & non potius suem?* Hac de causa Aristoteles appetitum, qui voluptates concupiscit, puero comparat, rationem vero pędagogo. *Quemadmodum puerum oportet secundum præcepta pædagogi viuere, sicut concupiscibilem consonare rationi.* Ætatula illa puerorum tota propendet in voluptates & crepundia sensuum: ita appetitus suopte ingenio, etiam cum corpus senuerit, adhuc velut puer blanditias & ludicra eodem expetit tenore. Infantulus etiam, substracta institutoris manu, lapsui, errori, omnisque casus atrocitati est oportunus: eodem modo ratio vbi non dominatur, nec sceptrum tenet, ibi appetitus in omnem propensus est infelicitatem. Quod si prauitate morum inueteratam consuetudinem aliquam contraxerit puerulus, deinceps ægre vlla superioris increpatione aut castigatione ad meliorem frugem reducitur: ita appetitus assuetudine voluptatis ad sensus ipsius appellentis emollitus & fractus, raro iubente ratione denuo à vitijs resilit, aut ad virtutes sua transfert studia. Quod si cuidam rerum priuatarum vel publicarum moderationem puero demandare velimus, quisnam status inde oriundus esset? Quibusnam legibus hominum deuincta societas seruabitur? Haud dissimili quidem ratione ab illis grauissime delinquitur, qui voluptatum dapes appetunt & libidinum illecebras: puerum enim suę vitę pręficiunt, & omne eiusdem momentum infantili sensui permittunt: quo quid abiectius, vel etiam periculosius? Aliud autem est in homine longe excellentius & sublimius, ipsa nimirum ratio, in cuius vertice humanæ vitæ imperium collocatur. Rite itaque munus à nobis expletur, quando non furente sensu, sed placide & quiete iudicium ferente ratione, omnes actiones nostræ decurrunt. Hanc autem sublimitatem deprehendemus, si nostris aspectibus

Voluptas hominis dignitati repugnans.

Chrysost. homil. in illud Psal. ne timueris

Aristot. 3. Ethic.

Appetitus puer.

bus tersum aliquod speculum obijcere velimus, in quo vultum contemplemur. Tunc in viros nos excreuisse perspiciemus, atque appetitus lenocinia, tanquam infantum ludicra, abijcienda intelligemus.

Voluptas fœda & exosa illis qui ipsam expetunt.

Iam rerum ipsarum qualitatem inspiciamus, quę voluptates porrigunt. Ex gustu quidem ea percipitur dulcedo, quę trium (vt aiunt) digitorum spatio definitur. Res sine dubio vilissima. Quis etenim putabit palato & dentibus omnem hominis dignitatem insidere? cuius quidem voluptatis exitus, fastidiũ tandem est & nausea, ventris onus & fęces abominandę. Quod autem spectat ad venerea, omni illuuie & turpitudine fędantur: adeo vt ipsa expedita illecebra pudorem appetentibus inijciat. Hinc à Græcis Venus appellata μηχετία ἡ ἀφραδίτη, quod nimirum Veneris libidines recessus lustraque circumspiciant, nec audent quidem deformitatem suam luce prodere, tenebras eapropter prosequuntur. Qua de causa (vt narrat Plautus) Iupiter concumbens cum Electra, noctem produxit, idoneum tali voluptati tempus. *Et hæc ob eam rationem nox facta est longior, dum ille, quæ cum vult, voluptatem capit.* Atque quod hominum mentibus impressa sit à natura auersio quædam à voluptate Venerea, ex eo maxime liquet, quod illi populi, qui huic illecebræ sunt maxime dediti, diligenter interim caueant, ne aliquam eius speciem aliorum sensibus inijciant. Nihil sane Persa impurius in hoc genere: diligentissime tamen abstinet eius indicijs. Qua de causa, (vt narrat Herodotus) vxor Caudauli ipsi mortem intulit opera Gygis, quod arte quadam eam nudam externorum oculis exposuisset. Turca etiam ad libidinem mirifice proijcitur: in publico tamen (vt retulit Munsterus) feminæ formam non aspicit. Imo hoc probro Christianis vertit, quod ex parte anteriori vestes oblongas & satis accurate clausas non habeant. Serpens idcirco humi animal repens, & pectore ad terram depresso, quę sententiam à Deo excepit acerbissimæ pœnæ, voluptatem hanc ignobilem abiectamque adumbrauit. Nihil autem ita inter se pugnant, ac hominis natura atq; serpentis. Hinc enim oritur, quod vel saliua humani oris extinguat serpentẽ. Longe itaque recedit hominis præstantia à serpentina hac voluptate: cui emancipati pœnã illam subire coguntur, qua in Hetruria olim rei plectebantur: quando nimirum ad fęda cadauera illigati, ipso fœtore enecti perierunt.

Plaut. Amphit.

Herod. l. 1.

Munster. cosmog. lib. 24.

Serpens figura voluptatis.

Horat. serm. 1.

Quæ si cum socijs stultus cupidusque bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis & excors,
Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.

Dulcedo præterea illa, quam tam auide ex gustu & tactu acquirendam

dam perſequuntur ſenſibus dediti, vera liquidaque voluptas non eſt, ſed fucata & vmbratilis. Non ergo proderit ad rei obiectæ formam tantopere contendere, quam nullum operæpretium conſequitur. Apposite profecto Euripides finxit ipſam Helenam raptam non fuiſſe, nec Troiam deletam, ſed quandam eius effigiem, vel ementitam ſpeciem inani corpori inductam. Quo ſignificare voluit, delicijs addictos non veram ex eis haurire voluptatem, ſed animo menteque confictam. Haud prius etenim laſciui ad exitum perueniunt, quam ad facti penitudinem. Delphino proinde impuros amores ſimiles aliqui nec incongrue dixêre. Delphinus enim cum incredibili quadam motus pernicitate marinos vortices natando diſciderit, ad arenam ſtatim atque appulerit, eo ipſo momento tanta eius contentio cum vita intercidit. Ita voluptas vſu perditur, incremento extinguitur. Videamus itaque eos, qui delicijs inhiant, luſtremus illorũ animos & pectora: inquiramus quibus torqueantur curis, quibus æſtuent deſiderijs, & laboribus diſtringuntur. Abſque dubio eos ſollicitos tenet impurus amor, qui aut alieno inſidiantur thoro, vel vagas libidines conſectantur. Iſtis ſuſpicio inſidiarum ſemper incidit, in ambiguo mortis aut grauioris diſpendij metu perplexi hærent, timore nutare incipiunt, exertos gladios, tribunalia, apparatus ſuppliciorum contemplantur, ad malorum denique cogitationem toto perhorreſcunt corpore: *Imo* (inquit Chryſoſtomus) *Illic quæ poßit eſſe voluptas, vbi metus, vbi diſcrimen, vbi periculum, vbi tantorum malorum expectatio, vbi tribunalia, vbi accuſationes, vbi iudicis ira, vbi gladius, & carnifex, vbi barathrum ac deportatio? omnia pauet metuitque qui talis eſt. Vmbras, parietes ipſos, lapides, tanquam vocem emittentes, omnia obſeruat, omnes habet ſuſpectos, famulos, vicinos, amicos, hoſtes, eos qui norunt omnia, eos qui nihil norunt.* Demus cuncta votis reſpondere, illis tamen ceſſantibus, amaritudo animam diuexabit, aut flagrantibus, metus cruciabitur. Nihil ferme erit quod acquiritur cum eis cõparatum, quæ pungunt mordentque obtenta. *Oblectatio corporeæ voluptatis* (ex ſententia D. Baſilij) *plus doloris habet, quam iucunditatis: nuptiæ enim ſæpe ſteriles ſunt, viduitates continent & ſtupra, agricultura ſterilitatem, mercatura naufragium, diuitiæ inſidias patiuntur. Sed & deliciæ & ſatietas & continua voluptatum fruitio varios ſecum trahunt morbos & affectionum varia genera.*

Voluptas neque dulcis.

Eurip. Troad.

Delphinus figura amoris impuri.

Chryſ. homil 3. de verb. Eſa.

Baſil. in Pſal. 33.

Quemadmodum rationi atque virtuti aduerſatur voluptas, ita quoque naturę humanæ robori ac firmitudini. Nihil ſane peræque ingenium eneruat & obruit, atque voluptas. Hęc etenim (vt inquit Philoſophus) *corrumpit æſtimationem prudentiæ.* Cuius rei duas cauſas aſſignauit D. Thom. *Ad ea, quibus delectamur, magis intenti ſumus, & dum vni vehemen-*

Voluptas infeſta ingenijs.

Ariſt. 10. Eth. cap. 5.

D. Thom 1. 2. q. 4. art. 1. ad 3.

vehementer intendimus, necesse est ab alio intentio retrahatur: quandoque ex contrarietate, sicut delectatio sensus, contraria rationi, impedit æstimationem speculatiui intellectus. Qui sensuum oblectamenta persequitur, is ita animum affixum habet delicijs, vti melioribus studijs ex integro inuigilare non possit. Ea itaque ratione, qua mentis agitatio voluptatis perceptione distrahitur, ineptior euadit ad intelligentiam veri. Ipsum porro operationis genus, quo animus voluptati intentus distinetur, repugnat prorsus contemplationi. Quod D. Thomas secundo in loco significauit: quandoquidem in rebus particularibus sensuique subiectis occupetur mens voluptati incumbens: contemplatio vero posita sit in auocatione animi ab his rebus, quę concretę sunt, sensuq; perceptibiles, & eiusdem quędam translatio ad vniuersalia principia, primitiuos rerum ortus, causasque. Istis quidem & tertiam aliam rationem alibi D. Thomas adiunxit. Voluptatis (inquit) sensus vehementem ipsius corporis mutationem annexam habet: ob quam ratio quoque perturbatur, & quasi loco pulsa firmitatem amittit: ita vt constantem aspectum dirigere nequeat in naturam veri. Ex quibus cōsectarium est, eas voluptates rationi magis esse infestas, quæ acriorem cogitationis vim intentioremque secum adferunt: quęque crassiores sunt atque corpori maxime immersę: cuius naturę habentur gula & luxuria. *Delectatio* (inquit D. Thomas) *corrumpit æstimationem prudentiæ, præcipue delectatio, quæ est in venereis, quæ totam animam absorbet.* Populus Hebraicus post epulas diuina imperia contempsit, atque eam sibi mentis cæcitatem consciuit, vti Ægyptiacū cultum, tetram illā Idolomaniam affectaret: *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Holofernes vino obrutus, sensus & ipsum caput amisit. Inter delicias Nazaræo Sampsoni Philistini illudunt, nec animaduerterūt fortissimo viro iam pilos excreuisse in ipsorum interitum. Quod quidem malum præmissa admonitione volens Deus anteuertere, & à suis auertere, ita pręcepit: *Vbi comederis ac biberis, caue tibi ne quando obliuiscaris Domini Dei tui.* Eadem de causa conuiuantibus filijs, sanctissimus Iob Deo quotidianum obtulit sacrificium, dicens: *Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis.* Diuinorum obliuio facile in illorum sensus incidit, qui delicijs vacant. Ex aduerso autem castissima Esther tunc roseo colore venustissima effulsit, cum ieiunio fæces corporeas absumpsisset. Pueri quoque illi solis leguminibus pasti, pulchritudine cæteris præcellunt, qui ferculis dapibusque saginati gulæ, voluptati operam nauarant. Imo castimonia istæc in ipsorum animos serenitatem quandam & lucem induxit intelligentiæ; nam (vt testatur scriptura) *Omne verbum*

Thom. 1. 2. q. 33. art. 4. 2. 2. q. 55. art. 6.

Luxuria maxime nocet ingenio.

Thom. 2. 2. q. 55. art. 6

Exod. 32.

Esth. 1.

Iudic. 16.

Deut. 6.

Iob. 1.

Esth. 1.

Dan. 1.

bum sapientiæ & intellectus, quod sciscitatus est ab his Rex, inuenit in his decu-plum, super cunctos ariolos & magos, qui erant in vniuerso regno eius. Vnde Heraclitus: *Aër siccior, anima prudentior atque melior: cuius signum, quod ieiunantes atque vigilantes prudentiores illis sint, qui cibo & potu semper replentur.* Inter cętera autem luxuria vel maxime animum rationemque pessundat. Vt enim inquit Seneca: *Nihil est tam mortiferum ingenijs, quam luxuria.* Et Psalmista: *Supercecidit ignis, & non viderunt solem.* Ardente etenim concupiscentia, tanquam ex busto quodam fumus intelligentiæ offunditur, eius visum intercipiens. Proinde Sodomitę turpitudine sua infames, cęcitate ab angelo percussi fuere. *Et eos qui foras erant percusserant cæcitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.* Atque meo iudicio nihil ita nostrorum Hæreticorum animos erroribus obcęcatos tenet, ac libido. In tenebris etenim suis versati, ostium per quod ingressus est in Ecclesiam, nullo quidem pacto inuenire valent, sed palpitantes, & confuso quoddam concursu quęritantes, alter in alterius faciem impingit. Exscisis namque deletisque Sodomis viderunt iusti *Ascendentem fauillam de terra quasi fornacis fumum.* Libidinis quidem fumus ignoratio est veri, quo denigrantur plane sectarij, nec immerito: repudiata etenim Ierusalem, Sodomam delegerunt. Denique insignis illa inscitia, quę animos gentilium ceperat, de qua disserit Apostolus Paulus, ex libidine, incestis, impurisque amoribus fuit propagata. Peruersa idcirco opinione lucentissimam illam stellam φώσφορον antiqui Veneri dicarunt: nihil enim minus ac lucem mentibus adfert Venus: quin potius summas tenebras, vti demonstrauimus, illis offundit, & spissa caligine omnes animi sensus inuoluit.

Euseb. l. 8. præpar. cap. 8.
Senec. proem. decl.
Psal. 57.
Gen. 19.
Libido causa erroris in hæreticis.
Rom. 1.
Cicer. 2. de nat. deorũ.

Quod vero hæc eadem voluptas animos eneruet, omnemque eius vim penitus exscindat, neminem latere poterit, qui vel rerum naturas exploratas habet, aut gentium historias perlegerit. Deliciarum inuentione vsque infames Persę, nimio luxu dissoluti, hostilibus armis succubuerũt, atque paucorum superbiæ ludibrio fuere. *Agesilaus* (vt narrat Polyenus) *in Asia militibus persuasit, vt barbaros contemnerent, quos ante metuebant: proinde captiuis Persis exutis, & corporibus eorum infirmis, & candidis propter luxuriam & mollitiem ante oculos Græcorum expositis, ornatum vero & vestitu persico sumptuoso ac pretioso demonstrato, illud ad extremum laconice addidit: Aduersus quos præliamur, hi sunt: de quibus certamus, hæc sunt.* Xerxes qui omnium primus voluptatum nouatoribus pręmia decreuit, in cuius exercitu ex propriis militarunt septingenta millia, auxiliarijs trecenta millia, parua Atheniensium manu superatur, & pisca-

Voluptas animi corporisq; fortitudini inimica.
Polyen. l. 2. stratagem.
Trog. lib. 2.

Curt. lib. 4 toria ſcapha fluentum traijciens, euaſit viuus, at victus. Darius quod milites otio, deſidia, atque voluptatibus defluere pateretur, ab Alexandro facile fugatur; numero quidem pugnantium inferiori, diſciplinę tamen militaris rigore atque ſeueritate ſuperiori tantum. Authore Plinio, vnguenta odore fragrantia ad lenociniũ corporis ſpectantia, Perſarum opificio primum extitere. Vnde Alexander Macedo deuicto Dario in ſpolia hoſtium erumpens, inter cetera pixidem pretioſi odoriferique liquoris inuenit, & Dario non tam ipſius arma, quam eum luxum excidium attuliſſe iudicauit. Aſiani tamen poſtea Perſicas delicias, Romani Aſianas imbiberunt, atque eorum imperia ſimili quoque funere conciderunt. Egyptij autem, qui olim pugnaciſſimi, detectis capitibus pręliantur: quod duritiei genus obſeruarunt bellici heroes Hannibal, Iulius Cæſar, Maſiniſſa, Hadrianus, Seuerus, Scipio Africanus, & alij quam plurimi. Prudenter ſane Alexander Paridis veneream citharam contempſit, nec aſpectu dignam reputauit, cupiens potius videre illam Achillis, qua geſta fortium virorum canere ſolebat. Neque Antiquis duratiſque illis Romanis licitum fuit ad bellum profecturis, mulierum greges ſecum ducere, quarum blanditijs cultuque emollitæ militum vires inclinarentur, atque deciderent in ſocordiam. Hannibal cum aſcenſu Alpium, & per inacceſſas rupes tranſitu ſuos duraſſet, omnia armorum vi torrentis inſtar ſecum rapiens ad victoriæ trophæum: Romanos vbique ferme proſtrabat, & Italiæ campos corporum ſtrage, ad Thraſymenũ & Cannas plus quam centum millia interfectis, cooperuit: verum poſtquam Capuam in hyberna conceſſerat, & exercitus ſui maiorem partem in tectis habere inciperet: quem nulla duritiei vis bonis inſuetum & inexpertum frangere potuerit: nimia bona & immodicæ voluptates perdidere: ſomnus, vinum, ſcorta, alea, epulæ, balnea, corpora animoſque eneruarunt: adeo vt triſtior infeliciorque Pæno Capua fuerit delicijs ſuis, quam Romano Cannas cum infinita cæde illa ac corporum laniena. Pompeius in Cęſarem atrocius nihil declamare potuit, quo illi maius dedecus conflaret, quã cum pro concione dixerat, Cęſariana caſtra haud neceſſarijs delicijs abundare. Secus tamẽ accidit: ea etenim ſibi voluptatum lenocinia Pompeius comparauerat: que ruinæ & interitus eius iuſtam cauſam ſecum attulerunt: in cuius caſtris direptis videre licuit triclinia ſtrata, argentea vaſa, tabernacula hedera protecta, & alia quam plurima, quę nimiam luxuriam mollitiemque denotarent. *Atque hi* (inquit Cęſar) *miſerrimo ac patientiſſimo exercitui noſtro luxuriem obijciebant, cui ſemper omnia ad neceſſarium vſum defuiſſent.* Quid

Plin. nat. hiſt. lib. 8.

M. Aurel. epiſt. ad Pollion.

Alex. ab Alex. lib. 2 cap. 29. Liu. Decad 3 lib. 1 & 6.

Liu. decad. 3 l. 3. Flor. epit. lib. 2. c. 2. polib. lib. 4.

Cæſar. de bell. ciuil. lib. 3.

verticem

verticem obſecro Romani imperij depreſſit? quid eius membra dilumbauit niſi voluptas? Cum enim Aſiam Romani obtinuiſſent, eius populi libidines, voluptates & mores laxiores imitati, tanquam muſcæ contento impetu in telam araneę inuolantes, ita irretiti delicijs Aſiaticis Romani, capti fuêre & exſciſi. Cęterum vero victus auſteritas & abdicatio voluptatum, militarem fortitudinem ſemper confirmauit indurauitque. Neque aliud (vt mihi videtur) feros illos Scitas ad tot victorias erexit, vti armis ferme orbis terminos complecterentur, quam vitę durities, rigida ſeueraque corporum curatio. Merito idcirco Demaratus, (vt narrat Herodotus) Lacedęmonios fortiſſimos milites ac ſtrenuos in acie pugnatores ideo Xerxi affirmabat, quod alumni eſſent paupertatis & hoſpites virtutis. Inter Gallos pro fortiſſimis ſemper habitos Belgas narrat Amianus Marcellinus: quos tamen conſtat à voluptatibus maxime abhoruiſſe. *Horum omnium apud veteres Belgæ dicebantur fortiſſimi: ea propter quod ab humaniori cultu longe diſcreti, nec aduentitijs effeminati delitijs, diu cum Tranſrhenanis certauere Germanis.* Aliter autem Aquitanis res accidit, de quibus hęc idem Marcellinus: *Aquitani ad quorum littora, vt proxima placidaque, merces aduentitiæ conuehuntur, moribus ad mollitiem lapſis, facile in ditionem venere Romanam.* Conſulto idcirco Marcellus, cum Cyracuſas recepiſſet, Veneris Ericinię templum extra portum fundauit, vt luxuria à ciuibus procul pelleretur.

Herod. l. 7.

Marcellin. li. Cron. 15

Marcellin. ibid.

Alex. ab Alex. lib. 2 cap. 4.

Aliud quoque eſt, quod ad voluptatum odium maxime faciet: illi nimirum adiuncta crudelitas, & efferatę cuiuſdam bellue natura. Ita enim euenire ſolet, vt qui plus nimio voluptatibus ſunt dediti, & erga ſeipſos indulgentiſſimi, idem reperiantur in alios ſęui, truculenti, inhumani. *Impiorum viſcera ſunt crudelia*, Quid delitioſius Tyberio ex vario libidinum genere turpiſſimo? eodem crudelius nihil: cuius immanis furor nec matri nec filijs vel nepotibus pepercit: Vnde ob feritatem dictus, πηλὸν αἵματι συμπεφυρμένον. Lutea ſanguine concreta maſſa. Caligula nefandæ voluptatis monſtrum, qui (vt ſcribit Suetonius) dum in Germaniam proficiſceretur, *Adeo ſegniter & delicate, vt octophoro veheretur, atque à propinqua vrbium plebe verri ſibi vias & conſpergi propter puluerem exigeret.* Vltra modum tamen omnem crudelis extitit: ita vt ſanguine humano delectaretur. Romanæ ciuitatis vnum iugulum eſſe optauit, quod ipſius gladio amputaretur. Vxorum nuda colla exoſculatus, ſubriſit ſæpius, dicens ſe ea cogitatione mirifice delectari, qua ſecum reputarat tam ſpecioſas ceruices, ipſius verbo illis poſſe præſcindi. Nero omnium hominum immaniſſimus, turpiſſimis iuxta arſit amoribus: de cuius voluptate hęc Suetonius: *Cænatio-*

Voluptas crudelis.

Prouerb. 12

Suet. Tiber. cap. 37.

Sueton in Calig. cap. 43.

Sueto. Ner. cap. 28. *nes eius laqueatæ tabulis eburneis versatilibus; vt flores ex fistulis, & vnguenta de super spargerentur.* Istius autem bestiæ crudelitas in matrem & amicos quosque desæuiens, notior est, quam vt inpræsentiarum exponatur. Lamprid. Cōmod. Aurel. Vict. Cōmod. Commodus, ille hostis Deorum, parricida senatus, idem libidine fędus & sęuitia plusquam efferatus. Humanę generis monstrum Heliogabalus, Tiberinus, Tractitius, immensis suis voluptatibus stupendam plane feritatem adiunxit. Aurel. Vic. Heligab. Maxentius adeo lasciuus & effuse petulans extitit, vti matronas nobiliumque feminas vi raperet ad concubitum. Eutrop. lib. 12. Idem tam ferinis moribus, vti atroces milites in innoxiam plebem sæpius immitteret, qui quoscunque obuios promiscua & confusa cęde sternerent. Atque vt antiquioribus istis recens aliquod exemplum adiungam: Sander. de scis. Luther. lib. cont. Ang. reg. Harpesfeld. Henricum octauum Angliæ Regem, ex quo hæresis apud nos prosapiam traxit, è suis tenebris in lucem educam. Omnium iudicio, ipsius etiam Lutheri constat hominem hunc impurissimum fuisse. Legitima etenim nondum abiecta vxore, pellicatus crimen sibi consciuit: Deinde coniugalis thori sociam spernens, vario vagoque captus amore, in immensum eius voluptas & Veneres proruperunt. Abdomini vero ita indulsit; vti propter corporis obesi pondus, pedes vix incedere potuerit: nedum gradus ascendere. Propterea cathedra inclusus, in superiora ædium funibus ferreis rotulis implicatis, trahitur. Cuius sæuitiam si cogitemus, nihil atrocius aut magis crudum apparebit. Consulares viri quamplurimi eius gladio ceciderunt; nobiles omnis generis ad mandatum eius securi feriuntur: Ecclesiastici & Religiosi immani supplicio ex sententia tam truculenti principis passim afficiuntur: etiam ipsius vxores, eius manus non effugerunt: duarum enim ceruices ferro scindi curauit. Sed Ratio quare voluptas crudelis. neque difficile erit istius rei causam & principia exquirere, qui enim voluptatibus vitam suam, studia, & cogitationes deuouent, mollitiem quandam inde contrahunt: vti euirati prorsus videantur: proinde ob hanc teneritudinem, nihil ita diffugiunt & horrent, atque tristia acerbaque; summum malum & extremam miseriam in talibus constituentes. Itaque animis nequaquam securi omnes euentus timent, quælibet suspecta habent, à quibus aliquid acerbitatis ipsis possit accidere: atque ideo desæuiunt in alios, nec tamen satisfaciunt crudelitati suæ. Quæ cum satis disputata sint in odium voluptatis, inquirendum deinceps, quibusnam institutis ex orthodoxorum placitis, munita sit Voluptas Christianæ professioni repugnat. hominum vita contra teterrimam hanc pestem, corporum animorumque labem fędissimam. Christianam quidem perfectionem, in abdicatione istius lenocinij positam affirmamus. Sicut enim vitiorum metropo-

metropolis est voluptas, (vt loquitur Clemens Alexandrinus) ita piorum studia præsertim collocantur in recessu quodam ab hac impuritate. Quamprimum enim originalis noxa humanum genus peruaserat, statim vitiatus appetitus, & à ratione auersus, in delicias sensuumque immoderatas iucunditates immodice inclinauit. Beneficio autem Christi in libertatem assertis, ea nunc incumbit cura, non qua solum deperdita iustitia acquiratur ac conseruetur: verum etiam qua effrenis concupiscentię nimia exultatio strictiori seueriorique disciplinę lege reprimatur. Acrimoniam hanc & voluptatis repudium peccatum primo induxit. Eapropter Adamus statim ab ipsa pręuaricatione admissa, corpori suo ad illud exulcerandum, folia ex ficu adhibuit. *Condignum* (inquit Tertullianus) *inobedientiæ amictum fecit, conteritus timore Dei, & retundens petulantem carnis impetum.* Delictum quoque Euam, atque illius sexus alias, hac sententia acerba admodum perstrinxit: *Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tibi.* Qua de causa terra pariter hęc maledictioni subiecta, spinas & tribulos germinauit; homini labores & sudores peperit: vti intelligamus vitę asperitatem nos postliminio in paradisum reducere, sicut voluptas ea exegit atque expulit. Proinde nihil Christiano minus in hac vita expetendum, quam voluptas. Alio enim tendit, vbi erit consequenda: hic pretium effunditur, alibi quęstus constituetur: hic cursus, alibi brauium: hic accelerandū, & in agone contendendū, alibi quiescendum pręmiumq; obtinendum. Neque aliquid ferme adeo luculenter Christianum hominem ab ethnico aut hæretico distinguit, ac vitę genus austerum & delicijs vacuum. *Lugeamus ergo* (vt inquit Tertullianus) *dum ethnici gaudent, vt cum lugere ceperint, gaudeamus: ne pariter nunc gaudentes, tunc quoque pariter lugeamus. Delicatus es Christiane, si in hoc sæculo voluptatem concupiscis, imo nimium stultus, si hanc existimes voluptatem.* Manifestius autem hoc euadet, si orthodoxorum placita quędam percurramus.

Clemens Alex. 7. strom.

Tertul. l. 3. cont. Marc. cap. 37.

Gen. 3.

Tertul. lib. de spectac.

Peccati expiatricem dolorem, qui intimo animi angore, gemitibus lachrymisque contineatur, statuimus: quem cum concilio Tridentino eam dicimus pęnitentiam, quę ante baptismum ab adultis agi oporteat, qua nos à Deo auersos appetitu voluptatis, ad ipsum veluti iustitiæ solem conuertimus. *Nunc ergo, dicit Dominus, conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & in planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Sicut enim cupiditas rei illicitæ animum affixit, ita dolor & acerbitas eandem reuellunt, & iusta quadam compensatione facti adhibita, pęna delicias exęquant. *Exitus aquarum deduxerunt*

Dolor opponendus voluptati.

Cōcil. Trid. sess. 6. c. 6.

Ioel. 2.

Psal.118. *xerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Quo quidem dolore imitamur serpentes, qui transitu per angusta veterem pellem exuunt, & tanquam sacerdotes, victimam spiritus carnisque Deo istiusmodi pœnitudine offerimus. *Non enim* (inquit Augustinus) *vt supplicem Deo,* August. in Psal.41. *empturus sum de transmarinis locis, aut vt exaudiat me Deus meus nauigabo, vt de longinquo afferam thura & aromata: aut de grege adducam vitulum vel arietem. Apud me oratio Deo vitæ meæ. Intus habeo victimam, quam immolem. Intus habeo thus, quod imponam. Intus habeo sacrificium, quo flectam Deum meum. Sacrificiũ Deo spiritus contribulatus.* Neque molle aliquid, blandum, aut delicatum sonat prioris vitę correctio, sed potius asperum, acerbum, & rigore plenum: qualem illorum fuisse veterum Christianorum testatur Tertullianus. Tertul. lib. de penitēt. cap. 11. *De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cinere incubare, corpus sordibus obscurare, animam meroribus deijcere, illam quæ peccauit, tristi tractatione mactare. Cæterum pastum & potum adhibendum, non ventris, sed animæ scilicet causa, plerumque vero ieiunijs preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire, dies noctesque ad Dominum Deum suum, presbyteris aduolui, & aris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere.* Purgatis ita animabus dolore, iustitiaque recepta, partim ad coërcendam concupiscentiam, ne iterum efferuescat, iustitiamque excutiat: partim ad soluendam pænam temporalem, delictis eorum facta remissione adhuc debitam; duriter vitam instituimus, & in salicibus suspendentes delectationum organa, in recordatione cælestis Ierusalem gemimus, & vbertim lachrymamus. Nam vt docet D. Cyprianus. *Orare oportet impensius & rogare, diem luctu transigere, vigilijs noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, strato solo adhærere, cineri in silicio & sordibus volutari: post indumentum Christi perditum, nullum hic iam velle vestitum: post diaboli cibum malle ieiunium, iustis operibus incumbere, quibus peccata purgantur, eleemosynis frequenter insistere, quibus à morte animæ liberantur.* Istis autem pietatis exercitijs, paschalia festa pręuenientes Christiani, vel maxime tunc studere soliti sunt. *Quando*, inquit Epiphanius, *apud nos fiunt humi dormitiones, castitates, afflictiones, siccorum esus, preces, vigiliæ; ac ieiunia & omnes animarum salutes, per sanctas afflictiones.* Profusas autem nostrorum hereticorum libidines, quadragesimę pręceptum transcurrentes, eo tempore in antiquis illis apostatis taxans, subiunxit: *Ipsi à summo mane obsonantur, carneque ac vino venas suas explentes cachinnantur: ridentes, ac subsannantes eos, qui sanctum hunc cultum hebdomadis paschæ perficiunt.* Nos autem consilium Apostoli sequimur, *Mortificate membra vestra*. Eius exemplum imitamur dicentis; *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Adimpleo ea quæ desunt passionum*

Pæna ad satisfactionem adhibenda pugnat cum voluptate.

Psal. 136.

Cyp. ep. de lapsis.

Epiph. l. 3. cont. hær. hæres. 75.

Coloss. 3.

1. Cor. 9.

passionum Christi. Atque hac ipsa de causa, nobis grata emissa à Deo calamitas: qua à voluptatibus auocamur. In fornace quippe tribulationis Angelum inuenimus, qui nos flammis concupiscentiæ eripiat. Laboramus vt caro spiritui subiaceat. Timemus enim, ne cum corporibus indulserimus, recalcitrent, & ausu nefario in Dei mandata inuolent.

Coloss. 1. *Dan. 3.*

Hęresis vero quam luxata laxataq; ad voluptates? ad omne genus turpitudinis quam proiecta? hæc tererrima labes pristinos iuxta, & neotericos hæresum authores fautoresque notauit, fędauit. Delectatio turpis eorum sectam infamem fecit: adeo vt ausim dicere, nemini Caluinismum vel Lutheranismum arridere, nisi aut virtutis odium, vel extrema inscitia sensus eius obtinuerit ac ceperit. Quod si (vti oculorum testimonium famamque publicam omittam) dilucido argumento verum esse haud ostendero, vel ex ipsorum dogmatibus consectarium esse non probauero: contumelię iustissime crimen mihi inuri patiar. Atque vt imprimis in vniuersum hęreticorũ ingenia despiciamus: verissimum comperiemus illud Clem. Alexandrini: *Hæresis ab initio habet aures, quæ non audiunt quod est vtile, sed solum patent eis, quæ dicuntur ad voluptatem.* Quo in genere egregie ab istis ita à principio erratum fuit, vti mulierum patrociniũ passim affectarent, vel earum greges sequerentur ad explendam turpem ipsorũ libidinem. Hanc quoque labem in hęretico ingenio infixam penitus, tempora Apostolica detexerunt. *Captiuas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs desiderijs.* Quorum vestigia Simon Magus directa insequutus, suam in delicijs habuit Helenam: Nicolaus pariter choros duxit feminarum: Marcion suam circundixit: Apelles meretriculis omnino deditus: Gnostici impune innoxeque passim scortantur: Valentinianorum in fędis istis libidinibus progressus ita nobis refert D. Iren. *Alij vero valde modestè in principio quasi cum sororibus fingentes habitare, procedente tempore manifestati sunt, grauida sorore à fratre facta.* Marcus impurissimus Ganeo, de quo idem Irenæus) qui in incantandis excantandisque mulieribus totus fuit occupatus. Montanus feminarum suffragijs fretus, se spiritum sanctum esse dixit in carne subsistentem. De Arrianis hoc fuit elogium Athanasij: *omnes certe apud illos sordibus scatent, & eorum catascopi, qui minime sunt Episcopi, longe maculosissimi sunt.* Pelagium ita descripsit Hieron. *Nec recordatur stolidissimus Scotorum, pultibus prægrauatus.* Mores Iouiniani deficientis monachi, & ad hęreticorum partes transfugæ, ita idem Hieron. expressit: *Nam cum monachum se esse iactitet, & post sordidam tunicam, & nudos pedes, & cibariũ panem, & aquæ potum, ad candidam vestem,*

Hæresis voluptuosæ. *Clemen. Alex. 7. strom.* *2. Timot. 3* *Iren. lib. 1. cap. 1.* *Hieron. ep. ad Entesip.* *Tertul. l. 3 cont. Marcion. Prateol. Marc.* *Clem. Alex 2. strom.* *Iren. cont. valent.* *Iren. l 1. c. 1* *Iren sup.* *Athan. ep. ad solitar.* *Hiero. præfat. in Ier.* *Hieron. l. 1 cont. Iouin.*

stem, & nitidam cutem, ad mulsum, & elaboratas carnes, ad iura Appij, & Paxami, ad balneas quoque ac fritellas se conferat; manifestum est, quod terram cælo, vitia virtutibus, ventrem præferat Christo, & purpuram coloris eius, putet regna cælorum. Et vt hęresis se veneriam, effeminatam, fractamque esse proderet, historici consignatum nobis eorum monumentis reliquere, famosissimos hęresiarchas, sub præsidio ac tutela feminarũ perpetuo delituisse. Arrius sororem principis, erroris sui fautricem delegit, sub cuius vexillis militaret. Donatus Lucillæ opibus suffultus, partium studium & atrocissimum illud in Africa scisma conflauit. *Scisma* (inquit Optat. Mileuitanus) *illo tempore confusæ mulieris iracundia peperit, ambitus nutriuit, auaritia roborauit*, & post: *Maiorinus contra Cecilianum ordinatur, qui fuit famulus Lucillæ.* Manichæus constuprata principis filia, hęreseos infesta signa extulit: vt narrat Prateol. Dioscorus quoque (sicut refert consilium Ephes.) suam Pansophiam habuit in ipso Episcopio, & alias, cum quibus publice se in balneis lauabat. De ceteris dicere supersedeo. Quod si nostrorum hęreticorum cętus excutere velimus, vbi popina aut lupanaria non eminebunt? Pulcra illa ædificia, religionis & doctrinę ergo, magnificentissime quondam à nostris constructa, mulierum turbas iam habent: & in ipsis spacijs academicis, imo collegiorum arcanis, licet iuuenili cursu puellas ludibundas discurrentes videre cum adolescentibus. At mirum non est hosce ita feruere ac ruere ad voluptates. Dogmata enim quibus eorum animi imbuuntur, ad voluptatem instituunt prorsus. Fidei tantum iustitiam adscribunt: verum nulla libido aut cupiditas cum fide depugnat; huic etenim infidelitas tantum opponitur: quandiu idcirco animis de mysterijs non hęsitant, neque scripturis vel Christo diffidant, tamdiu impune valebunt Veneri indulgere, omnemque sequi libidinis ductum: interim iustitiæ candor nulla fæditate deturpetur. Si mihi dicant, istiusmodi factis ipsam fidem eijci & exterminari: lepidum quid proferent. Quasi nemo adulter aut rapax nisi hęreticus vel infidelis? Quis itaque dæmon aut furia instigare acrius poterit homines ad nefandas voluptates, quam Caluinista sic de iustitia fidei definiens? Ecclesiam isti perpurgare velle cupiunt videri: in prostibulo tamen eam collocant & sentina. Verum istis ita modus iam constituatur, de eisdem alias amplius tractaturi.

Hæretici feminarũ aucti. patrocinio.

Optat. Mileu. lib. 1.
Hieron. ep. ad Cntesiph
Optat. sup.

Prateol. in Manich.

Concil. Ephes. Sess. 3.

Quibusnam

Quibusnam virtutibus diuitiarum immoderata appetentia sit coërcenda?

CAPVT IX.



Enus quoddam voluptatis est, cuius immensum desiderium illorum animos vertit, qui externis inhiant diuitiarum emolumentis. Duplici etenim bono appetibilium ratio dispertitur: honesto nimirum & delectabili. Hæc etenim sui gratia tanquam fines solum incidunt in hominum vota: reliqua aliorum causa expetuntur. Cum autem perspicuum sit, auarum quod honestum est non pręponere sibi: consequens erit, vnicam delectationem omnes eius molitiones ac studia spectare. Istius autem dilecti seu ægritudinis natura prius à nobis aperienda discutiendaque videtur: mox rationum momenta in medium adferenda, quę huic grauissimo malo remedium aliquod adferant oportunum. Auaritia, vti eam definit Cicero, *Opinio est vehemens de pecunia, quasi valde expetenda sit, inhærens & penitus insita.* D. Thomas eandem sic describit: *Auaritia est immoderatus amor habendi.* Vnde liquet (neque hac de re sententijs certari solet) auaræ expetitionis obiectum diuitias esse, & humanæ vitę externa emolumenta. In disceptationem tamen venit, vtrum opes ipsęmet sint auaro expetibiles, an vero ea ratione tantum, qua ad aliquid aliud adiumentum conferunt? vtiles etenim animaduertimus esse pecunias ad honores, ad victus ac vestitus cultum, ad voluptatum blanditias. Quocirca vti obiectum auaræ aut tenacis cupiditatis constituatur, merito inquiret aliquis, vtrum diuitiæ crimine auaritię sui gratia quęrantur, an vero vti relatæ ad alia bona, quę pecuniarũ prouentus ęstimentur? Quod si quis statuendum arbitretur, ipsamet lucra & quęstus sui gratia desiderari: is laborabit omnino, vti in obiecto auaritiæ rationem ostendat boni delectabilis. Nam vlterius diuitię si relatæ non fuerint, sed in suis naturis spectatæ, aridæ prorsus, inanes, atque iniucundæ videbuntur. Ex quibus nullo plane sensu voluptas hauritur in arca reconditis; nisi dicamus inescari oculos florenti ac fuluo auri colore: aut eisdem gratam esse obruti thesauri rubiginem. Ceterum pecunias ipsas sui gratia experi ab auaro probabilius censebitur. Qui etenim hoc vitio laborat, is nihil pensi interim ducit luxum, aut quamuis aliam libidinem, ostentationem sui vel etiam dignitates non suspicit vel admiratur. Satis ab ipso reputatur

Auarus delectationẽ persequitur.

Cicero 4. Tuscul.

Thom 1. 2. q. 118. art. 1.

Vtrũ obiectum auaritiæ sit pecunia, an aliquid exinde prouenient

pecuniæ ipsæ obiectũ auaritiæ.

tatur inter diuitias ſuas congeſtas ſqualere, omnemque vitę duritiem contemptumque ſubire. Illi proinde neglecta corporis cura, amibitus abiectus, literarum monumenta & inſignia nullo loco habentur: denique quicquid voluptatis externo ſenſu perceptibile eſt, omnino reijcit atque ſpernit auarus. Inſuper etiam ſi quis dixerit auarum in corrogandis pecunijs verſari eo fine, vti inde lautius viuat, vti ampliori fruatur familia, vel vti ſibi viā paret ad honores & publica reipublicæ munia: conſectarium erit vnius noxæ delictum non inueniri in vitioſo & immoderato appetitu diuitiarum; ſed varium & diuerſum: proinde ad rem paulo auidiorem debere quoque eſſe epulonem, elatum, aut alterius criminis culpa fędatum affirmandum: quod tamen nemo iure ſentire poterit. Imo ſi hoc pacto auaritiæ delictū decernatur ex amore, aut nimia tenacitate pecuniarum, non tam auarus quis erit, quam luxurioſus, vanus, intemperans: ſicut qui furatur vt mechetur, non tam fur eſt quā mechus. Quod ſi rationem obiecti in ipſiſmet diuitijs non conſtituerimus, ſed in re quapiam alia ſenſui iucunda: ſpetiale ac proprium aliquod peccatum non erit auaritia, ſed diuitiarum nimia appetentia referetur ad delectabile ſenſus, guſtus, aut tactus, vel etiam honores: atque ſic ob eundem finem & idem motiuum, coincidet auaritia in eandem ſpeciem cum alijs vitijs. Verū neque ſatis probabiliter exiſtimabit aliquis diuitiarum auaram cupidamque adgeſtionem, vitæ neceſſariam ſpectare ſuſtentationem: quaſi quis plus æquo ſolicitudinem vitæ curamque ſuſcipiens, eo fine ſibi coaceruet pecuniarum ſubſidia, ne improuiſum illi aliquando ſit de hiſce ad vitam neceſſarijs. Nam qui immoderate erga vitam tutandam afficitur, non auarus, ſed illi potius virtuti repugnans, qua quilibet ex inſtituto naturæ ſeipſum moderate diligere tenetur: modum enim in hoc etiam amore nimia indulgentia excedere poſſumus. Eapropter in ipſiſmet diuitiarum cumulis continetur illud bonum delectabile, quod tantopere ab auaro expetitur ac inquiritur. Vt enim diſſerit D. Thom. *Delectatur auarus in hoc, quod conſiderat ſe poſſeſſorem diuitiarum*: quare iſtius vitæ emolumenta, ſub ea ratione qua aprehenduntur illius voluntati & imperio ſubiecta, ad quem ſpectat eorundem vſus, bonum quoddā conſtituunt delectabile. Quo excitus appetitus cum fuerit, ad duriſſima agreſtiaque tenacitatis conſilia hominem transferet. Atque cum diuitiæ naturis ſuis alterius rei cauſa expetendæ ſint, in eo ſe peruerſum aſſerit auarus, quod illas ſui etiam gratia affectat. *Illæ enim* (vti inquit Ariſtotiles) *vtiles ſunt duntaxat, & propter alíud expetendæ.*

Thom. 2. 2. q. 118. art. 6.

Ariſt. 1. Eth. cap. 5.

Cuius quidem cupiditatis deformitatem cum multa arguant: tum nihil

nihil magis hoc ipſo, quo perſpicere poſſumus vtriuſque generis delictum vna auaritię culpa coërceri. Illam quidem in vniuerſum actiones prauę partitionem admittunt, qua carnales aliquę, alię vero ſpirituales nuncupantur. Carnales dicuntur, que ipſius carnis titillatione quadam iucundoque eius ſenſu perficiuntur. Spirituales autem, quę appulſum non habent craſſioris alicuius delectabilis ad corpus: ſed dimanant ex apprehenſione alicuius boni extra nos poſiti, & quaſi immunis penitus ab omni ſenſibili concretione: quo quidem modo auaritia peccatum erit ſpirituale; nam vti docet D. Thomas: *Circa corporale obiectum non quærit auarus delectationem corporalem, ſed ſolum animalem.* Ex parte tamen obiecti, nimirum pecuniarum, quę materiam craſſam habent, ex quibus voluptas omnis petitur, vitium eſt auaritia quoddammodo carnale & ſordidum. Quare quum genere ipſo peiora ſint delicta ſpiritualia carnalibus: quandoquidem ipſa anima perpetrentur immediatius: & propter defectum incentiui corporei gradum voluntarij habeant intenſiorem, (quę duo multū faciunt ad grauitatem peccati) ex illis quoque auaritiæ vitium deteſtabilius tetriuſque redditur. Cum etiam cupiditas iſtęc circa vile aliquod obiectum verſetur, atque ſenſui perceptibile, fœditatis quoque & noxę carnalis aliquid & lutulentę admodum contrahit: vnde vtrinque fœda hom ineque plane indigna exiſtit.

Auaritia crimen ſpirituale & carnale.

Thom. 2. 2. q. 119. art. 6.

D. Thom. 1. 2 q. 73. art. 5.

Anton. 2. par tit. 1. cap. 2. 3.

Naturis porro rerum abutitur auarus, vltro illis aliquid concedens, quod ipſis non competit: veluti ſi quis ex ſeruo dominum ſibi conſtitueret. Quo manifeſta euadit illius animi abiectio, quem ad diuitiarum appetitum immoderatus rapit habendi amor. Quod quidem recte ab Ariſtotele animaduerſum accepimus: *Cum autem vita in pecuniæ quærendæ ſtudio verſatur, ea laborioſa eſt, minime vt ita dicam, vitalis. Et profecto in diuitijs non eſt id bonum quod quærimus poſitiue: illæ enim vtiles ſunt duntaxat, & propter aliud expetendæ.* Diuitiarum ea eſt natura & conditio quæ famuli; alijs enim rebus ad vitam humanam pertinentibus adminiſtrant: ideoque vtiles ſolum dicuntur; quaſi relatam ad alia bonitatem ſortiantur. Auarus vero in ipſis pecunijs ſiſtit, illiſque inhęret, vti vltimo ſuorum ſtudiorum fini; nihil aliud expectans inde quā ipſum lucrum & quæſtum. Ex quo manifeſtum eſt, nullum prorſus vitium ita appetentis mentem deijcere, atq; auaritiam. Cætera enim, vtpote luxuria ex delectatione tactus, intemperantia ex ſuauitate guſtus, ſuperbia ex honorum ambitu circa ea verſantur, quæ inſitæ aliquid proprięque bonitatis habent, neque extrinſecus relatæ: ſed tanquam fines ſui cauſa appetuntur. Amor autem & tenacitas diui-

Auaritia vitiū viliſſimum.

Ariſt. 1. Eth cap. 5.

tiarum in his occupantur, quæ naturis suis ad alia referuntur, atque mancipia esse videntur. Iuuant enim pecuniæ ad delicias, conferunt etiam ad honores: vilissimum idcirco inter omnia vitium est auaritia: quod distinetur circa ea, quæ maxime ad alia sunt instituta, quorumq; vsus cæteris vitijs subijcitur & ancillatur. Vnde Cicero: *Nibil enim est tam agrestis animi, tamque parui, quam amare diuitias.* Delectatio etiam illa, quam tenaces aridique viri aucupantur: sicut vilis admodum est, ita ferme nulla aut exigua, quæque inani mentis cogitatione magis adumbrata videtur, quam rei veritate solida & expressa. Nam si quis ex pecunijs liquidam velit voluptatem consectari, nihil ad hoc institutum accommodatius, quam easdem ad sensuũ oblectamenta transferre. Veluti incidens in fauum mellis, si exinde delectationem spectet, ori potius admouere debebit fauum, quam in sinum recludere. Ita si diuitiarum aliquid sit succi ad iucunditatem conferentis, ipso sumptu exprimendum atque sensu aliquo percipiendum.

Ciceron. lib.1.off.

Dulcedo vera non inest auaritiæ.

Si ventri bene, si lateri est, pedibusque tuis, nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.

Horat. Ep. ad Pol.

Quod enim persequitur incontinens vel intemperans, vera est voluptas, quę sensum aliquem afficit ac ferit. Auarus autem etiam sine lucro aliquo (cum tamen nihil quam lucrum quęrat) effundit se ad ea, quæ extra ipsum sunt posita, ab omni sensu eius remota, atque in angulum seu recessum ablegata. *Et quid prodest possessori, nisi quod cernit diuitias oculis suis?* Cui prętererea illæ curæ subrepunt & solicitudines, quæ omnem plane iucunditatis sensum illi adimunt; neque permittunt vel tantillum temporis, vt soluat parum animum laxetque ab illis quibus distringitur anxietatibus. Propterea quidam concinne (vti mihi videtur) exquisitum ab auaro serpenti comparauit aurea theca incluso. Thęcę quidem pręstantia aut fulgor serpentis naturam non abijcit; à quo inibi delitescente haud minus trepide refugeret quis morsum timens, ac si in alio loco turpiori ipsum inuenisset. Sin autem angores illos & cruciatus, quibus diuitiæ conficiunt plane & deuastant auari mentem, despiciamus, serpentem auro inuolutum reperiemus; quod quidem aurum serpentis stimulum non retundit, sed exacuit, venenum non aufert, sed adfert. Quos quidem dolores & acerbitates, quibus auari animus diuexatur, parabola quadam luculenter admodum descripsit saluator Christus, qui locupletem & ad rem suam attentiorem hæc inducit proferentem: *Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos?* Post immensos labores insumptos, post ingestos thesauros, anxij & perplexij animi hæ sunt voces: quid faciam?

Eccli. 5.

Basil. homil. de abdic. rerum.

Lucæ 12.

ciam? Qui extrema indigentia conflictatur, & iniquissimę fortunę mole oppressus periclitatur, quid efferre poterit tristius aut magis lugubre, quã ancipiti cura distractus diues iltic; cum dicat quid faciam? Hęc pręmia & fructus sunt auaritię, angustia, & cum summo dolore animæ fluctuatio. Duplici autem ex causa diuitiarum appetitor pęnam sibi consciscit. Primo illa seria cogitatione sępius repetita, atque in gyrum acta, qua suis rebus ita prouidere studet; vti in tuto ipsę semper consistant. Proinde omnia illi suspecta euadunt & ad prędam suorum bonorum agendam comparata. Quo pacto immodici amoris assectæ timor & suspicio flagris diuitis animum perpetuo diuerberant. Æstum hunc in se bene senserat Euclio Plautinianus; quo & ad ridiculam quandam insaniam adductus fuit. Gallum enim gallinaceum alioquin sibi longe charissimum, exerto gladio occidit; quod occeperat circumcirca vbi defossa erat ipsius pecunia vngulis scalpurire. Deinde partis iam diuitijs vehementissima quędam incrementi cupiditas hominum pectora solet insidere: *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.* Neque si omnes venæ in secturis auri per vniuersam terrę molem sparsę, thesauros suos in vnius auari sinum effunderent, tantam aliquando explerent appetentiam: *Plaut. Aulul.*

Crescit ingens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore liquor. *Horat. 2. carm. ad Psal.*

Desiderium autem illud habendi cum animum alicuius ceperit: quod nondum habeantur expetita, sed incertis casibus obiaceant, fieri non potest quin sensus torqueat vehementius. *Crescentem sequitur cura pecuniam.* Onustus idcirco angoribus diues ille in hęc verba gemebundus erupit, quid faciam? Nec mirum sane: tam enim auaro deest quod habet, quam quod non habet; & diuitiarum aggeribus circunsepti, (vt inquit Psalmista) *Eguerunt & esurierunt.* Tandem hanc sententiam secum iniuit locuples: *Hoc faciam, destruam horrea mea, & maiora faciam*: quibus duo indicantur auaritię proprij & germani effectus. Primus displicentia quędam, seu fastidium eorum, quæ possidentur: ita vt acquisita partaque nullam prorsus voluptatem domino adferant; idcirco animi pertæsus dicit, *Destruam horrea mea.* Alter immensus est ardor cupiditatis erumpens in negotia, studia, & afflictiones multiplices, quibus augeri possint comparatę diuitię: eaque de causa subiunxit: *Et moiora faciam.* In quamcunque demum partem (vti liquido constat) se moueat tenax, illum acris perpetuo distractio ex- *Psal. 33.*

Luce 12. cipiet & tristitia grauis. *Videte & cauete* (inquit Christus Dominus) *ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est, ex his quæ possidet.* Quare ad leuandum animum varijs curis perplexum, deponendum suadet diuitiarum studium. Atque in exempla proponit liberioris vitæ coruum cæli & lilia agri: quorum vis omnis & pulchritudo solius Dei munificentia, sine ambigua ipsorum solicitudine acquiruntur & sustentantur. Cęterum expetitę diuitiæ non quietem pariunt, sed turbulentiam potius: non tam vitam iucundam reddunt, quam omnis generis acerbitate plenam. Et quemadmodum marini fluctus inuicem succedentes, reciproca vi nauis latera pulsant: ita diuitiæ varios animorum motus effundunt; & quamprimum iste sedatus fuerit, alius subinde exurget, qui rationem quoque vehementius vrgeat. Neque huiusmodi agitatio aliquando sistitur, etiam cum diuitię exuberarint, sed denuo nouarum semper curarum principia se ostentant & eminere videntur. Quibus malis implicitus Achab, ingenti ex auaritia dolore pressus, lecto decubuit. Rex quidem extitit, atque opulentus satis: vinea tantum Naboth illi deerat, quam quod in potestatem sui iuris iniqua postulatione redigere non poterat, adeo sui impos effectus fuit miser, vt nec regale sceptrum, neque amplissima patrimonia, vel vxoris blanditie ipsum tutari valuerint, quo minus ingruenti morti viribus animę corporisque labascentibus, turpiter Rex, diues, & auarus succumberet. *Angustiatur* (inquit Ambrosius) *ex abundantia, constringitur & coarctatur ex opulentia: infelix in præsentibus bonis, infelicior in futuris, & vt video ager non tam redditus largiores, quam gemitus attulit grauiores.* D. etiam Cyprianus nobis graphice depingit æstus illos & angores, quos experiuntur auari: *Non cibus securo somnusve contingit, suspirat ille in conuiuio, bibat licet in gemma; & cum epulis marcidum corpus, thorus mollior alto sinu condiderit, vigilat in pluma, nec intelligit miser speciosa sibi esse supplicia: auro se alligatum teneri, & possideri magis, quam possidere diuitias atque opus.* Qua de causa Psalmista (vt adnotauit D. Ambrosius auaros & tenaces appellat viros diuitiarum: quod diuitiæ coërcitos & subiugatos teneant eorum sensus, illisque ita imperitent, vt diuitiæ non sint amplius virorum, sed viri potius diuitiarum. Ad illam etiam animos insaniam opes impellunt, vti nec sanguine ipso tanta illarum rabies possit ex saturari. *Videte diuitias* (inquit D. Chrysostomus) *quas semper vocabam seruum fugitiuum, nec fugacem modo dixerim, sed* ἀνδροφόνον. *Non enim possidentes deserunt solum, sed iugulant.* Auarum quidē videre licebit macie confectum, subpallidum, squalore & pedore coopertum: cuius vires indies debilitantur, stomachus atteritur inedia, tristi-

Ambros. Serm. 81.

Cyp. Ep. 1.

Psal. 75.

Chrysost. in illud psal. astitit regin.

Auaritiæ seuitia.

tristi aspectu caput in terram defixum; laxantur brachia, vestes incondito & inconcinno habitu, vetustate laceri, vel neglectim sparsi & refluentes, corporis formam dehonestant: gressus omnino tardus, anxietate nimia circumspectus; recessus quærit & diuerticula. In hac tanta abiectione, malorumque illuuie, in hac ærumnosa animæ corporisque conflictatione, quis obsecro voluptatis sensus existit? citius è spinæ aculeo aut serpentis cauda iucunditas accipietur, quam ex diuitiarum cumulis. Quocirca veram sinceramq; non adipiscuntur auari delectationem; sed absentem peruestigant, quam etiam mente solum & cogitatione vanissime depingunt: hæc quoq; illis illudit, & porrecta oscula tanquam Narcisci vana effigie fallit. Haud incongrue itaq; Apolonius Auaritiam harpiam dixit, vultu quidem virgneo, oblandientem; cæterum vncis manibus, pedibusque rapientem omnia, & ventris sordibus comparata inficientem:

Auaritiæ imago.

Tristius haud illis monstrum, nec sæuior vlla
Pestis, & ira Deum, stygijs se extulit vndis.
Virginij volucrum vultus, fedissima ventris
Proluuies, vncæ manus, & pallida semper ora fame.

Paul. Venet. lib. I. de Regu. Orient. cap. 16.

Commeritam itaque ex auaritia pænam excepit Calipsas quidam. Cum enim (vt narrat Paulus Venetus) Tartarorum Rex Babylonem oppugnaret, Calipsas iste, qui vrbi præerat, tam deperditæ fuit auaritiæ, vt immensos auri & argenti thesauros, quos in turrim coniecerat, militi in vsus belli necessarios impertire recusarit: proinde capta direptaque ciuitate, ab eodem Rege in illam ipsam turrim recluditur, illi cibo & potu negato. Cui Rex istis quoque illusit: fruere thesauro tuo, & ex illo comede & bibe, quem tantopere dilexisti: atque ita fame miser auarus perijt. Quę si rite expenderimus, spinarum nomine rectissime à Christo Dño designatas fuisse diuitias animaduertemus. Quod si à me quispiā tenacis alicuius diuitis hieroglyphicū quęreret: nudum hominem ponerem, spinarum septo vndique in orbem circumscriptum. In quamcunque etenim partem se moueat auarus, aculeum sentiet. Si vlterius sit illi recta progrediendum, quasi ad ampliandas facultates suas, acutissima solicitudinis spina eius pectori obuersabitur. Si illi respiciendum sit ad ea, quę possidet, & brachiorum quasi complexu tenęntur, cogitans talia amitti posse, timoris spina lateri eius erit infesta. Denique si de cumulo aliquid imminutum fuerit, vel cogente necessitate sumptus faciendi, à tergo doloris spina ipsum acriter compunget. Quem ideo nudū statui, quod diuitiarum Domi-

Auaritiæ Hieroglyf.

nus ipſe non ſit, ſed earum potius mancipium, omnique prorſus voluptate deſtitutus.

Nocumentum deinde humanę naturę, quod hoc teterrimum infert vitium, *Auaritia mentem corrumpit.* animis ſi reputemus, fieri non poterit, quin illud execrabile plane habeamus. Enimuero quod in homine præcipuum, rationis eſt lumen: hoc autem auaritię noxa extinguit: quemadmodum & corporis vires enernat, & vt cum Saluſtio loquar, illius robur *Saluſt. de coniurat. Catil.* omne effeminat. Apte itaque Euripedes ἐυφρύσεν ὄλβȣ μελάγνον ἄρμα. Quaſſauitque nigrum opulentię currum. Color iſte obſcurus ſcite admodum ſpectabilem exhibet auaritię vim, cum hominis animam *Euripides Herc. Fur.* detruſerit in tenebras, in quibus lucra & quęſtus æruſcatione conſequatur. Hinc ſi aliquid auaro inculcaueris ad interminam illam beatitudinem, vel etiam ad ipſius Dei cultum conferens: verborum *Plat. in Cratil.* ſententiam vix intelligentia ſua percipiet. Nec mirum ſane. Quemadmodum enim nihil ita oculum auocat aut auertit à conſpectu cæli, quam terra: ita terrenæ opes auari ſenſus cum depreſſerint inferius, cura & anxia opera diſtrictos tenuerint, fieri nequit vt ſuperius vultum attollens, ea contempletur, quę diuina ſunt. Imo quodammodo ad infernum proſpectat diuitiarum cupidus, cui vicinæ admodum ſunt effoſſę opes. Nam vt animaduertit Plato, congruente nomine opulentus gręce πλȣ̃τος dicitur, quod infernalis Deus, qui arcana abdita terrę beneficia hominibus repandit & effundit, πλȣ̃τον nuncupatur. Ad quem animi ex opulentia deſcenſum adumbrandum, *Zach. 5.* Zacharias propheta retulit mulierem inſidiſſe amphorę, in quam iniecta erat plumbea maſſa. Abijcit enim cogitationem auaritia, deprimit ad infima quęque, & ſub terra animam adhuc ſpirantem recon- *Alex. ab Alex. lib. 4 cap. 12.* dit. Vnde Spartę diuitiarum Deum coluerunt, vſurpantes effigiem faciei humanę oculis priuatę atque reſupinatę. Iam diximus quidnam illa orbitas oculorum ſignificare poſſet, modo explicandum quare Spartę hunc vultum ita ſegniter proiectum voluerunt. Atque hoc ipſum eſt, quod ſecundo in loco aſſeruimus: auaritiam nimirum actioni & molitioni tam corporis quam animæ aduerſari. Verum dicet aliquis, auaritia nihil operoſius, curſus etenim auari pedes perpetuo agitat, cura ſenſus illius peruigiles habet. Nihiloſęcius cum *Gell lib. 3. cap. 1.* Aulo Gellio aſſero, propriiſſimâ loquendi formulam vſurpatam à *Auaritia hominem effęminat.* Saluſtio: qua affirmauit, diuitiarum cupiditatem hominis corpus effeminare. Licet enim negotijs quibuſdam vmbraticis & cellularijs quęſtibus intenta ſit cupiditas: tamen quod attinet ad munia publica, & ad militarem pręſertim diſciplinam, quorum vſu vires hominum

coaleſ-

coaleſcunt, durantur, confirmanturque, ineptiſſimus prorſus auarus: potius ad hęc mollis, fractus, & deſidioſius.

Genus pręterea illius boni, quod affectat diuitiarum cupidus, tenue & exile admodum eſt, incertum & omnino fluxum: proinde homine indigna illa exiſtunt negotia, quæ immoderato quęſtui impenduntur. Vnde enim obſecro auri & argenti valor atque ſpecies effloreſcunt, niſi ex æſtimatione quadã ciuili & decreto Reipublicę? naturis quippe ſuis nihil tale vendicant. Propterea Licurgus cũ videret ſuos immenſę cupiditatis vitio laborare, edicto aurum & argentum vrbe exegit: eorumque in locis ferrũ ſuffecit; idque magnitudinis ſatis moleſtę & incommodæ: vti hoc pacto diuitiarum contemptũ in ciuium animos induceret. Tenui autem filo ſuſpenduntur, & leui pendent momento opes, quibus ſeipſum cupidus deuouit: vario ſubiectę caſui necubi tuto conſiſtunt. Quibus etenim fortuna nunc blanditur hilarius, in eoſdem poſtea ſeua & truculenta incurret. Quare Epictetus Philoſophus triplicem fortunam diſtinxit: primam cęcam appellauit, quæ nullo habito delectu, temeraria & confuſa ſorte beneficia largitur: alteram inſanam vocauit, eadem ſubinde ſurripientem, quę prius conceſſerat: tertiam ſurdam finxit, quippe quę nullis precibus, lacrymis, eiulatu, aut lamentis flectitur, ſed damno irreparabili quos ſemel oppreſſit, eoſdẽ perpetuo mulctat & affligit. Quis tantę temeritati animę ſuæ ſtudia committenda iudicabit? Quem quidem incertum rerum euentum, cui diuitię innituntur, ſub figura quadam ita aptiſſime patefecit Amos prophetã: *Et dixit quid tu vides Amos? & dixi vncum pomorum.* Auaritia, quæ vncis manibus & veluti harpagone obuia quęque rapit, poma tandem cadua lucratur, quæ pueris ſunt in delicijs, quæq; ſenio ſtatim inueteraſcunt, omnemq; ſpeciem ſui amittunt. Sine, ſtabiles, atque diuturnæ arcis permaneant incluſæ diuitię: truculenta tamen mors, cuius aduentus plane fortuitus, neque multum abhinc eſſe poterit, breui omnem hanc gloriam ſua acerba diraque falce demetet, & florentium papauerũ capita deijciet. Tunc pauperis atq; diuitis, cũ ſuſceptæ perſonæ mors laruas excuſſerit, idem exitus apparebit. Vtriq; nudi ad tribunal tremendi iudicis ſiſtentur. Nuditatem quidem natura inuexit: *Nudus egreſſus ſum de ventre matris.* Diuitiarum autem apparatum & pompam, quaſi veſtium ornatum, auaritiæ crimen excogitauit: tandem vero mors, direptis diuitiarum ſpolijs, nudum ex hac vita dimittet. *Et nudus reuertar,* inquit Iob. Hanc cogitationem animis qui non ſuſcipiunt, ſed caſui temerarioque rerum euentui relinquunt omnia, quid ni ſtulti ſint? Propterea de huiuſ-

Auari bona incerta & fluxa.

Plutarch Licurg.

Epict. dialog. triplex fortuna.

Amos 8.

Iob 1.

huiusmodi veluti imparato ad impressionem mortis, inquit saluator: *Stulte hac nocte auferent animam tuam à te: quæ autem parasti, cuius erunt?* Tanta illa contentio, labores illi immensi, gressus omnes, corporis animęque curæ assiduæ, ad quam tandem summam reducuntur mihi dicas velim? Referet Chrysost: *Tibi magna vis pecuniæ suppetit, quid hoc ad animam? pecunijs locuplerior, pauperior animo, folijs coronatus es, & fructu eges.*

Lucæ 12.

Chrysost. homil. 2. illud Psal. ne timueris

Illis etiam se opponit hoc vicium virtutibus, quæ primum omnino locum tenent; proinde turpius aspectu, ipsoque effectu tetrius existimabitur. Si virtutes omnes in suas classes ordinate distribuere velimus; quasdam inueniemus ad priuatum ipsius qui operatur bonum comparatas tantū, veluti temperantia, continentia: alias vero videbimus ad publicum multorum commodum institutas, quibus inter homines, omnis societas ciuilis & conuictus coalescunt. Cuius generis existunt iustitia, liberalitas, magnificentia, amicitia, pietas, religio. Quibus cum omnibus quasi ex diametro depugnat auaritia: poindeque merito iudicabitur hominis naturæ inimicissima. Quæ quidem virtutes, quemadmodum obiecta habent fusiora ac præstantiora: ita reliquis eminent, & dignitatis gradu antecellunt. Et cum ex istis quamplurimi emolumentum capiant, eapropter existunt maxime amabiles & alijs spectabiles. Præclarum enim est nihil iniuriæ, iniustitiæ, nihil lucri gratia concedere: sed omnia ad rectitudinis & æquitatis libram administrare, ęstimare. Hoc namque pacto seruantur leges, & inter homines politia omnis stabilitur. Cupidus autem pecuniarum ad prædā semper accinctus; & si quid emolumenti ac compendij iniquis modis corrogarit, citius ex corde sibi cuspide sanguinem eliciet, quam vt ipse ablata velit restituere, inflictumque damnum restitutionis æquitate resarcire. Quid porro ad præsens negotium excellentius, aut ad posteritatis memoriam famamque celebrius; quam liberali magnificaq; donatione, & impensis sumptibus post se monumenta liberalitatis relinquere, in memoria hominum cultuq; vigere, florere & perennare? Nihil crederem expetibilius, quam vti vnus ita de multis bene mereatur. Abiecta autem auaritia vitæ consilia detrudit in angulos, araneis contectos telis; inglorium nomen reddit, obliuione sui memoriam obruit, nec patitur quempiam in conspectum hominum prodire, vel aliorum causa magnificū quid exhibere. Ad tutandam amicitiam effundendæ opes; quis inficiabitur, nisi qui amicitiæ iura violanda censuerit, & dulcissimū hunc vitæ nostræ comeatum, expellendum duxerit? Nam si amico animorum recessus sint detegendi, scrinia obserata esse non debebunt: manus contracta cum expanso sinu non coheret;

Auaritia optimis se opponit virtutibus

hęret; nec auaritia cum amicitia. Huius tamen necessitatem ita Cicero expressit: *Quoniam res humanæ fragiles caducæque sunt, semper aliqui acquirendi sunt, quos diligamus, & à quibus diligamur: charitate enim beneuolentiaque sublata, omnis è vita sublata iucunditas*, Largitionis autem modũ ita enarrat idem Cicero: *tantum autem cuique tribuendum est, primum quantum ipse efficere possis, deinde etiam quantum ille, quem diligas, atque adiuues, possit sustinere.* Auarus vero veluti Timon ille Atheniensis, ea asperitate est & immanitate naturæ, vt congressus societatemq; hominum fugiat: ineptus idcirco ad suscipiendam amicitiam. Et quod non nobis solum nati simus, sed nostri partem maximam patria, quæ vitam artubus inspirauit, illamque aluit, iuste sibi vendicet: ea propter extrahendæ nonnunquã pecuniæ & conferendæ in publicam vtilitatem. Sed auari animus angustior est, quam vt hanc gloriam capiat, priuatis commodis, non patriam solum, verum etiam & cælũ ipsum metitur: ruinam arculæ magis animo horret, quam casum muri ciuici: & citius pectus obijceret telis hostiũ, quam eorũ manibus vel oculis thesauros. Quod vero spectat ad virtutem religionis: tametsi pręcipuũ illius officium internis animi motibus perficiatur, nihilominus sumptus interdũ adhibet: externo ritui & ceremoniali pompę multum concedit. Quo in genere enituit Salomon, qui templum illud celeberrimum Ierosolimis extruxit, omnemque eius apparatum splendidissimum effecit. Cui neque inferiores extitere Constantinus, Theodosius, Ludouicus, alijque principes nostri Christiana fide illustrati; qui tot templa exquisita quadam opera elaborata, ex pretiosa materia fabrefacta, religionis ergo à fundamentis erexerunt: Monachorum choros claustris plane regijs cinxerunt, annuis reditibus omnem illorum curam abundantissime subleuarunt: vti ipsi tanquam apes à reliquis feriati nil nisi flores, & mella libarent. Procul autem ab istis studijs seiunctus est auari animus: nihil omnino eorum expendet, quæ suo idolo semel consecrauit: iam enim argenteum aureumque Deum in pectoris lario collocauit, cui omne obsequium illi stat sententia impertire. Est enim (vti docet Apostolus) auaritia idolorum seruitus. Denique misericordiæ, quæ virtus est humanæ naturæ maxime consentiens, inseruiunt externa bona & facultates; atque istis indigentiũ vitam tuemur, eorum necessitates propulsamus. Auarus autem ita durus & acerbus est: vti aliorum miserias negligat, neque commiseratione vlla ducicitur, tanquam cautes, quæ nullis rationibus emollitur aut flectitur. Quamobrem ita sapiens pronuntianit: *Nihil iniquius quam amore pecuniã, hic enim animam suam venalem habet, & in vita sua proijciet intima sua.*

Cicero Lel. us.

Ephes.5.

Eccli.10.

Auaritia odio & periculis obiecta.

Omittendum haud mihi visum est & aliud, quodque ab auaritia venit: ipsius nimirum vitę periculum, cum inuidia atque funesto ciuium odio. *Nihil tam inuidiosum* (inquit Chrysostomus) *quam homo diues: cum vero superbia accesserit, duplex paratur præcipitium; difficilius ab omnibus bellum.* Quod enim appetentia diuitiarum ijs aduersetur virtutibus, quæ alijs emolumenta adferunt, nihil miri si eosdem concitet, atque vi quadam armet in tenaces, qui ipsorum bona rapiunt aut impediunt. Apte idcirco Ægyptij huiusmodi hieroglyphicum auaro posuerunt: constituentes nempe hominem seminudũ, pannis obsitũ, dentesq; humano cordi auide infigentem: plerunque enim auari diuites ex raptu viuunt & aliorum sanguine. Veritus idcirco Pittacus, qui fuit vnus è numero Sapientum, hanc populi inuidiam (vt scribit Æmilius probus) ampla quędam munera ipsi oblata recusauit: *Cũ Miteleni multa milia iugerũ agri munere darent: nolite rogo vos*(inquit) *mihi dare, quod multi inuideant, plures etiam concupiscant: nam parua munera diuturna,* Porro principes viri aut Magistratus suorum nimiam opulentiam plerunque non ita gratam habent, sed suspectam potius: quocirca multiplici taxatione libenter rem eorũ diminuunt. Seneca aliorũ beneficijs quasi aggrauatus, sibi timere statim incepit ab inuidia: atque vt laborantem in salo nauem, mercium proiectio leuat; ita ipse suarum rerum iactura leuari voluit ab illo odio, quo ferme opprimebatur. Veruntamen ipsum tardius hæc pręstantem quorundam maleuolentia anteuertit. Neroni itaque suggerunt, Senecam hortorum amœnitate & villarum magnificentia principis diuitias superasse. Adiuit itaque Neronem Seneca, quem (vt scribit Cornelius Tacitus) istis est alloquutus: *In hoc itinere vitæ senex, & leuissimis quoque curis impar, cum opes meas vltra sustinere non possim, præsidium peto: iube eas per procuratores tuos administrari, in tuam fortunam recipi.* Ad quæ incommoda vitanda, prudenter quidem Apollonius: *Fortunam* (inquit) *velut tunicam magis concinnam probo, quam longam.*

Chrysost. homil. 2. ad pop.

Pier. lib. 6.

Aemil. prob. in Thracill.

Cornelius Tacitus annal. l. 20

Apoll. Apolog. 1.

Orthodoxorũ res gestæ probant eos non extitisse auaros

Istis ita disputatis videamus iam quibus rationibus impij hęretici, etiam hac ex parte humanum officium corruperunt: vti nihil ad summam malitiam illis deesse videatur, vnde possint quoque modo virtutis integritatem, dogmatis prauitate violare. Imprimis ipso effectu & opere ad aspectum patenti omnibus vbique terrarum enuntiatur, quantum in hoc genere officij orthodoxi sempre pręstiterint. Hi etenim suis impensis non priuatas sibi ipsis voluptates, sed publicas aliorum vtilitates posteritati procurarunt. Hoc testantur Xenodochia infirmis, egenis, alendis fouendisque constituta: templorũ item augusta maiestas,

maieſtas, ſupellex Eccleſiaſtica pluſquam regio apparatu ſplendida & ſumptuoſa, Monachorum cœnobia & triſtegę, in quibus perficiendis poteſtas cum religione certauit. Ipſa eruditorum ſpacia, & academicorum baſilicæ, veterum illorum tum in Deum fidem, tum in hominis munificentiam loquuntur. Erecto etenim culmine in ſublime collegia feruntur, plumbea ſcutula aut lamina operiuntur, craſſo muro, quadrato & exculto lapide, parietes conſurgunt: feneſtrarum inauratæ fornices, ad proſpectum conſpicilium & lucem excipiendam, aperiuntur largiſſime: cum inſectis marmorum cruſtis teſtudines altrinſecus capitibus imminent: pauimenta ſegmentata & vermiculata pedibus ſubſternuntur, pyramidũ pinnæ è ſublimi conglobatæ, quodammodo ſilueſcere videntur, ipſiſque nubibus minari, frontiſpitia ita arte elaborata, vt hominum oculos cogant plane atque rapiant, periſtylia vtrinque columnis fornicem ſuſtentantibus, (per impluuia imbre decurrente) inambulationi locum ſpatioſum, oculiſque gratum concedunt. Quod ſi ad ciuilia cogitationes transferamus, incidemus in armamentaria, apothecas, horrea, archiua, bibliothecas, ſcholas, exedras, theatra, & id genus infinita propemodum alia, quæ antiquorum, qui Romanam coluerunt fidem, teſtatam relinquunt pietatem in Deum patriamque. At iſti noui atque recentes nihil horum moliuntur: quin potius limphati perfida religione in hęc immaniſſime graſſantur, diuendunt ea, expilant, expoliant, diruunt, peſſundant. Antiquitatis veſtigia, quibus ipſorũ prophana temeritas euinciretur, obterunt, obliterant, & præclariſſimarum virtutum monumenta ſuo funeſtant zelo. At nos (inquiunt) parietes non inuehimus in orbem, non molem bonorum operum, in quibus antiquitas illa inconſulto fuit diſtricta: ſed puram & excoctã fidem inferimus, qua etiam vnicum Dei cultum definiendum arbitramur. Sed obſecro, hæc veſtra fides, quam deprædicatis, eritne otioſa vt præſtantior habenda, quam ſeria illa antiquorum, & actioni ſedulo (vt audiuiſtis) intenta? Quis hoc ſuſpicabitur, aut putabit vos plus ſomno veſtro effeciſſe, & apud Deum maius præmium demeritos, quam illi aſſiduo labore, vigilijs, omniq; genere contentionis pręclaræ? Egregium procul dubio inuentum excogitaſtis: quiete cum philoſopho dicitis homines ad ſapientiam peruenire, & ideo ab omni virtutis opere deſides quieſcitis, vt ſapientes videamini. Laudo acumen. Sed ne hæc veſtra ceſſatio ab opere in ſegnitiem & turpem epicuriſmum ex ipſa ſpecie incideret, effectus fidei appellatis ſtudioſas actiones. At dicite mihi, ab annis iam mille quingentis, vbi terrarum hæc compendiaria

Sectarij magnificẽtia infeſti.

fides ipsi floruit? partes Asię, Africę, Europę, aut noui orbis etiam si vultis cogitatione vestra describile? quęnam monumenta historiarum effectus fidei istius consignatos reliquerunt? vbinam templa, religiosorum tecta, aut academias condidistis? Vnum horum deligendum est, aut ab Apostolicis temporibus ad Lutherum vsque extinctam fuisse fidem; vel hanc nullo pręclaro virtutis opere illustrem, in obscuro delituisse socordiaque obrutam, nec in hominum oculis comparuisse: quorum prius Christi Ecclesiam prorsus miseram facit; posterius infęcundam, sterilem, imo fedam, turpemque.

Sectarij negantes meritũ negant quoq; virtutem liberalitatis.

Sed principia, quibus dogmata vestra innituntur, & ex quibus pendent quoque vitæ rationes aduersantur plane illis virtutibus, ad quas pecuniarum sumptus pertinent: nostra autem cum illis optime cohęrent, & conspirant. Vultis ætenim nulla virtutum opera, quicquid pręmij apud Deum promereri: ex quo ad eleemosinas, aliasque munificentias necesse est hominum animos hac opinione imbutos frigere languescere. Nam sublato meritorum pondere, quum naturę, fatoque concesserimus; eadem prorsus conditio erit illius, qui in bonos vsus facultates suas expendit, atque eius, qui crumena inclusas auide, arideque easdem seruarit: cuius namque rei fructus interueniente morte concidit, is vanus est censendus: perinde idcirco eleemosina res vana erit, atq; sunt alia iuuentutis ludicra. Eapropter quod propensi sint homines ab ingenio, vitęque consuetudine ad tenacitatem, cum hæc duo secum reputarint animis, quis illorum inclinatus erit ad misericordiam? Hæc vestra sunt ad virtutem calcaria; seu potius istæ sunt faces vestræ incensæ ad libidinem. Vereor tamen vos auaros dicere; tametsi ita repugnetis iustitiæ, pietati, religioni, munificentiæ, charitati: voluptas enim & Venus sicut nec vos patiuntur diuites, ita nec auaros sinunt. At de istis alias.

Paupertas ex voto pænes orthodoxos.

Apud orthodoxos ex animi voto, vitęque sacræ instituto, suscepta est omnium diuitiarum plane abdicatio, vt nullus prorsus auaritiæ locus concedatur. Scimus Iudam loculorum custodem, laqueo gulam fregisse, & appetentia pecuniarum addixisse flammis animam. Nudum idcirco Christum, ex nostris quamplurimi nudi suquuntur. Et quod mirabilius est, quibus hæreditario iure amplissima patrimonia cesserunt, ij tanquam vilem sarcinam, facultates omnes abiecerunt; ad agri lilia, coruosque cæli properantes: vti candorem vitæ ad similitudinem lilij, atque intelligentiæ volatum, ad exemplar corui in seipsis pręstarent. Consilium illud Christi animis exceperunt: *Si vis perfectus esse vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Atq; ne in cassum,

Lucæ 12.

Matth. 5.

vel

vel irritum conatum abiectio istęc diuitiarum incidere videatur; subiunxit Christus: *Et habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me.* Duo sunt istius vltro admissę paupertatis pręmia: vnum quo Christum imitatione sequimur; alterũ quo in cælis mercedẽ consequimur. Prophani autem hæretici, cum hac paupertate, quæ reuera Ecclesię diuitias cõplectitur, graui & atroci bello iam diu conflixerunt. Nihil prius factione sua huc vsque moliti, quam vt pauperibus istis excidium parerent: cęnobica etenim instituta incredibili quodã odio semper persequuntur. At quis illorum est, qui diuenditis patrimonijs, bonis amplioribus sua sponte renuntiauit? Cui adhuc persuaserunt illa fulmina concionum, garrulitates illæ, psitacorũ fractæ voces, congeries illa verborum, idiotarum spectra, hęc diuitiarum onera deponere? Quis regum, aut principũ auditis illorũ exhortationibus, ad Apostolorum pedes sua bona abiecit, frugalitate victus, stricte, & austere de reliquo vixit? Ex nostris autem quamplurimi hoc effecerunt & quotidie idem nunc faciunt. Non sunt ergo adeo efficaces vestræ conciunculæ: nostri vero sermones longe grauissimi. Sed mihi ignoscite; ex vestris multi bona sua quoque abijciunt; etenim non diffitebor id asserere: Ipse etiam noui nonnullos hoc factitantes; & plerumque cetus vestri paupertate, & inedia pręmuntur. Illud autem vnnm discriminis intercedit: quod exuti spoliatique facultatibns vestris, Christum non sequamini: Nec mirum, nam non voluntas vestra, sed popina, taberna, lupanar, aut alea, bonorum hoc dispendium crearunt: vna est omnium Syrtis, feda voluptas.

Honoris appetitus iusta rerum æstimatione & humilitate animi moderandus.

CAPVT X.



Ehementem fore honoris ambitum & cupiditatem, neminem latere poterit, qui vel hominis ingenium, vel honoris momentum sua intelligentia recte excusserit. Vt autem istius appetitionis vim omnem, eiusque causas animis exacte complectamur: mihi audiendus videtur D. Thomas, qui philosophi vestigia insequutus, singula hac in re *D. Thom. 2a 2. q. 129.* sagacius persequitur, & diligentius odoratur. Is itaque tres in vniuer- sum

Tres cauſæ vehementioris cupiditatis honoris.

Ariſt. 3. Eth.

Honor virtuti coiunctus, ideo maxime expetendus

ſum rationes tradidit flagrantis iſtius deſiderij ad fulgores delati plauſuſque honorum. Teſte Ariſtotele proxime ad virtutem accedit honor; quippe illi agnatus admodum, & ab eadem quodammodo effuſus. Eſt quippe virtus tanquam ſolis ſubſtantia quędam animæ ſpheræ inſerta: honor vero eiuſdem radius, magna quadam vi vbique ſparſus & vibratus, ſpectantium oculos perſtringit: quo fit vti rectæ inſtitutorum ſolum effectus ſit honor. Humanis autem pectoribus inſitum eſt deſiderium, vnde appetunt cuncti pro bonis & honeſtis ab alijs haberi; proinde iſtius pręſtantiæ inditium ſignumque, quod delatis honoribus continetur, diligentiſſime exquirunt omnes. Nonnunquã etiam ſumma quadam contentione & moleſtia formam quandam virtutis ſuis conatibus inducunt: non quod virtute ſolida ipſi delectentur, ſed vti ad ſimilitudinem virtutis expreſſa actione, honorem aliquem aucupentur. Reliqui vero defectus (vt animaduerſum eſt à D. Auguſtino) à vero rectoque ſunt ita auerſi, vti in conſilijs peſſimis rebuſque à decore remotis verſentur: ſola ſuperbia & faſtus etiam optimis ſtudijs adſunt, illiſque videntur immiſceri: nec veretur meridianus dæmon hoc pacto inter filios Dei comparere. *Omnia vitia in malefactis timenda ſunt, ſuperbia in benefactis plus metuenda eſt.* Hęc illa ſpina, quæ fragrantiorem roſam comitatur, vermis ſaniora ligna exedens, deformis anguis, qui ſub viridioribus herbis deliteſcit, fucata meretrix frequentiam hominum affectans, ſpetioſum vitium, quod in foro agens expandit ſe ad radium ſolis: neque eſt ſubueritum empyrei cæli Maieſtatem, ſed ibi puriſſimas mentes errore tetro obcęcauit, ſummoque ſcelere contaminauit: paradiſi quoque floribus interfuit aliquando, primoſque parentes infelici mulctauit inibi exilio.

D. Auguſt. in Pſal. 58.

Iob 1.

Honor bonũ præſtantiſſimum.

Alia porro exiſtit cauſa iſtius appetitus, quę à pręſtantia ducitur ipſius honoris. Si enim bona omnia (vna virtute dempta) mente colligamus, quę homines excitant ad concupiſcendum: excellentiſſimum quid, reliquiſque longe pręlatum, honor videbitur. Siquidem voluptas nobis cum brutis communis intercedit, pena & turpitudine infamis: & ſicut oculorum aſpectum fęda illius ſpecies reuerberat, ita animorum quoq; conſenſum ſæpe auertit. Exiſtimatio autem rationis bonũ dicitur, eo quod nullum animal, niſi ratione prędutũ, illius notionẽ vllã poſſit acquirere. Alia porro bona vel in ipſo vſu intercidunt, vel pręcipiti quodam caſu ruunt ad interitum: voluptas fluxa, vt fumus aut vmbra euolat; diuitiarũ amicorumq; iacturam & ſtragem facit truculenta mors; neque aliquid horum patitur cineri vel buſto ſupereſſe. Honor autem haud obnoxius ruinę, in hominum animis memoria

memoria viget, floretque ſempiterna. Et niſi honor iſtic ſua natura quid eſſet altiſſimum & prętantiſſimum ſoli Deo, vti ipſius peculium non tribueretur. Quo efficitur, vti nobiliora ingenia ad hanc honoris appetentiam magis ſint comparata; quorunque conſilia à rebus humi ſerpentibus longius ſunt elata. Vt enim inquit Tacitus: *In ſapientibus cupido gloriæ, nouiſſima exuitur*. Et excuſans peruerſos ſenſus Tyberij, diuinitatem ſibi ambitioſe vendicantis, inquit: *Optimi quippe mortalium altiſſima cupiunt*. Neque diſſimilis prorſus eſt ſententia Cicer. *Eſt autem in hoc genere moleſtum, quod in maximis animis ſplendidiſſ. ingenijs plerunque exiſtat honoris, imperij, potentiæ, gloriæ cupiditas*. Quocirca Heſiodus (vt ſcribit Gregorius Nazianzenus) in quauis arte excellentes vocare ſolitus ἀντιτέχνος. Et tantus quidem appetitus eſt famę, vti (quod narrat Herodotus) Xerxes recte dixerit Pithio regi, hominis animam in auribus habitare: eo quod nihil ita ad voluptatem & quaſi ipſius vitam conferat, ac rumor gratus; neque aliquid ita moleſtiam ingerit, aut ſecum facilius interitum adducit, quam infamia; prę ſertim cum in animum excelſum ac grandem inciderit.

Cornel. Tacit. lib. 20. Annal.

Cicer. 1. off.

Greg. Naz. Ep. 98.

Herod. l. 7.

Neque aliud quidpiam tanto odio proſequi videntur homines, atque infamiam vitęque dedecus. Prius enim quam hanc labem in ſeipſos admittere aut ſuis nominibus conſciſcere velint: duriſſima quęque & pati & aggredi parati erunt; ægre admodum ab illis ęſtimationis diſpendium ſuſtinetur. Nullum quidem voluptatis genus crederem eſſe, quod tantam vim habeat ad excitandum appetitum, quantam opinio glorię & honoris. Hęc ſane pectus ita obfirmat audacia, vti omnibus obiectum periculis, in medijs ignibus, denſatis haſtarum cuſpidibus, volitantibus cum immani ſonitu tormentorum globis, impauide verſetur. Imo vel tenuis aliqua futurę gloriolę coniectura & exiſtimatio affectū rapit penitus ad difficillima negotia. In tantis autem malis atque difficultatibus neminem adhuc noui, qui Venerem aut Bacchum ſit conſequutus. Quin potius (vti experientia deprehenſum eſt) ad infamię aut pænę cogitationem omnis efferata motio libidinis ſe rationi dimittit. Verum ſi verbulo irato & iniurio, vel caſu aut temeritate excidente, quidpiam detractum fuerit exiſtimationi; ira protinus excandeſcimus, mentis acies vindictę appetitu acuitur, ebullit in nobis ſanguis, cuius impetum continere vix poſſumus; ad vlciſcendam iniuriam, ipſam vitam prodigimus: atque expetibilius putamus tentantes vindictam mori & occidi, quam cum aliqua nota etiam leuiori, offenſam remittentes, ætatem propagare. Quanta autem vis eſſet huiuſmodi cupiditatis, ſatis exemplo

Infamiam & dedecus omni modo homines effugiunt.

ſuo aliorumque malo indicauit dux Bedfordianus inter noſtrates. Gallias etenim obtinente Anglo, dux iſte regno illi imperitabat; inimicitias autem interim exercuit cum Burgundo. Iudicatum tandem omnino expedire, conſtituendum fore aliquod colloquium, in quo de litis genere ac pace ineunda inter eos tractaretur; maxime quod tunc Galli rebellibus armis Anglicanum imperium excutere molirentur. Locus ad conueniendum conſtituitur Audomaropolis; quocum vtrique principes aduentaſſent, dubitari cepit quis alterum prius inuiſeret. Bedfordus homo omnino elatus, quod filius, frater, & auunculus eſſet regum, atque Galliarum Prorex; à Burgundo expectauit ſalutationis officium: Burgundus autem, cum in imperio ſuo verſaretur, nequaquam cedere voluit Bedfordo. Quid tandem? diſceſſum eſt vtrinque; interim rebellante Gallia, & Anglorum authoritatem defugiente: quam defectionem Burgundi amicitiam facile prohibituram nouerat Bedfordus. Atque ita ſuperbia iſtius Anglicani ducis honoris vmbram inſequuta, Galliæ regnum nobis amiſit. Reperiuntur quoque quamplurimi, qui addicatis rebus ſuis ad libertatem & perfectionem pij inſtituti ſe receperunt; hos tamen intumeſcentes ſpiritus haud domuerunt; facilius interim delicijs omnibus carentes, quam opinione ſola virtutis aut eruditionis. *Plus eſt* (inquit D. Hieronymus) *animam depoſuiſſe, quam cultum, difficilius arrogantia, quam auro caremus & gemmis. His enim abiectis, interdum glorioſius tumemus ſordibus, & vendibilem paupertatem populari auræ offerimus.* Huiuſmodi exiſtimationis appetitus animos tenuit veterum illorum Romanorum: qui cum Galli hoſtiliter in vrbem irrupiſſent, quibus ipſi eminus armorum vi obſiſtere non poterant: honori tamen in extremis conſulentes, domum ſe referunt: vbi ſumma quadam maieſtate vnuſquiſque pretioſis ſe ornat veſtibus, collocatque in ſede curuli: vti Barbarorum manu intentata mors, ipſos nihil de honore aut dignitatis gradu decedentes, vel etiam pauore trepidos inueniret: reliqua omnia hoſti tradiderunt diripienda, honorem tantum generoſi animi inexpugnabilem docuerunt. Saguntini cum diu obſidionem ſtrictiſſimam ab Afris illatam ſuſtinuiſſent, aperto tandem ſtratoque ruinis muro, quando nullus locus illis ſupererat ad perfugium: ne aliquam in ſeipſos infamiæ notam admitterent, vtpote qua dicerentur in manus hoſtium veniſſe, illiſque ſpirantes victoriam conceſſiſſe: in ipſo foro rogum excitant, in quem ſe, ſuoſque, aurum, & chariſſima omnia deuaſtanda conijciunt. Obſtinatos animos Thalenſium deſcribit Saluſtius; qui à Mitello Romano diu obſeſſi, & iam ferme expugnati,

Grafton. Henric. 6.

Hieron. Ep. 30.

Flor. lib. 1. cap. 13.

Liu. Decad. 3. lib. 1.

Saluſtius De bello Iugurth.

nati, in regiam domum ſua omnia comportantes, poſt vinum & epulas igne ea corrumpunt. Duorum etiam fratrum catharginenſium idem narrat duriſſima fuiſſe pectora, & plane ferrea ex opinione ſola exiſtimationis. Inter ſe enim litigantes acriter de agro quodam, eoque areneſo plane & infertili, priuſquã alter alteri litem concedere voluerit: cum nulla ratione contentio finiri poterat; ambo viui ex prę ſcripto legis in eodẽ ſepeliri voluerunt: optabilius ducentes ita mori, quam vinci. In illa defectione Capuę à Romanis, cuius author & princeps extiterat Vitruuius: cum diutius vrbẽ oppidani retinere non poterant, in craſtinum diem deditio pacta fuit ab illis & conſtituta. Vitruuius autẽ (vt narrat Liuius) penes quem nulla reſtabat veniæ ſpes, infame illud ſupplicium, quod ſubire deberet ob tale crimem, ſecum animo reputans: virgas nimirum dorſo infligendas, ſecures ad ceruices illidendas: tam vehemens opinio dedecoris ſenſus eius inuaſerat; vt pridie quam portę hoſti eſſent aperiendę, oratione habita ad ſenatum, qua quod animo ſtatuerat enarrauit: poſt epulas in cęna large ſumptas, & amicorum complexus, venenum hauriens voluntaria nece Romanorum ſeueritatem anteuertit; hunc ſequuti in hoc facinore ex ſenatorio ordine viginti ſeptem. Miſerabilis ille exitus Abydenorum, quem deſcribit Tit. liu. vim iſtius appetitus ſatis luculentam fecit. Hi etenim Saguntinorum obſtinationem imitati, dura quadam à Philippo Marcedone obſidione preſſi, deditionem ſui animis exhorreſcentes, coniuges & liberos interficiunt; aurum, argentum, veſtemque proijciunt in mare, tectis ignem ſubdunt: interim execrabile carmen ſacerdotibus concinentibus, iuramento promittunt, neminem viuum, niſi victorem, arce exceſſurum. Cleopatra Egipti regina in poteſtatem veniens Cæſaris, ne priuata exutaque imperio viueret, vel triumpho ſeruaretur: in ſepulcrum ſe concluſit, ac mortem aſpidis morſu, vel venenati acus punctura ſibi conſciuit, vti teſtatur Dio. Caſſ. Cato vticenſis (quod idem Dio narrat) non ferens ſe à Cæſare victum, pugione ſibi vulnus in vterum ingeſſit, & inde expirauit, antequam in conſpectum victoris veniret. Atque has ſtrages appetitus honoris atque infamiæ metus ediderunt.

Saluſt ſup. — *Liu Decad. 3. lib. 3.* — *Liu. lib. 31.* — *Dio. Caſſ. lib. 50.* — *Dio Caſſ. lib. 43.*

Verum iuſta rerum trutina, qua rationum momenta ponderantur, tumorem hunc mentis, non niſi ex leui quodam flatu & ſpiritu admodum exili caolitum eſſe, nobis renunciabit: quemque mens ipſa, veluti diuino numini maxime aduerſarium, & quaſi in altum eius thronum turgeſcentem faſtum, ſemper exhorruit: ea propter hanc appetentiam gloriæ cum inanem, tum periculoſam eſſe comperie-

Quomodo superbia speciali ratione Deo aduersa.

mus. Cuius quidem atrocitas in hoc vel pręcipue mihi videtur elucere, quod ipsi Deo peculiari quadam audacia repugnet, illiusque sacro sanctis legibus obsistat: quomodo D. Thomas ex ea parte, qua delictum grauius auersionem animi à Deo continet, grauissimum quoddam scelus esse docet superbiam: *Superbia habet auersionem à Deo, ex hoc ipso, quod non vult Deo & eius regulæ subijci. Vnde Boetius dicit, quod cum omnia vitia fugiant à Deo, sola superbia se Deo opponit.* Veruntamen hoc fortassis non vsque adeo perspicuum, aut ad certam intelligentiam expeditum; quonam videlicet modo superbiæ crimen peculiari aliqua ratione Deo resistat, illiusque decretis obnitatur. Est etenim superbia (vti ipsam definit D. Thomas) inordinatus appetitus excellentiæ, vltra proprias vires & regulam à Deo pręfixam. Quæ quidem regula aliarum proxima, nulla alia esse poterit, quam recta ratio hominis animo diuinitus impressa: auertit idcirco nostra consilia immediate superbia ab hac recta ratione ac veri despicietia. Hoc autem superbiæ cum ceteris vitijs est commune: singula enim rationi ac menti aduersantur, & ab ea deflectunt conatus suos. Iudicio quidem intelligentiæ nostræ exploratum habemus, nihil vltra virium modum ab ipsa natura definitum, tentandum, aut præter rerum ordinem à Deo pręfixum, actione & consilio quidpiam à nobis suscipiendũ. Quęritur idcirco causa, ob quam non ita se Deo opponat intemperans, dum contra rationis præscriptum cupedias persequitur, atque animo elatus, eadem ratione repugnante, ad honores & dignitates immodice adspirans? vterque sane sese à ratione auertit, & contra rerum ordinem à Deo constitutum, sua opera aliquid molitur. De hac re edisserens D. Augustinus, hæc intulit: *Peruersa celsitudo est deserto eo, cui debet animus inhærere, principio, sibi quodammodo fieri atque esse principium.* Ex quibus duo, quę ad pręsens institutum pertineant, elici videntur. Primum, gloriæ cupidum ad honores contendere ea peruersitate mentis, qua sine Dei adminiculo vllo, atque proprijs suis viribus illos obtinere aggreditur. Alterũ, quod istius appetentię terminus & finis Deus ipse non constituatur, sed ille potius, qui immoderate gradum pręmeditatę excellentiæ expetit. Illud quidem prius non putarem expresse in omni superbię crimine reperiri: nullus etenim nisi à mente penitus exciderit, eo modo honores vnquam affectauit. Quæ quidem æstimatio si ad superbiam exigeretur, nullo modo huius noxa in efficaci aliquo consilio inueniretur; sed omnis prorsus in simplici quadam animi complacentia: quod tamen vero non consentire liquido constat. Nemo enim ferme iudicare poterit, aut sibi persua-

Thom. 2. 2. q. 162. art. 6.

August. 14. ciu. cap. 13.

dere aliquid ab ipſo poſſe comparari, ad quod Deus nullum momentum conterat. Poſterius illud, quo dicebatur appetentem ſuperbe, non Deum, ſed ſeipſum veluti metam ac ſcopum molitioni præſtituere: cõmune plane eſt omnibus vicijs grandioribus; que ex Theologorum ſcitis finem ſui habent in creatura aliqua collocatum: ita vt ipſe qui appetit, finis dicatur cui quidpiam deſideratur: res autẽ expetita nuncupetur finis cuius gratia illa ipſa contentio ſuſcipitur. Quare vti in quęſtione ſatis obſcura coniecturã noſtram interponamus: recolendũ quod ſupra inculcauimus; nimirum inter bona expetibilia primum locum honorem atque excellentiam vendicare. Hæc autem duo in ipſo Deo maxime conſpicua ſunt, & inter cetera ipſius attributa, quaſi faſtigium elata tenent. Si quid etenim horum angelis aut hominibus obtigerit diuina largitione, illud vmbra tantum eſt & expreſſio tenuior eorum, quæ in Deo, vti in fonte quodam ac principio exuberant & effloreſcunt. Eapropter quemadmodum hæc ipſo genere ſunt excellentiſſima, ita eorundem conceſſio propriiſſime ordinem rerum à Deo pręfixum reſpicit: quem etiam ipſe peculiari ratione aliqua ſuo clauſit imperio, & authoritate coërcet. Quo fit vti honoris appetentior aliquid ſibi non debitum vſurpet, infringatque, quantum in ipſo ſitum eſt, ordinem ſeriemque rerum diuina prouidentia ſtabilitum; atque cum ipſo Deo quodammodo manus conſerere videbitur. Ex quo iuſte perpenditur grauitas huius delicti: quandoquidem nefario quodam auſu, authoritatem ipſius Dei, eam parum æſtimans, defugiat ac contemnet.

Porro animi faſtus cum in illud inuolat, quod ſoli Deo attribuendum: eapropter tam pręfracti animi audacia grauiter in iram numinis incurrit. Si namque maximum ſcelus ij perpetrant, qui regis purpuram fęde lacerant, aut capiti eius excuſſo diademate, puerili luſu abutuntur: quid ſtatuendum de illis, qui ſupremi Domini purpuram, qua ipſius ſacroſanctum numen effulget, diadema, quo immenſa eius vis & poteſtas inclareſcit, ſibimet arrogant, & pluſquam ſacrilegio arripiunt? Honor autem ſoli Deo debetur; ipſius res eſt & peculium: cetera ferme nobis permittuntur. In medio etenim paradiſi, iſtius honoris arbor ita ſpecie & aſpectu pulcherrima nobis interdicitur: ac mors interminatur eius fructum manducantibus. Virtus quidem expetenda noſtris votis obijcitur, ceterum honor, qui ex illa dimanat, cum ad nos appulerit, refundendus in boni largitorem Deum: ni velimus ſacrilegij crimen iniquiſſima rapina nobis conſciſcere. *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, nec diues in diuitijs* *Deus ſuperbis reſiſt.* *Ierem. 9.*

 ſuis.

ſuis. Thales Mileſius cum præclarum quoddam de ſolis ſubſtantia inuentum, reconditum quidem, marte ſui ingenij excogitatum, cuidam Madrito Philoſophiæ percupido ediſcendum tradiiſſet: diſcipulus iſte magiſtri prçceptione vehementer animo exhilaratus, ab ipſo petijt quodnam genus mercedis ſeu operepreciũ ex impertito beneficio expectaret. Cui Thales: non aliud cupio, quam vti illud efferens, me dogmatis inuentorem fateare. Argutus vir ceteris omnibus honorem prçtulit. Haud aliud ſane à nobis optima prçſtantibus expectat Deus: quam vti ipſum boni cauſam atque originem agnoſcentes, honorem ac gloriam eidem ex integro adſcribamus. Nam ſi emolumentum omne noſtrum à Deo profluxiſſe intelligamus, fieri nequit vti inanem çſtimationem, ac vilem hanc popularem auram vulgique rumuſculos auidius conſectemur. Quam quidem conſequutionem omnino legittimam eſſe aſtruit apoſtolus: *Quid habes quod non accepiſti, quod ſi acceperis, vt quid gloriaris quaſi non acceperis?* Quocirca mirum non eſt, ſi modo ſeueriſſime in eos animaduertat Deus, qui honorem, veluti ipſius bonum proprium, depredantur ſuperbia ſua. Idcirco ſacræ literæ teſtantur iſtius criminis & flagitij vltionem non alijs committi, ſed quaſi ab ipſo Deo ſuſcipi: *Deus ſuperbis reſiſtit*. Ipſoque effectu penes omnes gentes innotuit, Deum in illos ſolitum ſua fulmina immanius intorquere, qui inflatis animis çonſilia venditantes, honores nominiſque claritudinem ſunt plus nimio meditati. —— —— — ἀλλα τον φρονημάτον

ὁ Ζευς χολάςης τὴν ἄγαν ὑπερφρονῶν.

Sed animos nimios, & elatos faſtu, punit vindex Iupiter. Et Seneca optime videtur conſulere:

Vos quibus rector maris, atque terræ
Ius dedit magnum necis atque vitæ:
Ponite inflatos tumidoſque vultus.
Quicquid à vobis minor extimeſcit,
Maior hoc vobis dominus minatur.
Omne ſub regno grauiori regnum eſt.
Quem dies videt veniens ſuperbum,
Hunc dices vidit fugiens iacentem.
Nemo confidat nimium ſecundis,
Nemo deſperet meliora lapſis.
Miſcet hoc illis, probibetque Clotho
Stare fortunam, rotat omne fatum.

Cum Xerxes (vti narrat Herodotus) ingenti comparato exercitu in Grçciam cogitaſſet inuadere, & Perſico imperio nobiliſſimum Europæ

[Margin notes: 1. Cor. 4. — Iacob 4. — Lucæ 1. — Euripid. Hercul. — Senec. Theſ. — Herodot. lib. 8.]

ropæ partem rigore martio adiungere: ne nimium animo elato acueret & concitaret in ſe Dei iram, quæ in ſuperbos ſeueriſſime animaduertere ſolet, huiuſmodi conſilio Artabanus Perſa amicus & patruus ipſum præmunire voluit: *Vides vt prægrandia animalia fulmine Deus ferit, nec ſinit inſoleſcere; parua vero nihil lædit. Vides vt magnaſque arbores huiuſmodi fulminum tela percutiant. Gaudet enim Deus eminentiſſima quæque deprimere. Vnde & ingens exercitus ab exiguo profligatur: quoties Deus his, quibus inuidet, aut metum incutit, aut tonitruum. Propterea quidam ſecus ac dignitas ſua poſtulabat, in calamitatem inciderunt: quia Deus neminem alium quam ſeipſum ſinit de ſe magnifice ſentire.* Iſtis tamen nihil commotus Xerxes, in ſua ſuſcepta temeritate, ac audaci ſuperbia proceſſit. Terrarum quippe vaſtiſſima ſpacia militum numero onerauit: intorquente autem in ipſum Deo fulmen, quaſi in cacumen montis ipſis cęlis minitans; ad eam miſeram fortunam deiectus fuit: vti profligato eius exercitu, cęſo ac diſpalato, ægre fuga vitæ ſuæ, aut in exigua ſcapha piſcatoria traiectu, potuerit conſulere.

Quod etiam moliuntur gloriæ appetentes, prępoſterum quid eſt, & ab inſtituto naturę alienum. Honor etenim nulli alteri rei pręterquam virtuti debetur. Apposite idcirco Marcellus ita honoris templo ſitum decreuit: vti ad illud per ædem virtutis tantum adorantibus ingreſſus pateret. Iſti vero honores animis diſcupiunt, eos in votis vnice habent, nihil aliud laboribus ſuis in pręmium conſtituunt: Cæterum virtutis formam ſpernunt, negligunt, nulloque plane loco habent. Ita vmbram ipſo ſolido, inanem florem fructu, caducum firmo & ſtabilito præferunt bono. Sed quemadmodum radicitus euulſæ arbores æſtiuis temporibus, non ſtatim foliorum viredinem amittunt, ſed paulatim talis venuſtas elanguit, & emoritur: ita nominis gloria, ſi in ipſa virtute altius radices non egerit, tametſi popularis ſententiæ exiſtimatione, & vulgi opinione aliquantiſper florere videatur; diu autem ſuſtentari nequit, ſed marceſſet ocius, extinguetur tandem. Neque ſolum fucati hi vel ad ſpeciem elaborata venuſtate deſtituentur, verum etiam apparebit ſingularis eorum impudentia; quod aliquando voluerint expoſitas merces confictis & adulterinis pecuniijs coëmere: hoc eſt nullis virtutum meritis, ſed fucatę diſſimulationis præſtigijs honoris titulos comparare. Similes quidem euadunt inflatis viſicis, in quibus nihil concreti, ſed leuis ſpiritus ſolum ad amplitudinem loci dilatatus. Virtute relicta, quod reliquum eſt honoris, id leuiſſimũ prorſus, & facile diſſipabile. Qui virtute autẽ ſolide præditus exiſtit, non cum illo ſtripitu actionum incedit, non tanta conten-

Conatus ſuperbiæ præpoſterus

tione nominis ęstimationem consectatur. Solius virtutis possessio abunde ipsius cupiditati facit satis, nec vlterius quęrit aliquid. At qui momento carent virtutū, sua buccinantes vndiquaque strepitū edunt, imperiose nimis primas vendicant: quibus nisi loco cesseris, aut effatis illorum consenseris, truci vultu iras spirabunt & vindictam. Haud mirum: nihil aliud talis habet, quam quod in speciem videtur habere; nec quasi natiuo in loco honor, cuius solum virtute subactum esse debet, in illo crescit: sed quidam eius succisus surculus, arenę aut petræ insertus, qui deficiente naturali succo, vi quadam aut arte ad tempus propagatur. Ita vadosa flumina ad saxa, quæ aquis eminent, decursu elisa, horrisonum tumultum edunt: altiores autem gurgites fusius laxatis ripis placide & silenti ac oliagineo quasi fluxu deferuntur. Ipsa virtus idcirco potius expetenda: neque ita animis gestiendum, quod virtutis pręmium, nimirum honorem, adepti simus, quam quod virtutem ipsam ad nos traxerimus. Vnde Chrysostomus: *Si vere sis pius, & tibi nihil conscius sis mali, oportet gaudere, non quoniam videris, sed quoniam es.* Et ne in hoc vitium inciderent virtute prędit, quibus maximum (sicut diximus) ambitionis periculum est intentatum: sic admonemur à Christo Domino: *Cum hæc omnia feceritis, dicite quia serui inutiles sumus.* In hunc modum repellendus & sedandus appetitus honoris, etiam ab illis, qui in omni virtutum genere excellent: vt se interim fateantur seruos, non dominos, nec quoscunque, sed inutiles. Ex benefactis idcirco gloria, quæ gignitur, ipsi Deo referenda, sub cuius imperio homines stipendia merentur: qua in re etiam optimis diligentissime cauendum erit. *Nihil perinde* (inquit Chrysostomus) *superbiam gignit, vt bona conscientia, nisi aduigilemus. Cætera quidem mala nobis negligenter agentibus solent comparere, hoc autem in ipsis recte factis adnascitur.*

Chrysost. homil. 43. ad pop.

Lucæ 17.

Chrysost. homil. 3. in verb. Esa.

Verum non nisi ex iniqua rerum ęstimatione cupiditas istęc honoris promanat. Est enim honor ornamentum quoddam, sed aliorum opinione constitutum, extrinsecus ad nos delatum: cuius accessu meliores vel recessu deteriores non euadimus. Ita quoque lubrico innititur quodam fundamento, qui gloriam appetit, vti leuissimo quodam flatu non tam aduersæ, quam diuersæ fortunæ congesta facinorū moles concussa sæpius decidat ac præcipitetur. Nam in vulgi sententijs qui spem glorię habet, is quasi proprijs destitutus viribus, vti erectus consistat, ad alios se inclinat, quorum adminiculo sustentetur, semper egens & imbecillis. Quare cum Traianus suorum operū monumenta, literarum notis parietibus inscribi voluisset: vti in memoria hominum perpetuo florerent, ambitionis crimen sibi consciuit, & passim

Honor res non satis digna contentione nostra.

Aurel. Vict. Traian.

& paſſim ab alijs nuncupatus herba parietina : quod ad alendam famam ſui nominis parietum pręſidium ſibi exquiſiuerat: quaſi ſine parietibus imperatoria laus nec vigere potuiſſet. Vulgi autem voces quam concitatę, quam temerariæ? aura hæc popularis quam tremula, incerto vento ſemper agitata? Sicut enim ventorum ſpiratio, maxime autumni tempore, ſolem ſequitur perpetuo mouentem: ita vulgi ſententiæ illi applaudunt, non quem vera virtus, conſtans & ſtabilis approbauit; ſed quem temporum rationes & fortunæ ſucceſſus extulerunt. Ea propter vulgus eodem ore, quo laudes & acclamationes prodit, infamiam, crucem, omneque malum imprecatur. In capitolium aſcendentibus albos equos feliciaque cuncta plebs optauit, eoſdem denuo ad ſupplicium, ad vncos, ad lanienam poſtulauit. Perbelle idcirco D. Baſilius monachum quendam inſtituens, hanc inanem ſui venditationem appellauit χαμαιρέπες δοξάτρηον : humi repentem glorioſam & animi magnitudine contemnendam definiuit.

Baſil. epiſt. ad mona. lapſ.

Quod ſi in hac vſque adeo vehementi & incitata honoris expetitione abiectionem quoque animi deprehendere poſſimus, & contemptum ſui; quid obſecro demum relinquetur in iſtiuſmodi contentione ſpectabile? Scio prædiuitem quendam apud Romanos Sillanum, quod ad honores & faſtigia dignitatũ ambitioſe non adſpiraret, ſed negligeret potius vel ſperneret, ab Auguſto appellatum fuiſſe pecudem auream. Verumtamen ſi animi excelſo quodã conſilio hoc pręſtiterit Sillanus, aureum potius Philoſophum ducerem, quam pecudem. Nam illa virtus, quam noſtri ſub nomine humilitatis deprędicant, quęque in contemptione honorum maxime verſatur, non eſt depreſſio aut abiectio animi, quemadmodum nonnulli peruerſe ſuſpicantur: ſed eius potius ſtatus quidã erectus & exaggeratus, quo cunctis rebus mens altior effecta, cęlorum tantum deſiderio capitur: terrena autem, pręcipue fictitios & ludicros honores, ſpernit. Vnde D. Auguſtinus: *Bonum eſt ſurſum habere cor, non tamen ad ſeipſum, quod eſt ſuperbiæ, ſed ad Dominum, quod eſt obedientiæ. Eſt igitur aliquid humilitatis neceſſarium modo, quod ſurſum facit cor: & eſt aliquid elationis, quod deorſum facit cor.* Quamobrem humilitatis motio in anima talis eſt, qualis in eliſa pila: hæc enim quo vehementius deprimitur, eo altius aſcendit: ita ex inſtituto humilitatis, quo animus magis ſe dimittit, eo ſublimius poſtea eminet & ſe attollit. Quis etenim negabit magnanimum plane extitiſſe Conſtantinum, cum iure imperij, tum virtutis imperio magnum: penes quem cum delata eſſet accuſatio, quod ipſius ſtatuam quidam iactu lapidum protriuiſſent; & propterea graui quodam ſup-

Honoris aucupium ſeruile.

Cornel. Tacit. lib. 2 anal.

Humilitas magnanimitas.

Auguſt. lib. 1. Ciu. cap. 13.

Gall. panegyr.

plicio in perduelles animaduertendum nonnulli asserent: subridens impeator fama iniuriæ nihil commotus, manū vultui apposuit, dixitque se tactu non experiri sibi illa vulgaria temeritate excussum esse oculum, diminutum statum, aut frontem violatum: ita tantus vir animi constantia & magnitudine quorundam iræ ac maleuolentiæ illusit. Quod si gloriæ contemptio in laude & virtute haud esset, eos, qui illam aucupantur ambitiose, vel cauponantur sordide, non ita odio haberemus, neque laudem illis libenter concederemus, qui eandem refugiunt & aspernantur. Signum ergo est hanc potius esse contemnendam, quam vt propter se expetatur. Neque ita Constantinus ad famam & nominis encomium visus est vnquam aduolasse, ac quando ab hac gloria auolauit. Cum enim equo vectus militum vocibus & varijs acclamationibus exciperetur; ne adulationis oleo ipsius aures delinirentur, calcaribus equo submissis, celeri cursu laudantium turmas prętereuehitur: tunc autem vel maxime festinasse mihi visus est Constantinus ad nominis magnitudinē, vetamque existimationem. Abiectus etenim honor, & seruilis admodum res, quę fugientem, imo repellentem sequitur. Quod si tam elati, quam humilis dimissique animi finem contemplemur; manifestum erit, quis eorum sibi metam proponat eminentiorem. *Sperent in te*, (inquit Psalmista) *qui nouerunt nomen tuum.* Duplici siquidem ex cognitione oritur humilitas; Dei videlicet, & nostri ipsius. Priori quidem diuinam Numinis immensitatem intelligentijs assequuti, tanto imperio studia & cogitata dimittimus. Quocirca qui nouerunt nomen Dei, quo ipsius virtus demonstratur, hi repudiatis cæteris, illi soli inseruiunt, & abiecto inani fastu, sub tanta potestate contremiscunt. Hoc autem nomē in templo Apollinis gręca hac voce εἶ expressum, columnæ characteribus inscisum fuit: in quod templum adeuntes intenderent. Denotat autem hęc particula ipsius Dei existentiam, quæ fixa, determinata & inuariabilis est, cuiusque munere & omnipotentia cętera in lucem prodeunt & subsistunt. Qui autem hoc nomen bene nouerit, & ex aduerso, fluxi & temerarij honoris vilitatem expenderit: si vllam animi ingenuitatem, vel exilientes aliquos spiritus nactus fuerit: magnitudine quadam sui instituti popularem hanc auram, veluti fabulam, contemnet, atque in Deum excelsę operationis connixu suos conatus omnes, vti in supremum scopum & finem, diriget. Popularis enim istic fauor non habetur plerunque, nisi seruili admodum assentatione: ideoque aperiendum caput, incuruandum pectus, oris effigies expedita esse debet ad omnem formam, non quam animi sen-

Euseb. l. 4.

Psal. 9.

Vide Bernard serm. 37 in Cant.

tentia

tentia præſcribit, ſed quam illi, cui blandimur, imperat. Hinc lingua ad prodendam veritatem inſtituta, honeſtum calumnia appetit, falſæ dignitatis tuba mendacia ſonat; manus, pedes, corporis artus omnes mancipij cuiuſpiam inſtrumenta ſunt, non hominis liberi facultates. Hanc ex ſuperba elatione, animi corporiſque deiectionem, Augu- *Pſal. 72.* ſtinus explicans illud Pſalmi: *Deiecisti eos, dum alleuarentur.* Ita deſcribit; *Non enim qui elati fuiſſent, vt prius extollerentur, & poſtea deijcerentur: ſed cum* *Auguſtinus Pſal. 72.* *exaltarentur, tunc deiecti ſunt. Ipſum quippe extolli, iam deijci eſt.* Et cum ingentem operam impenderint homines, nonnunquam eos inſequentes fugit expetitus honor; nihilque aliud cotentione ſua tanta lucrantur, quam extremos dolores & acrem penitudinem. In curijs ac principũ aulis crederẽ plures aceto, quã vino potari. Felices ſane qui animi magnitudine erecti, hæc pedibus ſubſtrata, aut per inane volitantes atomos vel plumas abijciunt; atque ad cultum ipſius Dei, & ſupremi Numinis famulitium ſua omnia ſtudia transferunt: In quo quidem inſtituto mentis gradus plane excelſus & ſublimis apparet. Verũ neque hoc vſque adeo laborioſum erit, difficile, aut tot periculis obiectum. Hic etenim ſuſpiciones perplexa non facient mentis conſilia; timores ſenſus non ſolicitabunt, exedens oſſa inuidia non graſſabitur in artus. Quid dicam? hac ratione potius conpedes confringuntur, è carcere effugitur, veraque & ſola libertas comparatur. Tempus aliquando aderit, nec ſane longe abeſſe poterit, quando Deus ſpiritu oris ſui orbem concutiens, honores iſtos titulos & fumulos, tanquam arborũ autumnalia folia deijciet. Quibus detractis, nudi tunc ſiſtemur ad tremendi iudicis tribunal. Quid tunc cauſam noſtram aget? non purpura aut faces, abierunt; non vulgi fauores, conticeſcunt; non diuitiarum pompa, euanuit. Vna ſolaque virtus conteget & proteget: ex diuini honoris intuitu in vita ſuſcepta inſtituta pęnam tantummodo auertent, & coronã adſequentur. Quemadmodum ſcorea fornacis calores non perfert, ſed dilabitur: Ita accedente diuina ſententia, & ventilabro eius agitante, ornamenta gloriæ noſtræ decident, & in auras abibunt: *Vane itaque* (vt inquit *Pſal. 88.* Pſalmiſta) *conturbatur omnis homo.*

Quorſum autem iſte ſplendor nominis tantopere à quibuſdam ex- *Superbia odioſa.* petitur? qui pręterquam quod virtutis iacturam inferat, & in noſtra capita Dei iram concitet, periculoſus eſt omnino, & res plane, quæ in omnium odium atque inuidiam facile incurrit. Cum enim hominum iudicijs inter reliqua bona honor maxime expetibilis videatur: neque aliquid reluctante magis Minerua peragatur à nobis, quam obe-

dientię officium: euadit prorsus, vt inferiorem locum tenentes, illis inuidiant perpetuo, qui authoritatem nacti sunt: horum passim detractant imperium, eosdem deijcere & ad ordinem reuocare omni ratione moliuntur. Accedit etiam fortunę casus, quo susque deque omnia ferri solent. *Nihil rerum mortalium* (inquit Tacitus) *tam instabile ac fluxum est, quam fama potentiæ, non sua vi nixa.* Et vt inquit Horatius:

Cornel. Tacit. lib. 13 annal.

Horat. ad Fus.

Quem Res plus nimio delectauere secundæ,
Mutatæ quatient.

Cum enim atra nubes infamię, splendores hosce contexerit, aut alius fortunæ casus gloriæ solem ad occasum & tenebras depresserit: ne vestigium quidem magnifici incessus aut scintilla coruscantis apparatus vspiam supererunt. Vt enim inquit sanctus Chrysostomus: *Nox erant illa omnia & somnium, & die exorto nusquam comparuerunt, vmbra erant, & pertransijt: fumus, & dissolutus est; bullæ aquarum fuerunt, & dissipatæ sunt; araneæ telæ erant, & discissæ sunt.* Sed de his fusius sequenti capite.

Chrysost. concion. de Eutrop.

Explicantur rationes, quibus vti reprehensibilis arguitur immoderata dignitatum & excellentiæ affectatio: præsertim vero inde, quod hæc contentio sicut ex ignoratione prodit, ita eandem quoque suo accessu maiorem reddit: quod præterea sit fluxa & instabilis res, cuius desiderio elatus tenetur, & aliorum criminum origo. Denique ostenditur quonam modo hæreticornm dogmata hac ex parte humanum officium deprauarunt.

CAPVT XI.

Superbia ex ignorantia.



SI originem illius submissionis animæ inuestigemus, quam humilitatem nominamus; non aliam poculdubio esse videbimus, quam plenam perfectamque sui cognitionem: adeo vt nulla inter virtutes exactiori rerum disquisitioni innitatur, quam hęc sedata temperataque tum animæ tum etiam corporis moderatio. Quo fit, vti oppositum vitium lumini intelligentię vel maxime aduersetur, & non

nisi

nisi ex inscitia quadam propagetur. Vnde D. Thomas: *Cognitio proprij defectus pertinet ad humilitatem, sicut regula quædam directiua appetitus, sed in ipso appetitu consistit humilitas essentialiter.* Nascitur idcirco hęc dimissio sui, qua voluntas diuinis sancitis iuxta ac humanis se subijcit, ex cognitione sui, non qualibet, sed ea, qua defectus proprij tam animæ quam corporis aperiuntur: quibus perspectis, tumor inanis istius appetentiæ sedabitur: quandoquidem hinc rationes sese efferant exuberantissime, quæ ad humilitatem, honoris ambitusque contemptum instituunt. Duplicem vero defectum naturæ nostræ inesse cogitare possumus: vnum, quo longe sub immensa & infinita illa Dei perfectione quodlibet creatum subsedit: ex cuius intelligentia ipsimet Angeli à principio sui ortus in officio subiectionis perstiterunt, & ad imperium diuinum exequendum dimissione quadam mentis hucusque meliores illorum se promptos & expeditos prębent: dicuntur etiam ad aspectū Dei tremere, & sancto quodam timore Numen illud immensum adorare. Quo etiam in genere humilitatis, cum Protoplasta mansisset humanum genus, si à culpa alienum primęua integritate semper effloruisset. Alius vero defectus existit, quem delictum effudit. Illa enim diuinæ legis prima transgressio naturam nostram quodammodo perfregit, & infinitis propemodum malis implicauit: cuius rei notio magnum sane emolumentum habet ad officium humilitatis. Qui enim sua intelligentia ea vitæ incommoda adsequitur, quæ animam afficiunt; intellectus vtpote aciem obtusam, voluntatem languidam, efferatum appetitum: nullam is inueniet causam, ob quam se altius efferat, quamplurimas vero, ob quas se dimittat, plausu, strepitu, pompa, splendoribusque abstineat. Nam cum animus hoc pacto propemodum sit exarmatus, pręsidio omnino indiget diuini & precarij muneris; ad virtutem ac munus suum explendum suopte ingenio ineptus; ad vitia autem procliuis. Nihilosecius hic idem ita imbecillis trucem illum aspectum seuerissimi iudicis sustinere debebit, ventilabrum eius & ignem excoquentem perferre, illi districtissimam rationem cogitatorum factorumque singillatim reddere: quibus si adiungamus corporum mala, ægritudines, labores, interitus; nullus plane locus fastui relinquetur. Quorum nihil sane elato in mentem venit. Is etenim secum animo non reputat interuallum illud infinitum, quo à gradu perfectionis diuinæ quilibet hominum & angelorum dissitus est: neque expendit animæ corporisque sui detrimenta. Vnde ex errore prauoque iudicio honores, cellas, potestatū insignia magni facit, & ingenti quodam pretio, rationis nimirum dispendio,

Thom. 2. 2. q. 161. art. 2.

Humilitas ex sui cognitione.

Esa. 6.

res inanes & flaccidas mercatur. Ex ignorantia idcirco & extrema rerum inſcitia deſcendit ſuperbia. Vnde Chryſoſtomus: *Superbia nihil aliud eſt, quam deprauatio animæ, & morbus grauiſſimus, non aliunde quam ex inſania ortum ducens.* Et alio in loco: *Non poteſt eſſe ſuperbus, qui fatuus non ſit.* Philo Iudęus hominem faſtu elatum, nec mentis neque corporis affirmat compotem. Pręclarus itaque iſte ſplendor arrogantiæ ex atra quadam prodit nubecula. Nulla enim ita inter ſe coniunctiſſimæ cognationis nexu deuincta, vt ſuperbia & inſcitia. Quodnam obſecro arctius vinculum propinquitatis naturalis inueniri poterit illo, inter prolem & parentem intercedente? verum cum ignorantia & inſcitia eadem parens ſit ſuperbię & faſtus, atque eiuſdem filia; duplici quodam ligaminis iure hęc duo reciproce connectentur. Qui autem ſe altius effert, & immoderatius animos attollit, is pręclarius multo de ſe ſentit & loquitur, quam ratio veritatis ferat. Propterea errore quodam obcęcatus vulgi applauſus toto impetu & contento curſu auidiſſime, tamquam magna & pręclara, conſectatur. Et quod deterius eſt, cum cęleſtis illius Numinis nullam egregiam notionem in mente deſcriptam habeat, neque dignetur fulgentes illas beatorum ſedes, ipſiuſque ſupremi iudicis gloria coruſcum, & maieſtate horrendum tribunal (alijs diſtrictus curis) contemplari, ipſum Deum, rerum caput, & vniuerſi centrum immani quodam faſtu deſpectui habet. Quod quid aliud eſt, quam errare, cęcutire, delirare, furere? Sola etenim ſuperbia inter cætera vitia, quæ ob ipſorum turpitudinem Dei pręſentiam defugiunt & auerſantur; & delinquentes in latebras vti Adamum, in fugam veluti Ionam conijciunt; inc[illegible]ſſu quodam pręfracto & exaggerato mentis conſilio, ſeceſſioneque pluſquam barbarica ſe Deo opponit, & cum illis, qui ad nubes vſque turrim Babylonicam erexerunt, in tremendum Numinis thronum ſummo ſacrilegio inuadit. Quæ maior cæcitas, quam ita magnitudinem Dei humanarumque rerum infirmitatem ignorare? Cæterum (vti admonuit aliquando D. Baſilius) ſi qui hoc pacto elatus eſt & ventoſus, qui ſic in vertice altioris præcipitij lubrice lapſurus conſtiterit, exquiſitiori paulo cognitione oculos mentis ad pedes cum illo picto pauone dimitteret: hoc eſt, ſi diligentius ſecum perpenderet, ex quam vili & reiectitia plane materia concretus ſit & coalitus: quot morborum generibus, ſubiecta ſit fragilis corporis moles, quantis tenebris mens inuoluta, quibus perturbationibus exagitatus appetitus: ſi porro ea notio in eius intelligentiam incideret, qua illi inclareſceret, quam mobilis ſit pennata fama, ludibrium venti, humani oris

Chryſoſt. homil. 15. in Ioan. *Chryſoſt. homil. 3. ad pop.* *Phil. Iud. lib. de caritat.* *Superbia & inſcitia arctiſſime copulantur.* *Inſcitia parens Superbiæ.* *Baſil. ad Theod.*

oris halitus, stultorum Dea, quæ plerunque, non è nostris virtutibus, vt Minerna ex Iouis cerebro fuit propagata, sed vulgi temeraria opinione decreta: quam hæc sit vana, quam leui momento pendeat: denique si in animum reduceret expressam aliquam accuratamque cogitationem diuinę excellentiæ, pulchritudinis, amplitudinis; fieri nunquam poterit, vt misellus homo in tantis miserijs constitutus, insolescat: aut vt cinis & puluis quem à facie cęlestis illius agri (sicut annotauit D. Augustinus) immanis & turbidus superbię flatus proijcit; se ita efferat in Deum, aut cęlo ruinas inflato ausu minitetur. *August. in Psal. 1.* Nunquam apud se statuet aliorum conceptis opinionibus, vel fictis vocibus penitus inhęrere; cum Cameleonte leuiori tenuiorique, quem emittunt nubium recessus spiritu vesci, eoque vitam tueri. Meminerit quod si aëris istius spirabilem sphęram cum aquila volatus pernicitate transcenderit; alas flammis inferre necesse sit: & cum Phaëtonte Phebęum currum ambitiosius si petierit, splendores illos demiratus, in stygem se fore pręcipitandum: cuius feculenta aqua calor ille flammeus peruersi ambitus extinguetur, & rota volatilis fimo infixa, in omnem æternitatem sordide squalebit. Quis idcirco non videt superbiæ parentem extremam esse rerum ignorationem; humilitatis vero causam; & originem mentis esse sagacitatem, humanorum diuinorumque scientiam? Nam qui hac sui dimissione animum tranquillarit, & ad optimam quandam temperiem vitæ rationem moderato conciliorum instituto reduxerit: ea is imbutus est cognitione, vt in corpore manens, si superna spectemus, corpore studio & mentis agitatione semper excedat, & quoad fas est diuinę virtutis lucem adspiciat. Is gloriolas hasce, vti ludicras nænias arbitrabitur, puerorum ducit esse crepundia; pretiosas vestes auro intertextas, segmentis variegatas, acu pictas, lascinijs vndantes, gemma lucentes, conchiliatam omnem hanc supellectilem, non sua, sed vel parietum, vel statuarum ornamenta æstimabit. Quod autem interminum est, quod diuinum, ex animæ quadam magnitudine illi tantum in votis erit; ad hoc adspirabit omni modo & contendet. Cęterum vero cum seipsum expenderit, videritque se corpore imbecillem, animo fractum esse, volatu aut contentione ad inanem gloriam penitus abstinebit. Quinimo apem imitabitur in istius vitæ cursu: cuius ingenium ita describit Ambrosius: *Apes illa sapiens, cum aëris motus suspectos habet, lapillis sæpe sublatis per inania se librat nubila, ne alarum remigium præcipitent flabra ventorum.* *Ambros. l. 3 de instit. virg.* Ita qui animum humilitate subegit, suarum imperfectionum quasi luteam quandam molem, cognitione sui sibimet imponet, cuius

cuius grauedine depressus, superbiæ flatui percommode resistere poterit & obluctari.

Superbia parens inscitiæ. Parentem iam vidimus fastus esse inscitiam, eandem quoque experiemur eiusdem esse sobolem. Quod quidem luculenter hac admonitione ostendisse visus est propheta Ieremias: *Date Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat, & antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos.* *Hierem. 13* *Esaiæ 13.* Montium elatis verticibus, superborum ingentes spiritus in miram quandam altitudinem insurgentes, veluti accommoda similitudine expressit propheta: quos quidem recte caliginosos dixit. Vbi enim radices superbiæ montes agunt, & capita in æthera extollunt; ibi spissas crassasque tenebras animæ vtpote vicino solo offundunt: rationis lumẽ ita tetra nebula obscurant, vt pedibus quam procliue sit labi, impingere, in occasum ruere. In quem etenim capitalis hæc noxa inuaserit, in cuius animum penetrauerit, ita sensus omnes afficit, sic illos tenet, stringit, fallitque: vt culex panthera maculosa, aut leo villis hirsutus appareat. Et quemadmodum si quis præcipitato iam sole ad oceanum, eam suo corpori proceritatem opinione attribueret, qua eiusdem vmbra protendi videtur, vehementer erraret: hoc etenim modo Pigmęi gigantes facile euaderent: ita elatus & superbus cum rationis lux inclinata, ad defectum deuergere ceperit, fictorum consiliorumque vmbram quandam animo confingens, & ex magnitudine istius vmbrę quantitatem corporis dimetiens, se omnibus alijs doctiorem, illustriorem, maiorem deprędicat; inflatius de se loquitur, & augustius opinatur quam oportet: *Macrob. lib. 2. Satur. cap. 3.* Cum interim talis reipsa sit, qualis ille Ciceronis fraterculus; qui (vt scribit Macrobius) sui corporis formam curauit ad pectus vsque eleganter in tabella clipeatam delineari, idque non breui, vti erat, & decurtata statura, sed iusta & plane virili: quam vt aspexit Cicero, subridens lepide dixit: frater meus dimidius, maior est quam totus. Siquidem sui speciem proprijs penicillis ita depingunt elati, vt falsa quadam opinione delusi, omnia magna & pręclara in seipsis arbitrentur, maiores ex dimidio in quadro picti, quam integri subsistentes in corpore. Quibus etiam cum animorum motus sint velociores, magisque concitati, suis ingenijs pręfidunt, sic illis obblandiuntur, facile vt credant se vnico quasi oculi coniectu rem ipsam penetrasse, pœnitius introspexisse, alta quadam cogitatione medullam excussisse: ita vt illis opus non sit maiorem adhibere solertiam, aut neruos intelligentiæ acrius intendere: quandoquidem felicissime subitaneo intuitu mentisque impressione omnia sint adsequuti: cum tamen vix corticem attigerint, sed omnem ipso-

rum

rum conatum extima rerum facies exceperit: atque cum cicadis & culicibus ipsi foliorum extremis insident. Ab alijs porro inuenta & excogitata innato quodam fastu hi facile aspernantur. Pręclaram aliquam artem, aut exquisitas rationes aliorum vsque eo contemnunt, vti stipulam, arenam, scoream proclament ac vituperent. Ex quibus factum est, vti duplici quodam obstaculo ingerendas in animam rerum notiones isti repellant: vno penitus ipsis insito, quo nimirum ex confidentia rei adsequutę, vlteriores labores subterfugiunt: altero vero externo, quo ab alijs suggesta aut forinsecus illata, tanquā inania abiguntur. Procreat idcirco superbia inscitiam. Puteus autem doctrinæ & artium altus est: descensu animorum & sedulo labore opus erit, vti eiusdem aqua sursum extracta, absque fęce nostris vsibus propinetur. Herculeum sane terræ viscera rimari, repandere, & exinde Cerberum educere, erutumque in communi hominum aspectu collocare. Herculis solius telum cęlestem Iunonem attigit: illa nimirum orbium & planetarum secreta excussit, aperuit. Contentione autem huic animorum nihil magis inimicum, quam superba proprię acuminis æstimatio: eadem omnibus disciplinis & artibus infesta, præsertim vero pijs & ciuilibus. Prioris quidem generis fastidit ac vilipendet: posterioris vero negligit, quod animo quasi in aëre suspenso, particularium rerum euentui, vnde huiusmodi notitia oritur, haud attendat. Quos etiā iam orbis ex imperio elatos videt, & aquilæ pennis alatos, non ita in agendis accurate circumspectos iudicat. Quocirca Apostolus tumentes & fastuosos apposite inflatos nominauit: *Sic inflati sunt quidam.* Et alibi: *Frustra inflatus sensu carnis sui.* Quemadmodum enim inflatus tumor nihil solidi aut concreti habet, sed ad speciem solum extenditur: ita qui proprię excellentiæ opinione turgescunt, nulla omnino pollent firma aut bene constituta eruditione. Nihil mihi Gigis annulo dissimilius videtur, quam superbia. Annulus etenim ille Gigem alijs inuisibilem prębuit, cum interea loci sese ipse probe videret & intueretur: superbia autem foris stultitiam ostendit, pectoris recessus & arcana alijs euulgat, solum sibi ignota. Quæ quidem omnia sicut luculento exemplo in institutis sectariorum elucent, ita luctuoso euentu deplorata plane euaserunt. Quid enim illos ad hęresim & nefariam sectam adegit, nisi superbia? Quid etiam sensus ipsorum crassa quadam ignoratione hodie obstruxit, ineptos reddidit ad bonarum artium pręceptiones, nisi eadem superbia? Hęresim superbia peperit, mox hęresis inscitiam refudit. Ecclesiæ vniuersali consensui, patrum concioni, populorum moribus,

Studijs pijs & ciuilibus inimica superbia.

1. Cor. 4.

Coloss. 2.

Cicer 3. off.

Herodot. lib. 1.

Sectarij superbi, ideo indocti.

vnus Lutherus prȩfracto quodam ausu refragari voluit. Ex animi sui sententia, seu potius libidine, scripturas omnes interpretari, diuina mysteria, pro ardore innouandi, tractare prȩsumpsit: quod nunc omnes eius asseclȩ profitentur: sicut & sub Caluini vexillo militantes Caluinistȩ, spiritum sibi vendicant iudicandi, concionandi, elucidandi, decidendi, dogmatisandi: ne sutores quidem, mulierculas, aut quoslibet literarum rudes fide sua collustratos, ab hoc principatu & laurea excipiunt doctoratus. In eam tamen inscitiam miseri hodie deuenêre: vt nullam plane iam exacte disciplinam calleant. Omittamus grammaticales nugas, verborum strophos; quorum miri olim artifices extitêre: quid egregij prȩstiterunt? Philosophiam, Theologiam, & huiusmodi reconditas scientias penitus ignorant: carminibus lasciuis & deprauatis scripturis contenti. Ipsa principia in nostris scholis notissima non percipiunt animis: multo minus quæ ingenij vigore ex illis promuntur conclusiones, tarditate sua adsequuntur. Altos nostros discursus, & à suis intelligentijs remotos, suspensis animis demirantur: quos quod non intelligant, sophisticos clamant, & viro ingenuo indignos: ita aquis semper supernatant vesicæ. Ipsorum opera euoluimus, ingentes quidem spiritus in illis, exiles autem mentes deprehendimus. Quorum aliqui, cum in nostris scholis nostra didicerint: quales extiterunt illi, qui suis humeris primo ingentem hanc hȩresum molem Atlantes sustentarunt & inuexerũt, penitus ignorasse non videntur: nulla tamen ratione cum illis conferendi, qui orthodoxas partes sunt tutati. Cæterum qui istos insequuti, quam indocti? quam leuiter tincti? quam mendaces? quã vani, quam nulli? Hæc eadem superbia quorundam animos occupans, illos omnino stultos effecit, atque ratione prorsus destitutos. Nihil altius Alexandri cognomento magni sensu videtur, nihil tamen insultius; cuius

Trog. lib. 11

hæc fertur sententia: *Nec cælum duos soles patitur, nec terra duos reges.* Quasi vero Alexander ita suis armis orbis terminos complecti potuerit, sicut vnus sol eosdem illustrat. Modice & exiliter nimis de terræ magnitudine sensit, effusius autem, & largius de sua. Verum & in cȩlum hominis istius elatio, ingenti suffulta stultitia, scandere molitur. Non enim Philippi, sed Hammonis deinceps filius salutari & cõpellari voluit. Postquam etiam huiusmodi tumor in animum Cȩsaris

Sueton. in Cæsar.

inuaserat, mirabiliter desipuit. Vt enim scribit Suetonius: *Templa, aras, simulachra iuxta Deos, puluinar, flaminum, lupercos, appellationem mensis è suo nomine, ac multos honores, ad libidinem cepit & dedit.* Caligula quoque

Phil. de Legat. ad Caium.

diuinitatem affectante, sacrosque ritus sibi vendicante nihil ineptius.

Omitto

Omitto Saporem Perſarum ſtultiſſimum: cuius ſuperbam inſaniam prodidit Marcellinus. Elianus cuiuſdã Ammonis inſignẽ imprudenciã, enatam ex animi elatione deſcribit: Is etenim cum pro Deo haberi voluiſſet, humano ſuffragio ad tantam dignitatem deſtitutus, auicularum quæſiuit teſtimonia; quarum magnam copiam aucupio cum cepiſſet, has voces crocitare vtcunque docuit: *Ammon eſt Deus*. Deinde auolare permiſit: ſecum ratus cęteras omnes alites ab iſtis eandem cantilenam accepturas. O antiquitas, quam nugis tuis noſtrorum ingenia detines ac fallis?

Marcell. lib. 1. Cron. Elian. hiſt. lib. 1. cap. 2.

Quod vero ad momentum ſpectat dignitatum, tenui admodum filo ſuſpenditur; cura, labore, ſolicitudine munitur: in vicinio infamiæ dedecoris & mortis collocatur. Nihilominus ea eſt humani appetitus amentia, vti ſumma quadam contentione ad ſublimes hoſce gradus conniti velit, & ipſo nonnunquam interitu eoſdem comparare. Ita Agrippa femina pluſquam ambitioſa, que quum ex vaticinio & augurijs Chaldęorum didiciſſet filium Neronem futurũ Romanorum Imperatorem, impietate tamen ſua matrem occiſurum; *Occidat*, (inquit Agrippa) *dum imperet*. Duplici autem ratione culmina poteſtatis ruunt. Primo mortalitatis conditione, cui omnia ſubiacent: modica enim temporis protelatione tanquam pannus atteruntur imperia, tandem defluunt & funditus decidunt: deinde hominum vi, arte, doliſque impetita, inclinantur, proſternuntur. Quemadmodum cuniculis inductis altiſſimæ turres ſubrutæ labuntur, & immani tormentorum vi ſuccuſſæ deijciuntur, ita authoritatis faſtigia depreſſa iacebunt, cum aut externa violentia, aut latentes inſidiæ ea ruinis confecerint. Quid obſecro humana vita inconſtantius? quæ ſicut aliquando omnino eſſe deſinet, ita nunc nulla eius pars eadem ſolide conſiſtit: ſed perpetuo fluxu immutata, aliquid eius in dies deperit: quod vero ſupereſt, quotidiana diminutione inbecillius effectum; paulatim elanguit, & breui periodo incluſum, cum ad metam appulerit, ſtatim concidit. Globus iſte ſolis occurrente nube interceptus, tametſi omnem quem poteſt non emittat ſplendorem, aliquem tamen ad nos vſque transfundit. Fulgor autem purpurę aut Tyrij coloris, qui ita hominum oculos nunc perſtringit, cuiuſque in luce omnes verſari diſcupiunt: mors atro funere cum illum oppreſſerit, nullibi protinus comparebit, aut amplius ſupererit, ne veſtigium quidem magnifice incedentis pedis elapſam impreſſionem teſtabitur, vel ſcintilla aliqua priſtinum ſplendorem fatebitur. Qui quidem ſcęnę exitus longe non eſt diſſitus ab aſpectu cuiuſcunque principis, aut viri

Honores ac dignitates vanæ.

Cor. Tacit. l. 14. Anal.

Cicer. Tusc. 1.

magnatis. Vt enim inquit Cicero : *Itaque non deterreat sapientem mors, quæ propter incertos casus quotidie imminet : & propter breuitatem vitæ nunquam longe potest abesse.* Quod cum verissimum esse constet in illis hominibus, qui rerum summa sunt potiti, tum manifeste quoque apparet in regnorum ipsorum imperiorumque reuolutis casibus. Istis etenim quasi in orbem succedentibus, nunc penes hos, deinceps penes alios dominium effloruit. Quondam Scythæ latissime imperitarunt, ac ab hac gloria repulsi postea defluxere, seque ad paludes ac niues recepere. Persæ orbi terrarum leges tulerunt: sed victi cum delicijs suis, tum Macedonum armis, alijs cessere. Expugnarunt Macedones atque Græcos Romani: horum imperiũ suo pondere ferme oppressum remeauit ad Græcos: nunc diminutum in Germania sedem ægre defixit. Africa gens bellicosissima, Numidæ equites antiquorum præconijs, & suis ipsorum gestis celeberrimi, hodie in media barbarie languescunt; Turcico opressi iugo, literis & armis abstinent. Non amplius Carthaginenses Siciliam, Sardiniam, Hispanias tenent, non Romanis ruinam minitantur. Hispani, qui alijs semper antiquitus prædæ fuere, conductitij & mercenarij, nunc ab Aphris nunc Romanis merentes: monarchiam ferme proprijs armis compleuerũt: aquilam cum vnguibus ac rostro acrem, tum alarum remigio per immensum expansam habent. Angli Galliam, quam olim subiectam habuerunt, amiserunt. Et Galli, quorum imperio paruerant Gallogræcia, Palestina, Sicilia, tota ferme Italia, suis modo contenti finibus, vix proprijs gaudent: ita fato quodam per vices imperia feruntur & alternantur. Verumenimvero, si quando hæc cuipiam obtigerint Deo iubente, & humana industria procurãte, firma essent, nec infinitis, dum possidentur, malis obnoxia: iustior multo ratio superesset contentionis ad dignitates & munia publica. Sin autem diademata non gemmis, sed spinis sint conserta; regum throni ardentibus prunis referti, haud fulgoribus conspicui: nec minori cura parta seruantur, quam nondum adsequuta quæruntur: profecto nihil menti nostræ sese offert, quod pectus ita vrgere & extimulare deberet ad ambitus hosce amplosque honorum gradus. Cæsar Iudicium Alexandri est demiratus, quo secum existimarat orbe semel domito, nihil remansurum quod ageret. Merito quidem Cæsar hanc suspicionem Alexandri vti minime æquam haud approbauit: quandoquidem difficilius plerunque sit parta tueri, quam nondum parta conari vt acquirantur. Vnde cum Cæsari Germanico post læta trophæa, celebres victorias, titulus patris patriæ esset oblatus, incertitudinem fortunæ subueritus, huiusmodi honorem repu-

Regnorum mutatio.

Dignitas periculosa

repudiauit: *Cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico dictitans.* Verissima etenim est sapientis sententia, ipsoq; rerum frequenti euentu approbata: *Interdum homo dominatur homini in interitum suum*, nec plerumque aliud faciunt sublime appetentes, quam si studiose impensaque opera altius quęrerent præcipitia, vnde se dimittant. Narrat Sophocles Hectorem ab Aiace balteum muneris loco accepisse; quem magni æstimauit Hector, vtpote virtutis ac bellicæ eius fortitudinis testimonium: Aiax vicissim gladio potitus est Hectoris. Ita autem postea euenit, vti Hectoris pedibus eodem balteo illigatis, ad currum ferori cursu equi eius cadauer per Iliacos muros raptaretur: & quod Aiax Achillis arma non obtinuisset, vitæ suæ pertętus, illo ipso gladio pectus suum effodit, & pronum se dedit in eius mucronem. Sic ornamenta dignitatum, fasces, & purpuræ, quum arridente fortuna ad aliquem appulerint; eadem sæpius viam parant ad interitum: & dedecora refundunt, ex quibus pompam & gloriam expectabamus. Nam quod ipso boni genere dominatio sit pręstantissima; aliorum adiunctam habens seruitutem; quam ægre molesteque fert hominis ingenium: idcirco vel maxime hæc patet inuidiæ, insidijs, & funeri. *Cornel. Tacit. lib. 1* *Eccli. 8.* *Sophocles Aiax. flag.*

Vt alta ventos semper excipiunt iuga,
Imperia sic excelsa fortunæ obiacent. Et Horat: *Sen. Oedip.* *Horat lib. 2. Carm.*

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celsæ grauiori casu
Decidunt turres; feriuntque summos
Fulmina montes.

Splendoribus regijs occultat mors, & fatum atra spicula parata ad necem, ne videantur; & aureos calices, non fictiles, aconito suo illinit.

—— —— *Nulla aconita bibuntur* *Iuuenal. Satyr. 10.*
Fictilibus, tunc illa time, cum pocula sumes
Gemmata, & lato setinum ardebit in auro.

Porro quæ mediocres mediocriter leuiterque feriunt: ea cum in principem virum inciderint, ipsum grauissime exulcerant, atque vulnerant atrociter. *Soph. Aiax. flagel.*

Nam iacula viris qui immittit
Magnis, facile non errat.
At vero talia si quis
Contra me paruum dicat:
Haud persuaderet cuiquam;
Nam ad felicem,
Inuidia accedit torua.

In eandem etiam sententiam Euripides edisserens, priuatam vitam publicę pręfert, vtpote suauiorem securioremque.

Eurip. Med

Cæterum mediocri assuescere vitæ,
Mihi sane præstabilius est, si non splendide.
Tutoque consenescere liceat.
Primum enim nomen mediocritatis vincit.
Plausibiliusque est, optimumque diu vti
Mortalibus. At opes excelsæ
Haud perpetuo stabiles, firmæque sunt mortalibus.
Qui tristiores noxas, cum iratus fuerit
Deus, potentium familijs immittit.

Senec. Theb.

Et vt ait Seneca: *Simul ista mundi conditor posuit Deus, odium atque regnum.* Quod si magnis istis viris malum aliquod ingruerit, non ab vno quasi gradu sensim ac lente descendunt, sed à supremo pręcipites corruunt ad infimum. Nam vt scripsit Tacitus: *Imperium cupientibus, aut habentibus, nihil medium inter præcipitia & summum.* Seneca etiam: *Non enim his gradibus, quibus ad summam peruentum est, retro itur: sæpe inter fortunam maximam & vltimam nihil interest. Nec vnquam*, inquit Tacitus, *satis fida potentia, vbi nimia est.* Quæ omnia cum secum diligentius animis reputarent sapientes viri, nihil prius habuerunt, quam vt imperio & dominatu abstinerent. Quo quidem consilio Alexander Syriæ Rex, vt narrat Trogus, cum reginam matrem crudeliter agentem videret, periculoso regno securam ac tutam vitam anteponens, imperium abdicauit. Supremam hanc in alios potestatem, belluam appellauit Tiberius imperator: *Impudentissimo animo* (inquit Suetonius) *nunc adhortans amicos, & increpans vt ignaros, quanta bellua esset imperium.* Quocirca idem adseruit imperantem se lupum auribus tenere, quem neque dimittere auderet, neque diutius sibi vicinum facere. Quare ad euitandum periculum, quod fastuosis imminet dominis, honores reiecit, & vt priuatus vixit: *Prænomenque imperatoris, cognomenque patris patriæ, & ciuicam in vestibulo coronā recusauit: ac ne Augusti quidē nomen, quanquam hæreditarium, vllis, nisi ad reges, ac dinastas, epistolis addidit.* Huiusmodi terror magnatibus infestus, imperatorem Claudium ferme exanimauit, & imperij pondus illi graue atque exosum fecit. Cum enim quidam proditione illi necem intentasset: *Senatum per præcones præpropere conuocauit, lachrymisque & vociferatione miseratus est conditionem suam: cui nihil tuti vsquam esset: ac diu publico abstinuit. Misera conditio* (inquit quidam) *Imperatorum, quibus de affectata tyrannide, nisi occisis non potest credi.* Mithridates Rex minoris Sirię, seruili plane

Tacit. lib. 11 Anal.

Senec. lib. 6 de benef. cap. 33.

Imperia multi abdicarunt.

Trog. l. 39.

Suet. Tiber. cap. 24.

Sueton. Claud. cap. 36.

timore oppreſſus, inſidias quorundam ita exhorruit, vt de illo ſcripſerit Trogus: *Venandi ſtudium finxit; quapropter quatuor annos, neque vrbis, neque ruris tecto vſus eſt.* Commodus imperator huiuſmodi territamentis exagitatus, candente ferro ſibi barbam & comam aduſſit, aliorum manibus parum fidens: experientia etenim didicerat verum, quod cecinit Iuuenalis: *Vulcan. Gall. in Auid Caſſio Trog. l. b. 37*

Ad generum Cereris ſine cæde & vulnere pauci *Iuuenal.*
Deſcendunt reges: & ſicca morte Tyranni. *Satir. 10*

Et vt ſcribit Seneca: *Illi mors grauius incumbit,* *Senec. in*
Qui notus nimis omnibus, *Thyeſt.*
Ignotus moritur ſibi.

Heliogabalum immanem illam belluam, non credo voluptatibus abundaſſe; quem tam diro cruciatu mortis horror aſſidue vexauit. Ne enim alterius violentiam ſuſtineret, inſtrumenta interitus ipſe ſibimet parauit, & quotidie vltimum deſperatæ vitæ effugium ſuis oculis abſpexit: venena nimirum, præcipitia, funes, & reſtes: de quibus hæc narrat Lampridius: *Parauerat igitur funes ex ſerico & cocco intortos, quibus ſi neceſſe eſſet, laqueo vitam finiret: Pararat & gladios aureos, quibus ſe occideret; ſi aliqua vis vrgeret; parauerat & in ceraunciis, & hyacinthis, & in ſmaragdis venena, quibus ſe interimeret; ſi quid grauius imminerет: fecerat & altiſſimam turrim, ſubſtratis aureis gemmatiſque ante tabulis, ex qua ſe præcipitaret: dicens etiam mortem ſuam pretioſam eſſe debere, & ad ſpeciem luxuriæ: vt diceretur neminem ſic periiſſe.* Miſer profecto, ex nulla alia re in vita voluptatem capiens, quam quod luxurioſe tandem eſſet periturus: Talis etenim forma mortis nec pęnam imminuit, nec dedecus aufert. Imo (vti ex Tito Liuio colligitur) regibus in more poſitum fuit, venena ad omnes caſus parata habere, quibus ſuam ipſorum vitam voluntaria morte funeſtarent. Hæc refert de Maſſiniſſa, venenum ad ſophoniſmam Africanam tranſmittente. *Fido ex ſeruis vno accito, ſub cuius cuſtodia, regio more, ad incerta fortunæ venenum erat, ei miſtum in poculo ferre ad ſophoniſmam iubet.* Venenatum ſane imperium, mortiferum, truculentum. Qua de cauſa neminem exiſtimarem ita ambigua cura diſtrictum, atque ipſum principem. Imprimis ei laborandum vti fidos ſibi adiungat amicos, qui nerui ſint & columina imperij: ideoque in ipſorum gratiam multa preſtare debet interdum, quæ alioquin illi vehementer diſplicerent. Diſſimulandæ plerumque offenſæ etiam grauiores, cum interim ardore vindictæ cor ipſum ebulliat. Neque enim principi ſemper integrum erit animaduertere in illos ſeuerius, qui iuſte ſuis delictis *Lamprid. Heliogab.* *Liu. decad. 3.* *Principes cura ſolicitat.*

reatus

reatus noxam contraxerunt. Multa ſanę prętermittenda, quod ſpecies quædã eſt ſeruitutis: & ſicut aſſidua ſolicitudine ab ipſo fouendæ ſunt amicitiæ, ita haud minori cura cauendæ inſidiæ. In omnem denique formam flexibilis debet eſſe princeps, & ſemper ambiguus eius ſenſus. Non tam ab ipſo quidpiam ſtatuendum, quod voluntati ipſius atque iudicio vt bonum verumque reſpondet, quam quod temporum rationi, perſonarumque conditioni aptum & idoneum apparet. Sicut enim nauigationi non tam nauarchæ imperium præeſt, quam ſpirati venti flatus: ita non ex voluntate principis plerumque rerum ſumma decernitur, ſed potius ex incerto euentu & caſu, quæ in quamlibet partem principis ſceptrum inflectunt. Interim vt omittam ſtudia illa, quę reipublicæ bono impenduntur; in excipiendis omnium cauſis, illorumque deprecationibus attenta aure & animo ad miſericordiam inclinato exaudiendis: præſertim ſi illa teneritudine afficiatur, qua aliquando Auguſtus, qui ſolitus fuit dicere, principis non eſſe quempiam triſtem à ſe dimittere. Hæc quidem neceſſario diſtrahent animũ illius, & maximis curis torquebunt. Porro principum ita comparatum eſt ingenium, vti honoris famæque ſint appetentiſſimi: quocirca ſicut diligentia & ſumma contentione, iſtorum aucupiũ exercent, ita timor dedecoris, vituperij irrequietos habet, corpore animoque ſemper ſolicitos. Vix etenim dici poterit, quanta cum acerbitate ad aures principis accidat vel modica de ſua perſona infamia. Ægre ferre valet etiam aliorum pręconia, quibus narratur illos gloriam ſuam exæquaſſe. Ipſa etiam corporis moderatio, & ex affectata ſeueritate eiuſdem compoſitio, quam principes vſurpare ſolent, abſque dubio res eſt moleſtiſſima. Nec dubito, quin graue quidpiam ſibi Conſtantius imperator pręſcripſerit, qui (vt narrat Amianus Marcellinus) nunquam viſus eſt flectere vultum in aliquam partem, manum mouere, aut expuere.

Sueton in Auguſt. *Principes ex honoris appetentia inquieti.* *Am. Marcell. lib. 21.*

Quod ſi illorum exitum contemplari velimus, qui ex altiſſimis imperij arcibus & ſpeculis deturbati, in extremam fortunam deciderunt: infinitum propemodum eſſet omnium catalogum contexere. Vt tamen fortunę inſtabilitas in memoriam reuocetur, aliquot exempla adiungam. Nulla quidem felicitas ita firmatur, vti poſt temporis decurſum infelicitati non cędat: neque pondere infelicitas ita perpetuo grauat, vt viciſſim aliquando non excutiatur lęto & proſpero rerum ſuccuſſu: eſt enim fortunæ rota partim nigra, partim alba: quę perenni motu circomuoluitur. *Nulla ſors longa eſt: dolor ac voluptas*
Inuicem cædunt: breuior voluptas.

Principum Caſus funeſti. *Sen. Thyeſt.* *Fortuna incerta.*

Nemo

Nemo confidat nimium secundis,
Nemo desperet meliora lapsis.
Miscet hæc illis, prohibetque Clotho
Stare fortunam: rotat omne fatum.
Nemo tam diues habuit fauentes,
Crastinum vt poßit sibi polliceri:
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

Consulto idcirco quidam ita fortunæ effigiem expressit, vti in dextera cornucopiam teneret, in sinistra vitrum. Sicut enim parca aut arida non est fortuna, cum donat: ita nec stabilia sunt, quę concedit: sed quouis vitro fragiliora. Interea loci in tuto quasi constitutis; illis videlicet qui in mediocri statu incedunt, aut fortunæ, vitæ recessu, valedixerunt; haud erit ingratum spectaculum alios videre in alto salo sub onere fortunæ laborantes, & inimicissimi euentus ærumnis (quibus res prosperę mortalium voluuntur) implicatos. *Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 13.*

Suaue mari magno, turbantibus æquora ventis,
E terra magnum alterius spectare laborem. *Lucret. lib.*
Non quia vexari quempiam est iucunda voluptas,
Sed quibus ipse malis careas, quia cernere suaue est.
Suaue etiam belli certamina magna tueri,
Per compos instructa, tua sine parte pericli.
Sed nil dulcius est bene quam munita tenere.
Edita doctrinæ sapientum templa serena
Despicere, vnde queas alios, paßimque videre
Errare, atque viam palantes quærere vitæ.
Certare ingenio, contendere nobilitate,
Noctes atque dies niti præstanti labore,
Ad summas emergere opes, rerumque potiri.
O miseras hominum mentes, o pectora cæca.

In hanc scęnam, tanquam ludibrium fortunæ, prodit Xerxes Persarum Rex, terræ marique grauis: qui orbi ruinam est aliquando comminatus. Elusus tamen euentu belli, vitæ suæ consulens, piscatoria scapha flumen trepidus traiecit; de quo hæc Trogus: *Erat res spectaculo digna, & ad æstimationem rerum humanæ sortis miranda: in exiguo latentem videre nauigio, quem paulo ante vix æquor omne capiebat: carentem etiam omni seruorum ministerio, cuius exercitus propter multitudinem terræ grauis erat.* Policrates in Samo tyrannus, cui quod nihil in vita aduersi vnquam accidisset, partus fortunæ nuncupatus: quique ad temperan- *Xerxis casus. Trog. lib. 2. Herodot. lib. 4. Policratis casus.*

dam fortunæ benignitatem, ſponte annulum in mare proiecit, & eundem à piſcatore in viſceribus cuiuſdam piſcis inuentum, reſtitutum poſtmodum habuit: cruci tandem affixus pluſquam miſer interijt.

Crœſi caſus. Trog. lib. 1. Herodot. lib. 1.

Crœſus Lidorũ Rex Ciro ſubijcitur: cum tamen ſingulari ſuorum amore prius complexus, atque ipſorum armis bene protectus, diuitiarum quoque cumulis probe munitus videretur. Cirum Schytarũ ſpolijs onuſtum, & maximis conſpicuum trophęis, recenti victoria exultantem, Thomyris fraude & inſidijs circundedit: ducentis millibus Perſarum occiſis, cum ipſorum rege: vt ne nuncius quidem acceptę cladis ſupereſſet. Tandem ipſius abſciſſum caput Regina in vterem humano ſanguine repletum conijcit, cum hac dedecoroſa crudelitatis exprobratione: *Satia te ſanguine, quem ſitiſti, cuiuſque inſatiabilis ſemper fuiſti.* Similis exitus ditiſſimum Craſſum excepit: (vt narrat Dio Caſſius) eliquatũ enim aurum in os eius infunditur, in opprobrium inſatiabilis auaritiæ. Darius, cuius exercitus conſtabat ex decem millibus equitum, centum millibus peditum, tandem fuga dilapſus, in illo prælio, quod contra Alexendrum geſſit, vili incluſus rheda, multis confectus vulneribus, ad fontem quendam moribundus reſedit: vbi inimico Alexandro (pręſente & audiente Poliſtrato) orbis imperium, ſibi vero ſepulturam dum precatur, exſpirat. Sed neque ipſe Alexander domito Oriente, diuinos honores, ſacra puluinaria & lectiſternia conſequntus, vim fortunę ſuperauit. In flore enim iuuentutis, trigeſimum tertium animum vix cum compleſſet, belli gloria elatus, nouos orbes ſecum animo reuoluens edomandos, Theſſali medici veneno potatus, extinguitur. Pari etiam caſu Dionyſium, gentium aliquando terrorem, fortuna deiecit: quem imperio exutum, literario ludo Corinthij præfecit pædagogum. Romani quoque qui primi fuêre, ij ad infima deiecti poſtea. Remus ad imperium (vt videbatur) natus, fratris manu miſere concidit: atque ita Romulus fratricidio ac naturæ violatione vrbis fundamenta fędauit. Ipſe quoque Romani imperij caput & parens, cœlitus euibrato fulmine, confoſſus moritur, aut temeritate populari impetitus decerpitur: vti omni fide careat iuſiurandum Proculi, cuius mendacio & periurio hoc adepſus eſt Romulus, vt à plebe illa rudi & imperita Quirinus Deus haberetur. Tarquinij ſuperbia reges vrbe exegit: Conſularis tamen poteſtas varijs ſubinde quaſſata cladibus. Scipio cognomento Africanus, qui Annibalis duritiem virtute bellica, punicam eius fidem Romana prudentia ſuperarat: ingratorum ciuium malignis animis extorris opprimitur: & inquit Liuius: *Scipio etſi non exul,*

Curt. lib. 3. Ciri. caſus. Craſſi. exitus. Dio lib. 4. hiſt. Rom. Darij caſus Plutarch. in Alex. Curt. lib. 3. Alexandri caſus. Trog. lib. 12 Dionyſij caſus. Am. Marcell. lib. 14 Rhemi caſus. Liu. lib. 2. Romuli exitus. Liu. lib. 1. Scipionis interitus. Liu. lib. 39.

exul, neque damnatus, die tamen dicta, ad quam non affuerat, reus absens citatus, voluntariam non sibimet ipsi solum, sed etiam funeri suo exilium indixit. Prȩterire non possum eius in bello Andagonistam Hannibalem. Hic quidem superatis Alpium iugis, in opulenta Italiæ arua bellico apparatu irrupit: gentem orbis imperio gaudentem, idq; domi lacescere est ausus: pugna ad Thracimenũ, postmodum ad Cannas Italicum nomen & gloriam ferme extinxit: Romam armis circundedit, pinnisq; sacrorum mȩniorũ ruinam minitatus: inclinante autem furtuna, ad tutandam Carthaginem dura obsidione cinctam, in Africam remeare cogitur: vbi à Scipione etiam in patrio solo profligatus Marti, à suis autem in exilium abiectus, fortunæ: fato extinctus, naturȩ quoq; cessit: *Exul Hannibal proditus ab hospite, veneno absumitur.* Pompeius tot victorijs Imperator insignis, cuius annulus gentilitia nota decoratus, Leonis gladium ferentis, gregarij satellitis gladio perijt: aut vt tradit Amianus: *ad spadonum libidinem in Aegypto trucidatur*, de quo etiam hæc Firmicus: *Pompei post tot triumphos ad Nili fluminis ripam, ceruices inuictas & regias; & quas toties purpura triumphalis ambierat, semiuiri hominis gladius nephario genere mortis incidit.* Antonius senatui quondam charus, dum Cleopatræ amores ambit, & ad imperium adspirat, Romano exercitu fugatus, palabundus obuio milite interficitur. Quid Cæsare orbe ferme ab ipso domito excelsius? qui tot pericula & & mortes prȩteruectus, in quem densatæ hostiles manus, exerti gladij, hamatæ hastæ, equorum violentiæ, elephantorum furores, nihil efficere potuerunt: domi, in senatu, & ab amicis togatis decerpitur, pugionibusque confoditur. Nunc venio ad Imperatores. Romanam purpuram non tam conchæ, quam humano sanguine intinctam nemo est qui non vidit, si modo rerum gestarum historias perlegerit diligentius. Cuspinianus Imperatorum vitas describens, istius ordinis à Iulio Cæsare, vsque ad Carolum magnũ, numero septuaginta quinque violenta morte extinctos recenset; ex quibus aliquos hic inducemus. Tiberius Caligulæ insidijs interimitur, vel famulorum manibus iniectis in os eius pannis, dum lecto ȩgrotus decumberet, suffocatur. Interitum Caligulæ, etiam arridente, vel potius ficta specie decipiente fortuna, ita enarrat Aurelius victor: *In spacio trium millium, quod in sinu puteolano inter moles iacet, duplici ordine naues contexens arenæ aggestu ad terræ speciem viam solidatam, phalarato equo insignis, quercea corona quasi triumphans indutus, aureo paludamento, curru bijugi decurrit. Dehinc à militibus confessus interijt.* Claudius Tiberius aconito inficitur, & fungo (vt iocari solebat Nero) diuinitatem mortuus est consequutus. Nero, cuius no-

Hannibalis casus. *Polib lib 4 Liu. decad. 3.*

Pompeij casus.

Am. Marcell. lib 14. Firmicus. 3

Antonij casus. Eutrop. l. 4. *Cæsaris casus.*

Dio lib. 40

Cuspin. de Imp. Rom. Sepulued. l. 2. de regno & regis off.

Tiberij mors. Suet. in Tib. *Victor. in Calig.*

Caligulæ interitus. *Claudij exitus. Sen. in Lud.*

Neronis casus. Suet. in Neron.

minis ſonus, & corporis ipſius vel vmbra Romanis terrori erant, deſertus à ſuis, aperto capite, equo cum atra pennula vectus fugit: ex fluento mox ad ſedandam ſitim ex curſu prouenientem miſer aquam manu hauſit: deinde in ſpelunca prȩruptæ rupis delitescens, cum per quendam nuncium ei eſſet delata fama, quod hoſtis patriæ omnium vocibus iudicaretur, tanto crimini decreta ſupplicia exhorreſcens, ipſe ſibi ferro mortem conſciuit. Galba ad lacum Curſium cæditur, eius caput pilo affixum calonum & lixarum manibus cum ludibrio agitatur. Ottho nonageſimo quinto imperij die, proprijs manibus pectus pugione aperuit. Vitelli ignominioſum exitum, & plane ſordidum refert Aurelius victor: *E palacio quo ſe abdiderat Vitellius, vinctis à tergo manibus productus, circunducitur ad ſpectaculum vulgi. Acne homo impudens in extremis ſaltem malorum, quæ geſſerat, rubore faciem dimitteret: ſubiecto in mentum gladio, ſeminudus, multis cæno, fimo, & cæteris turpioribus dictu purgamentis vultum eius inceßentibus, per ſcalas Gemonias trahitur: vbi Sabinum Veſpaſiani fratrem necari permiſerat: numeroſis ictibus confoſſus interijt.* Cuius cadauer vnco tractũ, in Tiberim proiectum dicit Suetonius. Domitianus Chriſtianorum hoſtis cruentus, commerita morte turpem ſȩuamque vitam concluſit: manibus etenim domeſticorum concidit. Commodus bonis omnibus, diuinis pariter & humanis incommodus, hoſtis deorum, parricida ſenatus iudicatus, immiſſo in eum validiſſimo palȩſtrita, compreſſis faucibus exſpirauit. Caracalla ex equo deſiliens, à Parthis opprimitur. Heliogabalus indomitæ & rabidæ libidinis mancipium, tumultu militari interfectus: eius corpus à milite poſtea tractum, adiectoque pondere in Tiberim demerſum: ac ſic Tiberinus tandem Tractitiuſque eſt cognominatus. Decius in ſolo barbarico inter confuſas turbas, (vt narrat Victor) paludis gurgite exhauſtus eſt: vt nec eius cadauer vnquã potuerit inueniri. Valerianus apud Parthos ignobili ſeruitute conſenuit: tametſi dum viueret, illius prouinciæ Rex incuruatum dorſum pedi eius ſupponere conſueuerat equum conſcendenti. Diocletianus furijs illum agitantibus ob Chriſtianorum cȩdes, voluntaria formidine ad mortem vſque inglorius contabuit. Hȩc crudæ ac ferreȩ antiquitatis monumenta. Omitto quamplurimos alios ex ordine imperatorio, qui pari felicitate exuti, tantum ſuis cladibus poſteritati innotuerunt. Ex Romanis etiam ducibus vnum aut alterum in hanc tragicam ſcenam inducam. Ruffinus militari gratia illuſtris, temporibus Theodoſij ſenioris, nihil aliud quam purpuram, & militum voces, quibus imperator denuntiaretur, expectans: furore militari in partes & fruſta diſcerpitur; & vt eius auaritiæ illuderetur,

Galbæ interitus. Suet. Galb. Othonis mors. Victor Othonij Vitellij exitus. Victor in vitell. Sueton. in vitell. Domitiani interitus. Victor. Domit. Commodi caſus. Victor. in Commod. Caracallæ mors. Suet. Caracalla. Heliogabali fatum. Sueton. in Heliogab. Decij caſus V. ctor. Decius. Valeriani interitus. Victor. Valerian.

exſectam

exſectam ei dexteram haſtę milites figentes, ſoluenteſque neruos, quaſi ſtipem emendicaret, ſignificarunt: mox eoſdem retrahentes, porrectum obolum Rufinum auide accepiſſe monſtrarunt. De cuius infelicitate hæc Claudianus: *Claud.cõt. Ruff.l.2.*

Dextera quin etiam ludo conceſſa vagatur,
Aera petens; pœnaſque animi perſoluit auari,
Terribili lucro, vncoſque imitata retentus,
Cogitur adductis digitos inflectere neruis.

Iſtius miſeriam ferme exęquauit Belliſarius, tot pariter exercituum ductor ſub Iuſtiniano imperatore. Ob victorias & ſummam virtutum gratiam, Romanorum decus iſte appellatus fuit: hic tamen poſtquam triumphaſſet, duobus regibus deuictis, Carthaginem quoque, Siciliam, Neapolim, totam ferme Italiam poſteaquã recepiſſet, ob ſuſpitionem coniurationis in ordinem redigitur: & vt quidam tradunt, excæcatus miſere vitam finiuit. Iſtis adiungi poterit Baiatzetus Turcarum Rex. Cum enim Græciam armis occupaſſet, à Tamberlano Scytha viuus in bello capitur, ac ferrea cauea incluſus, cum ludibrio circumfertur. Ludouicus Sfortza Dux Mediolanenſis, quod felicitate viſus ſit vndiq; circumfluere, fortunæ filius dici voluit: atque effigiem ſuam expreſſit ſtantem ſuper fortunæ rotam. Inuaſus tamen à Gallis, vitæ ſuæ fuga trepide conſuluit: atque vt ſeipſum occultaret ab hoſte, dimiſit ſe tantus Dux ad pedes Heluetiorum turmatim incedentium. Captus tandem à Gallo, Lugduni in carcerem conijcitur; vbi omni priuatus ſolatio, imo & librorum lectione, miſere vitam finiuit. Carolus ſeptimus Gallię Rex, qui Anglos expulit è Gallia, poſtquã eius pręcipuam partem per annos trecentos & quinquaginta tenuiſſent: timens ſibi à ſuis, ne veneno à quopiã extingueretur, cibo prorſus abſtinuit. Et cum vi in eius os eſculenta medici ingererent, fame nihilominus confectus, ſpontanea clade moritur. Filius quoque eius Ludouicus, poſt ampliatum imperiũ; princeps ſine dubio cum pectore bellicoſus tum animo prudens & ſagax: vt idem retulit Philippus Cominęus, veritus ne ſibi aliquis è ſuis necem inferret, ſe abdidit in caſtellum quoddam, indies ferme cubicularios ſeruos mutauit, locum in quo ipſe erat ferrea crate muniuit, filium ac ſocerum à ſe repulit, nunquam cubiculo auſus egredi. Ita miſere tantus rex ſenſim contabeſcens, perijt. Magno illi Sfortiæ, cui vis martia nomen dederat: poſt tot bella feliciter in Italia geſta, & ſplendide erecta tropheą, amnẽ prope piſcariã traiicienti, equus quo vehebatur, (vt narrat Paulus Iouius) tametſi inſignis, cruribus cępit deficere: & dum porrigit manum puero

Bellißarij infelicitas Cedren. in Iuſtin.

Baiazetus caſus. Munſter. Coſmograp lib. 24.

Ludou Sfortię exitus. Guicciar. l. 4. hiſt. Gal. Comin. l. 4 hiſt. de bello Neapol. Paul. Ioui lib. 4. Elegiar.

Magni Sfort. caſus Paul Ioui in vita Mag. Sfort. cap. 89.

puero armigero periclitanti, aquis & limo abſorbetur, bis autem armatum brachium efferens iam obrutus flumine, ſignum dedit deplorandi ſane interitus. Nihil vnquam legi in quauis hiſtoria, quod vel fortunæ inconſtantiam aut humanorũ euentuum acerbitatem magis referat, quam quod in annalibus noſtris deſcriptũ reperi de Edouardo Anglorum rege, eius nominis ſecundo. Hic maleuolentia ſuę vxoris purpura ac regno exuitur, atque in carcerem teterrimum, mancipij alicuius more detruditur: cum prius imperaſſet tam opibus affluens, quam armis conſpicuus, ferme ſpacio annorum vndeviginti. Porro cuſtodes tam dire, ex mandato reginę, in principem hunc iam ſenem deſeuierant: vti ipſum cogerent aperto capite aliquando equitare, vigilare, cum dormire velit; illis veſci cibis, quos maxime abhorrebat. Aſperrime demum verbis ipſum perpetuo excipiebant: exiſtimantes inde dolore in animo concepto, ipſum tandem conficiendum. Rex autem, quod magnanimus eſſet, & corpore firmiſſimo, malis iſtis diu reſtitit. Imo & venena aliqua naturę viribus, quæ hauſerat, expulit, & per ſeceſſum excreuit. Inter alia, ludibrij loco capiti eius coronam imponunt ex feno vel ſtramine, atque ſic inſignitum nomine regis ſalutant. Cum autem ad alium tutiorem locum ipſum deducerent: ne in itinere à quopiam cognoſceretur: cogitabant arte aliqua ei oris figuram, ratione crinum ac barbæ demutare. Iter facientes, forte incidũt in fluuiolum quoddam, quo prata ſolent irrigari. Hic (ex illis quidam dixit) regem noſtrum tondebimus: locus peroportunus. En aquam, qua lauetur. Equo ſenem deturbant illico, ac ſedere faciunt ſuper molem quandam, quam talpa excitarat. Ad eum accedit barbitonſor cum vaſe pleno aqua, quam ex illa foſſa lutea deſumpſerat: vti faciem eius ac caput per deridiculum lauaret. In hunc, iam oculis dolore plenis reſpexit rex, ac dixit: quid meo vultui frigidam aquam adhibes? ſolebam ipſe ſemper hucuſq; calida vti. Regi homo barbarus reſpondit: calidam cur quęris, ſatis tibi idonea hæc frigida. Vobis tamen vel inuitis calidam habebo inquit rex, ac ſtatim magnã vim lacrymarũ, vbertim per genas defluentium, expreſſit: quibus & vultus eius omnis madidus euaſit. Cum autem ad deſtinatum locum ventum eſſet: compingunt ipſum in arctum cubiculum, & paulo inferius in quandam caueam conijciunt omnis generis cadauera: vt illorum fetore necaretur: quo reuera ferme fuit ſuffocatus. Tandem viſum eſt reginæ, amplius ſenem non debere eſſe ſuperſtitem: quocirca eius iuſſu, fertur Epiſcopum Herefordienſem ad cuſtodes carceris hoc ſubdoli ſcripſiſſe: *Edouardum occidere nolite timere bonum eſt.* Senſum autem iſtius

Stous Edouard. 2. Edouardi ſecundi caſus.

ſophiſma-

ſophiſmatis intelligentes, regem obruunt culcitris plumeis, ac ſpiritum ei compriunt. Alij ferunt ad celandum vulnus, per clunes adactũ fuiſſe cauum cornu, atque per illud traiectum veru ad inteſtina. Ita è ſummis exciderunt, qui ad ſumma adſpirarunt. Hinc etiam apud Gręcos Oſtraciſmus, & decreta exilij pœna in eos, qui culpa etiam vacantes, propter magnitudinem tamen opum, ne affectarent tyrannidem, teſtularum ſuffragio ciuitate exulabant.

Polid. virg lib. hiſt 18.

Emil. prob. in Them.

Verum nihil ita ſuperbam hanc mentis elationem odioſam & exſecrandam facit, atque quod ſit omnis plane ſceleris initium & caput, lerna malorum, effrenatorũ animalium ſpelunca, vitiorum panoplia & metropolis. Nam ſi diuina cogitemus, cum inſtituti Chriſtiani ſumma dictis factiſque humilibus contineatur (vt Lactantius adnotauit) qui faſtu turgent, altaque animis & ipſo opere moliuntur: nihili eos pendere videmus, parumque habere dimiſſionem hanc ſui, quam noſtra fides ſuadet enixe, eaque confirmatur tota. Hinc inde venit, ad magiſtratus immodice ardentes, & cupiditate dominandi flagrantes, regum palpones & mancipia, plebis antem carnifices; quos politicos vidit, & nuncupauit hoc noſtrum ſæculum, ita abhorrere à placitis orthodoxi cultus: vti ceruices purpura cinctas, deſpicatim admodum à iugo Chriſtianiſmi auertant. Cęterum id, in quod primum intendit oculus fide colluſtratus, Chriſtus eſt: idem autem forma & exemplar humilitatis. Cuius quidem diuina natura adeo ſublimis, deiecta fuit ad carnem, caro autem delata ad crucem, mortem, & ſepulturam. At hæc faſtuoſis nauſeam prouocant. Inſuper illas faces amoris pectoribus noſtris intulit Chriſtus Dominus, vti eius cauſa ſponte abdicare parati ſimus à nobis gloriam omnem poteſtatis, diuitiarum ſubſidia, ipſum etiam voluntatis noſtræ imperium & ἀυτουσίαν. Quæ quidem ſtudia, ſordida & depreſſa omnino reputant, & contemnunt elati homines ac ambitioſi. Circuncinxit nos etiam Chriſtus ſacris ſuæ Eccleſiæ ſanctionibus, quibus animi ſenſus dimittere debemus: & rationes noſtræ intelligentiæ, tanquam quodam ſepto, eiſdem coërcuit; ne multiplici opinione fluctuantes, fidem incertam vacillantemqne retineamus, aut omnem penitus amittamus. Hoc vero quibuſdam prorſus videtur intolerabile, vtpote hęreſum ſectatoribus. Illi enim tumore quodam inflati, eam ſibi vendicant in diuinis authoritatem, qua ſententiam ferre pręſumunt de omnibus in controuerſiam & litem incidentibus. Vnde perſpicuum eſt ſacris diuiniſque infeſtam eſſe ſuperbiam. A quibus ſi ad humana deſcendamus, eadem apparebit eiuſdem intemperies

Honoris appetitio immoderata vitiorũ omnium cauſa.

Lactant. l. 1 de vera ſap. Clem. Alex. lib. 1. Strom.

Superbia diuinis aduerſaria.

Superbia rebus humanis infeſta.

peries. Quas leges non violauit aliquando superbia? Quæ iura non infregit? Quam amicitiam non contempsit? quos neruos reipublicę non succidit? Ita enim gloriæ cupidus ardet plane desiderio potiundi voti, vti aliorum vitas, facultates, emolumenta omnia habeat venalia. Struem facit iste cadauerum, & ornamentorum publicorum, ad gradus honoris facilius conscendendos. Huiusmodi vesania ex superbia prognata, Alexandri animum, etiam in Clitum sibi fidissimum amicum, efferauit plane. Nam cum Clitus Philippi res gestas narraret, easque pręconio efferret; visus is est Alexandro, patrem se factorum magnitudine superiorem fecisse: quod indigne impotenti animo ferens Alexander, arrepto telo Clitum trucidauit. Quis non merito dicet superbiam esse crudelem? Cleopatra regni socio, ipso suo filio Ptholomęo aggrauata, populum in illum excitauit: quem dum ingenti exercitu persequitur, ducem eiusdem interficit, quod filium viuum è manibus elabi dimisisset. Ptolomęus etiam ipso die nuptiarũ, ex appetentia imperij, filium vxoris suæ, vel in eius sinu occidit. Idem in odium vxoris, filium quem ab illa susceperat, interfecit: eiusque cadauer exanime, & recenti respersum sanguine misit ad matrem. Eucratides in Bactris Rex, filij sui gladio perijt, quem sibi paulo ante in imperio socium adsciuerat. Romulus fratrem in imperio sibi ęqualem passus non est. Tarquinius vt ad regnum perueniret, senatum, vrbem, vicinia, innocuo sanguine cruentauit. Nero Germanicum, Antonius Getam, orbe excluserunt, ne in vrbe regnarent.

Trog lib. 2. *Superbia crudelis.*

Dio Cass. lib. 40.

Trog. l. 38.

Trog. l. 41.

Liu. decad. 1.

Lucan. l. 1.

Nulla fides regni socijs, omnisque potestas
Impatiens consortis erit.

Iul. Capitol. in Max.

Maximinus barbarus & ferus homo, turbulenta militum acclamatione ad imperium euectus: quod ex infima plebe & hominum fęce esset oriundus, ne quis eius prosapiã, qui eam nouerat, Romanis relatu proderet: conscios ignobilitatis suę ad vnũ occidendos curauit. De quo Iulius Capitolinus: *Nam ignobilitatis tegendæ causa, omnes conscios generis sui interemit: nonnullos etiam amicos, qui ei sæpe misericordiæ ac pietatis causa pleraque donauerant.* Detestabilis videtur Neronis cum summa crudelitate coniuncta superbia: qui vt Romanæ ciuitati nomen imponeret, illamq; diceret Neroneam: quatuor eius partes flammis absumpsit: tres alias deiecit: interim ipse incendij spectator, excidium Troiæ ad liram è sublimi loco decantabat. Imo licitum omnino appetentibus imperia, etiã fratres occidere opinantur ambitiosi. Nam (vt scribit Plutarchus) Alexander magnus solus gloriatus est, ab ipso filiũ non timeri, sed cum lancea ad corpus recipi & admitti. *Nam*

Cornel. Tacit. l. 13. Anal.

Plutarch. in Demet.

quemado-

quemadmodum (inquit) *Geometræ petunt, vt quædam sibi concedantur, eaque sumunt: ita concedebatur tanquam commune quoddam postulatum, iudicio hominum & regum, regni causa fratres de medio tollere.* Richardus tertius Angliæ Rex, ex cupiditate imperij simili correptus furore; Edouardum eius nominis quartum, fratremque suum Germanum legitime Angliæ imperantem, tanquã spurium publice traduxit: neq; veritus est honestissimę matri amores meretricios hoc suo infami cõmento affingere, ac nepotes duos violenta morte opprimere. Quid durius illo Adolpho Geldrię ducis filio? qui vt parenti imperiũ eriperet, eum vi cepit: ac senem media hieme per quinque milliaria nudis pedibus coëgit incedere: cum via omnis gelu ac niue aspera esset & horreret: atque in tetrũ carcerem parentem detrusit miserum. Cum autem alij principes hoc à filio factum in parentem ægre tulissent: conditiones quasdam cõstituunt æqui & iusti, ad dirimendam controuersiam. Quibus obstinate repugnauit Adolphus: ac Carolo Burgundię duci affirmauit, se prius patrem in puteum ville pręcipitẽ dare, ac seipsum postea: quam conditiones decretas acceptare. Similis regnandi libido animum inflammauit Isabellæ, Edouardi secundi Angliæ Regis vxoris, quæ maritum acie primum fugauit hostili, demum crudelissime occidit. Quem porro mihi superbum dederis, eundem tenacem seu potius rapacem restituam. Non enim nisi immensis sumptibus magnitudinem suam ostentat hoc vitium, alijsq; euulgat. Bonorum dilapidatione, vt soli niues expositæ, ita res familiaris colliquescet, cum superbia fulgores suos quęsierit. Nemo etiam est, qui rerum vsu non didicerit, quam capitalem exitialemque Reipublicæ noxam tumor iste animorum semper inuexerit. Hinc odia, inimicitiæ, rixæ, contentiones, arma, conflagrationes, tumultus, quibus discinctæ ciuitatis partes intestinis bellis conficiuntur: aut externo ferro domitæ concidunt. Dum enim omnes principatum importunis ambiunt conatibus, priuata sua simultate societatis ciuilis vincula dissoluunt: communi neglecto bono, proprijs rationibus feruientes, firmamentum pacis conuellunt, ornamenta gloriæ deuastant: denique vrbium sedes ac fundamenta alio transferunt. Hoc domesticis armis gliscentibus sępius experti sunt Romani. Marij, & Cillæ concertationes, Cæsaris & Pompæi hostiles signorum collationes docuerunt satis quantum periculi in rebus publicis contineant partium studia, & intestinæ inimicitiæ. Idcirco contra huiusmodi ambitum, ijdem Romani seuerissimas leges tulerunt. In delectu enim magistratus, non animositatis ratio, sed virtutis habenda. Vnde Quintus Coponius,

Philip. Comini lib. 1. comment.

Stous. Edouar. 2.

Philip. comin. l. 6. comment.

Superbus auarus.

Ambitus damnatus à Romanis. Cicer. orat. pro Muren.

Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 17. quod amphoram vini muneris loco dediſſet, ad aucupandam gratiam, à ſenatu damnatus vti ambitus reus, pęnas merito luit. Iſtius autem generis delicto (vt teſtatur Cicero) exilium fuit conſtitutum. Hinc candidati abſque togis intrabant Senatū: ne quidquam pecuniarum, quibus ad honores ſibi aditum pararent, in ſinu haberent. Antiquitus quoque obſeruatum fuit, neminem ferme ex imperio in meliorem virum euaſiſſe: Ita vitijs ſemper patuit ſuprema regiaque poteſtas. Propterea Scurra Claudij Cęſaris, omnes bonos imperatores dixit vnius anuli pala contineri poſſe: ſignificans ſolum Veſpaſianum occaſione imperij progreſſus maiores in virtute feciſſe. De Galba autem hæc Tacitus: *Maior priuato viſus, dum priuatus fuit, & omnium conſenſu capax imperij, niſi imperaſſet.* Auguſtum tamen imperij vſu diuturniori virtutem dedidiciſſe ſcribit Aurelius victor, de quo ita plebs: *Vtinam aut non naſceretur, aut non moreretur.* Denique quam pręceps ſit ſuperbia in omnia plane vitia, indicare videtur Pſalmiſta: cum dicat: *Fiat via illorum tenebræ & aridum, & Angelus Domini perſequens eos.* Nimia elatio (vti docuimus) tenebras menti offundit: quas inſequuntur aridum & lubricum: fragilitas nimirum delinquendi. Deinde Angelus Domini grauiori tentatione hos tumidos vrget ad mala.

Cicer. pro Cluent. *Manut. in lege calphur.* *Ex imperio pauci meliores.* *Flau. Vopiſc. in Aurel.* *Cornel. Tacit. l. 17. Anal.* *Aurel Victor in Auguſt.* *Pſal. 34.*

Cęterum *Humi iacentem ſcelera non intrant caſam.*

Exeat aula, qui vult eſſe pius, virtus & ſumma poteſtas non coeunt.

Seneca in Thyeſt. *Lucan. l. 10*

Iam vero quantum prępſidij ſecum ferat orthodoxa fides contra grauiſſimum hoc malum nemini obſcurum erit, qui iuſta rerum ęſtimatione vtetur. Huius etenim pręceptis in primis inſtituimur ad contemptum fluxæ iſtius gloriolæ, vitamque in Chriſto abſconditam (vt loquitur Apoſtolus) quouis magiſtratu hinc pręſtantiorem eſſe percipimus. Mox ne humana ratio fidei myſterijs obſtinate & pertinaciter refragetur: Eccleſiæ catholicæ cenſuris ſenſus noſtros ſubijciendos nouimus: & toti ex illo diuini ſpiritus oraculo pendemus: animis parati reprimere potius cuiuſlibet argumenti vim credendis inſultantem: quam Eccleſiaſticæ ſanctioni obniti aut contrauenire. Denique quod ſatis non ſit veritatis luce mentem ſerenare, omnemque errorem expurgare & eliminare: ſed caſtimonia quoque vitæ ſit ad beatitudinem requiſita: paſtorum & principum legibus obtemperamus, Dei gladium in ipſorum manibus reueremur: atque ex animo, non ficte vel ad ſpeciem, ſed ex conſcientia, & coram Deo illorum ſancitis & dictis audientes ſumus. Alij autem ex noſtris longius progreſſi: quorum animos maius humilitatis deſiderium cepit: quibuſque faſtus deteſtabilior videtur: eam vitæ ſub alterius degentes imperio

Orthodoxa fides remedia præbet contra ſuperbiam. *Coloſſ. 3.* *Rom. 13.* *1. Pet. 3.* *Ephes. 6.* *Heb. 13.*

imperio rationem inierunt; vti voto quodam se obstrinxerint ad obedientiam superiori prçstandam: cuius pedibus nonunquam sese dimittunt, neque illius iniussu aliquid vnquam in vita aggrediuntur.

Nobis autem oppositi sectarij, Deus bone, quam effrenes? quam soluti? quam supremi? quam Domini? quot hæretici, tot summi pastores, tot reges, tot imperatores: idque ex dogmatis instituto. Non aliam agnoscunt hi fidei regulam, quam idealam illam, vaga, & ludibunda ipsorum phantasia fabrefactam: ad quam vti ad lideum lapidem, scripturç literam ac sensum, patrum scita, Conciliorum canones, iura omnia reuocant, diuina & humana. Qua in re Luciferum imitantur, similes cupientes esse altissimo, qui solus cuncta alto suo trutinat & expendit iudicio. Lutheranicā elationē, Tigurinæ Ecclesiæ confessio testatam fecit: *Lutherus ipse Germanorum prophetam & Apostolum esse gloriatur. Qui à nemine quicquā, omnes autem ab ipso didicerint. Nemo item quicquam nouit, nisi quod ex Luthero nouit: nemo quicquam fecit, Lutherus fecit omnia. Et quod ab ipso factum non est, infectum sit oportet. Quod ipse dixerit, ratum esto, nec quisquam illi contradixerit. Si quis ipsius more loqui noluerit: vel amplius quidpiam, quam ipse loquitur: mox hæreticus est, excommunicationis tonitru & damnationis fulmine tangitur. Omnia sibi vendicat.* Quod si quispiam nihil de Luthero credere velit, nisi à Luthero prolatum, is ipsum audiet. *Siue Cyprianus, Augustinus, Ambrosius, Petrus, Paulus, Ioannes, imo Angelus de cælo aliter doceat, tamen certo scio, quia humana non suadeo, sed diuina.* Optime sane, cum enim suasit Lutherus vt nolente vxore ancilla vocetur ad complexus, humana non suasit: sed nec diuina: quid demum? ferina & bruta. Sed neque Caluinus in fastu & appetentia gloriæ cedere voluit Luthero. Cum enim horrendum & blasphemum illud ipsius dictum, quo Deum authorem peccati definiebat, ab omnibus, non solum orthodoxis, verum etiam humanioribus, firmissimis argumētis impeteretur, gloriosus Thraso Geneuensis istis se defendit: *Multos doctrinæ meæ esse aduersarios, neque ignoro, neque miror: quia nouum non est Christo, sub cuius auspiciis milito, multos blaterones obstrepere.* Quod vero pertinet ad magistratuum aut principum leges, eas fideles suos, & in familiam Christi inductos haud attingere proclamant sectarij: nullum, ex ipsorum placitis, conscientiæ crimen illis adferet humanorum decretorum violatio. Denique monasticam & religiosam obedientiam vltra omnem modum contemnunt, & ludibrio habent. Deus bone, quam aperta fronte fauent superbiæ! cuius vexillum erigunt, & explicant in odium orthodoxæ professionis. Satanica absque dubio illa religio, quæ elationem & tumorem

Hæretici superbi ex dogmate ipsorum.

Esai. 14.

Lutheri superbia.

Confess. eccles. Tigur. fol. 127.

Luther. ep. ad Gal.

Caluini superbia.

Caluin cōtra castell.

ita prodit: ventoſa & inanis, non Chriſtiano & ſincero dogmate ſtabilita. Sed quod de iſtis poſtea in particulari fuſius ſit pertractandum, plura modo in hanc ſententiam non videntur diſputanda.

Inuidentiæ, odio, iræ ex charitate benignitateq́; moderatio conſtituenda.

CAPVT XII.


CVm iam ſatis diſputatum videatur de vi amoris, eiſque omnibus, quæ in eiuſdem appetitionē incidunt, proxime de affectionibus odij atque irę differendum, quæ ex amore ducuntur: alteramque appetitus partem, quam iraſcibilem nominamus, veluti ſedem atque locum ſibi vendicant. Sicut enim maximo feruentique quodam impetu in ea defertur amor, quæ ratio atque ſenſus bona, iucunda, grataque ęſtimarint: ita eiuſdem concupiſcibilis appetitionis veluti munimentum quoddam, ipſam facultatem iraſcibilem natura dedit: quo impedimenta cupiditati infeſta repellerentur. Atque hinc odium, inuidia, ira in ea inuadunt nociua, quæ noſtra commoda, vtilitates, aliaſque amoris illecebras impedire vel nobis eripere moliuntur. Eſt itaque odium, vti ad rem ipſam veniamus, appetitus mali ſeu diſplicentia quędam animi, quod alteri bonum acciderit, atque hanc appellat D. Dionyſius affectus auerſionem. Inuidia quidem rationem quandam odij participat, quandoquidem ſit fuga voluntatis reſilientis à bono alterius: nimirum quando cupimus ornamentum aliquod alteri non contingere: iudicantes illud ſplendori noſtro aut alio quouis emolumento aliquid detrahere. Ira quoque cum alteri malum intentet, quo iniuria irrogata vindicetur: aliquid vniuerſæ illius odij analogiæ obtinebit. Quocirca de iſtis ſub nomine odij generatim inquirendum. Iſtius vero perturbationis gradus pendere omnino videtur à gradu & qualitate amoris. Quo etenim quis magis erga aliquam rem ex amore afficitur: eo appetitus incitatior euadit ad arcenda ea incommoda, quæ votis obſiſtunt atque repugnant. Ita qui appetitu gloriæ inflammatur ardentius, is alterius eminentiam atrocius offendiculum iudicabit: ad quod abijciendum, omni qua poteſt ope nixuque contendet. Ex alijs idcirco vitijs, quæ ab amore proueniunt, tota ratio & menſura odij, inuidiæ, & iræ deſumuntur. Vt enim inquit

Partis iraſcibilis officium.

Odiũ quid.

Dionyſ. de diuinis c. 1. D. Thom. 2. 2 q. 34. art. 1.

Inuidia quid.

Ira quid.

inquit Seneca : ——— ——— ——— *Odiumque parit,*
Cum iussit amor. *Senec. in Hipol.*

Dubitatio tamen hic quædam suboritur: nimirum vtrum proximus nobis videlicet similitudine naturæ coniunctus, eiusq; bonũ, odio à quopiam haberi possint ea solum ratione, qua boni quid habent : An vero requiratur vti apprehendantur nobis molesta & incommoda, quæ in odium incurrunt. *Vtrum bonum possit esse obiectũ odij.* Quod spectat ad odium ipsius Dei, D. Thomas huius obiectum constituens, duo distinguit : primum genus est illius perfectionis, quod ipsa diuina natura continetur : & hoc dicit in nullius odium quantumuis nefarij aut maleuoli posse incidere. *D. Thom. 2. 2. q. 34. art. 1.* Alterum vero illis inuoluitur, quæ à Deo prodeunt tanquam à causa efficiente : & hæc quidem adhuc duplicis sunt ordinis. *Quomodo Deus odio haberi possit.* Quędam ita bona existunt, vt ne apprehendi omnino possint tanquam nostræ voluntati contraria : vtpote quod viuamus, intelligamus, appetamus illo authore : quocirca neque odio hæc haberi queunt. Posterioris autem classis effecta nonnunquam apprehenduntur vti repugnantia desiderijs nostris : vtpote quando sceleribus diuinitus inflictas pænas sentimus : vel etiam quando lege aliqua Dei appetitus vagus & petulans à delitijs coërcetur. In hęc enim cum mens respexerit, nonnunquam deprauata voluntas immanis odij crimine fertur in Deum : atque blasphemo ore sanctissimo augustissimoque Numini malum, quod horreo dicere, imprecatur. Eodẽ ergo modo dicendum videtur de naturæ & gratiæ bonis, quæ alijs contingunt : quod videlicet neminem odibilẽ nobis constituãt, nisi vti nocumentum aliquod verum vel apprehensum inferunt. Nam quemadmodum perfectiones diuinæ in seipsis malæ ęstimari à quopiam minime valent : Ita neque in hominibus virtus, gratia, peritia aliqua mali speciem subibunt. Constat autem odij obiectum non bonum esse, sed malum. Hęc itaque tunc solum odio haberi possunt, quando nobis iudicantur infesta. Veruntamen D. Thomas arbitrari videtur obiectum odij non esse malum eius, qui odio flagrat, sed malum potius absolute. Quia (vt idem disserit) Tristitia suscepta gratia boni quod alteri obtingit, quatenus illud bonum aptum natum est nobis creare periculum aliquod nocumenti, effectus est timoris : & tristitia, qua nobis displicet alterius præstantia, quatenus ea imminuere valet opinionem nostræ gloriæ, inuidia est. Nihil itaque peculiare relinquitur odio, vt ferri dicatur in malum nostrum, non vero in malum absolute & generatim. Nam si quis displicentia quadam animum auertat à bono alterius, eam solam ob causam, quod tale bonum impedimento sit nostris commodis, non

videbitur is ex odio operari, ſpeciali vitio: ſed potius ex prauo amore, quo peruerſe vtilia aut iucunda ſibi appetit. Eiuſdem enim facultatis & habitus videtur affectum deferre in concupitum, atque oppoſito reſiſtere, ſiue malo impedienti optata occurrere. Idem tamen D. Thomas iſtis verbis deſcribit obiectum odij: *Sicut autem omne conueniens in quantum huiuſmodi habet rationem boni: ita omne repugnans, in quantum huiuſmodi habet rationem mali: & ideo ſicut bonum eſt obiectum amoris, ita malum eſt obiectum odij.* Arbitratur idcirco obiectum odij, rem eſſe illi repugnantem & inamabilem qui odio æſtuat, atque ita ipſius malum. Et alibi: *Sicut ergo mouemur ad diligendum ea, quæ nos delectant; in quantum ex hoc ipſo accipiuntur ſub ratione boni: ita mouemur ad odiendum ea, quæ nos contriſtant, in quantum ex hoc ipſo accipiuntur ſub ratione mali.* Quod ſi ita alterius bona non aliunde odio haberi poſſint, quam quod effectiue idonea ſint ad incommodum aliquod nobis inferendum; vitium odij in proximum, diſtinctum non apparebit ab ira, inuidia, & triſtitia: hęc enim auerſiones animorum continent à perfectionibus alienis, ſub illo reſpectu, quo nobis accire poſſunt detrimentum. Videtur tamen quod odium alterius prorſus ſit rationis: ita vt eius terminus ſit malum ſimplicitur, nec ad ipſum, qui odit quicquam relatum. Datur etenim quoddam amoris genus, cuius forma illi rei inſita eſt, eaque abſoluta, quę tali amore diligitur: vti perſpicuum eſt in amore amicitiæ cuiuſlibet, præſertim in amore charitatis Theologice, quo amamus ipſum Deum, quatenus in ſe bonum, abſque reſpectu ad noſtra emolumenta. Si enim huiuſmodi habitudo decerneretur in obiecto amoris, dilectio Dei ex charitate non eſſet amor amicitiæ, ſed concupiſcentiæ: quod nullo modo videtur opinandum. Sicut ergo amicitiæ amor obiectum habet ipſum amici bonum, non forinſecus relatum: ita huic amori oppoſitum odium reſpiciet malum, quatenus ſolum malum eſt ſubiecti, non autem eius, qui odio extimulatur. Sed vt quod in hac diſquiſitione fixum firmumque ſit definiamus: duo in vniuerſo obiecto odij videntur diſtinguenda. Primum ea includit, quæ abſoluuntur prorſus ab omni imperfectione: cuiuſmodi exiſtũt, perſona ipſius proximi, eius virtutes, aliave tam naturæ quam gratiæ decora: atque hæc in nullius odium incurrere poſſunt, ne dæmonis quidem: quod in ſeipſis apprehendi haud valent vt tetra aut mala. Alterum vero ea dicit, quæ incummodant perſonę, cui male precamur: ſicut quando expetimus alteri damnum illorum bonorum, quę modo poſſidet, vel acceſſum alterius mali, vtpote morbum, exilium, aut mortem. Atque huius generis aduerſa deſiderantur tanquam mala pro-

Duo in obiectæ odij conſideranda.

la pro-

la proximi. Itaque in vniuersum obiectum odij videtur relatiuum, vel ad personam proximi, vel ad eius qui odio incitatur. In proximo quidem odio habemus vitia, & corporis deformitates: quatenus eius mala sunt: concupiscimus item illi detrimentum, quatenus eius malum est. Virtutes autem eius, vel diuitias, odio non habemus, nisi vt nobis infesta: nisi quando videmus opulentiam, aut aliud eius ornamentum saluti ipsius animæ esse incommodum. Secus autem videtur contingere in obiecto amoris amicitiæ, personam amici respicientis vt in se bonam perfectamque absolute. Cum itaque quis se intemperanter amarit, statim oriuntur animorum disiunctiones ex ira, odio, inuidentia: ex quibus non priuatum solum commodum dissoluitur, verum etiam publica emolumenta, concussa pereunt, ipsius demum ciuilis societatis firmamenta ab imo reuulsa concidunt. Inducendus idcirco in pectus placidus quietusque amor, cuius munere effrænis istec libido vindicandi detrahendique comprimatur. Rationes itaque adferemus, quæ inhumana hæc vitia ableganda persuadent, & summo studio declinanda.

Odiũ maximum viciũ quod charitati cõtrarietur.

Truculentum hoc, & immane odij scelus, quo nobis naturæ associatione, mysteriorum participatione, ipsiusque finis communione, coniuncti læduntur: ideo grauissima noxa censenda, quod charitati omnium virtutũ palmari, & quasi reginæ præcipue ex diametro opponatur. Quid enim deterius homini accidere poterit, quam vt ab illo deficiat, eiusque aicturam patiatur, quod omniũ est præclarissimũ? Hoc sane existit sincera illa dilectio, quæ in candido pectore flagrans, Deum optimum & maximum vti bonorum fontem & largitorem; cæterosque homines, etiam Angelos sui effuso ambitu complectitur. Quo pacto ostendit D. Thomas hoc odium Dei, vel proximi, grauissimum esse peccatorum: quod nempe charitati aduersetur, præstantissimæ virtutum. Dei etenim amori omnino repugnat inimicitia cum proximo. Vt enim dilucide ostendit D. Thomas, ex parte obiecti eadem statuitur forma dilectionis ipsius Dei, atque proximi. Amamus etenim Deum, quod ipse in se omnem præstantiam contineat. Intuitu quoque eiusdem excellentiæ excitamur ad amandum proximum: qui ipsius Dei effectus est, & quædam quasi eius virtutis impressio, atque ad eundem vitæ instituto destinatus. *Ratio* (inquit D. Thomas) *diligendi proximum Deus est.* Apteque proinde hæc intulit: *Vnde manifestum est, quod idem specie actus est, quo diligitur Deus, & quo diligitur proximus: & propter hoc habitus charitatis non solum se extendit ad dilectionem Dei, sed etiam ad dilectionem proximi.* Quem quidem amoris nexum humana di-

D. Thom. 2. 2. q. 34. art. 2 q. 24. art. 6.

Amor proximi coniunctus cũ amore Dei.

uinis

uinis copulantem, indicauit Euangelista: *Si diligamus inuicem, charitas Dei perfecta in nobis est.* Quamobrem seuum & truculentum odium, quod in hominem debacchatur, nephario quodam ausu se quoque in Deum attollit. Nec mirum: filio namque illata iniuria, sine patris contumelia non existit. Duas tamen species odij distinguere oportebit, quibus ardent mali in proximos. Sicut enim amore naturali proximo volumus bona, quæ ratio sola nobis innata despicit & intuetur: aliquando vero ea bona desideramus, quæ fides tantum explorata habet: ita aliquando odio prosequimur proximi bona naturalia: vti diuitias, vitam, famam, & similia: aliquando supernaturalia, veluti subsidium gratiæ, aut gloriæ beatitudinem. Quodcunque autem horum, si nobis illud ex inuidentia displiceat, contra charitatem virtutem theologicam crimen perpetrabitur. Tametsi enim principaliter charitatis amor bona supernaturalia aliorum respiciat: secundario tamen intuetur etiam bona naturæ: quibus si quis inuideat, is obiecto quoque charitatis aduersabitur, & ipsius Dei similiter bonitati se inimicum ostendet: sunt enim omnia hominum emolumenta, Dei effecta, atque ab eius voluntate decreta munera. Vnde Philo: *Qui ministrum contumelia afficit, eum pariter afficit contumelia, cui ministrat.* Et postea: *Fieri non potest, vt eum, quem sensus oculorum non percipit, pie sancteque colamus: cum in eos, qui ante oculos versantur, quique sunt in proximo, simus impij.* Et ex afflatu quodam diuino (vt videtur) Philo cum Euangelista conspirauit, dicente: *Qui non diligit fratrem, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* Iam vero quis animo plane non exhorrescit, cogitans proximi odium Deo rebellia arma inferre? Quod enim proximus arctissime sit cum ipso Deo coniunctus: rabies & liuor quæ illi sunt aduersa, theomachia quadam haud secus in cæleste numen depugnant: quo quid atrocius aut dementius? veluti si quis seruorũ principis imaginem, quam is charam habet, laceraret, aut cæno fedaret. Inuehitur sane in imaginem Dei, qui homini inuidet: eiusque detrectat virtutes, honores corrumpit, & ornamenta odio suo expugnat.

1. Ioan. 3. — *Duplex odij species.* — *Phil. Iud. lib. de 10. Præcept.* — *1. Ioan. 3.*

Nihil etiam magis dissitum à diuina natura, imo aut aliarum rerum proprietatibus, quæ illustriores censentur, quam reliquis nocumentum adferre: sicut è contrario, nihil tam insitum Numini, quam liberali manu beneficiorum thesauros effundere. *Miserationes eius* (vt inquit Psalmista) *super omnia opera eius.* Si enim animis expendere velimus huic vniuerso impressas notas, veluti diuiniorum attributorum indicia (Elucent enim in istis inferioribus diuina, & accommodate

Peccatum odij maxime repugnat Dei bonitate. — *Psal. 144.*

ad

ad nostram intelligentiam quosdam radios spargunt, ex illis omnibus nihil tam perspicuum, clarum, & illustre apparebit: quam ipsius Dei suauis in nos inclinatio, & supra omnem modum effusa clementia. Illa etenim summa ipsius bonitas, vario quidem effectu, cum ad necessitatem affluenter, tum ad ornamenta hominis pulcherrime abyssos diuitiarum aperuit: atque in humanum genus contulit copiose. In prima quidem huius aspectabilis molis fabrefactione, quando nullius pulchritudo ipsum ad opus illexerat, debitum nullum ad solutionem iure aliquo constrinxerat, nullius petitio ad largitionem instigarat: vnica tantum propensio sui ad benefaciendum alijs, principium dedit tantæ tamque ordinatæ rerum structuræ, quam cernimus, atque opificio. Hinc Euangelista Numen hoc clementissimum iride vidit circunductum: *In circuitu erat iris.* Quemadmodum enim solis radius in cauum roridæ nubis delatus, multiplices illos dipingit colores: ita emanante in circuitum orbis Dei virtute, existunt cuncta, & relucent vndiquaque. Neque naturalium donorum ambitu, quæ homini conceduntur munera, solum includuntur: quinimo altissimi ordinis insignes quasdam largitiones idem Deus in ipsum exercuit: illo pręcipue diuinæ ex celesti gratia iustitiæ donatiuo, quo mortalis & terrenus homo Dei filius, imperijque cęlestis hęres, imo & diuinæ naturę particeps constituitur. Quod etiam magis deprędicandū videtur, in hac summa benignitate, & veluti munificentiæ cursu grauissimis iniurijs offensus, & irritatus à nobis ad vindictam, priori largimonia non contentus, qua se in nos per excellentes quosdam effectus abundanter effuderat: extremū virtutis suę quodammodo tentauit, & plusquā liberali aut magnifica manu substantiā suam nobis impertiuit omnem, illamque naturæ nostræ personali quadam copula arctissime coniunxit: quod in diuinę bonitatis qualitatem, ad donandum aliquid semper promptam, cum D. Augustino D. Thomas veluti in causam reduxit: *Vnde ad rationem summi boni pertinet, quod summo modo se creaturæ communicet. Quod quidem maxime fit per hoc, quod naturam creatam sic sibi coniungit: vt vna persona fiat ex tribus, anima, verbo, & carne.* Verum neque hic constitit diuinæ bonitatis progressio, sed vlterius propagata: sicut nec virginis Dei filius abhorruit vterum, ita neque nostris intentus commodis crucis exhorruit ipse supplicium. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Et quæ ratio tanti beneficij? aut quis est homo quod memor es eius? vt interpretatur Eusebius, quis est obliuiscens, vt tu Deus illius memoriam geras, illamque eiusdem curam suscipias,

Apoc. 4.

Heb. 5. & 6.

August. 13. Trin.
D Thom. 3. par. q. 1. art. 1.

Rom. 4.
Psal. 8.
Euseb. lib. præpar. 11. cap. 4.
Isaiæ 49.

quam describit propheta: *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui: ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper.* Succensit quidem delinquenti interdum Deus: veruntamen ira eius non perturbatione aliqua est agitata, aut caligine mētis obnubilata: sed omnimodo pura & sincera: qualem in phialis illis aureis inclusam contemplatus est Euangelista: quippe hæc hominum vtilitatem statuit pręcipue & molitur, non pęnam. Imo in ipsis pęnis diuina clementia elucet. *Tanta est summi patris pietas,* (inquit Paulinus) *vt etiam ira eius ex misericordia sit. Et ideo castigat, vt parcat: Apostolus ideo cæcatus est, vt illuminaretur, cecidit persequutor, vt Apostolus surgeret.* Denique nec recessus illi infernales diuinæ bonitatis vim penitus effugiunt: quandoquidem Theologorum sententijs iudicatum sit; Deum neque ipsis perditis eos cruciatus inurere, quos eorundem delicta iuste commerentur: sed sub gradum noxæ, vindictæ mensuram constituere. Et quidem si progressum creationis, gubernationis, & vniuersalis prouidentiæ despiciamus: nihil videbimus, quod tantæ benignitatis torrenti obsistat: quin potius perspiciemus ipsum fluere ex naturali propensione diuinitatis. Verum quod prolapsus homo in scelera erigatur modo ad innocentiam, sacrosancto numini infestus, ad pijssimi patris gratiam & complexus reducatur: vt qui pœnas suo delicto sibiipsi consciuerat, liber & immunis in posterum dimittatur: demum quod innocuo cruore vnigeniti, Cain post fratris cędem, truculenti homines post tot flagitia in iustitiam asserantur: quodammodo hæc omnia contradicere videntur rerum ipsarum naturis, & ęquissimis ipsius Dei rationibus: misericordia idcirco horum effectrix, super omnia opera eius. Secundum Deum, cogitationibus nostris obuiant angelici spiritus, qui in hominum custodia, idque ex ingenti qua erga nos flagrant charitate, omnem suam operam impendunt & solicitudinem. *Vnius cuiusque gentis Angelus est,* (vt scribit Clemens Romanus) *cui credita est ipsius gentis dispensatio.* In eandem quoq; sententiam Clemens Alexandrinus: *Per gentes & ciuitates sunt distributæ Angelorum præfecturæ.* Sol iste maxime aspectabilis, non sui causa continuo motu in orbem se flectit, sed vniuersi potius gratia: cuius aliqua cura teneri videtur, dum frugibus terræ educendis, maturandis, conseruandisque, fecundum suum & viuificatricem radium cursu moderatum iugiter emittit & euibrat. Denique, vt quidam ex philosophis non inepte est arbitratus, omnia amore & beneuolentia constant: sicut lite & dissidio diffluunt, resoluuntur, & penitus intercidunt. Ipsa etiam elementa, tametsi

Dei ira qualis.

Apoc. 15.

Paulin. ep. 1. ad Seuer.

Angeli. ad bene faciēdū propensi

Clem. lib. 2 recog.

Clem. Alex 6. Strom.

Amore deuinciuntur inter se orbis partes.

metsi contrarijs affecta qualitatibus, nihilominus in proprijs sphęris constituta, sese inuicem fouent & tuentur. Quinimo rationis quoq; expertia animantia, necessitudine mutua inter illa eueniente, formam quandam & characterem exprimunt charitatis. Quid leonina ferocitate incitatius? nonnunquam tamen hoc animal humanitatis quadam specie illam suam seuitiam contegit: mitescit etenim rigor ille ferreus, & induratum eius pectus amore subactũ mollescit: de quo hæc Philo: *At sæpenumero equidem noui leones, vrsos, pantheras, non modo rerum causa ad vitam necessariarum, erga eos, qui dant ipsis alimenta: sed etiam erga alios, similitudinis gratia, (vt mihi quidem videtur) quæ cum illis est, mansuetos se gessisse.* Istius generis exempla aliqua recenset Plinius: vtpote Ciconię: cum enim harum parentes senio confecti, nidis suis alæ motu exire non possunt: vndique volitantes pulli cibos illis conquirunt: inuentosq; ingentes aëris tractus operose metientes, ad illos referunt. Cerui (vt testatur D. Augustinus) flumina tranantes, qui posteriores sunt, leuaminis ergo dorsis antenatantium sua capita imponunt: mox priores alternantes vicem hos sequuntur, & ab ijsdem simile repetũt charitatis beneficiũ: hoc ipsum & alij in volatu gruum obseruarunt.

Bruta animantia charitatẽ præ se ferunt.

Philo lib. de 10. præcep.

Plin nat. hist. lib. 8. cap. 17.

Ambros. in exam. lib. 5. cap. 16.

August. in Psal. 41.

Quod autem immanitas & belluina feritas in eos, qui nobiscum naturæ communione associantur, Dei voluntati vel maxime aduersetur: ideo seuerissime ipse animaduertit in tales, qui hanc truculentiam exercuerunt. Herodiades saltatrix, quæ amputato sanctissimi Baptistæ capiti illusit, cum flumen glacie constrictum pedes transiret, capite tenus demergitur. *Glacie autem rupta* (vt scribit Nicephorus) *& inferioribus partibus corporis lasciuiens, molliusque se mouens saltat: non in terra, sed in vndis. Caput vero à reliquo corpore glaciei crustis resectũ, in glacie ipsa saltationem lethalem exhibet.* Herodes crudelitatem in Christi martyres qui spirarat, viscerũ subinde acerbissimo dolore torquetur, interno calore exuritur, à vermibus demum absumitur. Pilatus ob noxam ex Christi nece, furore correptus, sibi ipsi mortem intulit. Diocletianus rabidus ille canis, & horrendę seuitiæ bellua, interitu execrando pęnas luit: ingenti vi vermium ex impia lingua, quæ blasphemiam in altum coniecerat, cum detestando fetore, erumpente. Obseruatum porro est, nouas species supplicij immani inuento excogitantes, Deo ita statuente, in eas ipsas acerbitates incidisse, quas alijs parauerant. Hinc Claudianus:

Truculẽtos Deus punit.

Niceph. l. 1. cap. 20.

Ioseph. 17. Antiquit. cap. 8.

Euseb. lib 2. hist. cap. 7.

Niceph. l 7. hist. cap. 20

Quam bene dispositum terris, vt dignus iniqui
Fructus consili, primis authoribus instet.
Sic multos fixauio vates, arente per annos

Claudian. lib. 1. cont. Ruff.

Hospite, qui cæso monuit placare tonantem.
Inuentas primum Buciridis imbuit aras,
Et cecidit scui, quod dixerat hostia sacri.
Sic opifex Tauri, tormentorumque repertor,
Qui funesta nouo fabricauerat æra dolore.
Primus inexpertum Siculo cogente tyranno,
Sensit opus, docuitque suum mugire iuuencum.

Philip. Com. lib 8. Episcopus quidam Verdunensis, Ludouico Galliæ regi eius nominis vndecimo, immania quędam persuasit. Atque inter cętera fieri curauit ferreas caueas octo pedum latas: quæ altitudine staturam hominis exęquarent. Episcopus autem iste, ob crimen patratum primus inter reos, hosce carceres subiuit: in quibus quatuordecim annorum spacio miserrime vixit. Apud Anglos Crumuellus *Sander. de scis. pag. 95.* similem sibi ipsi necem, temporibus Henrici octaui, perquam artificiose excogitauit. Author iste fuit, vt Rex legem decerneret: qua cautum erat, neminem accusatum vel suspectum de crimine lęsæ maiestatis, ad regis colloquiũ admitti debere. At Crumuellus deprehensus postea in facinore, primus suæ iniquissimæ legis rigorem sensit. Etenim semper ferme vsu venire solet, vt illi principes infeliciter pereant, qui tyrannidem & inhumanitatem in suos exercuerunt. *Philip. Com. lib. 2. de bello Neapol.* Persici, Græci, ac Romani imperatores hoc tragœdijs suis abundantissime testantur. Atque inter recentiora: Ferdinandus, & Alphonsus Neapolitani Reges, (vt scribit Philippus Cominæus) in proceribus interficiendis, crudelissimi extitere: vnus autem regno exutus, breui postea interijt: alius sponte administrationem deposuit; cuius animũ tantus timor incesserat, vt noctu exclamaret perpetuo se audire aduentantes Gallos: atque sibi videre non homines tantum, sed & arbores atque saxa Gallicum nomen sonare.

Charitatẽ suadet vni' hominis cũ alio cõiunctio multiplex. Prętererea varia illa ratio colligationis mutuę, qua homines inter se & cum ipso Deo deuinciuntur, amorem hunc & animorũ conciliationem omnino suadet: quam si spernemus, solutum profecto erit vinculum societatis humanæ, omnisque vitæ iucunditas ex conuictu intercidet & exstinguetur. Amorem autem & amicitiam in alicuius communione primordiales causas ac fundamẽta habere docet D. Thomas. *D. Thom. 2. 2. q. 23. art.* Quocirca hominem cum homine conferentes, in primis videmus eandem ab ipsis, quoad speciem, naturam obtineri: deinde inter illos orbis imperium partiri: mox ad virtutem similiter instituí: demum in eandem beatitudinis metam omnes peræque destinari, eodem baptismate tingi, eadem fidę collustrari, eodem Christo in libertatem

bertatẽ vendicari. Ex quibus perspicuũ est multiplicẽ rationẽ amoris, veluti fratris, conciuis, familiaris, cõmilitonis, inter Christianos cõsurgere. Arctior etenim in pluribus cõmunicatio, maiorẽ excitatioremq; effert ex se charitatem. Quo quidem pacto docet D. Thomas quemlibet hominum obligari vt Deum ex charitate plus diligat, quam seipsum: quandoquidem omnis coniunctionis nexus atque copulæ inter homines author effectorque sit Deus: proinde ipse nobis vel maxime coniunctus: *Et ideo ex charitate magis debet homo diligere Deum, qui est bonum commune omnium, quam seipsum: quia beatitudo est in Deo, sicut in communi & fontali principio omnium, qui beatitudinem participare possunt.* Vnde cędes illa, quam Abelo fratri intulit Cain, tanto fœdior & atrocior fuit, quanto ipsi Abelo fuit sanguinis ratione coniunctior. Et sicut corporis membra, quod eodem toto contineantur, (vt docet Apostolus) mutuam vicem rependunt: neque oculus (vt notauit sanctus Macharius) sui solum gratia omnia collustrat, sed in vsum & emolumentum integri corporis: ita propter hanc compagem & coagulum, partim ex natura ipsa, partim ex supernaturali dono, non priuatis solum commodis vnicuique nostrûm erit inuigilandum, sed publicis, & ad aliorum rem studia nostra sedulo referenda. Qui quidem affectus charitatis erga patriam pectus Alexandri omnino cepisse visus est. Cum enim moriturus interrogaretur de successore in imperio, respondit se priuatis affectibus sepositis dignissimum exoptare. Neque alienus penitus ab hac teneritudine & aliorum cura Otho imperator fuit. Acclamatione etenim militari euectus ad imperium, abstinere potius voluit dominatu, quam pati vt eius causa Romana pubes bello decertans sanguinolenta strage periret. *An ergo tantum Romanæ pubis, tot egregios exercitus sterni rursus, & Reipublicæ eripi patiar?* Ferro itaque incubuit, & moritur. Atque vt inquit Tacitus: *Alij diutius imperium tenuerunt, nemo tam fortiter reliquit.* Quid dicam de Germanico Cæsare, qui occisis suis sepeliendis, dimissa maiestate imperatoria, omnium primus ad tumulum conficiendum manum admouit? Deprędicanda quoque videtur charitas regis Codri apud Athenienses. Cum enim pronunciatum esset ab oraculo, saluos fieri non posse ciues, in dura quadam & arctissima obsidione, viuo Rege: vti suis Codrus salutem pareret, ne cognosceretur pannoso & vili indutus habitu, sarmentorum struem collo gestans, porta egressus in aciem hostium fortiter se dedit: & illorũ mox armis occubuit. Verum nostra hoc in genere omnium sunt eminentissima: nouimus enim non solum fratrem diligendum, sed ipsi in nos offendenti sępius ignoscendum, eiusque salu-

D. Thom. art. 5.
Gen. 4.
1. Cor. 12.
Machar. homil. 3.
Alexandri charitas Cur. lib. vlt
Corn. Tacit. l. 18. Anal. Othonis charitas.
Germanici Cæsaris charitas. Cor. Tacit. lib. 18.
Charitas Codri Trog. lib. 2.
Charitas Christiana.

tem curæ habendam, cum sedula inquisitione nostra procurandam. Cum quidam D. Augustino in hanc sententiam dixisset: *Quid me quæris, si perij per peccatū?* Respondit: *Hoc sane vult iniquitas, qua diuisi sumus, sed non vult charitas, qua fratres sumus. Improbus non essem, si quærerem seruum, & improbus dicar, quia quæro fratrem meum?* Et post: *Nec dicam interpellans Domine, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem; sed dic fratri meo, vt teneat mecum hæreditatem.* Quod si ab hoc amore deficiant homines, non solū ciuile omne firmamentum excidet, verum etiam societas ecclesiastica, qua Deum & Christum colimus, dissoluetur. Quam si charitas munierit, nec hostiles persequutorū gladij, neque inferorum incursiones turbulentæ, illam quassare aut infringere vnquam poterunt. *Radicem* (inquit Augustinus) *charitatis habe, & cum sol exortus fuerit, non te vret, sed te nutriet.* Quis enim nescit odio & digladiatione omnia publicæ vtilitatis munimenta radicitus euerti? Quinimo grauissimū sibi malum consciscit, qui inuidiam in alium intentat: nam (vt ait D. Athanasius) infestum telum in proximum intorquens, ignem aut serpentem pariter in manus accipit: non tam proximo, quam sibi ipsi nociuus. Ita malitiosi & inuidi cum Pharaone, spontaneo cursu præcipites se dant in fluctus maris: cum gigante Goliath proprijs concidunt armis: & cum serpente illo Iudæos impellente, ludibrij causa Christo arundinem porrigunt: interim cum leui ictu arundinis serpens perimatur.

August. in Psal. 18. enar. 2. — *Charitate societas omnis continetur.* — *Athanas. sermo. 1. de pass.* — *Exod 14.* — *1. Reg. 17.* — *Matth. 17.*

Quid etiam obsecro ita hominis naturæ agnatum, ac humanitas, suauitas, morumque facilitas? hac pene sola à brutis dissidemus, & illorum conditionem longe superamus. Atque eadem non tantum erga ipsos homines, verum etiam rationis expertia, nos clementer affici voluit Deus. Tametsi autem huiusmodi animantia, quod ratione priuentur, obiecto ac pręscripto charitatis non coërceantur; neque ad beatitudinem aliquam referantur: nihilosecius Iudęis pręcepit Deus, vti ea non omnino inhumaniter tractarent: *Non coques* (inquit) *agnum in lacte matris*, cuius edicti sententiam ita Philo declarauit: *Iudicauit enim valde iniquum, id quod viuenti animali cibus fuerat, in condimentum occisi vertere.* Est & huic alia lex persimilis: *Si ambulans per viam in arbore vel in terra nidum auis inueneris, & matrem pullis vel ouis desuper incubantem: non tenebis eam cum filijs, sed abire patieris, captos tenens filios.* Alias etiam ab ipso Deo latas Iudęis leges, ad ingenerandum in ipsorum animis humanitatis sensum ac teneritudinem, ita Philo explicauit: *Iubet enim abstineri ab omnibus recens natis, tam in armentis, quam in gregibus, vetans ea vel mensæ inferri vel altari: nimium crudele & ab omni humanitate alienam existimans facinus.*

Charitas naturæ hominis affinis. — *Clementia in rationis expertia.* — *Deut. 22.* — *Philo lib. 2 de char.*

einus insidiari parturientibus, & fœtus à matribus rapere: idque ventris gulæque gratia. Et fortassis hac ratione inducti prisci illi homines, carnium esu diu abstinuerunt. Hæc autem præcepit Deus, non quod magnopere curaret vitam illorum animalculorum, sed ne eorundem occisione aut raptu crudelitatem aliquam animis haurirent homines: ac inde paulatim in vitæ socios truculentiores quoque euaderent & incrudescerent. Districtam autem omnino curam visus est Deus adhibuisse in firmanda hac charitate inter homines lege sua: vnde fratrē fratri fenerari prohibuit. Bellum etiam vetuit suscipi, nisi prius caduceatoris voce eius causæ iustæ cum exponerentur, tum legitimis argumentis probarentur. Post messem spicæ pauperum vsibus relinquendæ, ex mandato Dei: & racemi vuarum, finita vindemia, eisdem pariter intacti concedendi. Quod si in rudi illa atque seueriori viuendi forma tantam expectauit Deus inter homines charitatem: quantam merito à nobis exiget in cęlesti plane hoc amoris statu, ac lege ętatem transigentibus: in quos copiose suum effudit Deus amorem? Absque dubio vel leuis iniuria, aut opprobrio respersum verbulum, quibus proximus læditur, graue nunc piaculum atque scelus reputabitur: quandoquidem instituti nostri culmen ac plenitudo sit dilectio: sine qua nullum orationis genus Deo gratum, nullum sacrificium aut incensi odor illi placebunt. Quocirca qui naturæ præstantia nobiles ac generosi ceteris antecellunt, ad amorem hunc charitatis, ad condolentiam, ceteraque humanitatis officia magis sunt propensi: ideoque illos alijs pręfecit natura, qui cum ad dedecus propulsandum animosiores essent, honoris appetentes, tum emolliti clementia ad benefaciendum faciliores. Ex hoc affectu Alexander Cyri etiam hostis cadauer vulneribus confossum, ac sanguine infectum adspiciens, illacrymauit. Cęsar quoque dum videret Pompei inimici ac riualis detruncatum caput, & anulum eius, sibi à lacrymis temperare non potuit. Cæterum feri, rabiosi, crudeles, inhumani auersi sunt plurimum ab hominis natura: in pręrupta rupe aut caute enixi, non in vtero femineo concepti, ferino postea lacte vegetati: nati videntur ad prędam & rapacitatem: quibus in republica ita velim resisti, veluti leonibus, trigribus, lupisque in ouium caulas grassantibus.

Deut. 28. *Deut. 20.* *Leuit. 23.* *Matth. 5.* *Nobilitas quid?* *Trog. l. 20.* *Eutrop. l. 6* *Dio lib. 6.*

Quod si istius beneuolentię formam & quasi faciem inspicere velimus, nihil pulcrius, ornatius, aut excultius apparebit: sicut nihil deformius, tetrius, aut truculentius iræ, odij, atque inuidentiæ specie videtur. Quæ enim virtutes (vt docuit Aristoteles) ad alios nobiscum coniunctos nos referunt, illæ maxime operantibus amorem & fauores

Charitas fauores conciliat.

fauores

fauores conciliant, pulchritudinem suas foras ostentant, & ex publico testimonio, & quasi communi suffragio, multorum laude & celebritate famæ ad cęlos euehuntur. Qua nota præsertim insigniti existunt in alios beneuoli: proinde in conciuiũ pectoribus assilia hi habent, & firmissima suę salutis pręsidia. Vnde Titus Imperator dicere solitus se illam diem amisisse, in qua nullius gratiam munere aliquo haud esset promeritus: eaque de causa tam charus alijs fuit, vti delicias humani generis illum ciues passim vocitarent. Darius, quem hostilibus armis terra marique insequutus fuerat Alexander, ex relatu cognoscens pudice & honeste Dominum & iuuenem Alexandrum captiuam eius vxorem tractasse ac seruasse: inimici animum illico deposuit, ac naturæ generositate emollitus, vt scribit Curtius, ad celum manus tendens, hæc precatur: *Dij patrij, primum mihi stabilite regnum, deinde si de me transactum est, precor ne quis Asiæ Rex sit, quam iste, tam iustus hostis, tam misericors victor.* Cęterum vero odium & inuidia in ipso etiam corpore notas quasdam exerunt illius turpitudinis, quæ interius animæ faciem corrumpit. Hoc etenim oppressus vitio, macie & pallore squalet, cauis oculis & toruo vultu omnia intuetur: ipse sibi crudelis, pectori serpentem admouet, cuius morsu pręcordia dilacerantur. Quam quidem egritudinem, cum corporis tum etiam animæ ex inuidia, Chrysostomus serpenti comparat reflexo ad pectus dente, illudque auidissime atterente:

Sueton. in Tit. cap. 88 — *Curt. lib. 4* — *Inuidentia in corpore turpē notā prodit.* — *Chrysost. homil. 40. ad pop.* — *Ouid.*

Protinus inuidiæ nigro squalentia tabo,
Territa petit domus, est in imis vallibus antri
Abdita. Ira etiam homo penitus efferatur, & in belluæ formam quandam immutatus transit. Ardent siquidem lumina, os despumat, vultus inflammatur, frons rugis obruitur, nihil integrum in mentis consilio aut corporis actione in illo superest, qui huic immani perturbationi cedit. Quem Chrysostomus propterea obsesso à malo dæmone similem dicere solitus est, cuiusque formam ita describsit Seneca: *Hic seuas vmbras territas Stygius canis,*

Iræ exterior nota deformis. — *Senec. in Hercul.*

Qui terna vasto capita concutiens sono,
Regnum tuetur, sordidum tabo caput.
Lambunt colubri, viperis horrent iubæ:
Longusque torto sibila cauda draco,
Par ira formæ.

Quod si quis graui aliqua iniuria impetitus fuerit, magnanimi potius erit offensam remmittere: hoc etenim modo in alijs maleuolentiam spernimus, & in nobis insurgentem iræ furorem reprimimus;

Patiētia est magnanimitas, ira animæ imbecillitas.

quo

quo nihil ſane glorioſius. At qui alienæ gloriæ inuidet, abiecti plane is eſt animi; iam enim ſua ipſius opinione concidit: & ſe aliena excellencia victum vltro fatetur: quod longe apparet ſordidiſſimum. Quocirca apposite Ouidius finxit inuidiam ex paluſtribus, cęnoſis, depreſſiſque locis oriri: quod nempe hoc vitium in abiectos ſolum animos & impotentes incidat. Nam vt ait ſcriptura: *Paruulum occidit inuidia.* Similiter ſe læſum agnoſcere, aut perturbatione victum, quæ iræ contingunt, quid niſi vile & dimiſſum eſt? Recte idcirco Amianus Marcellinus iram animi fracti indicium affirmauit: *Quam prudentes definiunt naſci ex menti mollitici conſueta: id aſſerentes argumento probabili, quod iracundiores ſint incolumibus languidi, & feminæ maribus, & iuuenibus ſenes, & felicibus ærumoſi.* Sane qui animo eſt nobili & generoſo, is facillime clementiam ac iniuriæ condonationem ſuſcipiet: ſi modo qui ipſum læſit, ſe illi dimittat parum, ac vel crimen fateatur: atque niſi ferus & immanis fuerit, vlteriori vindicta abſtinebit. Referunt annales noſtri Edouardum, eius nominis primum, Angliæ Regem, dum aucupio ad fluentum vacaret, cuidam eius ſeruo ſubiratum, neſcio quid mali illi fuiſſe minatum. Seruus vero ad ſedandam regiam iram, feſtiue dixit ſe plurimum gaudere, quo inter eos flumen decurreret. Rex eius dicto offenſus, gladium diſtrinxit, & eques in flumen inſiluit, ſeruumque vltum feſtinauit: ſeruus autem ſtatim aufugit. Cum autem Rex ad aduerſam ripam euaſiſſet: ac probe ſciret ſeruus ipſum optimo velociſſimoque equo vti, curſui ac fugæ cepit diffidere: proinde reuertitur ad regem, culpam ſuam prodit, & ei iugulum, exertum gladium tenenti, porrigit. Regis autem ardorem, quem aqua non potuit cohibere, vel tantilla ſerui ſubmiſſio extinxit, ac veniam eſt deprecata. Enimuero neque affectiones iſtæ rabidæ & concitatæ tam aduerſarijs obſunt, cuius cauſa ſuſcipiuntur, quam nobiſmet ipſis. Vt enim ait Seneca:

Iob 5.

Marcellin. lib. 27. Chron.

Foxi. lib. 4. pag. 325.

Senec. in Medea. Ira imprudens.

—— —— —— Ira quæ tegitur nocet,
Profeſſa perdunt odia vindictæ locum.

Siue itaque flammam iræ coërceas pectoris tui ambitu, ſiue eam erumpere ſinas, nihil alteri vtrolibet officies: plurimum autem tibi. Retenta namque ira, tua deuaſtabit: foras emiſſa, ſtrepitum faciet ſine ictu. Iam enim coram aduerſario infeſtum belli ſignum extuliſti, interim cum armis careas, aut illa domi habeas recluſa in armario. Sane nihil tam contrariũ prudentiæ ciuili, atq; iracundia. Quẽ enim hæc perturbatio pręcipitem dedit, is nunquam politicus iudicabitur. Ficta autem benignitate ſolent aſtuti homines inſidias ſuas celare,

vt ipſam metam collimando attingant: improuidumque volucrem feriant:& clanculū vindictę telæ exacuunt, vt ſecundo feritu illis opus non ſit. Quod ſi vindicandi deſit poteſtas, vana eſt ſine viribus ira: ipſoque contemptu ſępius vincuntur aduerſa: nam (vt inquit Tacitus) *Spreta exoleſcunt: ſi iraſcare agnita videntur.* Circunſpectis idcirco omnibus, amor, beneuolentia, comitas, affabilitas, manſuetudo, animæ ſunt ornamenta, vitęque humanæ columina. E contrario, ira, inimicitiæ, odia, crudelitas, labes morum exiſtunt, & omnis ciuilis ſotietatis detrimenta.

Corn. Tacit. lib. 4. Anal.

Politici, quemadmodum & ſectarij dilectionem mutuæ & concordiæ inter homines aduerſantur: idque ex inſtitute dogmatis ipſorum. Orthodoxi vero contrarium prorſus ſuadent & moliuntur.

CAPVT XIII.



Voddam hominum genus, inter cętera monſtra, hæc noſtra luctuoſa tempora infeliciter ſane extulerunt: quod vulgario politicum nuncupari ſolet: eorum nempe qui ſpreta virtute, religione violata, rem familiarem augendi curæ vnice incumbunt. Fœtum dicerem hoc animal hęreſeos; cuius phreneſis æſtus in atheiſmum & diuinorum contemptum perpetuo ſolet deſinere. Cum enim iam ferme profligati ſint hęretici, publicaque infamia per omnia Chriſtiani orbis roſtra traducti: noua ſobolis, inſurrexerunt politici: non ſcripturarum authoritate, quod factitarunt hęretici, veritatem religionis fideique ſinceritatem impugnantes: ſed legum ſancitis, diuitiarum ſtudio, adulandi libidine, ſacroſanctum dogma peſſundant, ſanctiſque omnibus liberrime illudūt. Quos, cum orthodoxus aggreditur, illius oculis in hoc certamine, ex aduerſo non obuerſantur rationum momenta, non diuinæ authoritatis pręſidia: ſed fulgens purpura, exerti gladij, diademata & ſceptra animum eius territabunt. Ego ſane in hac hominum ſecta, ſeu potius colluuie, nihil magni aut excelſi vnquam potui deprehendere. Imprimis etenim politici ingenium ſeruile admodum & abiectum. Principes iſte ac magnates viros veluti Deos habet, authoritate pollentibus ſe abiecte inclinat, vultu omnino dimiſſo, fícteque ad aſſentationem compoſito

Proſapia & ingenium politicorum.

Politici ingeniū ſeruile.

eos

eos veneratur. Veritatem aut animi ipsius sensuũ nunquã voce audet prodere: sed omnis eius sermo adulationi intentus, molle quid & gratum sonat. Mox religionis quandam speciem (est enim & hæc virtus politica, vt tradit Plato) sibi inferet, qua facilius simpliciori- *Plato de legib.* bus imponat, illisque persuadeat, se nihil nisi integrum sanctumque moliri, se humanas dignitates aspernari, haud cupere alijs pręesse, aut illorum negotijs sua studia velle immiscere serio affirmabit. Quo in genere olim illustres fuêre Pharisęi, quibus nomen & vestis fistulę & lenocinia ad aucupium. Istiş accedunt mendacia, partim vt innocentiam suam adstruant, partim vt alijs calumniam & infamiam conflent. Fingunt denique minutas quasdam quęstiones, vtpote de hominum ordinibus, quinam sanctiores & pręstantiores, de regnorum conditionibus, quænam excellentiores: vti istiusmodi quæsitis, in varias sectas partesque homines distrahantur. Nihil tamen in ipsorum ore frequentius, quam declamatio aliqua incalescens candensq; in seditiosos: hos traducunt sępissime, eos infamant grauissime, interea loci ipsi seditionum flabra quęrelis orbem replent, odia & inimicitias fouent, simultates augent: multa etiã fingunt & cõminiscuntur, quæ in partes concedere alios impellant. Prudenter quidem, si rem istorum expendamus: nam qui ortu & ingenio abiectam in republica sortem habet, is nunquam ita resplendet, ac confligentibus alijs, & sese mutuo conficientibus: veluti humili tuguriolum venustatem quandã adsequitur, si modo illęsum & immune sit dum vicina palatia incendio deflagrant, aut fulmine deijciuntur. Huiusmodi politicos neque animo nobiles, neque sensu synceros dico. Videtur enim abiectissimum quid mentiri, famam aliorum denigrare, adulari, versare se in omnem partem, religionem fingere, alios seditiosos appellare, non qui statutis Ecclesiæ & principum, sed qui eorum nugis & insomnijs aduersantur ac contraueniunt. Hæc autem sunt politicorum prædicamenta, in quibus deprehendi semper abiectissima ingenia collocari, inhumana, fera, barbara, atque homines in agrestibus casis ad mendicitatem famemque natos: ferme autem hodierna die interim non cognoscantur, stultis illudunt tantum aut pueris. At quid isti tandem volunt? quid contendunt? ad quid spirant? ad subsellia, ad honores, ad famam, ad amplissimas possessiones, ad imperij cruditatem. Verum quod hæc, natura ipsa, eiusdemque opifex Deus, virtuti & diuino cultui ita adiunxerint: vt vnum ab altero di- *Iudic.15.* uelli aut separari non possit, imitantur astutia sua Sampsonem colũnam in sui interitum concutientem: de quibus proinde hoc solum

habeo quod dicam in ipſorum laudem; illos interdum ingenioſe & artificioſe perire. Quantum autem iſti inter homines charitati infeſti ſint, conſtabit apertius, ſi audiamus quendam ex ea ſchola prodeuntem, quam aperuit Machiauellus, (ſolo florentis ciuitatis ſplendore nobilitatus, in qua vel ortus eſt, aut verſatus) paucis ſua concludentem, & in hanc ſententiam diſſerentem. Anguſte nimis, abiecte, preſſeque ſentiunt de re politica, qui charitatis (vt appellant fraternæ) cancellis illam finiri claudive arbitrantur. Longius procul dubio ſpaciatur, vagatur vlterius, liberior multo eſt magiſque ſoluta. Nam cum hunc finem ſuis cogitatis cõſtituat vir politicus, quo ciues imperioque ſubiecti pace fruantur & otio, opibus abundent: atque ante omnia, vt ipſe princeps floreat, eius purpura ſanguineo colore timorem ſpectantibus incutiat, ſceptrumque eius cæteris omnibus nutantibus, ſemper erectum conſiſtat: denique vt res ab illo præclare geſtæ, iiſdem quibus ſolis curſus terminis contineantur: cum hæc (quod ſæpiſſime vſu venit) perfici non poſſint, ſine alterius iniuria; ſi iſtius trangreſſionis inani quodam metu, ab inceptis & inſtitutis abſterreatur politicus: dum occaſionem elabi patitur bene de republica promerendi, vti eius curam deponat omnio neceſſe eſt. Atque cum iſtius ſceleris conſcientia, feminarũ inſtar, nos lancinari alij perſenſerint: nihil illos morabitur, quo minus nobis bello & defectione aliqua ſemper ſint aduerſarij: exiſtimabunt etenim dilectionis fraternę preſcripto nos tam arcte obſtrictos, vti cum ipſi in noſtro ſolo armati perſultarint, nec gladios diſtringere audeamus. Excitandæ etiam nõnunquam inter finitimos & extras nationes tragœdiæ, vt gliſcentibus illorum armis, nos ſalui interim & tranquilli domi eſſe poſſimus. Nam vt ait Liuius: *Nulla magna ciuitas diu quieſcere poteſt, ſi foris hoſtem non habeat, domi inueniet*. Et vti à priuatis ac ſuis princeps tutus exiſtat, nullo modo committere debebit, vt eorum fortunæ immoderatius capiant incrementa. Sicut enim medicus venam tunc inſcindendam præſcribit, quando ex inflatis venis, accenſo aut rubeſcente corpore, ſanguinis exundantiam deprehendit: ita princeps politicus, cum viderit opes vectigalium nimis excreuiſſe: illas diminuere, demetere, & exſcindere oportebit. In quem finem iuuabit rumores ſpargere in vulgus, quod externi iam hoſtiles incurſiones in noſtros fines meditentur: & propterea ad vnumquemque ciuium ſpectare, tot vel tot aureos nummos, in commune bellici apparatus ſubſidium conferre: ita iocoſe & lepide quidam princeps Gallicanus ſe paſtorem dixit ouium ferentium aurea vellera ad ipſius libitum detondenda.

Quid politici diſſerũt contra religionem. Machiauel. lib. 1. ſuper decad. Liu. cap. 3. lib. de princip. cap. 17.

Liu. decad. 3. lib. 4.

Quod

Quod si magnates suos animaduertat princeps à populo honorificentius tractari, modo in magnam claritudinem apud plebem peruenisse, prompte confluentibus stipatos, armisque septos per forum incedere, est sane quod perturbetur, quodque sibi ab illis timeat: dimittendi idcirco aut frangendi. Hoc autem vno horum modorum pręstiterit: si vel inter ipsos simultates exortæ foueantur, aliusque in alium incitetur: sic enim mutua refracti pugna, nihil poterunt amplius in principem: aut arte quadam, suasionibusque mellitis ad facinus aliquod sub specie honoris aut vtilitatis exstimulandi: vnde iuste postea vel ex affectata & elaborata suspicione mali, qua ipsorum causa laborare videatur, in sententiam mortis & supplicij incurrant. Porro cum prona sit popularium natura, lucri pręsertim causa, ad rebellionem, si quid ab illis durius princeps exegerit: propterea trux imo crudelis omnino iustitiæ species illorum perpetuo oculis obijcienda. Horrenda & immani carnificina etiam ob scelus confictum aliquot conficiendi: vt alij magis à facinore caueant: Regium enim sceptrum scorpionis loco esse debet, & terroris insigne. Quod si in quempiam grauius quid commiseris, nunquam deponendum odium, nunquam arma semel arrepta proijcienda. Nequaquam enim permitte eam in mentem cogitationem incidere, qua credas illum, quem ita læsisti, tibi velle ex animo iniuriam condonare. Hæc principum existunt præsidia, hæc ipsorum munimenta, contra omnem fortunæ impetum, & quamcumque demum ex inimicitia coniurationem. Longe autē absunt à minuta & exili illa descriptione charitatis, quam theologi in scholis pertractant: rempublicam isti hactenus ignorarunt. Nos vero (inquiunt) non dilectionis legibus, sed principis imperio vitam credimus; mollem hanc & effeminatam amoris affectionem repudiamus: seueriorem aliam & virilem inquirimus, ad frangendos hominum conatus comparatam: sanguine & tabo tribunalia inficienda, non commiseratione & dolore querulo replenda. Magnifice quidem, sed impie & immaniter hucusque dictum est.

Quod si primęuam institutionem principum animis repetamus, in societatem humanam illam iuductam fuisse videbimus boni publici causa: atque vt illis patrocinium adferatur, qui inopia aliaque imbecillitate oppressi, seipsos contra vim & insidias fortium tutari non valent. Politici vero principum libidinibus cęterarum facultates omnes subijciunt, ad ipsum vniuersa referunt: hunc Deum constituentes, alios vt mancipia onerant iniurijs. Quod quid aliud est quā hominum conuictui tyrannidem inferre, lupum agnis ad exsugendum

Princeps clemēs esse debet ex ratione primæ institutionis.

Alciat l. 15 cōment. de verborum sig.

dum cruorem præficere? ita regiminis legitimam formam priuatis isti cupiditatibus suis inuertunt. Verum quam cæci etiam in suis? fierine vnquam poterit, vt princeps securo in loco consistat, qui hoc pacto fictus est ad tyrannidem, ad immanitatem, qui verba, qui fidem, qui omnia habet pro ratione temporis nunc venalia, nunc mutabilia: qui raptu prædaque suam sustentat authoritatem? hæc enim deprehendentur à subditis, aut illos effugient? (vtor hoc dilemmate ad includendum Machiauellum.) Si primum asseruerit, tunc ad prudentiam principis spectare fatebitur, vti in seipsum suorum arma vel animos hostiles conuertat. Nunquam enim corpus hoc ciuilis societatis, immissum intimis venenum, quo ita arroditur & exuritur, diu perferet: quinimo quaqua ratione, post longam luctationem, illud tandem eijciet. Posterius si concesserit, consequens admissi erit, politicos nullam posse rempublicam bene instituere, nisi subdolum principem stultorum gregi intulerint. Verum quidem est potestate & tyrannide hac posse politicos rem suam tueri & augeri, valere quoque eos principis authoritatem & emolumenta munire: sed ad tempus tantum: horum enimvero institutio diuturna nequit esse, aut secura, vel supicione vacua. Sed quod principes suo imperio ipsum Deum imitentur, proinde humanitate vel maxime elucere debent, aliorumque indigentiis operose inuigilare. *Par est igitur* (inquit Philo) *bonos principes ac magistratus, si qua illis cura sit, vt Dei similes efficiantur, ista sedulo imitari.* Parens itaque cum princeps sit patriæ, quomodo in liberos omni benignitate effusus non erit? si dux, in milites non poterit esse ipso hoste truculentior. Omnem quam habuit iste potestatem, mutuatus est primitus à republica, ergone crudelitatem exercebit in matrem & benefactorem? minime sane. Nam vt idem ait Philo: *Princeps sic illos, qui suo parent imperio, tueri debet, vt parens liberos, quo ipse etiam ab illis vicißim, tanquam ab ingenuis filijs, colatur. Nam quod Rex est ciuitati, idem est pago primarius, familiæ Dominus, medicus ægrotis, dux erranti, nauarchus claßiarijs, & mercibus nauibus mercatorijs & onerarijs nauclerus, Gubernator nautis.* Imo ita nobilitatem principis ad humanitatem comparatam arbitrantur ceteri, vti ab illis, inferioribus vel leuior iniuria illata, grauissima reputetur. Vt enim scripsit Salustius: *In maxima fortuna minima licentia est, neque studere, neque odisse, sed minime irasci decet. Quæ apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque crudelitas appellatur.* Hac ipsa de causa sanguinis claritudine quosdam natura nobiles effinxit, illosque alijs præfecit: quibus ab ingenio competunt beneuolentia, commiseratio, iustitiæ cura. Vbique enim gentiũ manifesta hæc fiunt in veris nobilibus, qui naturæ beneficio præ alijs in has

D. Thom. lib. de regim. princip. cap. 1.

Phil. de delec. princip.

Phil. lib. de 10 præ. ept.

Salust. coniurat. Catil.

in has virtutes inclinantur: vafricies auté, sensus versatiles, simulata cõsilia, adulationes in viles & agrestes homines semper incidunt. Atq; hos, non alios seculũ nostrũ adspicit politicos tenuis fortunæ homulos, natos ad contundendum ferrum aut lapides. Esurientes autem & miserias experti, cum in principis animum sese insinuarint, mirum in modum turgent, & nouæ gloriæ appetentissimi, pristinæ desueti ferociunt. Ita Philo: *Nam fraudulenti mores sunt animi illiberalis & abiecti, simulationis tenebris facinus admissum obtegentis.* Etenim quod nec ipsi, neque eorum proaui existimationem aliquam vnquam obtinuerint, proinde eiusdem fulgores magis demirantur animis, expetibiliores ducunt: veluti si cum vespertilionibus, iam recens meridiano sole lucẽte, recessibus suis egressi volitarent: nec dici potest quam acres sint & feruentes, dum hanc ipsis insolentem glorialam consectantur. Principes autem, quos sceptro idoneos constituit Deus, eosdem summa quadam dulcedine sanguinis temperauit, & ad omnia humanitatis officia prȩstanda ductiles facilesque effecit. Agrestes idcirco politici omne decus & splendorem ingenitæ nobilitatis, suis ipsorum placitis ad seuitiam & extremam barbariem spectantibus, corrumpunt: & vbique locorum vigent & dominantur, ibi nobilitatem pessundant, mancipijs vel stultis magistratus rerumque publicarum curam committunt. Quid ni istos dicerem societatis humanæ inimicos? miror profecto quod populus illos diutius patiatur tam magnifice & erectis ceruicibus per plateas incedere: instituunt enim principem ad crudelitatem, ad expilationem reipublicæ, ad tyrannidem; quem politicum reddere prȩ se ferunt, illum furem, prȩdonem, piratam, incendiarium efformant. Sanguinem ciuium hi quidem sitiunt, & ex alienorum bonorum raptu ac interitu innocentum cum miluis & coruis vitam propagant & diuitias: hoc solum honestatis habent, quod quibusdam prȩstigijs simulatæ virtutis, feda & enormia sua occultent flagitia: alioquin illis meliores & iustiores sub patibulis gulam laqueo frangunt, aut quaslibet alias pȩnas à iudice decretas soluunt ac pendunt. Quos multis abhinc excursis sȩculis luculentissime ita descripsit Philo: *Tales sunt natura ὀλιγάρχικοι: id est reipublicæ statũ à paucis gubernatum amplectentes: qui tyrannidis & potentiæ studio flagrantes, furta faciunt: ingentia illi quidem, sed tamen ea splendidis principatus imperijque nominibus reuera occultant.* Principum antesignanos & quasi ideas constitui volunt, Caligulas, Nerones, Vitellios, Heliogabalos, Maximinianos, Domitianos, Commodos, Dionysios: ac sæpius illud ingeminant Cai Caligulæ apud Suetoniũ: *Oderint dum metuant.* Atque hasce

Phil. sup.

Phil. lib. 10 de præcept. Politici principes volunt seueres & tyrannos. Sueton. in Caio c. 30.

hasce eius voces plane barbaricas principe suo dignas existimant: *Vtinam populus Romanus vnam ceruicem haberet.* Quibus etiam mortẽ inferendam efferatus iste animo designasset, eorum nomina duobus sceptris inscripsit: quorum alterum vocare solebat gladium, alterum pugionem. Cistam quoque retinuit iste venenis plenam, in clandestinam & domesticam suorum necem. Quid sanguinolentius Nerone, quid Domitiano truculentius? qui non solum seuerissima sententia multos dabant ad mortem, verum etiam ex aspectu effusi cruoris oculis voluptatem capiebant. Commodus Romæ incendium, sicut & Nero meditatus, ad seuitiam suam explendam, debiles atque claudos in gigantum figuras & draconum spiras inflexit: quos iaculis postmodum confecit. Cuiusdam pręping uis ventrem dissecuit, vt videret diffluentia intestina: celebrans suum Dionysium, qui solitus fuit dicere; metum vincula esse adamantina, classem violentiam: atque hi sunt heroes istorum, & semidij: exesi exosique seculi ferrea crudaque monumenta. Cęterum vero plebi oculos effodiunt, ne principum astus intueantur; linguas perscindunt, ne miserias suas loquantur: & efficiunt plane vt imitentur ingenium gruum pręteruolantium montem Tauri. Vt enim narrat Amianus Marcellinus, quod locus ille aquilis sit ferax, ora grues lapidibus occludunt, ne vel extrema necessitas clangorem illis eliciat: ita pauore consternandos, indictoque silentio comprimendos ciues definiunt politici.

Caligulæ crudelitas. *Cõmodi crudelitas.* *Marcellin. lib. 18.*

Enimuero qui hoc pacto terroris speciem suis inijciunt, vti contineantur in officio, diu tuti esse non poterint contra aliorum insidias: vel dimissis cogitationibus iusti timoris, animis ex multis periculis, miserijs, & suspicionibus requiescere. Vt enim ait Cicero: *Qui se metui volunt, à quibus metuuntur, eosdem metuant ipsi necesse est.* Quamobrem optimis institutis imperium firmantes principes, beneuolentia, amore, charitate, suorum animos conciliare satagerunt: omnem in istis opem & salutem publicam constituentes. Nam vt ait scriptura: *Misericordia & veritas custodiunt regem, & clementia firmatur thronus eius.* Hinc Cyrus apud Xenophontem, regnum stabiliri adseruit, non aureo sceptro, sed amicis. Theodoricus, vt verbis Sidonij Apollinaris vtar, timebat timeri. Cæterum qui in crudelitatem concedunt principes, similes euadunt Dionysio, de quo hæc Amianus Marcellinus: *Tonstrices docuit filias, ne cui alio ora committeret leuiganda, ædemque breuem, vbi cubitare sueuerat, alta circumdedit fossa: eamque ponte solubili superstrauit, cuius disiectos asseres & aßiculos secum in somnum abiens transferebat, eosdemque compaginabat lucis initio processurus.* Profecto qui in neruo & compede vinctos

Tyrannis coniuncta timori. *Cicer. 2. off.* *Prouerb. 20* *Xenoph. dialog. Hieron.* *Sidon lib. 1 ep. 2.* *Marcellin. l. 1. chron.* *Dionysij timor.*

vinctos pedes habent, istis existunt liberiores & feliciores. Consulto itaq; omnes ferme imperatores Romani, saltē in ingressu ad imperiū, summā humanitatē sunt professi, qua sibi homines deuincirēt, hanc pulcri speciem conatibus suis prętexuerunt: nihil asperi, nihil inclementis, elati nihil prę se tulerūt, ipse etiam Nero huiusce modi laruam aliquando sibi induxit: cum enim illi oblatus esset libellus sententiam mortis in quendam reum continens; cui deberet ipse subscribere, ingemiscens dum nomen stilo exararet, dixit: *Quam vellem me nescire literas.* Hinc Cęsar blando vocabulo eos qui sub ipso merebant, commilitones appellat: & cum quidam illum Dominum ęquum & bonum vocitaret: *Statim manu vultuque indecoras adulationes repressit, & in sequenti die grauissime corripuit edicto, dominumque se posthac appellari ne à liberis quidem aut nepotibus suis vel serio vel ioco passus est.* Cum quidam supplicem libellum Augusto porrigeret, & ex metu incusso à tanta Maiestate, nunc brachium extenderet, nunc vero retraheret. *Timide* (inquit Augustus) *quid? Elephanto stipem porrigis?*

Imperatores Romanī in initijs imperij affectarunt humanitatem.

Suet. in Nerone.

Suet. in Cæsar.

Sueton in Aug.

> *Multa metu pena, pena qui pauca coërcet,*
> *Et iacit inuita fulmina rara manu.*

Ouid lib. 1. trist. eleg. 4.

Tyberius moderationem fattui adhibuit. Nam cum inter varias populi acclamationes, vnus ipsum Dominum compellaret, alias occupationes eius sacras diceret: priorem reiecit vti conuitiatorem, alterum emendauit, iussitque vt pro sacris, laboriosas diceret. Quo in genere clarus enituit Alexander Seuerus Christiano lacte nutritus & emollitus, qui etiam iustis suppliciis illachrymauit. Cum etiam quidā hac ipsa de causa eū increparet, affirmaretq; benignitate & charitate se nimis mollem exhibuisse, illi respondit: at securius diuturniusque mihi inde feci imperium. Alexandri mater Olimpias ab ipso cuiusdam insontis necem efflagitauit: immane autem postulatum reijciente Alexandro, id ęgre admodum tulit Olimpias, atque matri dixit nihil à filio negandum, quem nouem mensium spacio ipsa in vtero fouisset. Cui Alexander: *Aliam, parens optima, posce mercedem, hominis enim salus beneficio nullo, multo autem magis mors nullo pensatur.* Charitate itaque, tanquam vinculo quodam, omnes reipublicæ partes continentur: qua princeps se facilem, suauē, & moderatū ciuibus præbet: eadem vicissim ciues se suaque omnia vltro referunt ad principis authoritatē. Quid vero sentiendum de principum simultatibus, quas reges fouere debere definiunt politici, vt sese tueantur, & omnium concilia rescisсant: existimo prudentissimi historiographi Philippi Cominęi iudicio satis indicari. *Dicat fortasse quispiam illas partium offensiones regibus esse non inutiles:*

Suet. in liber cap. 27.

Lamprid. Alexand.

Marcel. lib. 14.

patefieri hac ratione omnia concilia: nihil esse, quod non efferatur ad regem, & in maiori ipsum esse obseruantia: non negarim equidem, si quis princeps adolescens eiusmodi simultates ac contentiones in gynæcio suscitet; quin maximam sit habiturus ridendi suique oblectandi materiam. Nihil enim erit adeo secretum, quod in hac mulierculaarum æmulatione & inuidia non resciscat: verum vt ea consuetudo recipiatur in cætu virorum; ingens profecto periculum in eo versatur. Hoc enim vere sit ignem in tuis ædibus accendere, quem deinde non possis nisi maximo tuo detrimento restinguere. Nam qui principem à se vident alienatū esse, ij fere nouas incipiunt tentare amicitias, & illis libenter se coniungunt, quos dissidere putant ab eo, quem sui aduersarij partes tueri vident. Quod exemplo ostendit verum esse, ex factione inter familiam Aurelianam & Burgundicam, quæ Galliæ ferme interuenientibus Anglis excidium intulit.

Philip. Commin. lib 11. Com.

Turbulentia quoque hęreticorum, in qua ipsi perpetuo versantur, fraternæ charitati atque mutuæ dilectioni multo magis repugnat. Non enim in sibilo auræ tenuis, vti Dominus, se spectabiles exhibent, sed in commotione, in igne, in turbine: quod quidem ex duplici causa descendit; idque primo ex natura hęreseos vniuersim spectatę, deinde ex conditione & qualitate dogmatis, cuius se magistros venditant. Quapropter schisma, quo membra Ecclesiastici corporis ab inuicem distrahuntur, grauissimum esse peccatum, cum D. Thoma adstruunt omnes Theologi, quod nempe charitati opponatur: *Et intendit se schismaticus ab vnitate separare, quam charitas facit.* Sicut enim charitas in vnum pellit homines: ita secta & partium studium eosdem in diuersos cætus & factiones dissipant. Enimuero tametsi hęresis, si specialem eius oppositionem & contrarietatem spectemus quam habet cum virtute, tantummodo orthodoxæ fidei aduersetur, quemadmodū & schisma charitati: hęresim tamen schisma concomitatur, & videtur eius quasi actus externus. Quamprimum enim praua aliqua opinio circa mystica in animum suscipitur: statim reuellit hæc mentem, quam infecit, ab omni compagine & iunctura societatis: vnde existunt contentiones, dissentiones, bello atque armis omnia flagrant. *Hæc sunt enim initia* (vt ait D. Cyprianus) *hæreticorum, & ortus atque conatus schismaticorum male cogitantium; vt sibi placeant, vt præpositum superbo tumore contemnant.* Hinc venit, quod iudicio Ecclesię profligati hæretici, priusquam velint veritati cedere, vel etiam legitime concertare, ad imperatorem aut alium principem ciuilem se recipere soleant: vti illorum armis innocuus cruor effundatur, & communi incendio concidat tandem respublica. Ariani supplices se exhibuerunt Imperatorijs Eunuchis: in quorum pręsidijs & vmbra pote-

Sectarij inimici charitatis.

D. Thom. 2. 2. q. 39. art. 1. & 2.

Cyp. ep. 65

Heretici ad arma principum confugiunt.

statis

ſtatis conuicti ab Eccleſia, deliteſcerent. Eiuſdē ſectæ Cappadox ille Georgius (quem nuper ſtultus quidam, imperitus, & ridiculus ſcriptor inſcitia ſua Angliæ patronum pręfecit) cuidam impio literas magni Antonij conſpuendas tradidit: imperatoris autem & ducum epiſtolas ſumma cum veneratione excepit. Auxenſius Mediolanenſis diſputans cum D. Ambroſio, controuerſiæ iudicem Imperatorem delegit. Damnati Priſciliani imperatoriam opem implorant. Anathemate perculſi Ariani ad purpuram fugiunt Conſtantij. Donatiſtæ deuicti & profligati ad imperij maieſtatem, vti ad aſylum, ſe conferunt. Origeniſtæ hæreſeos nota inuſti, omnem ſpem poſitam habuerunt in Arcadio. Neſtoreus Theodoſium, Eutiches Criſaphium quærunt. Quæ defectio, quod illis non ſufficiat ad furorem, etiam gentilibus ſeſe adiungunt, illorumque operam implorant in orthodoxos. Ita olim Ariani expugnantes Eccleſiam Alexandrinam, poſtea in Mediolanenſem inuadentes, cum Gothis in vnam aciem & manum confluxerunt: quod & alias ſæpius ab hæreticis factitatum narrant Rufinus & Theodoretus. Noſtris etiam temporibus Caluiniana rabies, Turſicam barbariem in orthodoxorum capita ſępius concitauit. Quod ſi ad ſceptrum & dominatum hæreſis peruenerit; quam trux, quam ſanguinolenta, quam charitati infeſta! Arianam violentiam iſtis refert Athanaſius: *Quos non potuit hæreſis verbis inducere, eos vi, plagis, carceribuſque ad ſe pertrahere connititur.* Neque antiquioribus hac ex parte moderni ſectarij ſe inferiores præbuerunt: hoc teſtantur in primo ortu hæreſeos digladiationes Germanicæ; quando ex ſententia ipſius Lutheri, inter tempus Paſchale & feſtum Pentecoſtes, pluſquam centum millia armatorum miſera & luctuoſa ſtrage ceciderunt. Idem confirmant furores Gallici, & Belgicarum nationum defectiones à rege Philippo, & poſtea ab Alberto & Iſabella principibus legitimis. Geneuę conſilium inierunt ſectarij (vt ſcribit Genebrardus) de interficiendo ad dictum diem Franciſco ſecundo Rege Chriſtianiſſimo & orthodoxo: idque duce Beza, Caluino authore, Otthomano ſubſignatore, Spiphario ſuaſore, omnibus Gallię prędonibus & laniſtis conſcijs. Atque tales extitêre Germani illi, qui ſub Bullionenſi duce in interiorem Galliam hoſtili apparatu contra Valeſium penetrarunt, ad numerum ferme quadraginta millium. Interim tamen Deus rebus afflictis ſuæ Eccleſiæ prouidens, Chriſtianum Ionatham, ducem illum Guiſianum ſubmiſit: qui immanes illos barbaros cæde proſtrauit, & eorum cadaueribus à meditullio ferme Gallicani imperij, vſque ad Germaniæ fines, interiectos campos conſtrauit: effecitque vt non tre-

Athan. ep. ad ſolitar.
Rainol. lib. idol.
D. Ambroſ. ep. 32.
Seuer. l. 7.
Socrat. l. 6. hiſt. cap. 7.
Liberat. in breu.
Hæretici ſe adiungit infidelibus contra orthodoxos.
Ruffin. l. 4. cap. 10.
Theod. l. 4. cap. 20.
Hæretici crudeles.
Athan. ep. ad ſolitar.
Lutherus tom. 7. pag. 270.
Hæretici rebelles.
Genebrard. Chron. an. Dom. 1562.

pida fuga, sed corporum iacentium proceritate, itinera omnia emetirentur. Domesticas alias & viciniores concertationes omitto, cruentas sane & nimium crudeles. Atque dum hæc literis mandantur: Germanorum agmina, quasi tredecim millium numerũ explentia, ruunt iterum in Belgiæ partes inferiores, vti rebellibus & peruicacibus Hollandis atque Phrisijs contra legitimos optimosque principes suppetias ferrent: sed more suo illa corporum onera breui cecidêre aut defluxêre. Vsque adeo hæresis quietem nescit & pacem: nata omnino ad odia, inimicitias, flammas, & regnorum deuastationes.

Hæresis sua natura factioni dedita.

Imo hęretici tale est ingenium, vt si nullus in orbe terrarum inueniretur orthodoxus, quocum pugnaret: adhuc à tumultibus minime cessaret. Exorta etenim hęresis paulatim in multa capita se diffundit: quæ enata ex sola libidine concertandi, mutuis pugnis inuicem appetunt: tandem post longam & acrem digladiationem, absumptis viribus, hęreses omnes corruunt & labuntur. Quod de Donatistis ita asseruit D. Augustinus: *Iam multa frusta de isto frusto per totam Africam facta sunt: sic necesse est vt minutatim secti conscißique dispereant; qui tumorem animositatis suæ, catholicæ pacis vinculo sanctißimo prætulerunt.* Atque hoc commune quidem est omnium hęreticorum incendium: quod proprijs manibus sibi ipsis pararunt, & quo à principio hucusque omnes hęreses deflagrarunt: vti ne vestigia quidem, sed solum tenuem quandam ex fama sui memoriam posteris reliquerint. Antiquis illis erronibus tale exitium contigisse narrat Clemens Alexandrinus: *Se itaque inuicem despiciunt, & irrident, & accidit vt eadem intelligentia ab alijs quidem in maximo honore habeatur, ab alijs autem damnetur amentiæ.* Hic idem casus & ruina sectariorum quoque horum capitibus imminent: quis enim non animaduertit Lutheri Caluinique sectas in dies magis languescere, spernì à doctis, conculcari à probis? Intestinis namque bellis interiora sua aperuerunt, cadauera sepulta, pulchrisque contecta monumentis, emiserunt in lucem; propriam turpitudinem reuelarunt: quam orthodoxi videmus, execramur. Cęterum vero si catholica & Romana fides, diuina virtute in hac grauissima concussione suffulta non fuisset: pari lapsu cecidisset. Ea tamen hodierna die imminuta, de omnium hęresum scelere, & errore luce doctrinæ suæ, atque morum candore victoriam reportat, & triumphum agit.

August. l. 1. cont. ep. parm.

Clem. Alex 7. strom.

Dogma hæretici infestum charitati.

Nunc autem venio ad dogmatis ipsorum rationem: quam à dilectione & charitate mirum in modum dissidere experimur. Internum quoddam intelligentiæ & perspicacitatis lumen nullus est illorum qui sibi non arroget: cuius radio se fatentur mysteria omnia, reconditos

ditos abstrusosque sacrosanctæ literæ sensus dilucide explicateque contemplari: ita vt nullius voce seu externo adminiculo ad veritatis intuitum indigeant. Istius quidem lucis assertionem illis omnino vitio non damus orthodoxi: habitum etenim fidei in animam diuinitus infusum, lucem nominamus, & virtutem internam dicimus, collustrantem corroborantemque mentem ad ea intelligenda, quæ humani captus vim quam longissime excedunt. Cęterum phanatismo suo dementati sectarij vlterius progrediuntur: reijciunt etenim omnem externam regulam, & normam sententiæ Ecclesiasticæ, qua interna facultas animi recta ad veritatem dirigatur: proinde opinionibus priuatis vniuersa metiuntur, vnicum spiritum iudicem omnium constituunt: qui quidem cum varius sit & multiplex pro capitum numero, (vti nostro prouerbio dici solet) tanquam feles & canes inter se cohęrent & concordant. Hæc quidem vesania & ementiti spiritus arrogantia, Arianos in Eunominianos, mox in Macedonianos, aliasque minutissimas sectas partiuit: ac pęne vti pulueres ad extremum dissipauit. Eadem Lutheranos & Caluinistas in tam varias subtilesque factiones dissecuit: vt numero & tenuitate discriminis sensum ferme & notionem omnem modo effugerint. Nemo autem est, qui clare non despiciat, quam hoc aduersum sit infestumque charitati & dilectioni. Fieri enim non potest, vti opinionum varietates istæ ac discrepantes rationes odia, inimicitias, bella non pariant: hoc ratio suadet, ipsaque experientia luctuosis casibus testatum reliquit: confligentibus autem illis, nullus prorsus superest modus deponendi arma semel dissidio exerta, & hostili odio in aduersarium vibrata: etenim nullius tribunal reuerentur isti, nullius censuræ quicquam deferunt authoritatis. Quod si inter hos acriter pugnantes, ac mutuo aures crinesque vellicantes, sacrarum scripturarum volumen quis conijciat, cuius momento controuersia & lis dirimantur: is nihil sane ad pacem apud illos præstabit: de ipsis namque scripturis earumque vera sententia omnis exorta est digladiatio. Vi, dolo, & arte vnusquisque ad se rapit paginam, qua causam suam tueatur: alius illam etiam dilacerat, & canone consignato textum violenter expungit: sed eiusdem quoque spiritus vertigine: ad turbulentiam adacti neq; in ciuilibus moderati pacatique reperiuntur, aut fraternæ quietis amatores. Principum namque edicta suo etiam spiritu expendunt: quæ si viderint deflecti parum ab ipsorum sensu, statim legislatorem tyrannum, impium, Antichristum clamitant; concionibus ipsorum insonantibus, tanquam strepentibus classicis ad arma concurritur à plebe,

cædes fiunt passim & incendia. Cum etiam doceant magistratuum statuta nullius conscientiam constringere, proni sunt inde ad rebellionem & defectionem: vt dominorum imperia diffugiant, turbasque concitent. Denique quod in hac re caput est, & in quo tanquam in arce causam suam collocarunt, ipsorum dogma est iustificationis, cum dilectione & charitate quasi ex diametro depugnans. Quis etenim magnopere curabit mutuæ charitatis violationem: cum sibi persuaserit, hanc posse existere sine dispendio iustitiæ, aut infernalis pænæ detrimento? cætera damna quæcunque neminem credo magnopere morabuntur. At qui iam credidit se esse iustum, fidemque diuinis promissis in scriptura complexis adhibuit: imo vel cuius parens id præstiterit, is impune odio flagrare poterit in fratrem, contumelia & pugnis ipsum impetere, illæsa fide. Non enim necesse est, vt vindictæ appetentior, dum fratri irascitur, abneget fidem scripturarum: & amplius credere renuat Christum mortuum ad expianda mundi peccata. Perturbatio namque, quæ solicitat ad vindictam, necessario coniuncta non est cum infidelitate in mente: hæc enim ex diuersis motiuis omnino proficiscuntur. Permanet idcirco sectariorum iudicio ex fide iustitia: interim animus cupiditate inferendę iniuriæ, aut rependendæ vltionis inflammetur. Quod si verum agnoscatur, nihil homines Caluinistas à cęde, & sanguine, à rapinis, & tumultibus sistere poterit aut retrahere.

Orthodoxorũ dogmata maxime faciunt ad charitatẽ.

Orthodoxorum autem placitis omnes causæ istę pugnarum & iniuriarum amputantur. Et quod ad fidei rationem attinet, licet huius vnicuique, secundum mensuram diuinissimi illius spiritus, concessa sit donatio: eiusdem tamen communem omnes regulam habemus ac magistram, Christi nimirum sponsam, nostramq; matrem, Ecclesiam Catholicam. Quæ non efficit quidem ipsa diuina reuelata, aut eorum veritatem, (vt inepte nobis imponunt sectarij) sed ea solum proponit credenda, quæ diuina existunt, non falsa aut fictitia. Ex cuius regulæ vnitate ac veracitate fit, vti in omnibus mundi partibus penes nos eadem fides vigeat; illaque hodie à fidelibus suscipiatur, quam Apostoli, illorumque successores Episcopi ab origine Ecclesiæ, in hęc nostra tempora decurrentes, coluerunt. Proinde illis tumultibus caremus, qui ex opinionum varietate in rebus mysticis & sacris descendunt. Firma autem charitate radicati, (vt inquit Apostolus) optime suauiterque cohęremus. Nam vt ait Greg. Naz. *Nihil æque Germanos Dei cultores inter se conciliat, atque consentientes de Deo sententiæ: quemadmodum contra, nulla re facilius amicitiæ dissuuntur, quam diuersa huiusmodi in rebus animorum*

Ephes. 3. Colos. 2. Greg. Naz. orat. 2. de pace.

morum.

morū sententia. Principū statuta obseruamus, eorū iussa peragimus, ipso conscientiæ prescripto inducti, idque ad euitanda peccata, quibus ceteroquin animus fedaretur: quapropter illis legitima imperantibus, absque strepitu vllo aut inquietudine, obtemperamus. Porro rationem iustitiæ consequendæ expendentes, multum similiter charitati deferimus; sine qua definimus, nunquam acquiri posse sanctimoniam: atque vltimam ex parte nostri, dilectionem charitatis, ad iustitiam dispositionem appellamus: cum qua ita coniungatur, vti ne puncto quidem temporis ab ea diuellatur, aut seorsim existat. Statuimus preterea fratris odio hanc ipsam iustitiam expelli, omneque ius ad celestē hæreditatem intercidere. *Qui fratrem odit,* (inquit Euangelista) *manet in morte.* Hæc sunt, quæ nos firmissime continent in officio charitatis: inuidentiam, odium, inimicitiam, rancorem iræ procul à nobis abercent & repellunt. Hereticorum vero dogma proiectum est ad dissentiones, ad factiones, ad cædes, ad omnem denique immanitatem.

D. Thom. 1. 2. q. 113. art. 5.

Ioan. 2. & 3.

Timoribus fortitudine animæque constantia viriliter obsistendum.

CAPVT XIIII.



EA vis est incussi timoris, ex imminentis alicuius mali obiectu, vti illa repellatur sepius quantumuis institutus, decretusque voluntatis conatus ab eis etiam expetitis, quæ sui aut alterius causa in amorem nostrum & cupiditatem cadunt: nihilque aliud est, quam trepida quędam fuga voluntatis ab his rebus resilientis, quæ idoneæ existunt ad creandum nobis periculum aliquod, aut detrimentum: ita vt eiusdem obiectum, cuius intuitu excitatur, sit prȩsentaneum malum, quod iam proxime adest, quodque in conspectum ferme deuenit. Hæc autem perturbatio ita cum amore omnem appetitus energiam & potestatem obtinet, vti (authore D. Augustino) nullius sit istius motus, siue in bonum, siue in malum, quem timor vel amor non efficiat: *Omnia peccata duæ res faciunt in homine, cupiditas & timor.* Similiter probi quoque cuiuslibet suscepti initia causęque existunt. *Itaque fratres mei, ad omne recte factum amor & timor ducunt. Vt facias bene, amas Deum, & times Deum: Vt autem facias male, amas mundum, & times mundum.*

Timor quid

Vis timoris

D. August. psal. 19.

mundum. Quas duas humanarum molitionum origines recenseri & adumbrari arbitratur Augustinus illis verbis Psalmi : *Incensa igne & suffossa. Ideo peccata mali amoris igne succensa sunt: peccata mali timoris effossa sunt.* Quam quidem factorũ nostrorum partitionem rite expendit Alexander Halensis. Oritur timor iste, quem Damascenus animæ sistolen seu contractionem vocat, ex amore : inde enim quod nos ipsos aliosve fauore prosequimur, nostra & aliorum mala refugimus. *Nulli dubium est,* (inquit Augustinus) *non aliam metuendi esse causam, nisi ne id quod amamus, aut adeptum amittamus, aut ne adipiscamur speratum.* Atque sicut amor effundit affectum in ipsam rem dilectam; ita è contrario timor appetitum coërcet, restringit, retrahit, & impetum sistit prosequutionis. Quemadmodum enim saburra cursum nauis firmat, retinetque à fluitatione : ita timor efficit, ne amoris vis se nimium efferat, aut ne inaniter lasciuiat : multis enim abstinemus, si ea nobis timorem ingerant. Ita tamen pedissequa amoris existit timor; vti is pluribus semper obnoxius sit timoribus, cuius appetitum amor ad plura defert ac destinat. Prẹterquam etiam quod ab amore ortum trahat timor: etiam ab ingenio quoque æstimatione & iudicio alicuius ducitur plurimum. Qui enim ex animi quadam impotentia suspicantur cuiusuis mali occursu se facile superari posse, hi meticulosi euadunt, & in quolibet aggrediendo trepidi & cunctabundi: Sicut ex aduerso animi magnitudo despectusque infortunij timiditatem expellunt, consiliorumque firmitatem & constantiam pariunt. Cuius discrepantiæ rationes vel maxime pendent è corporum structura & constitutione; veluti de aliarum perturbationum naturis à nobis est disputatum. Constat autem abundantiam frigoris & exundantiam humoris plurimum facere ad timorem: propterea senes iuuenibus, feminæ hominibus timidiores reperiuntur.

Psal. 39.

Halens. 3. part. q. 175. m 1.

Damasc. 4. orth. cap. 5.

Timor ex amore.

August. 83. quæst. q. 33

Causæ timoris.

August. 2. Rethor.

Istac vero agitatione appetitus, rationis vsum vehementer perturbari, ipsiusque virtutis conatum reprimi & retardari, nullus est qui ignoret. Non enim alia de causa olim acies militaris horrendam quandam speciem & figuram institutam ad omnem immanitatis ostentationem, hostium oculis obiectabat; nisi vti ex illo aspectu timorem aduersarij haurirent, omnisque neruus fortitudinis in illorum animis insidens, languesceret decideretque. Hoc spectabant apud Romanos cristatẹ galeæ, Septentrionalium ferocium animalium exuuiæ, Afrorum clangentia vasa, Gallorum, Germanorum, & Hispanorum excitati clamores, armorumque fragores, Britannorum vultus ceruleo herbarum succo intincti: *Terribilis vt castrorum acies ordinata.*

Timor virtuti repugnans.

Cant. 6.

nata. Quibus territamentis arte comparatis, sensus interdum hebescunt, intuentium artus tremunt, & gelidus coit circum pręcordia sanguis. Dum enim ora illa Medusæ, Palladis clypeo insculpta, olim contemplarentur homines, tam animi quam corporis viriles actiones amiserũt, vti in saxa transformari videbantur. Sic timor animum perstringens, illum cohibet ab omni recto proboque munere virtutis; neque sinit mentem veritatis formam intueri. *Occidet ipsis sol* (inquit Propheta) *in meridie, & obtenebratur dies.* Quem locum sic elucidat D. Chrysostomus: *Hoc autem dicebat, non quod planeta absconderetur; neque quod dies euanesceret, sed quod mœrentes, neque in meridie propter doloris caliginem, lucem cernere possint.* Nec solum animorum consilia inuertit motus iste, verum etiam corpus vario impellit. Discurrentem enim per extima sanguinem, ad tutandam vitam, retrahit ad regiam ipsius cordis: & vt scribit Galenus, acrem bilem traijcit ad imum stomachi, qua interiora arroduntur. Interdum vero ita corpus agitat, vti hominem exanimet penitus extinguatque. Facilis autem negotij res haud iudicabitur, istam ex timore iniectam concitationem sedare: cum truces istæ species & formæ calamitatum aut damni grauioris in imaginationem incurrerint, animi propositum fixum firmunque seruare, in medijs malis artuum trepidationem abijcere, atque in tenebris procellarum veritatem ipsam luce intelligentiæ inuestigare; in hac sane conflictatione viro aliquo opus erit, rege, & Herculis opere. *Rex est qui posuit metus,*

Et diri mala pectoris.

Rex est, qui metuit nihil.

Amos 8

Chrysost. homil. 2. ad pop.

Effectus timoris in corpore.

Galen l. 3. demonst.

Senec. in Theyst.

Verum sapienti rationum momenta non desunt, quæ si eius menti occursent, timorem, anxietatem, trepidationemque profligabunt. Firmabunt etenim eius animum, ne à proposito virtutis desistat, quocunque demum terrore occupatus fuerit: ad quod quidem prę standum multum omnino efficit ea cogitatio, qua nobiscum serio reputamus inani & inutili timore, quem semel admisimus, tanquam malo quodam proprijs nostris manibus adscito, nos miserrime sollicitari, inuri; nihilque ita in nos seuire, aut truculentiam exercere, ac nos ipsos sponte perturbationi huic cedentes: dum acerbitates diras & tormenta metu quodam muliebri sensibus ipsi admouemus. Neque ita plerunque infortunij perpessione lędimur, vti cogitatis nostris, & illa animi dimissione, qua malis abiectè succumbimus. Vt enim inquit D. Gregorius Nazianzenus: *Nam quod quisque pati extimescit, id passus est, etiamsi non patiatur; grauiusq; à se fortasse, quam ab his, qui supplic-*

Timor nocet timẽti, nec prodest.

Greg. Naz. orat. 2. cont. Iul.

Cardan. l. 5 *supplicium inferunt, torquetur.* Scribit Cardanus hominem quendam Venetum à Turcis captum, vespere culeo insutum, vt dilucescente die in mare proijceretur, adeo fuisse imminentis mortis exterritum metu: vti vnius noctis spacio omnes eius pili incanuerint. Credendum huiusmodi miserum, mille quidem mortes timida vnius expectatione sibi intulisse, & cogitationum suarum ęstu, maris plusquam fluctibus, adhuc in naui absorptũ fuisse. D. Chrysostomus eleganter admodum Eutropij vehementius supplicij capitalis metu exterriti, atque ad altare, vtpote ad asylũ profugi, perplexos sensus, & acerbos animi cruciatus describit, istiusque perturbationis aculeos ob oculos ponit dilucide: *Nuper missi ad eum à rege, qui vel per vim hominem petraherent, cum ad sacraria confugisset: buxo pallidior factus, nunc quoque nihilo meliorem quam mortui colorem obtinet. Accedit dentium arietatio, tremor totius corporis, vox singultiens, & lingua titubans: in summa talis habitus, qualem oportet habere animam, quæ iam metu obriguisset.*

Chrysost. homil. de Eutrop.

Quod si ad præstantiam dignitatemque generosæ fortitudinis cogitationem conferamus: tantæ virtutis inspectum decus, hominem timore torpentem, & animo consternatum excitabit. Nam si istius decoris possessio, quid pręstantissimum haud esset, neque valde expetendum, nequaquam elati & superbi, qui cęteris (vt testatur Philosophus) timidiores existunt, periculis sese obijcerent, eo solum fine inducti, quo fortitudinis existimationem sibi acquirant, eorumque numero celebrentur, qui humanos casus minime reformidarunt. Quid obsecro pręclarius quam animulam hanc, lubrica fragilique inclusam carne, cęlorum fulminibus aut terræ tragœdijs superiorem exhibere? Nihil illustrius sane, quam vt concursantibus vndique malis, homo interim tanquam turris vento imperitus, aut scopulus marinis diuerberatus fluctibus, firmus & immobilis persistat. Qualem in omnium oculis illustrem sese extulit diuinus Apostolus Paulus: *In omnibus tribulationes patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; persequutionem patimur, sed non derelinquimur.* Quemadmodum enim succisis fibris, totius arboris moles collabascit: ita si incussus timor animo fortitudinem expulerit; humanorum consiliorum ratio, varijs subiecta casibus, perpetuo motu vacillabit: neque vnquam recta ad virtutis metam incedet, sed (vt inquit Sapiens) *Sicut ornatus arenosus in pariete limpido, & sicut paleæ in excelsis, & cementa sine impensa posita, contra faciem venti non permanebunt: sic & cor timidum in cogitatione stulti contra impetum timoris non resistet.* Istius autem virtutis laus eo clarior, quo eiusdem studia & molitiones maioribus

Tymor despicabilis & fortitudo gloriosa.

2. Cor. 3.

Eccli. 22.

Fortitudo difficilis, ideoque præclara.

bus obnoxiæ sunt difficultatibus. At nihil enerue vel elumbe apparet in hac animæ firmitate & constantia; cum aduersa in nos impetum fecerint; sed potius maxima difficultate ardua & spissa opera nobis incumbunt. Vt enim scribit Aristoteles: *Difficilius est res molestas toleranter pati, quam à iucundis abstinere.* Bruta siquidem animantia, quæ solo appetitu sensitiuo ducuntur, suas relinquunt illecebras, cum nociuum aliquod, veluti flagellum, aut baculus, illis imminere ceperint. Institutum idcirco fortitudinis, quod in superandis malis versatur, inter cętera, pręcipue opus est rationis: quandoquidē ita sensibus repugnet. Tametsi autē virtutis finis, in quem vir fortis intendit, sit longe iucundissimus: nihilominus adiuncta mala, pręsertim quę corpori adueniunt, iucundi sensum nobis pene adimunt: eaq; de causa vis rationis in hac virtute vel maxime spectanda. *Veruntamen* (inquit Arist.) *fortitudinis finis possit videri iucundus: sed alijs rebus, quæ circunstant obscurari ac ferme deleri videtur, cuiusmodi quiddam in ludis gymnicis accidit.* Neque genere aliquo mali perferendi definitur fortitudo, sed vniuersim mala omnia virtutis causa toleranda complectitur. Quocirca qui ne alieno gladio pereant, mortem sibi ipsis inferunt: hi remissi sunt, abiecti, & timidi: expectatione etenim futuri mali se victos oppressosque fatentur; in quam sententiam ita Aristoteles: *Sibi autem ipsi mortem consciscere, fugientem vel paupertatem, vel amorem, vel ægritudinem aliquam, non est viri fortis: sed ignaui potius: mollis enim animi est, res ærumnosas & laboriosas fugere.* Cęterum de fortitudinis constantia hęc cecinit Horatius: *Iustum & tenacem propositi virum,*

Arist. 3. eth. cap. 4.

Fortitudo opus est præcipue rationis.

Timidi qui seipsos occidunt.

Arist. 3. eth. cap. 9.

Non ciuium ardor praua iubentium:
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida, neque auster
Dux inquietæ turbidus Adriæ:
Nec fulminantes magna Iouis manus;
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Horat lib. 3 Od. 3.

Quod quidem animi robur, si pauore & trepidatione nobis excindi patiamur: nullus virtuti locus supererit: neque progressum faciet diu recta ratio in honestis institutis. Cum enim voluptas, sensuum iudicijs constituta, morum honestati aduersetur: inde euenit necessario, vti probitati operam nauantes, aliorum odia in sese concitent: quorum studia de integro ad iucunditatem & sensuum oblectamenta referuntur. Contrario enim cursu istorū conatus fiunt: proinde hostiliter inter se confligunt, certantque continenter de imperio.

Fortitudo reliquis virtutibus necessaria.

Hinc tot erumpunt & sæuiunt in bonos persequutionū procellæ: qui enim voluptati se semel deuouerunt aut quæstui, arbitrantur hi emolumenta ipsorum melioribus aliorum studijs impediri, vilipendi, & improbari, proinde maximo & acerrimo odio intensisque animis immanitatem omnem in eosdem exercent. At vero si in recte institutis firmamentum aliquod animorum ex fortitudine hominibus bonis non adesset, obuersante ante oculos mali alicuius specie, aut intentata clade & acerbitate aliorum iniurijs, officium ipsi statim desererent, & repudiarent omnino: idcirco ad tutandam virtuté, opus erit subsidio & vigore fortitudinis. Vt enim zizania triticū, paleę granum, spinę rosam comitantur, ita quos amor virtutis cepit, improborum odia perpetuo insequuntur. Admonet itaque D. Augustinus in hunc modum: *Tolera zizania, si triticum es, tolera paleam, si frumentum es, tolera pisces malos intra retia, si piscis bonus es.*

August. in psal. 14.

Quoniam vero fragilis natura nostra, lubricæ præsertim agnatæ carnis ratione, ad aspectum trucis alicuius fortunæ subeundæ tremit & pauore consternitur: ea propter inter cæteras, hæc virtus fortitudinis omnem suam spem positam habet in diuina benignitate. Et quemadmodum nauta furenti mare, tristi & nubiloso cælo, altæ noctis tempore, superius stellam habet nauigationis suæ ductricem: ita vir fortis seuitia fortunæ impetitus, ab omni salutis humanæ portu seuulsus, in hac sua conflictatione panopliam & munimentum animæ de supernis exspectat. Et vt anchora, cum inflexum scopuli sinum vnco arripuerit, vel altius in arenam penetrauerit, quantumlibet irato & intumescente mare, firmum tenet nauigium: sic qui se animi confidentia Deo adiunxerit, illiusque virtuti sua studia commiserit: interim truculenti persequutores debacchentur vndique, minas horrore plenas spirent & ingeminent, carnificinæ instrumenta expediant: ne latum quidem vnguem his omnibus ab officio dimouebitur. *Turris fortißima nomen Domini, ad ipsum currit iustus, & exaltabitur. Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas vt aquilæ, current & non laborabunt, deambulabunt & non deficient.* Ad quod quidem præstandum, multum conducit fides Christiana, cum animam semel informarit: illamque secum in mentem alicui cogitationem detulerit; qua pro explorato habetur, Deum nunquam passurum eam malorum congeriem in quempiam irruere, cui humana fragilitas non possit commode obsistere: *Fidelis autem Deus est, qui non patitur vos tentari super id quod potestis, sed facit etiam cum tentatione prouentum: vt poßitis sustinere*, dum enim homines intendunt in arcum cęlestem, quem iridem nominamus, firmam spem animis con-

Fortitudinis firmamentum in Deo.

Prouerb. 18
Prouerb. 40

1. Cor. 10.

concipiunt, nequaquam diluuionem iterata vice occursuram: ita cum Christum fides nobis ostenderit ad dexteram patris consedentem; ex eius intuitu confirmamur, atque nobiscum statuimus, non euenturum; vti malorum fluctibus aliquando obruamur. *Protegitur imperator scutatis*, (inquit August.) *& non timet: protegitur à mortalibus mortalis, & securus est, protegitur mortalis ab immortali, & timebit & trepidabit?* Imo hac spe certa in Deum imitamur optimos liberos: hi etenim cum à parentibus castigantur, ex summa quadam confidentia cadunt ad eorum genua vti leniant ipsorum iram: ita cum pœnas luimus ipsius Dei manu inflictas, nulla ratio sic nobis tuta & expedita ad effugium calamitatis, quam si ad Deum recurrentes, committamus nos eius clementiæ & bonitati. *Vt euadat* (inquit D. Augustinus) *hominem Dominum, quicunque seruus est, fugit in ea loca, vbi non est Dominus: vt euadas Deum, fuge ad Dominum* & alibi: *Impius eras, & mortuus est pro te, iustificatus es, & deseret? qui iustificat impium, relinquet pium?*

August. in Psal. 30.

Mala euitãtur, si ad Deũ festinemus, à quo incutiuntur nobis

August. in Psal. 66.

Ad firmandum etiam animum in aduersis, multum proderit inspectio illorum, qui durissima experti, interim se inuictos in aduersis præbuerunt: Sic enim tam præclaræ virtutis amor animos nostros capiet; videbimusque pariter ad nostram institutionem, quibusnam ipsi freti auxiliis constantes & immobiles permanserunt. Veluti eximius comprimis splendor & iubar in omnium oculis effulget Sanctissimus Iob: qui etiam dum in sterquilinio sederet, locum illum inuicto animi robore illustriorem fecit ipsa sphæra, quæ solem lucifluũ in orbem circumagit. Neque enim iste extimuit omnem vel satanæ rabiem, aut iniquissimæ fortunę vim ipsi intentatã: vel animo concidit ad aspectũ ardentis teli, iam-iam in eius pectus torquendi. De quo D. Chrysostomus, introducens Deum, satanam istis compellantem, sic loquitur: *Transfuga, de te magnifice sentis, quod Adam deceptum, mulieremque assentationibus pellectam, ex paradiso eieceris: en tibi hominem, qui sine rebus scripturæ vixit, an non scriptam naturæ legem mente & animo seruauit? profer sexcentos dolos, mille assentationes, mille tormenta adhibe, si optimum hunc beatumque animum amouere possis. Ecce tu primum hominem ex paradiso expulisti, vide nunc, si possis ne etiam ex sterquilinio pugilem supplantare.* Et post: *Quos habuit gladios diabolus orbis tyrannus, eos mouit, igne, ensibus, vallo, captiuitate, sanguine, hæc tetendit omnia, & athletam fortiorem reddidit*: Quid cõmemorem Apostolum Paulum, ad omnia mala animo & pectore imperterritũ? qui (vt ipse loquitur) tametsi vas testaceum, ingens illud redemptionis pretium continens, per orbis oras circumferret: quacunque tamen duritie ad ipsum violentius appellente, frangi aut comminui non potuit.

Inspicienda exẽpla eorũ qui fortiter se gesserunt vt mala moderate perferamus

Iob fortitudo illustris.

Chrysost. homil. de Iob.

Pauli fortitudo.

1. Cor. 4.

Act. 9.

tuit. Si quidem carnis conditionem ſpectantes, vas omnino teſtaceũ apparebit, quod ferrea aduerſitatis virga facile in pulueres conteratur. Poſtquam vero hoc vas fragile & lubricum in ardentem charitatis fornacem iniectum fuerat, adeo firmum ſolidumque euaſit: vti nullis plane tunſionibus ceſſerit, aut perſecutorum armis. Ad tribunalia raptatus Apoſtolus, patria fugatus, virgis conſciſus, lapidibus impetitus, vinculis conſtrictus, imo neque capite plexus liquorem illum cœleſtis roris amiſit, aut paſſus eſt diſſipari: ſed vaſe hoc ſemper illæſo atque integro theſauros ſuos ſeruauit: quin etiam ad omnia ſe paratum potentemque dixit, & ipſis afflictionibus maiores ſe vires firmioreſque comparare adſerere haud dubitauit. Iſtiuſmodi virtute ex alto induti conſtantiſſimi fidei Chriſtianæ aſſertores, quos primitiua habuit ac coluit Eccleſia, nulla animis tormenta reformidarunt: non quidem debiles ſenes, non fragiles puellæ, non teneri infantes turpi aliquo diſceſſu, aut defectione timida, quælibet aduerſa ſubterfugere voluerunt: quin potius illa expularum loco expetentes, huiuſce torrentis etiam lapides iucundiſſimos perſenſerunt. Hoc ſatis bene inter cæteros fidei hoſtes nouit, & expertus eſt Arius quidam in Aſia præfectus: cuius meminit Tertullianus: ad quem in orthodoxos deſeuientem, piorum agmina turmatim confluxêre; vti eius gladio martyrij palmam conſequerentur: quorum conſtantiam demiratus dixit: *Si mori velitis, domi reſtes habetis & præcipitia.* Plinius quoque de Chriſtianorum ſtatu, per epiſtolam certiorem faciens Traianum, inter alia ab ipſo petijt: quonam modo eſſent tractandi. Cui Traianus: hoc genus hominum inquirendum non eſt, oblati vero puniendi. Probe enim nouerat inquiſitione facta, omnes ad martyrium quantocius conuolaturos. Hinc Iulianus ſubdolus ille Apoſtata, (vt ſcripſit ſanctus Chryſoſtomus) capitali ſententia ob religionis crimen non animaduertendum putauit in quempiam Chriſtianorum: quod nempe hac vi impetiti, ad martyrium quaſi apes ad aluearium eſſent feſtinaturi. Hæc ipſa fortitudinis virtus in mulierum quoque animos dilapſa, illas cœteroquin fragiles firmauit omnino, ad verba & verbera intrepidas immobileſque effecit. Quales illæ extiterunt, de quibus hiſtoriam contexuit Ambroſius: quæ ne virginitatis florem violenta proſtitutione corruptum iri paterentur, complicatis manibus quaſi choreas pedibus plaudentes, lęto curſu ad pręcipitium cucurrere: indeque ſe dedere in aquas. Nihil attinet eas commemorare monumentis ſuis item illuſtres, quæ leonum vngues denteſque, taurorum cornua, beſtiarum truculentiam minime exhorruerunt aut reformidarunt.

Fortitudo martyrum.
Lucæ. 24.
Pſal. 35.
Tertul. ad Scap.
Plinius Apud Euſeb. lib. 3. hiſt. cap. 27
Chryſoſt. homil. de S. Iuuenc.
Mulierum fortitudo.
Ambroſ. lib. de virg.

Denique

Denique tot sunt, qui immanitatem odio & barbarie inuectam, vel arte excogitatam gloriosa inuictaque morte superarunt: vti iam martyrium, suo ipsorum confertissimis exemplis, rem facilem suauemque reddiderint. *Nemo* (inquit D. Cyprianus) *difficile, vel arduum putet esse martyrem fieri: quando videat martyrum populum non posse numerari.* Ex quibus vel maxime elucet Christi in suis virtus: qua mundi hęc infirma (vt loquitur Apostolus) fortia profligant, lana calibem atterit, & testa virgam ferream frangit. De qua re hæc Chrysostomus: *Reges terræ ac principes congestis thesauris ædes amplas admodum exædificant & apparant: videlicet muros, repagula, fores, custodes, & calathra seu vectes adijcientes: vt tuto thesaurus conseruetur. Christus autē fecit, quod cum hac consuetudine pugnat: nam non in lapideo, sed in testaceo vase thesaurū posuit: non enim thesaurus iste à vase conseruatur; quin potius thesaurus conseruat vas. Expono ego thesaurum: quis deinceps potest eum suppilare? venit diabolus, venit orbis terræ, innumeri venerunt, nec suffurati sunt thesaurum. Flagris conscisum est vas, ne sic quidem proditus est thesaurus: præceps vndis inuolutum est marinis, nec tamen naufragio perijt; mortuum denique est, thesauro incolumi.* Cęsar deuicto fugatoque Antonio, captiuitate Cleopatræ eius vxoris plurimum exoptauit triumphum suum Romæ nobilitari. Hæc autem quod morsu aspidis se prius extinxerat, spem Cęsaris fefellit. Curauit itaque Cęsar imaginem fieri Cleopatræ morientis, cum serpente pectore infixo: eamque triumpho suo seruauit. Ita plane illis euenit, qui morte in viros fortes & religiosos deseuierunt. Hos enim nec crudelissimi orbis tyranni in triumpho quasi captiuos aut subiugatos vnquam duxere: sed simulachra tantum ipsorum & viles corporum exuuias; cum Achille non Hectorem, sed Hectoris cadauer raptantes. *Sacerdos Dei,* (vt inquit D. Cyprianus) *Euangelium tenens, & Christi præcepta custodiens, occidi potest, vinci non potest.* De coniuratis Catilinæ, narrat Salustius, quod eadem loca, quæ viuentes pugnantesque occuparant, nihil hosti cedentes; stratis etiam morte cadaueribus cooperuerint. Ita Christi martyres inuasi à tyrannide, haud resilierunt, pedemque retulerunt: sed quam veritatem spirantes asseruerunt verbo, eandem sanguine testati sunt. Infinitum sane esset eorum omnium catalogum retexere, qui intrepidis animis virtutis causa occubuerunt. Quos si in memoriam reuocemus, pudor sane nobis inijcietur: quod tam meticulosi, tam molles simus ad omnem motum & leuioris auræ sibilum: quod ad vmbram tormenti alicuius exhorrescamus, & timore nobis artus rigescant. Aliquos tamen referam, Ecclesiastici nimirum ordinis pręsules, qui principum minacibus verbis, alijsque ipsorum iniurijs

Cyp. exhor. ad mart. cap. 11.

Dei virtus in fortitudine piorū.

1. Cor. 1.

Chrysost. in illud psal. astitit. regina.

Cass. lib. 40

Eurip. Troad.

Cyprianus ep. 55.

Salust. Coniurat.

iniurijs & violentijs veritatem professi, fortiter restiterunt, ipsamque fidem sceptris & diadematibus superiorem rerum exitu comprobarunt. Inter quos coriphęus & antesignanus emicuit D. Athanasius, Arianæ hęreseos profligator acerrimus: qui Constantium imperatorem hęreticum haud subueritus, illi se generose opposuit, & errori fauentem, Pharaonem, Doeg, Achab nominauit, addidit etiam Antichristum. Feruor iste & animi robur pectus muniuit Luciferi Calaritani, qui pari constantia Arianis aduersatus est proceribus. Quo in genere eminentissimus etiam fuit Hilarius Pictauiensis: cuius vim pectorisque firmitatem nec exilium, nec penuria, nec mors sæpius intentata vnquam perfregerunt; sed perpetuo ipse & currenti stylo vocisque sono Arianorum principum dogmata refutauit, imperatori ecclesiasticam authoritatem, quam sacrilegio sibi vendicarat, generose & animose negauit: cum Dauide vrsum & leonem à grege fugans suo. Venio nunc ad S. Chrysostomum, fulmen illud terrificum, si illos spectemus, qui in Ecclesiam inuaserunt: auream autem tubam & spiritus oraculum, cum ad eos cogitationem detulerimus, qui recta subacti excultique fide, vera libenter audire voluerunt. Siquidem antistis iste nunquam destitit pro concione inuehere in principum prophanos impurosque ludos, in comessationes luxusque. Ipsorum purpuræ aut sceptri splendor aciem oculorum eius non perstrinxerunt: imo neque Eudoxiam imperatricem delinquentem extimuit: quam, quod cuiusdam pauperis prædium iniustis rationibus rapuisset, excommunicationis dira perculit sententia. Cum vero impudens & sacrilega ei necem comminaretur: Quid? occlusitne os & siluit pręsul iste, vel culpam est deprecatus? Minime profecto: sed rostrum conscendens, linguam soluit, libere in feminam detonauit, & hisce verbis ingressum sibi fecit ad reliquum sermonis: *Rursum Herodias furit.* Sed optime nobis sua ipsemet referet pręlia Christianus Cæsar, verisque coloribus ea depinget. *Ante aliquot dies oppugnata est Ecclesia, venit militaris exercitus, ex ipsa oculorum acie ignis eiaculabatur: ne sic quidem oliua vlla emarcuit. Nudabantur enses, nemo proinde vulnus accepit. Regijs foribus in angore constitutis, Ecclesia in tuto collocata: & quidem defluxit hoc bellum. Qui enim hic confugerant, quærebantur. Astitimus, nihil veriti illorum furorem: ciebatur militaris indignatio igne vehementior: nos etiam tunc properabamus ad aulam imperialem, sed quid? Dei gratia illorum minæ nihil nobis terroris incusserunt. Hæc eo dixerim, vt vos quoque hanc imitemini constantiam. Qua autem ex causa nullo terrore sumus perculsi? quod nihil præsentium malorum timuerimus perpeti. Quid enim graue inuehit mors? nihil intolerabile adfert mors:*

Fortitudo Athanas.

D. Athan. Apoll. 2.

Lucif. de regibus Apost.

Fortitudo Hilarij.

Hylar Apol ad constant.

Chrysost. fortitudo.

Chrysost. homil. in illud psal. Astitit regina.

per

per eam enim ad tutũ portũ prouehimur & tranquillũ. Sed nec me peculio mulctabis: nudus egressus de ventre matris, hinc etiam nudus abibo. Sed in exilium extrudes me: Domini est terra, & plenitudo eius. Sed & aduersum me calumniæ concinnabuntur: gaudete & exultate quum dixerint omne malum aduersum vos, mentientes, quia merces vestra copiosa est in cælis. Enses cernebam, & cælum intenta mente cogitabam: spe bona præsumebam mortem, & tacitus resurrectionem meditabar. Videbam hic infra mihi paratas afflictiones, & supernæ ciuitatis præmia mecum enumerabam. Adornatas aduersum me insidias obseruabam, & mente tacita supernam cogitabam coronam. Et mox: *Vnum idque solum quod infert homini dedecus, atque contumeliam, peccatum. Si enim vniuersus orbis te male tractet contumelijs, modo ne fueris tibi contumeliosus, nulla afficiere iniuria aut dedecore. Caue prodas tuam conscientiam, & nemo te prodit.* Alias vero fortissimi istius viri, quas pertulit molestias vsque ad mortem, ipse luculenter describit epistolis ad Olympiadem & Ciriacum: dignæ sane sunt, quæ hominum animis, non chartis solum imprimantur, & perpetua celebrentur memoria posteritatis. Cui neque admodum dissimilis in simili causa extitit S. Ambrosius, Ecclesiæ Mediolanensis Præsul celeberrimus. Cum enim Ariani vi atque armis sibi quandam Ecclesiam in ciuitate, in qua synaxes agerent, contumaciter dari contenderent: imperatrice etiam illorum partibus fauente; forti admodum animo se illis opposuit, & quæcunque suæ vitæ pericula, animo ad veritatem adstruendam parato, vir fortissimus despexit. Ita de seipso scripsit pugil ac dux Ecclesiasticus: *Circumfusi milites, armorum crepitus, quibus vallata est Ecclesia, fidem non terret meam. Sed mentem exagitat, ne dum me tenetis, periculosum aliquid suboriatur vestræ saluti.* Ecclesiam itaque istis, quantunuis frementibus & furore obstrepentibus, concedere renuit. *Si Naboth* (inquit) *vineam suam non tradidit: nos trademus Ecclesiam Christi? si ille patrum hæreditatem non tradidit, ego traderem Christi hæreditatem? Sed & hæc addidi: absit, vt tradam hæreditatem, hoc est hæreditatem Dionysij, qui exilio fidei causa defunctus est: hæreditatem Eustorgij confessoris, hæreditatem Nicortis, atque omniũ retro Episcoporum fidelium.* Et alibi: *Imperatori respondi, si à me peteret quod meum esset; id est fundum meum, argentum meum, ius huiusmodi me non esse refragaturum: (quanquam omnia mea sunt etiam pauperum) verum ea, quæ diuina imperatoriæ potestati non esse subiecta. Si patrimonium petitur, inuadito: si corpus, occurram: vultis in vincula rapere, vultis in mortem? voluptatis est mihi: non ego me vallabo circumfusione populorum, nec altaria tenebo, vitam obsecrans, sed pro altaribus gratis immolabor.* Quid altius isto Episcopo? quid generosius? qui neque peccante ipso imperatore Theodosio, orientis recuperatore, à seueritate Ecclesiasticæ censuræ, gratiæ aliquid concedens, quid-

Chrysost. ep ad olimp.

Fortitudo Ambros.

Ambros. ep. 32.

Ambros. ep. ad Auxen.

Ambros. l. 5. ep. ep. 33.

quam deflexit: sed ipsum ob patratum crimen Ecclesiæ ingressu prohibuit, ad cilicium, ad ieiunia, ad publicā delicti manifestationē deduxit: atq; imperiale pectus saxo durius, pietate pœnitentiaq; emolliuit. Quoniam vero præsulum modo celebramus fortitudinem, ex Græcis accedat florentissimus Basilius, hac virtute admiraculum vsque munitus. Exagitatus quidem iste fuit quæstionibus cuiusdam Eusebij, Ariana fece coinquinati, qui artuum dissolutionem illi est comminatus, ni in eius sententiam maturo consilio descenderet: ita tamen seuiente barbaro Episcopus respondit: *Huiusmodi laniatio medicinam afferet hepati; magnopere (vt vides) me affligenti.* Cuius constantiam demiratus Eusebius, se in neminem hactenus incidisse dixit, qui ita auderet responsum illi referre: cui Basilius: *Neque fortasse in Episcopum incidisti. Nam cæteris quidem rebus à præsenti maiestate, & placidissimus, atque omnium abiectissimi: quemadmodum nobis lege præscriptum est, ac non dicam tantum aduersus imperatorem, sed ne aduersus plebeium quidem quenquam, & infimi ordinis hominem supercilia attollimus. Verum vbi Deus nobis periclitatur ac proponitur: tunc demum alia omnia pro nihilo putantes, ipsum solum intuemur. Ignis autem, & gladius, & bestiæ, & vngulæ carnem lacerantes, voluptati nobis ac delicijs potius sunt, quam terrori.* In cuius Encomion, Eusebium illum compellans, hæc cecinit Gregorius Nazianzenus:

Fortitudo Basilij.

Apud Greg. Naz. orat. in laudem Basil.

Greg. Naz. in Carm.

Præfectus es, ac cæteris quidem omnibus
Modeste: verum Basilio magno subes.
Præesse quamuis gestias, subes tamen.
Formica sane es, rugies licet vt leo.

Omitto innumera alia heroicæ fortitudinis monumenta, posteritati commendata, vtpote Mucios, Sceuolas, Horatios, quorum gloria omnium oculis obuersatur. Atque inter cæteros, generoso plane animo Zenon fuit, (hoc referente Amiano Marcellino) qui vt falsum testaretur diutius quæstioni subiectus, auulsam sedibus linguam, cum cruento sputamine, in oculos interrogantis regis Cypri impegit.

Marcel. lib. 14. Chron.

Cæterum si nobiscum perpendamus, quam infame & dedecorosum sit, ex timore imminentis mali resilire à veritatis contestatione, aliorum iniurijs cedere, se suosque prodere, succisis animi neruis concidere, fedos errores profiteri: magnopere reuocabit nos talis cogitatio à timida fuga, turpique hoc discessu. Nam vt inquit Aristoteles: *Fuga ciuibus turpis, & mors tali salute obtabilior est.* Hinc apud veteres, nihil tam dedecorosum, quam mortis metu arma proijcere. Ideo cum quidam etiam victor, scutum in pugna amisisset; à Cæsare tamen facti veniam petijt. Et Epaminondæ morienti eadem de causa, scutum

Turpe à fortitudine deficere.

Arist. 3. Eth. cap. 8.

Cæsar. lib. 1 de bello ciuil. Dio l. 15

ſcutum ipſius curæ fuit. Atque huiuſmodi fertur mulieres Lacedemonas in profectione filiorum ad bellum, illis conſilium dediſſe: Η σὺν τούτῳ ἢ ἐπὶ τούτῳ. Quo monebant, vt ſcutum referrent viui, aut ſuper illud deterrerentur mortui. *Turpia enim & flagitioſa* (vt dicit Ariſtoteles) *ſunt facta omnia, quæ oriuntur ab ignauia.* Idcirco Cabrias Atheni-enſis elegit potius armatus inſilire in mare, atque ſic mortem oppetere, quam abiectis armis nando ad tutum peruadere. In primis enim ſicut naturæ hominis maxime repugnat in falſum aliquod opinione mentis concedere: ita illud voce teſtari, cuius oppoſitum animus tanquam veritus deſignauit, prorſus horret & execratur. Denique hominis naturæ indita eſt quædam cupiditas excellentiæ atque dignitatis: aduerſatur idcirco multum eidem in aliorum gratiam aliquid fingere: vel ſe alijs dimittere. Merito itaque hoc timoris vitium ſemper infame extitit, dedecoroſum, atque pœnis dignum. Cum Regiū obſidione cingerent Mamertini, occiſis cęteris in ciuitate, trecentum ſolummodo homines ſe dant hoſti: Romam autem poſtea adeuntes (vt narrat Polibius) virgis cęſi, capite plectuntur. Phyrrus Romanorum captiuos reſtituit: quos tamen ſenatus, vt infames damnauit, quod armati capti eſſent. Idem illis contigit, quos Hannibal dimiſerat ad Cannas: de quibus hęc fuit patrum ſententia: *Eos ciues non eſſe neceſſarios, qui armati capi potuiſſent*: Mox ex alia clade Romani milites ab Afris capti, nec quidē digni habiti fuere, qui redimerentur: ſed exilio (vt ſcribit Liuius) mulctati, & relegati in Ciciliā, ad iuramentū edendū adiguntur, ſe non prius in patriam reuerſuros, quā bellū omne ceſſaſſet in Italia. Plura autem, quæ circa abiectionē timoris dici poſſunt, poſtea inferemus diſputaturi de dolore & triſtitia perferendis.

Emil. Prob. in chab.

Ariſt 2. Rethor.

Emil. Prob. ſup.

Polib. lib. 1.

Eutrop. l. 2.

Liu. decad. 3.

Liu. ſup.

Timore quodam veluti freno, ex ſententia orthodoxorum coërcentur homines à criminibus & delictis: ſectarij vero, qui ſalubrem hunc timorem vaniſsima fiducia abiecerunt, iniquitati vitæque turpitudini ſubſidium contuliſſe iudicentur. CAPVT XV.

TImoris vniuerſam naturam Ariſtoteles viſus eſt hac difinitione recte comprehendiſſe; *Timor eſt perturbatio quædam ex imaginatione futuri mali, corruptiui, aut dolorem inferentis.* Qua autem ratione timor perturbatio eſt appetitus ſenſitiui, ſex eius ſpecies enumerantur

Ariſt. 2. Reth. cap. 3.

Timor quid.

Damasc. 2. orth fid. cap. 15. *timoris sex species.* *D. Thom. 1. 2. q. 62. art. 4.* *Scot in 3. s. d. 15. q. 1 & in 4. d. 4. q. 3.* *Timor in actus animæ elicitus*

merantur à Damasceno: Segnities qua labor abijcitur, erubescentia infamiam declinans ex opere aliquo patrato exortam: verecundia eandem notam, quæ à facto imposterum euenturo deriuatur, fugit: admiratio, quę ex opinione cuiuspiã ingentis mali emergit: stupor qui mẽtis est cõsternatio, ex inopinato grauioris casus aduentu; istis accedit agonia, cũ mens subitanea mali impressione corripitur. Conuenit quidem inter omnes, timoris naturam positam esse in fuga à malo: vtrum autem sit alicuius potentiæ vitalis expressus actus, an vero ab obiecto externo effectiue in animam inuectus, in deceptationem venit. Nam Ioannes Scotus timorem ideo vult passionem dici: quod nihil agente animæ facultate, in eam forinsecus excipiatur. Cæterum tamen communi sententia definitur, timorem cæterasque perturbationes actus esse à potentia vitali elicitos: de qua re multa disseruit Guilielmus

Ocham. in 3 s. q. 15.

Ochamus. Quod vero attinet ad nostrum institutũ, in præsentiarum non agimus de timore quatenus sensitiui appetitus affectione; sed ea solum ratione, qua fuga est voluntatis à futuro & imminenti malo: in qua acceptione constat timorem expressum esse actum voluntatis. Ad cuius naturam exacte indagandam, partitio illa triplicis amoris, tra-

Timor quotuplex.

dita à Theologis, est expendenda. Quem amorem si presse sumamus: vtpote quo humana voluntas in ipsum Deum se confert, aut ab eodẽ

D. Thom. 2. 2. q. 19. art. 2. Halens. 2 part. q. 165. Rich. in 3. d 34. q. 1. Durand. in 3. d. 34. q. 1. & 2. Ferrariẽ. 4. cõt gent. c. 22.

resilit, tres illius formæ & partes à D. Thoma cum reliquis recensentur. Est itaque timor mundanus, seruilis, filialis seu castus. Qui quidem triplex timor ex triplici amore dimanat. Timor quidem mundanus, ex odio detrimenti temporalis exortus, discessum quendam facit à Deo, cuius initium & proxago peruersus existit amor commodi fluxi vanique, quod ipsi Deo delectu & animi proposito summo quodam scelere præponitur. Ad Deum vero conuertimur alio duplici timore, seruili videlicet & casto. Timor namque seruilis refugit à delicto, quòd inde periculum creetur sensitiui alicuius nocumenti: interim alias circa peccatum voluntas male afficiatur. Timor castus recedit à culpa, sed quatenus hæc amicitiæ cum Deo aduersatur: atque ex amore iustitiæ proficiscitur, quo filij Dei sumus & nominamur. Controuersia vero, quæ inter nos & sectarios agitatur, suscepta est de illo timore, qui seruilis dicitur: illis asserentibus hunc voluntatis humanę motum, seu affectum, malum esse, inutilem, infidum, nepharium: nobis autem reclamantibus, atque dicentibus, bene sancteque huiusmodi timore perculsum animum recedere à delicto, eoque veluti optima quadam dispositione præparari ad sanctimoniam, iustitiamque Christianam recipiendam.

Quod

Quod vt clarius constet, sciendum est timorem hunc seruilem reiectum à sectarijs, duo implicare: intrinsecum vnum & penitus insitum, extrinsecum alterum & adscititium. Qua in re constans est iudicium Theologorum: imprimis D. Thomæ: *Sed prædicta seruilitas non pertinet ad speciem timoris seruilis: sicut nec informitas ad speciem fidei informis.* Quacunque idcirco ex causa timor in se rationem suscipit seruilitatis, hæc illi forinsecus accedet: neque ad internam eius speciem spectabit. Quemadmodum fides appellatur informis, non quod hinc imminutum aliquid sit de natura specifica fidei, quæ prorsus eadem est ex sua forma in iusto ac delinquente: sicut & idem vtriusque obiectum, (prima nimirum veritas) quæ mediante propositione ecclesiastica, mysteria vera ac credenda testatur. Solum itaque informis nuncupatur ex charitatis absentia, quæ formam vltimamque manũ, id est vim meriti & apicem perfectionis, ad quem destinantur cæteræ virtutes, suo adfert accessu. Idem quoque de timore luculenter docuit Mediauillanus: *cum dico timorem, duo dico: scilicet ipsam essentiam timoris, qua timetur æterna pœna, & seruilitatem, quæ consistit in hoc, quod non timetur offensa.* Itaque seruilis euadit timor, non ex suis intrinsecis principijs, ex quibus constat: aut ex habitu, è quo emanat, sed ex defectu diuini amoris, qui quidem si adesset, odium culpæ procuraret, quatenus inde cum Deo statuitur inimicitia. Eandem ferme quoque rationem seruilitatis assignauit Durandus: *Ex quo patet, quod iste timor dicitur seruilis ab effectu: in quantum scilicet inclinet aliquem ad aliquid faciendum vel dimittendum: vnde seruilitas non intrat eius essentiam, sed est denominatio ab effectu.* Hęc minuta disquisitione exploranda iudicaui: vti cum res ipsa clarius elucesceret, tum hęreticorũ inscitia apertius proderetur ac reuinceretur.

Duo in timore seruili.

D. Thom. 2. 2. q. 19 art. 4 in 8. cap. ep. ad Rom.

Fides vnde informis.

Timor seruilis extrinsece.

Rich. in 3. d. 34. q. 1.

Durand in 3. d. 34. q. 4

Non tamen adeo facile erit cuilibet definire, quænam sit vera causa, ob quam timor, seu voluptatis illicitæ contemptio dicatur seruilis. D. Thom. ideo timorem seruilem asserit, quod non amore aliquo incitante, sed externo solum nocumento territante existat. Amor etenim, qui liberam molitionem pręstat, charitas est, aut alicuius alterius rei honestæ cupiditas: quibus is destituitur, qui seruili timore inductus, in aliquam actionem ingreditur. Ita est namque animo comparatus, vti nisi pęna facto esset decreta, illud omnino efficeret quod fugit, vel saltem illud non euitaret: *Quicunque autem ex amore aliquid facit, quasi ex seipso operatur: seruus est enim non qui causa sui operatur, sed quasi ab extrinseco motus.* Hęc tamen inquisitioni meæ non fecerunt satis. Nam si amor sufficiat ad excludendam seruilitatem, nullus timor censebitur seruilis: quandoquidem ex amore sui propagetur omnis.

D. Thom. art. 4.

Inquisitio vnde timor sit seruilis.

Qui enim se cohibet ab aliquo delicto, vti effugiat pænam inferni, is seipsum vel maxime diligit: hinc enim incitatur in odium eorum omnium, quæ ipsi nocumentum aliquid ingerant. Eiusdem etenim habitus est, commodum expetere, atque detrimentum oppositũ subterfugere. Qui ergo ex opinione penæ aliquid agit, is omnino operabitur ex se, idque liberrime: cum impellente amore sese moueat. Quod vero extrinsecum quid timorem alicui incutiat, vti insinuauit D. Thomas, non satis probatur exinde timoris impetum esse seruilem. Nam omnis plane timor, etiam in ipsis iustis, motiuum habet externum obiectum, nimirum penam: ex cuius extuitu animus in illis quoque perculsus facinus horret, alioquin factu iucundissimum: odio namque habent iusti crimina, quod penam consciscant. Constat tamen hunc timorem in iustis non esse seruilem, sed maxime liberum ac voluntarium. Proinde aliam huiusce inquisiti visus est D. Thom. rationem secum inijsse, quam istis verbis expressit: *Cum autem voluntas ordinetur in quod est vere bonum: quando siue per passionem, siue propter malum habitum, aut dispositionem, homo ab eo, quod est vere bonum, auertitur, seruiliter agit, in quantum à quodam extraneo inclinatur, si consideretur ordo naturalis voluntatis*. Hæc D. Thomæ disputatio originem seruilis amoris refert in dispositionem & affectionẽ voluntatis quidpiam refugientis: cuius hæc summa est: tametsi timor penę, aut peccati odium ad vitandam pęnam, actiones sint liberę atque spontaneę, nihilominus ab ipso pręstitæ, qui vera erga Deum charitate destituitur, seruiles euadunt. Qui quidem defectus charitatis facit, vt is qui hæc obit munera, ea non præstaret, si pæna aliqua non esset constituta: sed potius voluptatem contra rationis præscriptum ac Dei legem expeteret. Hęc tamẽ causa deducta à qualitate subiecti, ex qua timor seruilis nuncupetur, non videtur ita firma aut certa. Hoc etenim pacto dicam omnia malorum opera esse seruilia, etiam bona, cum charitate careant, ex qua sola libertas filiorum Dei constituitur. Illa porro dispositio subiecti, non videtur satis ad timorem seruilem: competit namque ipsis iustis, in quibus nihil seruilis inesse poterit. Nam eam sæpius etiam iustis, humani generis hostis lenocinij cogitationem inijcit, cuius vi omnino pellicerentur in nequitiam alicuius actionis: nisi illorum animis Deus inferni pænas obijceret. Nam ex eo statuit Deus has pænas in eorum mentes reuocare; quod probe sciat alioquin eos ita dispositos esse & comparatos, vt ni pæna aliqua illis esset interminata, concedere ipsi velint in labem aliquam impuræ voluptatis: illa itaque subiecti affectio nihil confert ad timoris seruilitatem. Proinde

D. Thom. 4. cont. gent. cap. 22.

neque

neque rem ipsam plene attigit Alphonsus à Castro, cum asserat: *Et hic timor Dei seruilis dicitur, quando timetur Deus propter solam eius potentiam.* Alij vero, vt Dominicus Bannes, & Greg. à Valentia ex parte ipsis obiecti timoris, rationem colligunt seruilitatis. Dicunt itaque timorem esse seruilem, quod refugiat ab aliquo facto, & consilio, ex motiuo pęnæ, tanquā maximi mali: cum tamen ipsa culpa sit malū multo grauius: cuius ostentu moueri potius deberent homines, vti velint abstinere malis aliquibus actionibus. Hęc tamē mihi minus vera videntur. Nam cuius animus timore seruili imbuitur, is secum non disputat, aut inquirit, quodnam grauius sit malum pęna aut culpa. Imo neque sententiam ferre poterit, quod pęna sit grauius malum, si modo fuerit fide collustratus; aut ratione aliqua institutus: fides enim docet cum in vniuersum grauissimum esse malum culpam: tum quoque in hoc tempore, atque in hac actione omnium malorum esse pessimum; idem quoque diiudicat ratio: non ergo timor seruilis versatur circa pęnam, tanquam circa maximū malum. Simili modo qui actione nepharia pręfert voluptatem virtuti, non iudicat voluptatem virtute antestare, vel hic, & nunc meliorem esse: huiusmodi enim iudiciū teterrimū & crassissimū errorē inuolueret. Imo delinquens ęstimabit ipsam virtutem vt pręstantissimū bonum, voluptatē autem vt minus bonū fatebitur: moueri tamen interim potest à voluptate, minori bono, si ad eam efficacius mentem aduertat, aut eius obiectu appetitus sensitiuus acrius vrgeatur. Ita qui ex timore seruili aliquid operatur, bene cognoscit grauissimum malum esse culpam, & minus malum pęnam: quod tamen intueatur mente intentius ipsam pęnam, eiusque specie appetitus eius magis exstimuletur, potius aliquid facit ad vitandam pęnam, tametsi minus malum, quam ad declinandum culpam, quam tamen omnium malorum agnoscit grauissimum. Vt autem hac in re quod mihi probabilius videtur, constituam; Theologos in hoc consentientes video, quod nimirum ex defectu charitatis oriatur timoris seruilitas. Iure etenim id seruile appellatur, quod violentia quadam alicui se mouenti & inclinanti in contrarium forinsecus extorquetur. Cęterum quando vitatur peccatum, vti pęnæ causa, à quopiam sic comparato, vt si non esset decreta pęna, vitium illud ab ipso eligeretur: huiusmodi contra habitualem quendam amorem, post criminis actum superstitem & in ipsius voluntate residentem, censebitur niti, & aliquid conari laborando. Sponte quidem operabitur, & cum libertate, quæ à necessitate actus distinguatur: veruntamen respectu ipsius amoris praui habitualis, culpæ deuitatio violentiam quandam subit,

Castro l. 4. cont. hær. verb. timor
Bam 2, 2. q. 19 ar. 4
Valent. ibid puncto. 3.

Timor seruilis ex defectu charitatis.

ſubit,& coactionem ſeruilem ex metu cruciatus. Neque hoc reperietur in ipſis iuſtis. Tametſi enim peccaturi eſſent,niſi illis pęna obijceretur: nihilominus carent illo prauo amore habituali, quo iniqui in creatura aliqua, vti in vltimo fine,conquieſcunt : eoq; euadunt ſerui cupiditatis. Cum autem charitate hæc praua cupiditas aufertur, ipſiuſque animæ ſeruilis ſtatus immutetur : timor qui iuſtificationi ſupereſt, amplius ſeruilis non exiſtit, ſed ea ſolum retinet, quæ ipſi ſunt intrinſeca & innata.

Cõcil. Trid. Seſſ 6. Can. 8. Iſtis vtcunque elucidatis, orthodoxi definitione Eccleſiaſtica inſtructi, timorem definiunt rem animæ eſſe ſalutarem,& ad iuſtitiam comparandam diſpoſitionẽ apprime idoneam. Oppoſitum vero ſen- *Marcion timorẽ pænæ dixit malum.* tientes, ita perculit Conciliũ Tridentinum: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores peiores facere, anathema ſit.* Quo qui- *Tertul. l. 4. cont. Marcion.* dem iudicio, cum antiquiores ſectarij, tum etiam neoterici profligantur. Marcion (vt ſcribit Tertullianus) nimia ſua pręfidentia fretus, *Luther. art 9 & in 2. cap. ad Galatas.* Deum timendem negauit ; quocirca ſuis omnia libera & ſoluta eſſe docuit. Idem in aliorum perniciem virus hęreſiarcha Lutherus euomuit;qui timorem gehennę cogitatione ſuſceptum,peccatum eſſe, hominesque peiores reddere & hypocritas affirmauit. Caluinus quoque omnia iuſtorum opera peccata eſſe ſtatuens, timorem hunc diſponentem ad ſanctitatem, peccati quoque turpitudine infamauit. Porro exiſtimauit rigida acerbaque hac mentis ex timore exulceratione, fidem, cuius obiectum diuina ſolum bonitas ſit, lancinari & perturbari. *Veret. apud Lindan. dialog. 2.* Vereti etiam error refertur, opinantis nullum pręter hunc timorem reis ſupereſſe infernum: quod memoriæ prodidit Lindanus. Quare vt hos omnes reuincamus,& hunc timoris motum bonum eſſe comprobemus, admonitos prius velim hęreticos, nos non approbare timoris ſeruilitatem, ſed ſolum timoris actum, cum eis quæ illi ſunt intrinſeca. Legitimum itaque dicimus, imo optimum animi motum,& quod maius eſt, Dei donum: quando ad cogitationem infernalis pænæ, eo perciti, delicijs malis & peccatis abſtinemus. Hoc quidem ſcriptura luculenter adſtruit, inprimis definiens timorem hunc iuſtitiam introducere, introductamque conſeruare : *Timor Do-* *Eccli. 1.* *mini* (inquit Eccleſiaſticus) *initium ſapientiæ*,& *timor Domini expellit peccatum*: quatenus nimirum nondum adepta iuſtitia pręparat animam ad contritionem, qua exterminatur penitus vitij macula. Huiuſmodi *Iſa. 26.* autem timor eſt ſeruilis, tametſi non ſub ea forma, qua ſeruilis hoc munus exerceat. *A timore tuo Domine* (inquit Iſaias) *concepimus, & parturiuimus:*

nimus spiritum. Hic autem spiritus, quem timor parit, spiritus est charitatis & adoptionis filiorum Dei, quo clamamus: *Abba pater.* Atque nisi incussus timor deuios hominum sensus ad tramitem sanctimoniæ reuocare posset, iniquis atrocissimas pęnas Deus haud vnquam comminaretur: *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suũ tetendit, & parauit illum.* Quorum etiam Baptista horrenda quadã increpation: Iudęorum nefarias mentes concussit; illis obijciens acerbos cruciatus diuinæ vindictæ, euaginatum Dei gladium, ipsiusque ardentia tela, nisi iniectus timor idoneus esset, qui præfractos illos & induratos contereret, præpararetque ad mollitiem cordis carnei, dulcedinemque spiritus filialis? *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Miror profecto, quomodo tam aperte scripturæ sententijs refragari audeant sectarij: cum videantur scripturis omnia deferre, & causæ ipsorum summam attribuere. At scripturas certe vel ignorant, vel Punica fraude eas pertractant: illis ex animi sententia non magis fauentes, quam Æsopi fabulis: hoc sane versute callideque eorum opera pręstare molitur Satanas. Quod si à nobis probari velint etiam scripturarum authoritate vtilem quoque esse timorem adsertis in libertatem iustitiæ: facillimum negotium orthodoxis imponent. Sic enim Deus suos alloquitur: *Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, si spreueritis leges meas, & iudicia mea contemseritis, vt non faciatis ea, quæ à me constituta sunt, & ad irritum perducatis pactum meum: ego quoque hæc faciam: vos visitabo velociter in egestate & ardore, quæ conficiat oculos vestros, & consummat animas vestras.* Quid terribilius ad horrorẽ incutiendum istis Dei vocibus? & alibi: *En propono in conspectu vestro hodie benedictionem & maledictionem, benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego hodie præcipio vobis: maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri.* Verum dicetis, hæc territamenta esse duræ & asperæ Synagogæ, eaque repugnare libertati Euangelicæ. Pręclari viri: hæc regeram in ora vestra. Quæram namque à vobis, vtrum tempore veteris testamenti, eadem fide in Christum adepti sint homines iustitiam, qua vos modo, necne? non credo vos absque fide in Christum, aut alia fide in ipsum, quantũ ad substantiam eius, dicturos illos consequutos iustitiã. Crediderunt itaque se iustos esse iustitia Christi, ac prędestinatos æque ac vos creditis. Timorem autem nunc repudiandum censetis, quod vnusquisque fidelium apud se certo statuere debet, se iustum esse, nec posse à iustitia excidere, sed ipsius nomen iam cęlestibus tabulis Dei manu illatũ. Quid? an non hoc ipsum credere debuerunt, qui Synagogam

Rom. 8
Psal. 7.
Luca 3.
Leuit. 26.
Deut. 11.
Sectarij timorem ad legem relegant imperite.

gogam ſequebantur? Si ergo ad vos timor non ſpectabit, neque ad illos quicquam pertinuit: ſi Dei voces terrore plenæ veſtras aures non percutiant, nec illorum attigerunt. In caſſum itaque Dei verba inſonuerunt hactenus, vaniſſime tetendit arcum, parauit arma, pęnaſque hominum oculis obiecit. Quæ ſi falſa ſint: ſicut illis veteribus timor proficuus extitit, ita & vobis erit percommodus. Hic iam requiro acumen veſtrum. Sed quid in retuſo plumbo aciem quęro? Demum vti omnem excuſationem iſtis adimamus, Chriſtus Dominus ſuis timorem, ſicut animi firmamentum ſingulare, propoſuit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam.*

Pſal. 7.

Matth. 10.

Sed acrius adhuc inſtabo, arctius preſſiuſque hæreticum conſtringam. Principio autem ſatis demirari nequeo præpoſteras iſtorum hominum rationes. Vſu etenim rerum & frequenti experientia orbi innotuit, ad aſpectum alicuius terrenæ calamitatis, vel periculi temporalis occurſum, Lutheranos & Caluiniſtas ipſis leporibus eſſe timidiores: hi tamen cęleſtis Numinis imperio tantęque maieſtatis intuitu nullo quidem pacto concutiuntur. In acie timore oppreſſi, ſi ad virium ęqualitatem hoſtes peruenerint, arma abijciunt: in republica quam inſtituunt leuiſſimus rumor iniqui caſus illos cogit ad deſperationem: conficta fabula exterritos habet, in aduerſis vero nihil hęretico abiectius, in proſperis inſolentius nihil; iudiciorum nihilominus diuinorum ſeueritatē, latentes rationes, grauitatem, atque æternum pondus non extimeſcunt. Terrena moles pauore illis membra excutit, inflammatum vero cęlum neutiquam illos monet. Melius autem à me inpręſentiarum inſtituendi, ſi modo qui pro magiſtris haberi volunt, hac vice duntaxat ſcholas repetant: manuſque ferulæ ſubijciant. Vereor tamen ne inſcitia obrutæ ipſorum intelligentiæ, apertam veritatis faciem deſpicere haud poſſint: at tentabo illis meliorē mentem cum Prometheo adferre. Natura vnicuique illam appetendi vim attribuit, qua commoda conuenientia atque vtilia deſiderentur, hiſque contraria repellantur: cuius ductu & incitatione corporis ſanitatem & firmitatem diſtricta quadam cura tuemur, ingruenteſque morbos propulſamus. Quæ quidem appetentia ex ſui amore profecta, rectæ rationi atque ipſius naturæ præſcripto eſt conſentanea: neque eam in culpam quis vel ſuſpicione ſua trahere poterit. Inter cętera autem mala repellenda, quis mihi negabit gehennæ ſupplicium omnium eſſe grauiſſimum & atrociſſimum? Debet idcirco quilibet ex natiuo amore, quo ſeipſum complectitur, cruciatum illum acerbum, & imma-

Ratio docet timorē eſſe bonum.

& immanem pręcipue horrere, subterfugere, execrari. Non puto sectarium hoc inficias iturum. Vlterius itaque illum duco ad hanc consequentiam. Si licitum sit vnicuique supplicium illud inferni, tanquam teterrimum exitum & finem à se amoliri: concessum similiter ipsi erit idoneum aptumque medium assumere, quo nociuum illud propulsetur. Ad hoc autem maxime comparatum est declinare à peccatis & vitijs: nihil ergo mali is operabitur, qui vt effugiat inferni pęnam, eligit tanquam medium peccati alicuius odium, atque ab eodem fugam. Nullo enim pacto electio prauitate aliqua inficitur, nisi vel ratione ipsius obiecti auersi à ratione, aut intentione finis iniqui. Cęterum abstinere à peccato, & noxia aliqua voluptate, non implicat rei aliquid culpabilis: finis etiam, cuius imperio talis abstinentia præcipiebatur, erat naturæ bonum: & naturæ amor, quo appetimus carere malo, nos in illud inducit: itaque vitium non erit (vt stupidi delirant hęretici) peccata eatenus declinare, quatenus eadem delinquentem vim habent conijciendi in cruciatus inferni. Quæro namque à præclaro isto, vtrum iam iustitia donatus iudicare posset fornicationem ab ipso committendam, æquam esse causam infernalis supplicij ipsi inferendi nec ne? Si dicat non posse ita apprehendi à iusto: turpissimus Gnosticus fornicationem licitam fatebitur, neque perpetratam secum pœnæ alicuius reatum adferre. Sin vero asserat iudicari posse illam luxuriam, iustam esse causam infligendi supplicij: an non eo nomine tunc eandem poterit iustus auersari, & tanquam malum suum odio habere, atque penitus à se depellere? Hoc sane natura ipsa docet: cum illud sectarius ignoret, tenebricosum omnino eius caput. Sed dicunt huiusmodi coinquinatos & pollutos crimine, ex fide intendere potius debere (quod & sanctis quoque incumbet) in authorem salutis Christum: qui non cupit hanc in nobis animorum lancinationem ex timoris aculeo: ipse enim pertulit dolores nostros in cruce: sed potius expectat Deus à nobis firmam spem, & securitatem indeptæ iustitiæ atque futuræ retributionis; de alijs non est quod simus multũ soliciti. Blanda sunt hæc, bella, mellita, sed toxica. Lancinari non vult hæreticus, spinas horret: clamat tamen Deus; *Ioel. 2.*
Scindite corda vestra. Sed hanc fabulam iustitiæ, quam sua fide ludunt sectarij, postea vanissimam & turpissimam esse ostendemus. Concedimus quidem timorem etiam seruilem oriri ex fide, vti principio, neq; huic repugnare: indicat namque nobis fides Deum, vt iustũ iudicem, æterna supplicia delinquentibus constituentem, ad cuius rei cogitationem, cum peccandi occasio oblata fuerit, animus trepidat, spinas

videt flori voluptatis suffixas; exhorrescit pænam, proponitque sibi vitæ emendationem, vti illa acerbitas euitetur. Non ergo fidei aduersatur timor, ad quam est consectaria, sed cum illa omnino cohæret, & ex eadem propagatur. Imo si illam fidem quis statueret, quam decernunt sectarij, adhuc timoris actus bonus esse appareret, & rationi conformis: vti hinc constet hæreticorum placita apte inter se non conuenire. Nam interim quis securus sit se esse iustum & prædestinatum, nec posse à fauore Dei excidere, nihilominus is iudicare valebit fornicationem aut homicidium causas implicare, ob quas iuste inferni pæna ipsi inferatur: hoc idcirco nomine poterit hæc flagitia detestari, & odio habere: quod nihil aliud est quam timere: nisi putet omnia flagitia sibi esse licita, quod Caluinista, in eam existimationem pronus, facile concedet.

Orthodoxa sententia de timore pura & honesta.

Iam autem vt despiciamus quonam pacto timorem seruilem improbantes sectarij, sceleribus pariter faueant, suos in peccatis detineant, & ipsius satanæ partes agant; clarius hoc elucebit, si puritatem, candorem, & innocentiam orthodoxi dogmatis prius explicauerimus. Nobis itaq; omnis cura & solicitudo incumbunt; vti mortales à cęno vitiorũ traducamus; vt declinent à malo, & faciant bonum; vti peccatis mortui, iustitiæ viuant. Ea propter terribilem expectationem futurę vindictæ eorum oculis obiectamus; vnde quaqua ratione vitia fugiant & detestentur: si minus eorum odium illis faciat culpa, pęna saltem faciat ac procuret. Triplici autem ratione hominum mentes à sceleribus auocamus. Primo, illis describentes pulchritudinem virtutum, vt eiusdem conspectu acerbius ferant, se delictorum fœditate tantam speciem corrupisse. Sin vero hoc minus efficere possit penes illos consiliorum mutationem: altius ascendimus, dicimusque lethale crimen inimicitiam quandam constituere cum ipso Deo, voluntati eius vehementissime repugnare, beneficia quæ nobis pręstitit, aspernari penitus & conculcare, hominem denique auellere ab officio suo, summoque bono, cui deberet inhęrere. Tandẽ vero cum deprehendimus hosce nihil ingenitæ indolis aut nobilitatis retinere, sed in proposito decretoque errandi defixos esse: illis exertum Dei gladium, flammeum, & versatilem ipsius manu vibratum ostendimus, superni iudicis tribunal detegimus, Maiestatem illam & horrorem apparatus indicamus, diuinæ sententiæ vim, ad ęternas pęnas impios destinantem, discutimus, inferni claustra & repugula reseramus: vti inspiciant varia illa & intoleranda tormentorum genera malis decreta: lanienas, torturas, tractiones, combustiones, aliosque innumerabiles cruciatus

Psal. 36. Rom. 6.

Tria auocãt animum à peccato.

ciatus recensemus; vti vel sic tandem ex timore resipiscant, vitiaque fugiant & detestentur. Cui obscurum esse poterit, hæc à turpitudine vitæ, & flagitijs homines plurimum deterrere? Infantes vberis dulcedine illecti, diutius lac appeterent, quam illorum ætati corporisque firmitati conueniret: nisi matres amaro succo mammillas oblinirent: ita suos pęnarum obiectu exterritos esse Deus cupit, vti vitia tanquam angues & colubros vitæ declinent. Quod si omnibus gentibus natura ipsa hoc indiderit consilij: vt pænarum nempe ostentu, edictis minacibus ciues à malefactis arcerent, & propterea sacras ędes timoris habuerunt, easdemque tribunali proximas, vti Spartæ: nobis concessum non erit, timore supplicij nostros à sceleribus auertere, quasi vero minus obfirmati sint modo homines in malis quam antiquitus, aut constituta delinquentibus pena mitior? Itane libidine errandi corripi, & à vero abripi voluerunt sectarij; vt eadem contentione, qua nobis contradicunt, ipsi naturæ, rectæ rationi, moribus gentium, institutis populorum reluctentur? quam cęci & absurdi! Quis enim clare non perspicit comminationem pęnæ idoneam & aptissime accommodatam esse ad animorum mutationem? Virtus namque, cuius forma sola ratione constituitur, ab eis tam facile aut dilucide non videtur, qui mentem & intelligentiam suam inscitia obnubilarunt, voluptate obruerunt, aut coinquinatæ vitæ fecibus deturparunt: proinde solius virtutis ostentu non ita commoueri solent, vt vel sua vitia deserant, aut virtutes consectentur. Intentata autem illis pęna, quod hæc sensum fortius percutiat feriatque, illos varie excitabit. Nam vt docet Aristoteles, ita natura ipsa comparatum est, vt fuga mali acrior fit appetitione iucundi. Ea propter lenocinia quæcunque extemplo abdicantur, cum pęna aliqua sensui imminere ceperit. Quemadmodum si inueniretur aliquis adeo intemperans, vt nullis rationibus à natura virtutis desumptis, abduci velit à sua intemperantia: si tamē sciret ex sententia medici, aut aliunde, ciborū vsu immoderato & repletione nimia fore vt in mortem & funus ipse statim impingeret: credo istū, si hominis aliquid haberet, recessurū ab ingluuie. Ita aliquibus necessaria omnino est pęnæ interminatio: ineptioribus paulo existentibus, vt ipsius honesti formā animis intueantur: *Sicut armatus miles* (inquit Chrysost.) *in foribus arcet furem, ita & gehennæ metus, peccatum. Quid gehenna grauius? sed huius metu nihil vtilius.* Et alibi: *Nisi dixisset quod subuerteretur Niniues, Niniues nō stetisset. Nisi fuisset intentata gehenna, in gehennā omnes incidissemus: nisi prænuntiatus ignis fuisset, ignem fugisset nemo.* Hoc autem animæ munimentum & pręsidium contra

Aristo. 3. eth. cap. 1.

Chrysost. homil. 13. ad. pop.

Chrysost. homil. 55. ad pop.

vitia ex timore, sectarij cum suo dogmate conuellant, quomodo delinquendi licentiam singulis non concedunt? Si nullus esset infernus, an non omnes ferme voluptatem requirerent? adempto autem eiusdem timore, perinde est, ac si nullus esset: nemo etenim eius cura tangi debet, aut de illo solicitus esse. Quis dæmonum consultius ad propagandam vitæ impuritatem loqui potuit, quam Caluinistæ & Lutherani pronuntiarunt? Scio equidem nemini satis esse ad beatitudinem, timorem, meliusque assero ex amore virtutis peccatis abstinere, quam ex timore supplicij: interim definio, salubrem & sospitalem esse hunc metum gehennæ, & frenum quoddam lasciuientis appetitus, quo sane excusso, præceps euadit natura ad omnem vitæ turpitudinem.

Timor inducit sanctitatem.

Porro à timore, veluti per quendam gradum, fit animi progressus ad sanctitatem: vtilis idcirco timor. Dum enim quis ingentes illos cruciatus secum recolit: duo illi in mentem veniunt. Primum, delicti enormis magnitudo, & atrocitas grauissima: quæ tam horrenda tamque diuturna punitione compensentur. Vnde etiam colliget se hactenus teterrimum peccati malum pertulisse, ignem & scorpionem in suo sinu fouisse: desiderabit itaque excutere à se hanc pestem, tormenta illa declinare, & vitiorum nęuos expungere, quibus corrupta animæ facies contabescit. Alterum vero est virtus diuina, qua tam horrendæ castigationes infliguntur. Sciet enim infinitam esse illam vim, quæ æternas tamque graues à sceleratis pænas reposcat: atque tunc sub imperio & potenti tanti Numinis manu mens eius contremiscere incipiet. Quemadmodum enim concussione aut tremore terræ, serpentes in suis cauernis delitescentes euocantur, & foras prodeunt: ita cum animus timore diuini iudicij concussus fuerit, vitiorum serpentes exibunt latibulis suis: neque tutum illis locum in eo esse percipient. Infinitæ autem potestati vnusquisque intelligit necessario summam & infinitam adiunctam esse clementiam atque bonitatem: hęc enim distrahi non possunt. Quocirca maiestate Dei exterritus, tantundem misericordiæ in ipso agnoscens, se recipiet protinus ad eius benignitatem: de qua etiam bene sperabit. Tunc illi ostendetur bonitas Dei, cuius aspectu hauriet animo & affectu ignem illum purissimi castissimique amoris. Vnde quod hactenus in vita se toties diuina mandata violasse, toties ipsi Deo rebellasse, tam benigno clementique parenti refractarium prębuisse intelligat: ingemiscet ex imo pectoris, & summo quodam dolore, veluti vomere animi sui recessus aperiens, eosdemque elicibus lacrymarum irrigans, in illos tanquam in subactum solum iustitiæ granum cęlitus dilapsum recipiet: quod postmodum excrescet

excreſcet in bonorum operum fructus, tandem gloriæ pręmium & ęternam refundet mercedem. Huc vſque timor progreditur: quo altius nihil poterit conſcendere. Ita opinatus eſt Auguſtinus: *Sicut videmus per ſecturas introduci linum: quando aliquid ſuitur, ſeta prius intrat, ſed niſi exeat, non ſuccedit linum: ſic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intrauit, vt introduceret charitatem.* Quod ſi timor nondum indepta iuſtitia charitatem introducat, verum erit, quod definiuit concilium Tridentinum, eundem omnino facere vti ad miſericordiam Dei ſupplices confugiamus. Quomodo tunc malus, quomodo nefarius, quomodo hypocritas conſtituit? Repellit timor delinquendi cupiditatem, abigit lenocinia vitiorum, inducit ad pęnitentiam, ad amorem Dei, quo iuſtitia noſtra continetur, hominum corda inflectit; quo obſecro demum nomine vitioſus reputabitur? excutite omnem quam habetis intelligentiam ſectarij. Imo vos ipſi potius eſtis vitioſi, qui hoc animorum firmamentum fictitia veſtra, turpi, & ludicra fide ſuſtuliſtis, omnemque exinde ſceleribus aditum patefeciſtis arrogantia. Atque de vobis dictum putatote illud Tertulliani: *Vbi metus nullus, emendatio proinde nulla, vbi emendatio nulla, pœnitentia neceſſario vana.*

Auguſtin. tract. 9 in 1. ep. Ioan.

Tertull. de pœnitent.

Hactenus apertis rationibus euicimus, ad ſanctitatem adſpirantibus, vtilem prorſus eſſe timorem gehennę. Deinceps inquirendum, quiſnam timor ipſis etiam iuſtis commodus ſit & oportunus. Qua in re multo adhuc fœdiores comperiemus ſectarios. Triplicem itaque in iuſtitiam adſertis timorem conſtituimus. Primus ille idem eſt, quem ſupra diximus gehennæ metus, qui cum iuſtitiam introducat, tum inuectam cuſtodit, & quaſi regius ſatelles in pręſidio charitatis excubat ſolertiſſime. Hoc quidem adſtruunt ſacrarum literarum teſtimonia, quæ nobis referunt ipſis iuſtis Deum ſępius pęnas intentaſſe: vt illarum metu exterriti, delinquendi occaſiones deuitarent, conſtarentq; firmius in accepta ſanctitate. Tametſi enim charitatis aduentu timoris ſeruilitas tanquam auri ſcorea in fornace excutiatur: nihilominus quantum ad ſpeciei ſubſtantiam ſuperſtes remanet. Cum enim dęmon alicuius delectabilis oſtentu nobis inſidias ſtruxerit, conaturque labem ſceleris in noſtras animas inuehere, tunc cogitantes in fauo porrecto mellis ſubſidere apis aculeum, aliaſque feces: repellimus blanditias hoſtis, iucunditatem auerſamur, quod malum nobis pęnæ creet, quodque extrema nos ac ſumma afficiat acerbitate. Perfectius quidem multo eſſet, ex amore Dei eaſdem reſpuere: tutius tamen vtroque, quam vno pede ſanus ad aciem procedere: gladio & pugione optabilius confligere, quam horum ſolum alterutro. Ita ſi fortaſſis

Timor iuſtis neceſſarius.

obliuio

obliuio diuinæ bonitatis intelligentiam nostram esset repressura, neque amoris feruor lubrico insidés appetitui magnopere repugnaturus prauæ suggestioni: timor nihilosecius stationem suam & locum adhuc seruabit, vi quadam abiget oblandientem nobis canem voluptaté. Hoc absque dubio opinatus est D. Basilius, qui cum elegantissime omnem suppliciorum apparatum exposuisset, sic sanctos & iustos alloquitur: *Hæc tu tenebis, hoc demum timore institutus, quodam quasi freno tuam cohibebis à prauis concupiscentijs animam.* Sed obgarrientes audio hęreticos: quid nobis cum timore, quid cum trepidatione? seruorũ est timere ac trepidare: nos liberi, filij Dei sumus, quos nullus de manibus eius rapere poterit. Fidem hanc quam excepimus, imbibimusque, ne dęmon quidem, vel nostra malitia nobis excutient vnquam: ad tripudium, ad saltum, ad choręam, ad tympanum, ad lyram studia nostra conferentur. In hac vestra securitate, Deus bone, quos æstus fluctusque deprehendo? in hac vestra fide quantam intueor cum falsitate impuritatis labem? in hac vestra musica, qualem luctum & dissonantiam aures meæ percipiunt? sed hæc immania & portenta horum hominum in alium locum remittemus.

Basil. in psal. 303 & 33.

Alius existit timor, qui optimum quoque est iustitiæ pręsidium: ille nimirum, quo veremur nos delinquendi periculis cõmittere: quippe quo sensus cohibemus ab eorum conspectu, quæ voluptatem spirant ac suadent; quo vitam detinemus ab illorum consortio, qui manus vitijs tradiderunt. Scimus enim ex Apostolo, nos ęternæ retributionis pondus, nimirum iustitiam, in fragili admodum vase circumferre: & adhuc voluntatem nostram flexilem ad prauas cupiditates, quæ perpetuo solicitant animam ad defectionem ab ipso Deo, & ad damnum acceptæ iustificationis. Idcirco cum Iob veremur omnia opera nostra: pedibus prospicimus incedentibus inter laqueos & muscipulas: tempora periculosa esse rectissime nouimus. Huiusmodi timore, non solum ipsa scelera profligamus: quin etiam cohibemus nos, ne aliquando illis vicini simus, & spacia quam longissima cupimus interiecta, quibus ab illis distemus. Videte obsecro, quanta sit puritas dogmatis orthodoxi, quam virginea plane mentis custodia inde constituta? Vt flammam incendiumque vitemus, nec fumum incensi pyri naribus trahere audemus. Hinc Tertullianus: *At vbi Deus, ibi metus, vbi metus in Deum, qui est initium sapientiæ, ibi grauitas honesta, & diligentia attonita, & pura, & solicita, & adhortatio explorata, & communicatio deliberata, & promotio merita, & subiectio religiosa, & apparatio deuota, & processio moderata, & Ecclesia vnita, & Dei omnia.* Hac de causa Dauid absque dubio hęreticis sanctior, & de-

Timor peccandi vtilis iustis.

2. Cor. 4.

Iob 9.

2. Timot. 3.

Tertul. praescrip.

& de sua accepta iustitia eiusdemque stabilitate securior, orauit vt timore Domini carnes ipsius configerentur. Quod elucidans D. Basilius dicit, quod sicut affixa ad aliquid immobile corporis membra non possunt in vllā parte libere sese agitare: ita timore veluti clauo affixus esse voluit Dauid: vti integrum deinceps illi non esset, motu appetitionis suæ voluptates consectari: In quam etiam sententiam hæc D. Ambrosius: *Carnes animæ sunt carnales cogitationes: configat has carnes timor Domini, & iudiciorum eius: & seruituti redigat. Quod si carnes istæ reijciunt clauos diuini timoris: haud dubie dicetur: Non permanebit spiritus meus in hominibus, quoniam carnes sunt.* Quomodo itaque absque timore iustitia, ille inquam Dei spiritus, in hominis anima, veluti in tuto ac perennis erit collocatus? Videamus autem quonam pacto huic timori repugnantes sectarij, impuritati & peccandi licentię patrocinentur. Inanem hunc & otiosum timorem esse dicunt: eo quod adepta iustitia nemini possit vel sua culpa aut aliorū maleuolentia excidere. Quod si verū fuerit, tam tutus locus Caluinistæ erit lupanar, ac templū, aula Veneris ac monasteriū Christi virginis, necunde illi periculum imminebit excutiendi iustitiam. O flagitiosam sectam, aut humanam certe excedendam insolenti priuilegio conditionem. Peccabitne tandem aliquis ex vestris, qui delinquendi omnibus periculis sese ita commiserit, sciscitari velim? Non peccabit is, mihi affirmabitis. Felices sane vos, tanta securitate, plane beati. Scio tamen Apostolum Paulum, carnem verberibus edomuisse, stigmate passionum Christi consignasse: vt vel sic tandem Apostolus esset, & non potius reprobus. Vos deliciæ humani generis (vt videtur) postliminio in paradisum regressi, cum horum nihil pręstetis, in plumis & carpentis deliciamini, bysso & purpura induimini: peregrinos calentesque Græciæ odores spiratis: interim ex sola vestra fide terroribus vacui, solutis & impauidis animis lucem cum Cerere & Baccho, tenebras cum Venere & Cupidine celebratis. At in illo periculo constituti, offendetis credo. Hoc est, saltem illos actus stupri, adulterij, fornicationis, aliorumque flagitiorum exercebitis. Tot etenim ipse noui ex vestris, istis addictos studijs, neminem ferme melioribus. Quid tum causamini? vna fides velo suo omnes hasce sordes actionū cooperiet; facietque, vt à Deo non despiciantur. Gaudeo equidem me vos tandem in sordibus inuenisse, vt sues in volutabro, idque ex vestris testimonijs. Sed quis istius sentinæ non sententię graueolentiam perferet, cuius ianuam & septum dogmate suo reserarunt sectarij? Proh insignem vestram sanctimoniam. Timere recusatis, ne peccetis: fornicari autem & scortari haud erubescitis, neque

Psal. 33.
Basil. in Psal. 33.
Ambros. serm. 15. in Psal. 118.
Gen. 6.
Hæretici timorē excludentes impuri.
1. Cor. 9.

exinde peccatis. An non cum libidine omnique scelere hæc vestra cohærent? indigne sane fero orthodoxum quempiam, balteo à Christo Domino donatū, cum istis lixis & calonibus stylo depugnaturum.

Timor oritur ex occultis Dei iudicijs.

Vltima denique timoris causa, eaque iustissima, desumitur ex occultis rationibus diuinæ prouidentiæ: vnde rectè dicimur ipsum Deum timere. Quo autem pacto Deus analogia obiecti timoris contineatur, istis explicat Mediauillanus: *Deum posse timeri, dupliciter potest intelligi, aut per se, aut per accidens; primo modo Deus timeri non potest, nisi æquiuocando nomen timoris: accipiendo scilicet timorem, pro resiliatione in propriam paruitatē, ex consideratione magnitudinis Dei. Secundo autem modo potest timeri Deus, in quantum ab ipso, vel per comparationem ad ipsum, nobis potest prouenire aliquod malum, vel secundum quid, sicut malum pænæ, vel simpliciter, sicut malum culpæ.* In eandē quoque sententiam disseruit D. Thomas. Diuina quidem perfectio propter supremum eius gradum, absolute à nobis considerata, sicut à nemine quantumuis malitioso, aut profligata vita coinquinato, odio haberi possit: ita eadem tam clemens est, tam benefica, & ex innata dulcedine in nos effusa, vario magnificoque donationis genere; vti à nemine, quantumlibet dimisso & abiecto, timeri valeat. Timetur idcirco Deus primo per comparationem ad ipsum: quando nimirum ex eius amore horrere animis incipimus ad memoriam aut cogitationem sceleris, contra ipsum patrati. Deinde timetur etiam Deus per respectum ad nos: quatenus ab ipso aliquid mali nobis poterit contingere. Quod quidem malum duplicis existit ordinis: prioris est temporale quid incommodi aut æterna pæna, quam in peccatorum vindictam offendentibus Deus iuste infligit, de qua supra disputauimus: alterius vero est subtractio quædam auxilij & gratiæ efficacis. Qui enim iam vitæ sanctitate florent, fortassis paulo post recident in scelera, in quibus contabescent, tandemque perpetuas illas luent pænas. *Qui existimat se stare, videat ne cadat.* Verū quidem est, Deum istius casus in homine non esse authorem, (vt sacrilege & impie loquuntur hæretici) sed solum liberum hominis arbitrium, dum minus consentit gratiæ sufficientis incitamento. Veruntamen sicut propter crimen originale permittit hominem Deus labi in primum delictum personale: quodque etiam finit aliquando ex secreto suo iudicio; (vti constat in illis, quibus baptismus originalem noxam absterserit) ita propter varia iniqua opera patitur delinquentem ruere vlterius in alios grauiores errores: & tandem sic errantem, maleque facientem, mors & fatum infernusque præoccupant. Cuius quidem defectus originem si altius repetamus, resolutio tandem fiet in aliquid à solo Deo dependens, eiusque

Deus quomodo timetur.
Rich. in 3. d. 34. q. 1.
D. Thom. 2. 2. q. 19. art. 1.
1. Cor. 1.

eiusque secretissimum iudicium. Non quod Deus quempiam detrudat in peccatum, vel eius errori causam præbeat, vel denique quod subtrahat sufficientis gratiæ adminiculum: sed inde solum hoc constabit, quod ex suo arcano sensu eam gratiam renuat alicui concedere, quam ex hypothesi ante absolutum decretum, futuram nouerat efficacem. Thesauros quidem habet Deus, sed hos (vt inquit propheta) in abyssis collocauit; quorum modum & rationem nullius mortalium vel etiam angelorum suo natiuo intellectu assequi valebit. Atque ex isto timore, hoc nobis aduenit vtilitatis: vt animi humilitate fastum omnem inde comprimamus, diuinisque iudicijs sensus nostros dimittamus; timentes quippe ne iustitiam potius exerceat Deus, in sua erga nos prouidentia, quam misericordiam. Quæ quidem humilitas & animi submissio multum Deo placent, & quasi in anima concauum sinum faciunt explicantq;, in quē cęlestis pluuia copiose affluenterque decidat. *Humilibus enim dat gratiam*. Timor autem, ex sententia Ioannis Scoti, species quædam est humilitatis. *Idem est omnino timor, quod humilitas, licet alio nomine vocetur.* Timor vero istius rationis in sanctis illis atque beatis mentibus non reperitur. Haud enim ipsę timent pęnam, cum se illam euasisse, omnesque ęrumnas pręteruectas intelligant. Nec quidem timent noxam culpæ, securæ iam redditæ de iustitia in perpetuum seruanda. Denique non timent subtractionem gratiæ, sciunt etenim neminem eas posse de manu Dei amplius abripere. Existit idcirco in illis alterius prorsus rationis timor, castus nimirum & permanens in sęculum sęculi, quo (vt canit Ecclesia) *Tremunt potestates.* Oriturque ex intuitu magnitudinis diuinæ, cui, cum summa quadam reuerentia, sese beati subijciunt. Atque ita timor vitam nostram exercet, propagatam comitatur, afficitque beatam. Audax autem pręcipit, propagatam comitatur, afficitque beatam. Audax autem pręfractaque hęresis, quasi recessus cælorum & ætherea adita penetrasset: sibi felicitatem certo pollicetur; pronuntiatque intrepide, se prędestinationi donatam, neque illi causam aliquam superesse timoris vel trepidationis. Hæc autem persuasio vesana est, superba, Epicurea, & sordida: vti ex disputatis elucet, manifestiusque postea ostendetur.

Psal. 35.
Iacob 4.
Scot. in 3 d. 34. q. vnic.
Timor in sanctis.
Psal. 18.
Prof. miss.

De causis tristitiæ & doloris : eiusdemque vi ac potestate. Cui remedia aliquot & præceptiones animi magis vniuersales adhibentur.

CAPVT XVI.

Tristitia quid sit, & quale eius obiectum. D. Thom. 1. 2. q. 35. art. 1.



Ristitiam appetitus esse affectionem exortam definiunt philosophi ex notitia mali iam præsentis, & illius, quod sensibus subiectũ, eisdem contrarium æstimatur. Cuius naturam atque vim expendens D. Thomas, duo constituit, ex quibus efficitur. Primum, ipsum est aduersum, in quod quis incidit; siue ex se hoc nociuum sit: veluti morbus, deflagratio domus, naufragium: vel inde solum habeatur malum, quod eius accessu quæ chariora sunt, depellantur. Quo quidem pacto optima quæque & maxime expetibilia rationem mali subeunt: vtpote delatus alicui magistratus, aut imperium, modo pericula adiuncta habeant, aut occasiones largioris effusiorisque sumptus impendendi. Eaque de causa (vt scribit Antoninus) pontificiam cathedram omnino igneam esse, & diadema illud supremum in terris, spinarum sertum, reputauit Adrianus; propter varias nimirum curas, anxiaque negotia, quæ illa dignitas secum adferre solet. Alterum vero est, notio quædam menti impressa, deprehensioque acerbi casus: quæ ferme omnem læsionem efficit, & hominibus ægre est: ita vt nulla doloris causa solide existente, satis sit hæc sola opinio mali, ad inferendum homini dirissimum cruciatum. Ea autem absente, cum quælibet moles iniqui euentus incubuerit, cum tela sua omnia potenti manu in alicuius pectus seua fortuna intorserit: nihil elicient acrimoniæ vel acerbitatis. Obiectum autem istius perturbationis seu ipsum malum partibile est ac multiplex: triplici tamen specie complexum videri poterit. Primum, nocumentum est forinsecus positum, vtpote bonorum amissio, amicorum aut liberorum interitus. Alterum, ad corpus propinquius accedit, vti mutilatio membrorum, affecta voletudo, senectus, mors. Demum tertium & postremum ad animam spectat, veluti infamia, inscitia, incuria, crimen, & culpa. Sæpius enim non tam dolemus, quod in aduersi quicquam impegerimus: quam quod negligentia socordiaque nobis malum consciuerimus. Ipsa porro culpa non ad alia relata, præterquam ad rationem mentis, cui repugnat, ipsumque Deum opt. & max., cui bellum quodammodo indixit, equissimas secum adducit causas tristitiæ atque doloris.

Malum quo tuplex.

Vniuer-

Vniuersales quidē rationes atq; origines huiusmodi angoris ita ferme constituuntur. Merito autem in primis amorē cupiditatemque in vniuersum omnis perturbationis philosophi principium asseruere. Quod cū in alijs liquet, tum in hac affectione tristitiæ nemini obscurū esse poterit. Idque verum erit, quod quidam dixit, duos nempe esse amoris asseclas, dolorem & pœnitudinē. Qui enim expetiti boni vel indepti commodi ardentiori cupiditate tenetur, is molestius eiusdem patitur dispendium, & maiori quadam acrimonia vrgetur, si modo illam amittat iucunditatem, quam amor flagrantius ambiebat. Euenit itaque omnino, vt qui amoribus districtius & operosius student, maioremque illis impendunt curam, me u frequentius nutent, & dolores inde perferant acerbiores. Quemadmodū enim cælum nunc serenitate ex solaris radij effusione iucundum lucidumque, postmodum euocatis sursum è terra vaporibus, atque in altum suspensis, obnubilum & triste euadit, ita vt caligini splendores causas adferant: sic cum amor mentem serenarit, atque sua luce lętam constitueret: denuo idem amor, cuius iucunditas maxime pugnat cum acerbitate, quamprimum suspicio alicuius mali sese in cogitationem iniecerit: tristitiæ cruciatum & pungentis doloris sensum commouet. Quo modo ab vno eodemque amore fluunt nectar & absynthium. Quam quidem humani affectus à contrario in contrarium transitionem ipsa natura instituit, vti perpetua quadam vicissitudine res mortalium agitarentur. Neminem hominum equidem crederem, tam felicem aleam fortunæ vnquam consequutū: vt eis omnibus lætus potitus fuerit, quorum desiderio aliquando æstuauit. Sin vero illis destituatur, tunc imperiosus amor omnē suam vim exereret amaritudinis, aculei, & ingenti quodam impetu in externa mala deferetur, quę voluptatis affluxum interceperunt. Quod si viderit ad vindictam se fore impotentē, mulierculæ instar, ad rixas & contumelias procliuis, sibimet ipsi iracundię faces submittet, & quasi vngues proprijs infiget genis. Ita sane comparati sunt, qui doloris vim in semetipsos admittunt.

Amor causa tristitiæ.

Quoniam vero nihil possit tetrius aut molestius æstimari, quam ex virium imbecillitate concidere, & ingruenti calamitati eneruate succumbere: tristari proinde solent homines vehementius ex hac dimissione sui: dum animaduertunt se aduersitatis mole penitus esse oppressos, neque satis vigoris habere, ad propulsandum infortunium. Quod enim obuij & expositi sint aliorum iniurijs, à quibus se tutari nequeunt, inter grauissima mala, idque iurē, illud reponunt. Nescio enim qua ingenita appetentia omnes ferimur ad culmen potestatis & immuni-

Causa tristitiæ animæ deiectio

immunitatis: cui alia quoque impendimus, in quibus multum laboratur. Hinc coaceruantur diuitiæ, vt illis vita contra aliorum improbitatem vndique muniatur: conciliantur amici, vti illorum authoritate nobis præsidia & ornamenra comparentur. Ab istis autem munimentis si quis deciderit, illisve priuetur, cum nihil interim aliud damni patiatur, sed perpenderit solum se aliorum violentiæ insidijsque patere, obuium esse, atque ad aliorum genua deuolutum, implorare oportere subsidium, dirissimi doloris ęgrimonia sensus istius subibit.

Tristitia omnem affectum sequitur.

Neque tantum quod careamus illis, quorum amor pectora ad expetitionem inflammmauit, nascitur dolor & tristitia: verum etiam cum quælibet alia appetitus affectio semel excitata, incassum reciderit, fineque suo caruerit. Obseruauit enim Ioannes Scotus perturbationes omnes, etiam illas, quæ appetitui irascibili insunt, suauitatem quandam effundere, si modo optatum effectum sortiantur. Hinc ex sententia philosophi, dulcis est ira, illa nimirum, quæ cum vindicta coniungitur. Ipsa quoque doloris laxatio dulcedinem suam retinet: vnde lacrymæ, querelæ, planctus, vim istius angoris emolliunt & absynthiũ melle temperant. Candentes autem iræ vltione carentes expetita, quando etiam simulatione quadã animi illę flammę obruuntur & in pectoris angusto tumentes exilientesq; spiritus coërcentur, intus vrunt, & acrem tristitiam in imo eiusdem fouent spontaneo malo. Similiter prohibiti à lamentis, singultibus, & suspiria comprimentes, lacrymas simulata & composita lętitia sistentes, vehementẽ dolorem sibimet ipsis consciscunt. Permeat idcirco hęc animi ægritudo per omnes affectiones, tam concupiscibilis quam irascibilis facultatis.

Suauitas diffusa per omnem appetitũ sensitiuum.

Arist. 2. Rhetor.

Tristitia ex superbia.

Herodot. in Calliop.

Opinio etiam propriæ excellentiæ multum augere solet doloris acerbitatem. Propterea Herodotus recensens humanæ vitæ incommoda, hoc omnium infelicissimum & dolore plenissimum asseruit: *Multa intelligentem nihil authoritate valere, nulliusque rei compotem esse.* Quod quidem duplici ex causa oriri poterit. Primo, quando nobis incussum malum eo grauius & indignius iudicamus, quo augustius de nobismet ipsis sentimus: quod sane ad amorem sui refertur, de quo supra disputauimus. Deinde sicut fornax incalescit magis, quando eius flamma omni exitu prohibetur: turgescit quoque in altum decurrens riuus, transuerso aggere repulsus: ita nonnulli, præsertim excellentis ingenij, proprias rationes cæteris omnibus præponentes, vel animis horrentes vlcus & apostema alijs detegere, tristitiam pectore includunt, illamque ita fouent plerumque, vti demum ratio impedita in errorem concedat: corpus autem fractum atque dissipatum ad funus

nus exinde accedat. Nam vt inquit D. Gregorius Nazianzenus, *Non nullam enim consolationem affert, vel aëri ipsi dolores nostros exponere & impertiri.* Greg. Naz. orat. ad Episc.

Frequentes quoque, præsertim in forensi vita occupationes, tristitias inferunt. Enimuero fieri non potest, vt euitentur omnia incommoda, quibus nos in hac publica rerum administratione, & multiplicis negotij genere exponimus. Impinget aliquando in lapidem, qui concitatiori gressu vel perpetuo quodam cursu se mouet. Atque is inuidiæ obiacebit, aliorumque machinationibus, qui se in foro aut curia metam erexit, in quam maleuoli collimantes sua spicula intorqueant. Vnde Seneca: *Cauendum est, ne aut labor irritus sine effectu sit, aut effectus labore indignus. Fere enim ex his tristitia sequitur, si aut non successerit, aut successus pudet.* Turbulenta idcirco ingenia (& vt quidam loquitur) polipragmatica, quorum etiam studia maxime sunt mutabilia, nunquam doloribus carent, sed offendunt passim: nec sistitur in illis mobilis & volatilis appetitus vllo rei aduentu. Quapropter desiderijs suspensi, anxij sunt continuo & soliciti: neque vnquam voti compotes euadunt ad tranquillitatem.

Occupationes publicæ causæ tristitiæ.

Senec. lib. de trãquil.

Mollia ingenia subiecta tristitiæ.

Parum autem esset, si euentus rerum ipsarum, qui quotidie accidunt, animo aculeos doloris admouerent tantum: ni accederent quoque alia ludicra plane, ipsis vmbris leuiora mala, atque non nisi otiosæ mentis solo conceptu fabrefacta: quæ nihilominus lædunt ęque ferme, ac si exitu aliquo contigissent. Sunt enim nonnulli ita otiosi & feriati, vti commentis suis purpuram, applausus, imperia confingant, sibique affingant: in quibus excogitandis tanquam ciues reipublicæ Platonicæ, vel Eutopiæ incolæ, mirifice animos suos cogitantes oblectant: iam enim magnifice incedunt, famulatu cinguntur, illis vestis fulgere videtur, omnem denique lenocinij formam phantasia excudunt, ex qua voluptas aliqua hauriri poterit. Atque ita illis vigilantibus placet somniare. Expergefacti vero cum fuerint, & ratio satis euagata ad se redierit; animaduertunt se nudos esse, illisque fictitijs bonis vacuos & destitutos. *Dormierunt somnium suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis*: Ex quó necessario tristitia exoritur: abscedente namque delectatione, quam capiebant ex illa fabrica imaginaria, ægre ferunt se re ipsa expetitis carere. Consulit itaque Seneca: *Cogitationes vagas & inutiles, & velut somnio similes non recipies: quibus si animus tuus se oblectauerit, cum omnia deposueris, tristis remanebis.*

Psal. 57.

Senec. lib. de virt. Moral. c. 1.

Denique causam dolori adfert nimia cura, & perplexa solicitudo existimationis penes alios. Detinentur enim aliqui ita in perpetuis suspitiõnibus suæ famę, vti ex leuissimo quolibet indicio coniectent, ab alijs

Appetitus famæ causa tristitiæ.

ab alijs iniquam aliquam ſententiam contra ipſos latam eſſe: cuius rei gratia vehementer triſtantur, quam quidem doloris occaſionem Seneca etiam attegit: *Alia cauſa inquietudinis eſt, quando ſemper putamus nos toties æſtimari ab alijs, quoties ab his aſpicimur, & ideo curam habemus nos componendi, vt non exterius æſtimemur, quales ſumus interius.* Ad cauſas etiam doloris accedunt corporis cōſtitutio, frigida magis & ſicca: arte etiam dęmonis in animā illatę ſolicitudines, de quibus poſtea diſſerendum.

Senec. de tranquill.

Corporis ratio triſtitiæ cauſa.

Modo quod ad vim & iſtius affectionis energiam ſpectat, nihil ęque crederem tam animæ, quam corporis robur ac decus labefactare & exſcindere, atque acerbitatem hanc, cum ſe in animorum receſſus penitus inſinuarit. Non ita torpedo brachium piſcatoris ſtupidum reddit, non remora ſic nauis curſum ſiſtit, vt triſtitia ſenſus habetat & conſternat humanos, conſiliorunque progreſſum retardat ac moratur. Vim quidem iſtius acerbiſſimi doloris ſenſerat illius Hiſpani animus, qui (vt narrat Guicciardinus) coniectus in carcerem, ob tentatam pudicitiam cuiuſdam virginis ex reginæ ancillis: ſpacio vnius noctis, cum annum trigeſinum ageret, vigente in ipſo naturæ robore: ex metu ſupplitij totus incanuit. Similem doloris impetum expertus eſt Ludouicus Cęſar, qui (vt ſcripſit Cuſpinianus) nocturno quodā ſpectro exterritus, ſubito etiam canus euaſit. Huiuſmodi quoque aculeos Pomperani animus excepit, qui (vt tradidit Paulus Iouius) inſpecta calamitate ſua, eueſtigio exanimis defixiſque in cęlum oculis concidit: neque vllis poſtea fomentis ad vitam reduci potuit: dolor etenim illi pręcordia ſubitanea impreſſione perfregerat. Neque aliquid dolori ferme reſiſtit iuuenilis calor, in illo qui eo opprimitur. Non exilit ardente ſanguine ſuccenſum cor. Torpeſcit neruis ad ictum inferendum ſummo cum vigore libratum brachium. Pręparatus animus ad artium ſtudia, triſtitia quaſi nebula infuſcatur. Prompta & expedita lingua ad prodendos ſermones riget, tremitque: cum dolor in quempiam inuaſerit. Appoſite idcirco Euripedes ſacrificium Iphyginiæ ludens, Agamennonis parentis caput velo texuit, ac ſilere ipſum fecit: quod nempe doloris magnitudo illum haud pateretur digne filiæ interitum deplorare. Inſignis figura corporis, & forma vultus viuis depicta coloribus, non amplius effulget, vbi iam triſtitia animæ ſedem occuparit. Inepta denique hæc perturbatio ad omnia, pręterquam ad lachrymas ciendas. Quod ſi iucunda aliqua felici rerum ſucceſſu, & arridente fortuna nobis contigerint: tam inſuaue ſecum dolor condimentum adferet, vti iucunditatem omnem prorſus adimat, vel tetra amaritudine inficiat. Quod quidem

Triſtitiæ vis ingens

Guicciard lib. 3. ep. pag. 107.

Cuſpin. in Ludouic. Cæſar.

Iouius lib. 26. pag. 29.

Euripides Iphiginia.

quidem satis manifestum fecit perturbatus animus Achabi Regis ex nimia tristitia: cui nec sceptrum regale, neque amplissimæ possessiones, superbę basilicæ, aut vxoris consilia aliquam voluptatem attulerunt. Hæc omnia, quod agellum aut vineolam Naboth haud consequeretur, tristitia repulit. Docet enim philosophus, vehementiorem acrioremque tristitiam omnem prorsus delectationis sensum aufferre: non solum qui versaretur circa ea, quę tristitiam inferunt, verum etiam circa quælibet alia : ex quo opinantur Theologi, nefarias dæmones voti compotes effectos, cum à virtute ad voluptatum sordes homines traduxerint: ex obtento euentu ideo nullam percipere iucunditatem, quod summa illa tristitia, quam ex pęna illis inflicta concipiant, delectationem omnem expellat. Communia quoque naturæ beneficia, ipsam etiam vitam ingratam reddit tristitia. Qua exagitatus & acerbatus propheta Ionas, in hasce voces prorupit: *Melius est mihi mori, quam viuere.* Neque vim istius affectionis fortis excultusque regij prophetæ animus penitus euasit; quem ita doloris aculei pupugerunt: vti ob mortem rebellis filij, mutata veste, pauimento inhęrens, post diuturniorem conflictum, cum summa animi sui acerbitate, hanc sententiam expresserit: *Fili mi Absolon, fili mi, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te, Absolon fili mi, fili mi Absolon?* Eiusdem quoque ęgritudinis impetum, inuictum illud & omnino Apostolicum D. Pauli pectus persensit: cuius hæ voces fuere: *Non enim volumus ignorare vos fratres, de tribulatione nostra quæ facta est in Asia: quoniam supra modum grauati sumus, supra virtutem : ita vt tæderet nos etiam viuere.* Infiniti porro existunt, qui nimia tristitia superati, mortem sibimet consciuerunt, crudelitatem illam clementiam reputantes : dolori exangue corporis domicilium reliquerunt, dum in seipsos desæuirent.

Achab. 3. Reg. 21.

Arist. 7. Eth. cap. 14.

1. Ion. 4.

2. Reg. 12.

2. Cor. 1.

Atque huius affectionis potestatem atrocem plane Hieremias propheta visus est descripsisse plenissime: *Inebriauit me absynthio.* Ac si diceret: ita doloris magnitudine me Deus oppressit, vti mihi nullus sensus integre supersit ad necessariam vitæ propagationem. Et istius absynthij effusi diuinitus in homines effectum retulit Euangelista Ioannes: *Et cecidit de celo stella magna, ardens tanquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum; & nomē stellæ dicitur absynthium, & facta est tertia pars aquarum in absynthium.* Facula ardens, tristitia est exsiccans ossa, deuastans & deflagrans corpus animamque. Et quemadmodum stella illa dicta absynthiū, incidens in flumina, eadem, amaritudine infecit: ita fortunæ bona, quæ circumfluunt, voluptates omnes, quæ ebulliunt ex concupiscentiæ fonte, doloris aduentu corrumpuntur,

Hierem. Thren. 3.

Apoc. 8.

neque amplius grata aut iucunda censentur.

Tristitia mitigabitur si amor teperetur.

Ex quibus huc vsque disputatis, facile in vniuersum modo colligi poterunt rationum momenta, quibus animus firmetur, ac muniatur contra hanc doloris acerbitatem, omnemque infortunij tristiorem euentũ. Proderit itaque imprimis, ad leniendum rigorem hunc, amorem & cupiditatem eius rei temperare, qua caremus. Quod quidem efficietur, si nobis ipsis persuaserimus bonum illud, cuius desiderium nos ceperat, nec esse tantopote ex se inquirendum, neque nobis vsque adeo commodum: sed potius adiuncta mala habere quamplurima: vnde damnũ illius tolerabilius apparebit. Eapropter auocanda mens ab eis cogitationibus, quæ in amissi ac deperditi pulchritudinem vel excellentiam defixæ fuere: & alio transferenda. Sic enim susceptus amor paulatim languescet: tandem eo extincto tristitiæ acerbitas omnis euanescet. Plerumque etiam fit, vti non naturis suis res aduersæ nobis molestiam ingerant, sed solum opinione falsa dolorem incutiant, mentis sententia perturbationis ęstro in errorem deflexa. *Homines* (inquit Epictetus) *perturbantur non rebus, sed ijs, quas de rebus habent, opinionibus.* Et Seneca: *Non est in rebus vitium, sed in ipso animo, & illud quod paupertatem nobis grauem facit, diuitias etiam graues facere potest.*

Epict. Enchirid. c. 10
Sen. ep. 17.

Tristitia deponenda quod remedio inutilis.

Verum porro est, immensos ab homine labores haud suscipiendos, nisi vt inde vtilitas aliqua, quies, vel aliud emolumentum comparentur: quorum gratia acerba queque sępius æquis animis toleramus.

Ouid. remed. amor.

Sæpe tibi succos, quamuis inuitus amaros,
Æger, & oranti mensa negata mihi.
Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignes;
Arida nec sitiens ora lauabis aqua. Quamobrem si modo hæc sui afflictio, quam tristitia paret, malum, quod nos male habet, propulsare aut lenire quaqua ratione posset: aliquid fortassis dolori concedendum: neque eiusdem perpessio omnino inutilis censeretur: acerbitas enim eius, incunditate tandem compensata, stipendium haberet. Verumtamen si lancinatione hac apostema foras non emittatur, si interna viscerum corrosione noxius humor haud excernatur, si admisso dolore nihil mali inde euitetur: sed potius damno & iacturæ accessus fiat detrimenti: tunc quasi dirus euentus satis non esset ex se ad infigendos aculeos: vngues nostros adhibemus ad lanienam comæ & genarum, ad deuastationem nostri immanissimam: inutilis profecto iste dolor, imo insanus. Potius maturo naturæ conflictatæ remedio aliquo succurrendum: quærendæ causæ, & rationes lætitiæ, & cum nautis contrario vento remorum impulsu & inflexione ve-

lorum

lorum resistendum: ni simul duplici bello, eoque dispari externo & ciuili, confligere velimus.

Pulsant exterius diuersis motibus hostes: Prob. in Epigram.
Intus ciuile est & sociale malum.

Pernici volatu alarum prædæ inhærentem accipitrem volucres fugiunt: cerui rabidos canes, cursu quamcelerrimo siluarum densa petentes, declinant. Omnia denique animalia insita ipsis vi, contenta opera, summoque studio ea auersantur & euitant: quæ norunt incommoda: solus homo immodico dolori cedens, sibi ipsi ferus & truculentus reperitur: infestis enim facibus propria adurit latera, animum suum torquet, corpus versat, macerat, & omni conficit exeditque molestia. Vt enim ait Victorinus: *Superbia aufert homini Deum, inuidia proximum, ira seipsum.* Et scriptura: *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.* Præter hunc etiam cruciatum, quem corpori adfert tristitia, aliud quoque est inde grauissimum malum inuectum: nimirum quod ex ea causam ansamque malus dæmon plerumq; arripiat pelliciendi nos in flagitium. Tunc enim ad offensionem & errorem procliuiores sunt homines, quando obruti tristitia desperare animumque incipiunt abijcere: quod luculenter testatur D. Basilius; *Nimia autem tristitia author peccati esse solet, cum meror mentem submergit, consilij inopia vertiginem affert, penuria cogitationis inquietum animum generat.* Rectissimum idcirco videtur consiliũ Thucididis. *Quæ à Deo necessario, quæ ab hoste viriliter ferenda sunt.*

Victor. l. 2. de sacram. part. 13. cap. 10.
Prou. 25.
Tristitia causa tentationis.
Basil. homil. 12. de meror. & trist.
Thucid. lib. 11. in orat. peric.

Quod si illas rationes in mentem reuocauerimus, quæ nobis ostendunt quam pręclarum sit, viroque dignum plane, magnitudine animæ mala omnia perferendo superare: & ęquabili mentis statu inęqualitatem fortunæ moderari: firmissimum inde statuetur pręsidium contra omnes fluctus & impetus aduersitatum. Quemadmodum enim virgula Mercuriana, in aurũ cuncta mutauit, quę semel attegit: ita quodcunque in viri fortis pectus impactum fuerit, in eius emolumentum huius virtutis scepto vertetur. Vnde Augusti imperium latius effusum videtur magnitudine animæ ipsius, quam terrena potestate: qui despectui habuit ipsi à nepharijs illatas calumnias, illasque irrisit, tantũ abfuit vti doloret. Quocirca cum Tyberius illi referret, vulgi dicterijs imperiale nomen proscindi, respondit: *Aetati tuæ, mi Tyberi, noli hac in re indulgere, & nimium indignari quemquam esse, qui de me male loquatur: satis est enim si hoc habebimus, ne quis nobis male facere possit.* Alexandri quoque illud celebratur, βασιλικὸν ἐστὶν, εὐποιοῦντες κακῶς ἀκούειν. Regium est, benefacientem male audire. Quo pacto fortitudo istęc diademate

Virtutis opinio tristitia moderatur.
Sueton. in August. cap. 51.

altior, omni vi robustior, ipsisque fallacijs subtilior. Adamantina quidem durities, hircino sanguine illita, mollescit & frangitur: fortis autem animus, cum ad illum omnia appulerint, infractus manet: Salamandræ instar, in medijs ignibus reuiuiscit, & tanquam quadratus lapis decidens in planum, continuo erectus consistit.

Præuidentia tristitiã temperat.

Neque parum faciet ad animæ firmamentum, si præuisam mente habeamus illam volubilitatem fortunæ, varietatemque humanarum rerum. Plerumque enim doloris ea causa penes nos statuitur: quod nobis, quasi contra rerum ordinem, mala aliqua euenerint: vnde excitata admiratione ex inopinato euentu, postmodum in tristitiam procliui cursu deferimur. Cęterum vero intelligentia animi omnes casus explorati si fuerint, antequam contingant, animum paratum instructumque consilijs inuenient, cum in quempiam inciderint. *Præcogniti mali* (inquit Seneca) *mollis ictus venit; ideo sapiens assuescit futuris malis, & quæ alij diu patiendo leuia faciunt, hic leuia facit diu cogitando*. Liquidum autem est omnia, quæ nunc retinemus, nullo ferme fundamento subsistere, sed ad quemlibet flatum vacillare; paleæ sunt, & fortunæ ludibria. Perpetua non est spiratio felicis auræ, nec semper atro nimbo cęlum inuoluitur. Sed quemadmodum annus ęstate hyemeque inuicem succedentibus constat: ita humana vita prosperitate & infortunijs alternatim moderatur. Cirus persarum Rex (vt narrat Cedrenus) superba elatus victoria, captos reges currui suo æquorum loco aptauit; atque eorum nixu seruili admodum trahi solitus. Dum autem quodam tempore plures operi intenderent incurui, illorum vnus oculos sępius reflexit ad rotam vehiculi: quod cum deprehendisset Cirus, facti rationem ab eo postulauit, & quidnam in illa rota animaduerteret, ab illo quæsuit: cui captiuus; rotæ volutatione à me inspecta, vicissitudinem rerum humanarum contemplor Ciri: & tu qui iam in solio sedes imperator, immunis prorsus non es à descensu, lapsu, aut ruina: neque ego iugatus modo, & ad terram vt vides depressus, spe prorsus vacuus sum euadendi ad meliora. Quo dicto iussit imperator illi loras solui, & in currum subuectus eius socius consedit. Non deponat idcirco animum, inopia aut vlla calamitate extenuatus. Graue est, quod sustinet, at non perpetuum. Imitari idcirco debemus agricolas, qui terrę semina mandant, non imbres, non niues, non damnum cogitantes, sed intendentes solum in futurum emolumentum: ita incurrente in nos aduersitate, respiciendum non est ad erumnam pręsentem, sed spe melioris euentus erigendus animus, & ad ea quæ ventura sunt prospera, grata iucundaq; expectatione transferendus.

Senec. ep. 77.

Cedren. in Cir.

Tristitiæ causa plerunq; non diuturna.

Explicantur aliquot aliæ rationes, quæ contra tristitiam, ex quacunque ortam calamitate, maxime ex damno rei temporalis, infamia, aut morte, animum munire ac roborare possunt.

CAPVT XVII.

SI patris ferientem manum emollito patientique animo sustineat filius, quod sciat benignissimi progenitoris correctionem esse, non iniusti tyranni cruditatem: profecto cum ex diuina cura, quam erga nos gerit clementissimus Deus, (quocũ arctiori vinculo propinquitatis naturalis copulamur, quã cũ quolibet alio parente) acerba omnia eueniant, incidantque in animos aut corpora: nobis debent esse tolerabilia, si non grata, & suauitate plenissima: neque exinde solum quod virtutum emolumenta adferant, verum etiam quod diuinæ prouidentiæ, in quam nullus error, nulla iniquitas incurrere possunt, effecta sint & impressiones. Si enim sigillum aureum, quod accurata incisione elegantem aliquam suscepit formam, in cera deforme non relinquit simulachrum sui, sed parili elegantia elaboratum: manus Dei, quæ ipsa est ęquitatis regula, distorta à ratione recta, pręposteraa, inuersa, factu turpia operari nequit aut effingere: sed quęcunque demum efficiet, ea consona erunt primæ & deputatæ intelligentiæ: proinde pulchra, aspectu digna, pręstantissima. Quocirca aduersa quęlibet, quæ Dei opificio existunt, nihil tetri aut trucis habent, quæ nobis doloris sensum eliciant: quin potius considerantes ea in ipsum Deum, vti authorem, recurrere, optima videbuntur: quippe diuinis rationibus consentientia. Qua in re leniter nimis de prouidentia Dei disputans Clemens Alexand. sensisse existimatur; qui bonorum afflictiones, eorundem cruciatus atque martyria repellere videtur ab effectionibus diuinis, putauit forte clementię benignitatique numinis hæc acerbiora repugnare, vel si quis mauult, adiunctam iniquitatis labem, quã illatam sibi habent, quorum opera existunt inique, considerans, ea exemit ex numero effectorum à Deo, permissionem tantũmodo eisdem attribuens, quod diuinitus non impediantur. Sic vero ipse loquitur: *Neque enim Dominus passus est voluntate patris, nec qui patitur persequutionem, eam Dei voluntate patitur.* Et deinceps: *Restat igitur vt breuiter dicamus, ea quæ sunt huiusmodi, euenire Deo non prohibente.* Ceterum haud in disceptationẽ modo venit

Mala à Deo, idcirco leuia & ferenda.

Clemens Alexand. 4 strom.

venit inter Theologos: quin certo definiendum, cuncta, in quibus
Amos 3. noxa culpæ non reperitur, Dei effectione fieri ac existere. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit?* Ipse etenim aut in scelerũ vindictam pęnas incutit malis, vel ad incrementum virtutis, optimos quosque aduersis ferit ac pulsat, idque manu sua. Cui idcirco Deus charus est, eidē molesta ea esse nequeunt, quæ eius nutu ac imperio contingunt. Nam sicut in se diuinum Numen fontem quendam bonitatis habet, cuius intuitu ferrea etiam pectora ad eius amorem incitantur: ita quę externa emanatione ab ipso prodeunt, quod causam optimam perfectissimamque sortiantur: cum æquissima tum amabilia censeri debent: purę enim limpidęque scaturigines turbatum & fęculentum liquorē in canales & elices non effundunt. Si enim opus aliquod pęnes nos effectum ab amico iam absente ideo nobis gratum sit, quod eius memoriam, quem diligimus, sępius refricet: quomodo non arridebit quęlibet exustio, aut vulnus etiam, quibus ad sui cogitationem nos Deus excitat, & quasi impacta alapa nos sui nostrique commonet officij; ac si diceret: in me respice, à quo vultum auertis; mei sis memor, cuius obliuionem suscepisti? Verum quidem est, nos tarditate cogitationis nostræ pręceditos, mente adsequi non posse semper causas, ob quas in particulari sępius cęlitus acerbitate aliqua excipimur: tamen cum in vniuersum intelligamus, iubente Deo statutum ac decretum, æquum iustumq; transcurrere non posse: Credendum omnino à diuina mente perpessioni præfixum esse aliquem finem, qui cum ipsius honori, tum nostræ quoque commoditati, aptissime consentiat. Hæc sane meditatio non solum incussum malum efficiet leuius, quinimo plurimum iuuabit, vt penitus propulsetur. Quemadmodum enim puer à patre castigatus, si miti animo prima verbera perferat, & (quod faciunt quam plurimi) virgam ipsam deosculetur, paternum animum ad indulgentiā inflectit, ac in lachrymas soluit: ita cum viderit
Psal. 37. Deus nos cum Psalmista in flagella esse paratos, ipsamque erumnam ac spinam diligere, quod ipsius manu nobis infixam: iracundiæ suæ absque dubio non parum remittet: imo benignitate effusus in collum ruet ad ipsius genua deuoluti. Cruorem ictus eliciunt, fateor; sensus diuexant cruciatus, haud inficias eo; tamen si manum illam splendentem ac pretiosam cęlo protensam intueamur, cuius vi nobis inferuntur, amabilis quędam supplicij species oculis obuersabitur, ac fauo mellis absynthij acrimonia temperabitur.

Quod si dura omnia & acerba, quæ in nos immittit Deus, nostra vtilitatem spectent, & quasi nobis aperiant amplissimum campum, in quo

quo nostra virtus liberius excurrat: quæ tandem obsecro causa queri- *Aduersæ res nobis commodæ.*
moniæ supererit, aut muliebris complorationis? In hac etenim lucta
& concertatione, quam humana vita profitetur, non certatur de pos-
sessione fundi, de orbis imperio, nõ de nominis gloria, non de cumulis
diuitiarum: quæ omnia tanta contentione merito indigna reputan-
tur: qui enim horum cura distinentur, iudicio Diogenis similes sunt *Plutarch. lib. de virt. Moral.*
pueris, in foro litigantibus, ac pugnis sese inuicem impetentibus, rei
ludicræ causa. Sed hic agitur de virtute, naturæ nostræ vnico orna-
mento, atq; industrię pręmio singulari. Quamobrem si modo ad hanc
virtutem comparandam acerbi casus & infortunia multum opis adfe-
rant: deprædicanda absq; dubio diuina in nos cura, cum tanta clemẽ-
tia coniuncta, optanda potius calamitas, cuius accessu fęces ac stipu-
læ inanes absumuntur: splendor vero, decus, ac momentũ animæ pro-
bantur atque comparantur. Patris erga liberos amor cõmendatur, &
maternæ affectioni vel teneritudini merito pręfertur. Pater autem
durus & austerus nonnunquam suis apparet, increpationibus assiduis,
illis in memoriam sui officij cogitationem reuocat, ardua, difficilia
effectu, quippe ad famam & celebritatem comparata, illis pręcipit, do-
mi eos lentescere aut otio luxuque defluere non permittit. Mater
autem contrarijs prorsus intenta studijs, ita erga liberos ex animæ
quadam impotentia afficitur: vt cupiat illos in segnitie ac delicijs con-
senescere, parietibusque includi: timens ne ventorum flatu abripian-
tur, aut traijciantur inclementiore spiramine. Deus autem patris mu-
nere erga nos fungitur, proinde quos præcipua beneuolentia prose-
quitur, eos foras educit in campum, in arenam: instar aquilæ, pullorum
suorum apertos oculos soli recta exponit, rerum aduersitate cingit, ac *Deut. 32.*
prouocat ad volatum: patris loco est, qui nostram quærit gloriam
atque emolumentum. Quod prudenter sane animaduersum est à Se- *Senec. lib. de trãquil.*
neca. Nemo autem est, qui non videt asperitatem fortunæ ad virtu-
tem multum conducere. Hac etenim ad blandientes, molles, & in-
fractas voluptatum cantilenas aures veluti cera obserantur, mens ad
Numinis subsidium implorandum sursum excitatur, concupiscentiæ
fomes comprimitur, noxijs cupiditatibus animus liberatur, nęui &
labes vitiorum absterguntur, nitida demum inde animæ facies
collucet. Abrahamum patriarcham veneror: at hunc extulit exi-
lium. Iosephum castissimũ admiror: Ægyptiaco verum carcere decus
est indeptus. Supremum in terris pastorem suspicio Petrum: hunc
lachrymæ & fletus abluerunt. Paulum gentium doctorẽ deprædico:
ad terram prostratus impius, surrexit pius & Apostolus. Quare cum
homines

homines intorpuerint,& in vtramque aurem (vt dicitur) voluptatibus dediti indormierint: nihil eos ita ad diligentem sui curam prouocat, aut denuo ad virtutem informat, atque immissa tribulatio: veluti si ruentis domus fragor, & partium collisio strepens, desidiose intus dormienti somnũ excuterent. Atque huc spectant omnes clades, quibus Christi Ecclesia conflictatur: vti nimirum disiectis dissipatisque cineribus, carbones latentes obtectęque candescant magis: & vt lima auro rubigo abrasa pereat, atque metallum inde purius remaneat.

Cyp. lib. de lapsis. Hanc quippe causam aduersorum casuum adsignauit D. Cyprianus. *Dominus probari suam familiam voluit, & quia traditã nobis diuinitus disciplinam pax longa corruperat: iacentem fidem, & pene dixerim dormientem, censura cælestis erexit.* Stella illa, quã in Apocalypsi Theologus absynthium nuncupauit, aduersitatem significat.

Vexatio dat intellectũ. Apoc. 8. Est quidem absynthium herba amara admodum & insuauis: oculis tamen expurgandis salubris valde. Ita vexatio istęc sensui est ingrata, rationem nihilo secius, mentis oculum serenat, & erroris cęcitatem fugat. Ita Iosephi fratres, cum acerbitatem iniquæ & aduersæ fortunæ persensissent, sensus ipsorum ac intelligentiæ puriores effectæ, culpam suam quantocius agnouerunt.

Gen. 42. *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum.* Nemo itaque militum, cui animus adest generosus, lamentabitur, aut de suo conqueret imperatore, si ad stationem ab ipso periculis vndique obiectam destinetur. Hinc namque militaris gloria acquiritur, virtusque probata illustrior euadit. Ita nullus, nisi animo fuerit prorsus ignobili & abiecto, ægre molesteque feret se varijs iniquæ fortunę casibus obiacere: quandoquidem huiusmodi euentuum rigore occasio ipsi offeratur pulcherrima exercendi virtutes.

Sen. lib. de tranquil. Quare (vt inquit Seneca) *Pessimus est miles, qui ducem suum gemens sequitur.* Hanc itaque persequutionem recte appel-

Tertul. lib. de fuga. lat Tertullianus ventilabrum Dei, in area dissipans paleas: scalam etiam Iacob, qua ad cęlos adscenditur.

Pers. cap. 2 *Ouid. lib. 1. de Pont.* *Prosper. in epigram.*

Sæpe creat molles aspera spina rosas.
Et curat medicus vulnera vulneribus.
Ad veniam tendunt iusti, pia verbera regis.

Virtus (vt inquit Apostolus) *in infirmitate perficitur. Non igitur* (vti admonet D. Chrysostomus) *conficiamur præsentibus malis. Si enim peccata habeas, destruentur & comburentur facile per tribulationem: si vero virtutem habeas, illustraris & elucidaris ab ipsa.*

2. Cor 12. Chrysost. homil. 4. ad pop. *Tribulationis bona.* Quare vti multiplicem vtilitatem ex aduersitate ad compendium reuocemus: iuuat hæc imprimis ad animæ excitationem in Deum. Quando enim acerbæ fortunæ oneri ferme succumbimus, diligentius tunc diuinitus auxilium dimittendũ imploramus.

ramus. Atque humana ope destituti, oculos mærore plenos ad cælum studiosius eleuamus: quemadmodum & nauta intempestiua nocte, fluctibus iactatus, auulsusque ab omni portu longius, stellam illam superius defixam contemplatur: nihil inferius intuens, vnde subsidium acquirat. Porro fastũ reprimit ac coërcet infortunium. Videmus namque nos occursantibus malis vndique patêre, ac eisdem facile superari posse, imbecilles esse ad sustinendos impetus hos aduersitatum. Proinde modice de nobisipsis sentimus, aliena ope ita ad omnem motum aduersum indigentibus. Materiam quoque libidinis absumit tribulatio. Carnem mentemque fęculenta liberat colluuione. Et vt non prius in fornacem iniectum aurum extrahitur inde ab artifice, quam probe ac sincere fuerit expurgatum, omnesque adgestas sordes penitus consumptas viderit: neq; citharędus tensionẽ nerui remittit, quousque aure senserit ad concordiam debitumque reductum sonum: ita Deus aduersis casibus nos ferire non desinit, quam diu in nostris flagrat nociua cupiditas animis: aut cessat carnem durius tractare, eam menti rebellem esse despiciens. Nullus quidem bonorum ab hac lege exemptus. *Omnes enim* (vt inquit Apostolus) *qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persequutionem patientur.* Quod quidem significasse arbitratur D. Amb. flammeũ illum gladũ, pro paradisi porta angeli manu vibratum: quasi nemini in cęlum pateret ingressus, nisi quem aduersitatis ignis attigerit atque exusserit. Quocirca inter beatitudines prima recensetur paupertas, qua rerum ac substantiæ familiaris fit amissio atque iactura. *Beati pauperes spiritu.* In quem locum hæc disseruit D. Ambrosius: *Inde incipit beatitudo iudicio diuino, vbi ærumna æstimatur humana.*

2. Tim 3.
Ambros. in psal. 38.
Gen. 3.
Math. 5.
Ambros. in 6. cap. Luc.

Nihil autem ita dolorem adferre videtur, aut infortunij aculeos exacuere, atque illa aduersitas, cuius causam nobiscũ inquirentes, minime noticia nostra adsequimur: vel quando nobis insontibus quidpiam acerbi accidisse reputamus. Proderit idcirco ad mitigandã hanc acrimoniam, altior factorum à nobis repetitio atque ęstimatio: vti intelligamus Deum, alioquin pronum ad benefaciendum, crimen plerumque aliquod nostrum impulisse ad vindictam. Si namque celebriores orbis clades animis atque intelligentijs percurramus, quibus integra imperia conciderunt, occurret nobis peccatum, quod immani quadam vi omnia illa euertit ac pessumdedit. Peccatum inquam naturam humanam obstinata defectione corrupit primũ, ac propemodum perfregit. Idem miserijs vniuersum mundum infinitis cooperuit, terram corporum strage constrauit, Tartareos recessus improborũ ruinis

Causa tristitiæ inuẽta, quæ plerumq; est peccatum, leuamen adferet.

 repleuit,

repleuit, amæna illa cælorum spatia denudauit. Vnde D. Augustinus *Omnis iniquitas parua magnave sit, puniatur necesse est, aut ab ipso homine pœnitete, aut à Deo vindicante.* Hominum culpæ clementissimum Dei, vti parentis vultum, in Iudicis seueram, minacem, toruamque frontem demutarunt. Ita innocentis Abelis effusus in terram sanguis, pęnas fratricidæ infligendas ingenti quodam clamore ab ipso Deo postulauit, & è cęlo tandem in impium deuocauit. Infamis illa Sodomorum turpitudo ad cęlos vsque quodammodo excreuit, ignesq; elicuit inde, in flagitiosorum capita deuoluendos. Quid obsecro Iudęorum genti exterminium, nobilissimo templo excidium intulit, an non peccatum? Antiochus Hierosolymum cepit, cladem tamen ipsorum flagitia anteuerterant. De quibus dicitur: *In diebus illis exierunt ex Israel fili iniqui, & suaserunt multis dicentes, eamus & disponamus testamentum cum gentibus, quæ circa nos sunt.* Veramque causam deuastationis Machabęus ille indicauit: *Noli frustra errare, nos enim propter nosipsos hoc patimur, peccantes in Deum nostrum, & digna admiratione facta sunt in nobis.* Simile quid sub Tito ac Vespasiano Imp. Iudæorum extirpationem ferme ac internecionem procurauit. Eorum etenim mores ita descripsit Iosephus: *Ipsis autem indigenis ad quæstum quidem ac lites ora patent.* Sacerdotes vero (vti in libris regum narratur) stupra exercebant in ipso templo. Propterea scelerum latibulum, euersum fuit hostili manu, flammisq; deuastatum: vti etiam D. Hieron adnotauit. *Propter vitia sacerdotum, Dei sanctuarium destitutum est.* Ariano gladio orthodoxa fides ferme concidit, atque orbe propemodum exulauit terrarum. Delicta tamem quorundam hominum furores illos excitarunt, atque primum inuexerunt: vti testatum reliquerunt adsertionibus suis Athanas. & Greg. Naz. Gothica barbaries Romano infesta imperio, sceleribus euocata, congelatas frigore horridasque sedes deseruit natiuas, & in florentissima orbis arua atque emporia inuolauit armis: sanguine & tabo omnia fędauit. Sed vt inquit D. Hieron. *Nostris peccatis, barbari fortes sunt, vitijs Romanus exercitus superatur.* Cum etiam ciuitas Mediolanensis ad incursionem hanc Geticam trepidaret, ciuesque de fuga capessenda deliberarent: istis D. Ambrosius eos commonefactos esse voluit: *Ciuitati non nisi propter ciuium peccata infertur excidium, desine ergo peccare, & ciuitas non peribit. Quid fugis patriam? si vis saluus esse, tua potius peccata subterfuge. Si tu peccare desieris, victus est inimicus.* Vitæ turpitudo, quæ Aphros dehonestarat, infinitam illam turbam ac fęcem VVandalorum in ipsorum fines induxit: vti lugubri historia posteritati consignatũ reliquit Saluianus. Sed neq; Galli, qui eorundẽ truculentiã experti sunt, à scelere prorsus immunes

extitere.

August. in Psal. 58.
Gen. 4.
Gen. 18.
Iudæi castigati propter peccata
Machab. lib 1. cap. 1.
Machab. lib 2. cap. 7.
Ioseph. prolog. lib. de bello. Iud.
3 Reg. 2.
Hieron. ep. 48.
Persequutio Ariana propter peccata.
Athanas. ep. ad solit.
Greg. Naz. orat. de pace.
Gothica persequutio propter peccata.
Hieron. epit. Nepot
Ambros. serm. 85.
VVandalica persequutio propter peccata.
Saluian. lib de Iudic.

extitere. Ipſorum enim dynaſtę miſera ſeruitute pauperes depreſſos ac male acceptos habuerunt. Hæc enim idem Saluianus teſtatur. *Quæ enim ſunt non modo vrbes, ſed etiam municipia atque vici, vbi non quot curiales ſiunt, tot tyranni ſunt?* Alaricus Gothorum imperator (vti à Deo ſciamus vitiorum cauſa malis flagellum inferri) Romam expugnatum proficiſcitur. Cui obuius factus quidam monachus ſupplici prece barbari efferatum animum emollire ac cicurare orditur. Oratque vti à ceptis deſiſtat conſilijs: iniquam aſſerens rem eſſe & inhumanam, vrbis faciem ſanguinis riuis ac cadauerum ſanie inficere & polluere. Monacho reſpondit Alaricus: Neque volens hæc ipſe aggredior, adſtat mihi non longe à latere quidam, qui me vrget, Romæ excidium præcipit. Simili modo ſanctus Lupus epiſcopali habitu indutus furenti Attilæ occurrit: quem quod ipſe ſciret diuinitus inſtigatũ, ad vindictam peccatorum ſumendam à nepharijs, iſtis compellauit. *Veni igitur Dei mei flagellum, illoque vtere, vt Deus concedit.* Tamberlanes Scytha aut cruentus crudusque graſſator ſe orbis cladem nominauit, ab ipſo Deo conſtitutam. Saraceni, nephandiſſima Turcarum progenies, Hiſpanias olim deuaſtarunt. Ceterum hiſpanorum ſcelera tantum malorum, ſuæ ipſorum patriæ conſciuerunt, viꝗ illam barbaricam efferarunt, ac ruinas omnes ſtrageſque, quas illi immanes ediderunt, dum Dei iram concitarent, perfecerunt. Narrat quippe Lucas Tudenſis, quomodo turpiſſimi regis VVitizæ moribus inducti Hiſpani in flagitioſam vitã deflexerant. *Iſte quidem probroſus & flagitioſus fuit, & multa nephanda & horribilia flagitia per Hiſpanias ſeminauit: & ad voluptates carnis, ſoluto impudicitiæ freno, ſe fornicationibus multis dedidit, & gentem Gothorum ad laſciuiam, luxuriam, & ſuperbiam inclinauit.* Atque ſic demum præeuntibus criminibus, furor ille Saracenicus Hiſpanorum gloriam propemodum extinxit. Nunc autem venio ad res patrias, atque ad domeſticas accedam. Picti olim Britanniam noſtram depopulati ſunt, eamque funeſtarunt ſtrage pluſquam inhumana. Ruinæ vero cauſam dedit vita ſceleribus coinquinata, hæc ſane pictorum enſes diſtrinxit, exacuit ad ictum, eorum animos efferauit ad ſuppliciũ. Ita enim à Oilda relatum accepimus: *Si quis eorum mitior, & veritati aliquatenus propior videretur: in hunc quaſi Britanniæ ſubuerſorem omnium odia telaque ſine reſpectu contorquebantur. Et omnia quæ diſplicuerint, deoque placuerint, æquali ſaltem lance pendebantur.* Et mox: *Et non ſolum ſeculares viri, ſed & ipſe grex Domini, eiuſque paſtores, qui exemplo omni plebi eſſe debuerunt: ebrietate quamplurimi qua vino madidi torpebant, reſoluti, & animoſitatis tumore, iurgiorum contentione, inuidiæ rapacibus vnguibus, indiſcreto boni, malique iudicio capiebantur.* Reflectentes cogitationes

Saluian. l. 5. de Iudic.

Zoſom lib. 9. cap. 6.

Alaricus inſtigatus à numine, ad ſupplicĩu malis inferendũ.

Pet. in catal. l. 1. c. 1.

Attila flagelũ Dei propter peccata.

Tamberlanes orbis cladis propter peccata

Lucas Tud. apud Baron. tomo. 8 pag 641.

Coſmog. Munſter. lib. de Turcia.

Picti propter peccata britannorũ à Deo excitati.

Gil. de excid. Britan.

nes nostras retro ad priora secula, fortassis veram quoque inueniemus causam perpessionis hodiernæ, qua acerbe admodum orthodoxi tractamur. Absque dubio flagellum peccata vltori tradidere: ne diuinam aliquis prouidentiam incuset, & non potius prauitatem nostram. Parce loquor, quod illis parcam, quorum salutem sanguine meo comparare non dubitarem. Demum vti à rebus publicis ad priuata negotia veniamus: quid infami illa nota lepræ impudicā Osiæ frontē consignauit? peccatū. Quid Iosue, atq; suis septimū ab ingressu in Palestinā diem prope fatalem reddidit? peccatū. Quid progressum vitæ Ochosiæ abscidit, & huic sententiæ subiecit: *De lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris?* Peccatū. Quid Iudaicas acies toties fugauit, deuicit? non hostilis manus, sed hostile peccatum: Deniq; omnia mala secum adfert peccatū. *Ex peccato* (inquit Chrysost.) *tristitia, ex peccato tumultus, ex peccato bella, morbi, atque omnes quotquot nos premunt passiones.* Quod cum bene firmiterq; eius animo documentū infixū esset: exilio aut quauis alia ærumna oppressus, semper hoc voce ac animo ingeminauit: *Gloria Deo, omniū authori.* Quocirca posteaquā compertū habuerimus, scelerum causa nos aduersa sustinere, & iustā pro iniustis factis castigationē commeritos: æquo sane animo omnia videbūtur toleranda. Istis enim nobis in mentem reuocat Deus obliuioni traditū officiū: ipsum peccatū, quod malū consciuit, aduersitas odibile ac portentosum constituit: spem ingerit animis, nos horrendos illos cruciatus euitaturos, modica hac pena expiatos. Fateri idcirco debemus cum D. Greg. Nazian. ac dicere: *Miserationes tuas Dñe, & clementiam tuam, & viscera misericordiæ Dei, nostris vitijs, & conciliorū nostrorū nequitia, & peruersitate nobis præclusimus. Ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius. Ego occidam, & ego viuere faciam.* Hinc etiam orietur magna quædam animi confidentia in Deū, cuius Numini subnixus homo, erectus semper erit contra impetum doloris. Qui enim fragili arena despumantis oceani fluctus coërcet, idem fragili carne, sua gratia corroborata, quamcunque repellet fortunæ seuitiam. Ancora nostra infixa cęlo, nauem tutabit à naufragio.

2 Paralip. cap. 26. *Iosue 1.* *3. Reg. 1.* *Num. 25.* *Omnia mala propter peccatum.* *Chrysost. homil 5. de pænit. Author eius vit.* *Greg. Naz. orat. de plag. grand* *Psal. 29.* *Deut. 32.* *Hierem. 5.*

Recreandus pręterea est animus languescens, viriditate ac flagrantia illorum exemplorum, in quibus malorum tolerantiam pulcrius expressam licet intueri. Sic enim incitabitur mens ad cursum quomodocunque fuerit prępedita dolore. Methodum quoque traditam despiciet, sulcandi immanes hosce vortices iniquioris fortunæ. Quo in genere omnium excellentissime eluxit Christus Dominus ac saluator noster. Quem recenter natum infantulum pręsepium hospitio excepit, ętate florentem dira crux extinxit, imperio orbis potitum, sponte suscepta

Exempla eorū, qui patientia claruerūt, afflictis ad ferunt solamen. *Christi patiētia pres-*

suscepta paupertas ad tenuem fortunam redegit, nominis eius famam blasphema ora denigrarũt, carnẽ flagella lacerarunt; claui, spinę, lanceã vulnerarunt. Cum autem vnicornis iste pretiosum illud & saluberrimum cornu in aquas tribulationis iam immiserit: cur diutius onagri aut bestiæ agri expectãt in siti sua? quare easdẽ bibere extimescimus? imo potius cur trepidamus, aut metu impedimur, quo minus nos in illas penitus immergamus? Quis ita scelere vacuus, vt Christus? Nemo tamen atrociora pertulit scelerum supplicia. Quis ita charitate ardens? nullus tamen illo truculentius vnquam tractatus. Quis animæ corporisq; teneritudine ac mollitie ita comparatus ad pænam ac ille? ferrea tamen aliorum latera, nihil vsque adeo duri senserunt. Quis simili iure ac imperio amoliri potuerit à se illatas iniurias, & inuadentium impietatem inflictis pęnis frangere, repellere, ac vendicare? nihilosecius se abiecit ad omnem perpessionem: veluti si ad omnia imbecillis plane esset & eneruis. Quibus in vnum collatis, clare liquet, nullum vnquã in aliquo talem dolorem extitisse, qualem in se Christus admisit. Quo quidem dimissionis suę gradu Cedrus in Libano, ipsisque stellis in firmamento excelsior, ad terram depressa, humiles inibi radices egit, ac hyssopus saxis agnata fieri voluit. Admirabilem tamen istius herbulæ vim agnoscentes, qui fide collustrantur, sic vota soluunt. *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor.* Neminem ingenuum duco, qui membrũ cupiat esse delicatũ, & Persarum more molle ac tenerum sub capite spinoso. Horum aspectus mentem animabit armabitque ad fortia, ad acerba quęque toleranda. Cauendum autem ne nobis confligentibus, vlla nostra hęc incuria è memoria excidant. Si enim quod scribit Cornel. Tacitus mos inoleuit pęnes Romanos, certo quodam in loco vita defunctis imagines ponere, cum carminibus, quibus ipsorũ virtutes describebantur: istius defuncti & pro nobis, nimirum Christi, viuam expressionem aliquam nemo nisi ingratus & sui immemor animo deponet. Delicias autem aspernabimur continenter, cogitantes de ærumnis, de spinis, ac iniquis huius pressuris. Maris istius excitati fluctus neminem terreant: Ducem sequimur, cui maria & venti obediũt. Modicę fidei Petrus quondam calcans hosce vortices, pauore concussus trepidauit & extimuit, atque quod habebat humani ostendit: Christo autem manum ad ipsum extendente, securitas anxietati successit & turbulentiæ. Cæsar parua in scapha, se irato mari cõmittens, timidum nautam istis animauit: *Cæsarem vehis, & fortunam eius, quid times?* Verum cum Christus, tanquam cæta ipso mare aduersitatũ implicetur, tuto quemadmodum

Furas nostras suaues fecit.

Psal. 103.

Psal. 50.

Herod. l. 1.

Cornel. Tacit. lib. 3. Anal.

Math. 8.

Dio lib. 4.

Ion. 1. & Ionas dicere possumus, *Proijcite me in mare*, Christus enim nos excipiens, ad littus portabit illęsos. Hunc quidem omnes imitati sancti, in agonem & stadium ingressi; quorum habitum & formam ita describit Apostolus: *Alij vero ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres. Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. In solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, in cauernis terræ.* Hos autem, in hac mole pressuræ, diuina manus sustentauit: aqua fluens ex petra, Petra autem erat Christus, eosdem perpessionis amore inebriauit. Qua quidem aduersitate mali à bonis secernuntur: ipsi vero tanquam leues paleę, non ferentes flatum ventilabri, dissipantur. Hi autem, tanquam optimum & expurgatum triticum, in area manent ac perseuerant. *Non patitur Dominus*, (vt inquit Cyprianus) *populi sui protector & tutor, triticum de area sua diripi, sed solæ possunt paleæ de Ecclesia separari.* Et alibi: *Triticum non rapit ventus, nec arbores solida radice fundatas procella subuertit. Inanes paleæ tempestate iactantur. Inualidæ arbores turbinis incursione euertuntur.* Quid? volumusne vt triticum seruari in area Domini? quorsum tunc ventilationem refugimus. Seiungi optabile nobis erit à perditis ac nefarijs, & Christo inhærere? audiendus erit Augustinus: *Quamdiu oliua in arbore pendet, tamdiu simul est illud quod abijcitur, & illud quod seruatur: sed quando ventum est ad torcular, tunc fit separatio.*

Heb. 11.

1. Cor. 10.

Cyp. 69. ep.

Cyp. ep. 40

August. in psal. 80.

Quod si velimus recto imperturbatoq; iudicio earum rerum momenta expendere, quarum iactura nos torquet & acerbe habet: nonnihil suscepti doloris peribit: imo pudebit puerorum instar, amissis crepundijs, aërem hucusque nos clamoribus replesse. Si diuitias infortunium abripuerit, cum illis intelligemus excidisse compedes, quibus animus constrictus duram seruierat seruitutem: & quod deinceps liber sit, ad cogitationem rerum cælestium; & expeditus plane ad honesta virtutum instituta.

Leuia quæ in hac vita amittimus.

Homer. Iliad. 2.

Nec Agamemnona regem dulcis habebat somnus,
Multigenas versantem pectore curas.

Dominatum fortassis aduersa fortuna deiecit. Quid tum? curas exemit, speciosum carcerem perfregit. Multi etiam prouidis consilijs ea vltro abdicarunt, quæ tu forte dimissa deploras. Memorabile illud iudicium Diocletiani, post imperium vitam priuatam degentis. Cum enim Maximianus & Galerius ipsum per literas solicitarent ad resumendum imperium: illis rescripsit, quod si scirent ipsi herbarum ordines, quos sua manu seuerat, nequaquam de imperio iterum administrando verba facerent. Sabachus Ægyptiorum Rex, in Æthopiam priuatus

Euseb. lib. hist. 10.

Diod. sicul.

priuatus rediјt lubentiſſime. Vtrũ autẽ Themiſtocles duriter nimis ſenſerit de obeundo magiſtratu, aliarum ſit iudicium. Hic (vt refert Elianus) functionem publicam oblatã reſpuens, dixit: Si mihi duas oſtenderitis vias, quarum vna ad inferos, altera ad tribunal duceret: multo lubentius ingrederer eam quæ recta ad inferos tenderet. Porro quis neſcius eſt, res humanas varijs caſibus eſſe ſubiectas? tandemq; aduenturum tempus, quo denudati, omnibuſque expoliati, eijciendi ſimus ad fumus? Si patria pulſi extorres per ignotas orbis oras vagemur, communem patronum habemus Deum: à quo (ni culpa noſtra intercedat) diuelli non poſſumus: alioquin (vt loquitur D. Auguſtinus) miſerrimum eſſet exilium, ſi eo duceremur, quo Deũ non inueniremus. Male autem nonnullos habet, quod inuidentium opprobrijs onerentur. Non ignoro quidem naturam hominis inſtitutam eſſe ad appetentiam famæ, nec ęque aliquid auerſari vti ignominiæ labem. Verumtamen ſi ipſam ſolidam virtutem animis teneamus, parum erit humanæ laudis vmbra carere, aut adſcititijs coloribus aſſentationis deſtitui. Vulgari ferme opinione innititur exiſtimatio: quæ cum falſa ſępius, tum varia & inconſtans perpetuo. Lingua maledica foras tantummodo ſtrepit, veſtibus minatur, & fortunæ ornamentis: ſanguini aut vitæ haud infeſta: quæ in virtute conſiſtunt. *Aequo animo* (inquit Seneca) *audienda ſunt imperitorum conuitia, & ad honeſta vadenti contemnendus eſt ipſe contemptus. Quid enim tibi cura eſt, ſi ab imperitis contemnaris: cum ab his laudari non eſt honor?* Atque ad expellendum hunc dolorem, huiuſmodi dilemma multum conferet. Illatam nobis calumniam culpa noſtra contraximus, vel aliorũ maleuolentia. Si ex culpa prouenerit: tanquã intentato in nos gladio, aut vibrata haſta, ita incuſſa opprobriæ nota deterremur à vitio, quo nihil optabilius: Deo etiam quodammodo ſatisfacimus, lubentibus animis delicti pęnas ſoluentes: quo nihil vtilius. Sin vero externa malitia hanc labem nomini noſtro intulerit: fortis viri erit contumeliam tanquam plumam in nos congeſtam, vel emiſſos atomos contemnere. Enimuero obſcurata ad tempus veri honeſtique facies, depulſo errore ſua luce non ita diu poſtea in omnium oculis fulgebit. At grauiſſimum malum mors eſt, inquies, humanorum caſuum vltimum & aſperrimum. Huius ſtimulos acutiſſimos fateor: Nihilominus multa ſunt quæ inde animo conceptum dolorem leuant extenuantque. Imprimis autem ea cogitatio qua exiſtimamus debitum eſſe quoddam naturæ, vt aliquando moriamur. Huic neceſſitati ſubiecti, in mundum intrauimus lachrymantes, eundemque aliorum lachrymis deplorati relinquemus. E terra emer-

Elian. lib. 9. lect.

Auguſt. l. 1 ciuit. c. 14.

Senec. ep. 76.

Mortis malum tolerabile.

ſimus

Senec. lib. de remed. fortitud. Senec. lib 6 quæst.

simus in lucem,& à luce immergemur in terram. *Stultum est*, inquit Seneca, *timere quod vitare non potes.* Et alibi: *Contemne mortem,& omnia quæ ad mortem ducunt, siue bella fuerunt, siue naufragia, siue grauia pondera. Nunquid amplius facere possunt, quam vt corpus ab anima resoluant? quod nulla diligentia, nulla potentia euitari potest. Nam separatio corporis & animæ hominis vtramque partem suæ naturæ restituit, terræ debetur corpus, cum ex illa plasmatum fuerit, cælis autem immortalibus immortalis anima debetur.* Atque alio in loco: *Non est mors gloriosa, sed fortiter mori gloriosum. Quæ dementia est fugere, cum retroire non possis?* *Nam defluunt anni more fluentis aquæ.*

Ouid. 3. lib. de art.

Nec quæ præteriit, iterum reuocabitur vnda.
Nec quæ præterit hora redire potest.

Quod si varias etiam ęrumnas cogitemus, quibus hęc mortalis vita misere conflictatur, malorum omnium periodus & exitus mors tolerabilior multo apperebit. Corpus enim perpetuo animam vrget ad ea, à quibus proprio ingenio plurimum auertitur: vtpote ad voluptatum sordes, & erugines pecuniarum. *Aestuat, & sordes atque arcta vincla recusat.* Auellit etiam ipsam ab illis studijs, quæ circa virtutes & diuina occupantur: ad quæ tamen naturali quadam propensione inclinatur. Est itaque corpus hoc animæ carcer, seu potius (vt loquitur Plato) sepulchrum. Illius enim ratione animus varijs subijcitur conficiturque doloribus: morbis, infortunijs, inscitia, peccato opprimitur: quorum omnium vna curatio & leuamen mors est. *Cum autem vnicuique mortalium,* (inquit D. Augustinus) *sub quotidianis vitæ huius casibus, innumerabiles mortes quodammodo connectentur: quamdiu incertum est, quænam harum ventura sit, quæro vtrum satius sit, vnam perpeti moriendo, an omnes timere viuendo?* Et post: *Mala mors non est, quam bona vita præcessit, neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem.* Vnde Thracibus (vt scribit Herodotus) funera festa sunt, natalitia vero funebria mæstaque. At inter reliqua, quæ nobis doloris omnem sensum ex morte adimunt, cęlestis beatitudo, quæ morti succedit. Cuius opinionem si animis ex viua fide bene impressam haberemus: vnusquisque ad mortem tanquam epulas properaret. Hac etenim spe exciti quidam Indij, (vt narrat Paulus Venetus) illatis regis ipsorum ossibus in ignem, ipsi quoque se ac suos pręcipitant in rogum: credentes alia in vita, amissa hæc excepturos. Cur autem mors non optatur: *Quia fides deest* (inquit Cyprianus) *quia nemo credit vera esse, quæ promittit Deus. Exeuntes istinc necessitatis vinculo, non obsequio voluntatis, & volumus ab eo honorari, ad quem venimus inuiti.* Quemadmodum autem granum, haud prius vernantem floridamque spicam attollit, quam in terra computruerit: ita immensa illa beatitudinis

Prudent. in psichom. Plat. in Cratil. August. l. 1. de ciu. c. 11. Herodot. lib. 4. Paul. venet. lib. 3. cap. 24. Cyp. lib. de mortal.

dinis seges nobis non adueniet, nisi corpus in terra depositum corruptum fuerit, & in pulueres resolutum. Ad hoc pręmium respiciens D. Ambrosius, animo extitit confirmato & bene munito contra mortis impetum. Cum enim morbo defatigatus exhaustusque, etiamnum animam acturus: accurrunt amici, rogantque, vti à Deo longiorem adhuc vitam ardenti prece imploraret. Quibus respondit: *Non ita inter vos vixi, vt pudeat me viuere, nec timeo mori, quia Dominum bonum habemus.* *Atque* (vt ait Cicero) *turpis mors viro forti non potest accidere, neque immatura Consulari, nec misera sapienti.* Cum Angli proceres Regis sui Henrici quinti diuturnum morbum grauiter ferrent, & ob imminentem optimo principi mortem cumploratione ac dolore se ipsos simul ac regem ipsum molestarentur: eos consolatus est Rex moribundus: affirmans lętandum potius illis, & immortales Deo gratias agendas, quod memoria firma, in ipso virtutis cursu, cum nulla dedecoris labes anteactam vitã deturparat, ipsi esset morti cedendũ. Cuius idcirco pectus diuino amore flagrat, optabit horam illam, in qua corpore exutus libet euolet ad Deum: eiusque fruatur visione. Cupiet cum Apostolo dissolui, & esse cum Christo. Tentationum incerto subduci desiderabit, vt in illius manu sit, de qua nullus poterit eum abripere. Vbi non est dolor, neque clamor, neque luctus, quo fortunæ tela aut Satanæ iacula non pertingunt. *Nunquam est ille miser, cui facile est mori.* Atque hæc rationum capita strictim recollecta, ad mitigandum animi dolorem disputata sufficiant.

Paulin. in vita Amb.

Cicer. orat. 4. Catilan.

Grafton. Henric. 5.

Philip. 1.

Matth. 26.

Matth. 6.

Sen. in Her. Oet.

Tristitia, seu dolor, quem partem pænitentiæ constituunt orthodoxi, sicut & satisfactio, quæ laboriosis, sensibusq́ operibus admodum acerbis constat, peccato plurimũ sunt infesta. Quæ autem de istis sentiunt sectarij, procliuia multum sunt ad libidinẽ omnemq́ue vitæ turpitudinem.

CAPVT XVIII.



CVm nihil damnum aut nocumentum rebus afferat humanis, pręterquam peccatum: tum optimo iure hoc solum, iustam causam secum adducit doloris & tristitiæ. Dolendũ sane, teterrimam illam commissi sceleris vim animæ corporisq; fabricam deuastasse, illustrem vtriusq; partis effigiem funerea labe corrupisse, denique inuasisse in ipsum Deum,

Peccatũ vt summum malum, ita maxime deplorandum.

Deum, ingratitudine beneficiorum eius memoriam obliteraſſe,atque deſpectu quodam,ex perduellionis crimine,infeſta arma ſupremo Numini intentaſſe. Quis idcirco profeſſionis Chriſtianæ tam ferrei pectoris inuenietur, cuius animum pænitudo non emollit, dum ſerio perpendit culpæ grauioris noxam, ipſam hominis naturam ita peruertiſſe,eandẽ æterni ſupplicij reatu obſtrinxiſſe: & quod luctuoſius eſt,diuinis legibus ſummoque imperio reſtitiſſe? Merito idcirco orthodoxa doctrina (quam & definitio Tridentinę Synodus ſtabiliuit) dolorem ſeu triſtitiam approbat, veluti quendam animæ receſſum à morum turpitudine,quam delinquentes in ſeipſos admiſerant, & aptam animæ præparationem ad excipiendam iuſtitiæ formam eidem diuinitus infundendã. *Ac propterea mouẽtur* (inquit Synodus Tridentina) *aduerſus peccata, per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt per eam pænitentiam, quã ante baptiſmum agi oportet.* Quæ quidem deteſtatio & fuga triſtitiã cõplectitur: atq; (vt inquit Apoſtolus) *Secundum Deum eſt, & pænitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Secundum Deum quidem,non enim temporaniæ alicuius rei cauſa dolor iſtic ſuſcipitur, qui inanis prorſus eſt, nihilque confert niſi ad pęnam. Sed inde oritur,quod bonum clementemque Deum offendiſſe cogitantes,eo nomine horremus ad memoriam ſceleris; exiſtimantes bonitati diuinæ eiuſque charitati patratam culpam repugnaſſe. Neque enim tam languidi,reſides,remisſive eſſe debemus ad iuſtitiam recuperandam: vti nullo noſtro motu, ſed cęleſti ſolum influxu eam acquiri credamus. Torporem hunc ſomnolenti & deſidioſi ſectarij, non viuificante fide ſua,ſed emortua plane introduxerunt. Qua quidem humanæ virtutis neruos elidunt, ſocordiaque miſere obruunt mortaliũ animos. Quinimo qui aliquando exciti fuerimus voluptatis cupiditate,omniq; contentione vſi,qua rem ſenſibus gratam faceremus: ęquum eſt, vt iniquitatis arma in ipſam iniquitatem conuertamus,eodemque voluntatis nixu, quo ludicris iſtius mundi velificati fuerimus:iiſdem tandem nuntium remittamus,& cum hoſtili odio bellum indicemus. Verum quidem eſt,ad repellendum hunc animi morbum peccato illatum, vires naturæ noſtræ fractas admodum & debilitatas ſatis non eſſe:cęcutit enim intellectus ad veritatis aſpectũ,languet affectus ad virtutis operã: appetitus autẽ proclinis & rabidus ad voluptatis lenociniũ. Nihilo ſecius (vt inquit D.Thom.) *Neq; poteſt eſſe quod ſpiritualis curatio ſit totaliter ab exteriori. Non enim reſtitueretur ſanitas mentis,niſi ordinati motus voluntatis in homine cauſarentur:oportet igitur in pænitentiæ ſacramento,ſpiritualem ſalutem & ab interiori & ab exteriori procedere.* Eandem quoque ſententiam alibi perſequitur.

Cõcil. Trid. Seſſ. 6 c. 6. & 7. Can. 3 & cap. 14. Seſſ. 14. c. 4

2. Cor. 17.

Ad iuſtitiã requiritur motus arbitrij. Rom. 6.

D. Thom. 4 cont. gent. cap. 72.

Atque huc omnino ſpectant prophetarum voces, excitantes nos ad industriam, vireſq; animi exerendas. *Conuertimini, ſicut in profundum receſſeratis. Conuertimini, & agite penitentiam. Conuertimini ad me in toto corde veſtro.* Quod ſi nihil homines momenti conferant ad ipſorum iuſtitiam: imo ſi neq; libero inflexu voluntatis munus ſuum exequantur: inepto quodam ſono atque inani ſtrepitu clamores iſti diuini in aëra effuſi euanuerunt. Neque verus erit Auguſtinus, dum ita loquitur: *Adiutor noſter Deus dicitur, neque adiuuari poteſt, niſi qui aliquid ſponte conatur. Quia non ſicut in lapidibus inſenſatis, aut ſicut in iis, in quorum natura voluntatem rationemque non condidit, ſalutem noſtram Deus operatur in nobis.* Qui idcirco ſerio ac ſedulo excitamur diuinitus ad pęnitudinem, fugam haud adornamus hieme aut ſabbatho. Hęreticis autem hiemem facit charitatis defectus, ac amoris Dei: cuius virtute omnia florerent atque pubeſcerent: ſabbathum etiam libertas illa ſoluta adfert, quam ex ſua fide conſtituunt. Vnde otio torpentes bonis actionibus prorſus abſiſtunt.

D. Thom. 1. 2. q. 113. art. 5.
Eſa. 31.
Zach. 1.
Ioel. 2.
Auguſt. l. 2. de peccat. remiſſ. c. 5.
Matth. 24.

Remedium autem iſtud pęnitentiale contra delictum in animam admiſſum, melius intelligetur, ſi duplicis rationis dolorem peccati cauſa ſuſceptum, diſtinctius paulo explicauerimus, tractauerimuſque: vti perſpicuum euadat, de quonam doloris genere à nobis inſtituta ſit commentatio. Conſilium Tridentinum (quod & antiqui omnes Theologi obſeruarunt) quendam dolorem docuit eſſe imperfectum, attritionem autem vulgo appellant, quæ quidem criminis odium atque deteſtationē contineat, non tamen ex motiuo altiſſimo, omniumque ſupremo: ſed ſub ea ratione, qua vitium cōmiſſum ſua natura vt turpe quid ac fœdum dignoſcitur, atque vt delinquenti iuſte æternos cruciatus conſciſcit. Quibus ſane nominibus in cuiuſuis ſapientis odium flagitia incurrant. Iſte quidem dolor, cum ſemper annexam ſibi non habeat charitatem, tum vacat iuſtitia & peccatorum condonatione. Donum tamen quoddā eſt ſancti ſpiritus (vti pronunciatur à Tridentina Synodo) nobiſque inditus ad exactiorem penitentiam pręſtandam. Si vero huic ſacerdotalis abſolutio accedat, interim nihil confeſſionis integritati detractum fuerit, ſatis faciet ad iuſtitiam, & culparum egeſtionem obtinendam energia ſacramenti. Alius porro dolor eſt, multo hoc perfectior, atque ex obiecto excellentiori profectus: qui nempe oriatur ex intuitu culpæ admiſſæ, vti Dei offenſæ, eiuſque bonitati ac amicitiæ repugnantis: & auerſio eſt voluntatis à prauitate hac elapſæ actionis, quatenus ea ipſi Deo diſplicet, ipſiuſque legibus contrauenit. Quod quidem doloris genus à vera charitate atque iuſtitia nullo interſtitio ſeparari poterit. Nam vt inquit

Duplex dolor ob peccatum.
Cōcil. Trid. Seſſ. 14. c. 4.
Contritio & attritio

Ezech. 18. ſcriptura: *In quacunque hora ingemuerit peccator, iniquitatis eius non recordabor amplius.* Imo ita cum amore ipſius Dei, dolor. iſte, quem contritionem

Caiet. 1. 2. q. 8. art. 3. dicimus, copulatur: vti à multis Theologis exiſtimatum fuerit, vno eodemque actu vtraque contineri: eo quod eandem ſortiantur in obiecto rationem, ipſam nimirum Dei bonitatem: cuius cauſa cum ipſe Deus ametur, tum peccata eidem aduerſantia deteſtantur. Putarem tamen hæc, vti plures actus diſtingui: ſunt enim proſequutio & fuga, quæ non minus in vnum actum coaleſcunt, quam affirmatio & negatio in mente, acceſſus & receſſus in corpore. Differentias autem

Rich. in 4. d. 17. art. 1. Ariſt. 4. metap. text. 44. horum dolorum ita noſter Mediauillanus ſimilitudine illuſtrauit: *Sicut in materialibus durum, quod non cedit tactui: & ſecundum philoſophum frangi dicitur, quod diuiditur in partes magnas: & comminui vel conteri, quod redigitur in partes paruas: ita quadam proportione in ſpiritualibus dicitur cor hominis durum, quamdiu diuinæ inſpirationi ſe tangenti non cedit, ſed obuiat perſiſtendo in affectu peccati. Frangi vero dicitur, quando à peccato recedere incipit, quamuis nondum plene ad Deum conuerſum ſit. Conteri vero, quando in eo totaliter deſtruitur affectus peccati: quod eſt plene reſilire à peccato. Hic autem receſſus quidam dolor eſt, non paſſio appetitus ſenſitiui, ſed ſecundum quod dolor accipitur pro diſplicentia voluntatis.* Conſtat quidem iſtęc triſtitia animo concepta, ex interiori quodam

Ionæ. 3. ſenſu acrimoniæ, in ipſius cordis teneritudine, & celeri fuga ab iniquitate. Redundat etiam nonnunquam in appetitum, corporiſque habitum: dum pręſtet, vt Niniuitarum inſtar, non ſolum rationalis pars, quæ principatum tenet, verum etiam huic ſubiecti ſenſus doloris cruciatus perferant; cinere artus conſpergens, & ſacco induens lu-

Ezech. 18. ctuoſo. Ad quod nos hortatur propheta: *Proijcite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus præuaricati eſtis, et facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum.* Quemadmodum enim teſtacea vaſa, ſi oculis figuli minus ſatisfaciant, eius manu alliſa ad terram, in minutiſſimas partes proteruntur: ita cor humanum labe delicti inquinatum, rectoque aſpectui ingratum, doloris affectu conteri debet, lachrymiſque macerari: vti ardore charitatis, veluti alicuius fornacis calore, meliorem denuo formam

Pſal. 30. Pſal. 6. excipiat. Operam ſuam in huiuſmodi inſtituto teſtatus eſt propheta Dauid: *Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Atque iſte dolor eſt, quo iuſtitia charitatis comparatur.

Quid hæretici de contritione ſentiunt. Apagite. Impoſtura. Vociferantur ſectarij. Modo operum ſtipendium, vtpote eorum prouentus, ab iſtis iuſtitia decernitur. Hunc pęnitentiæ exitum eſſe volunt Romani: quem gratis omnino delinquentibus impertiri, paſſim ſacra docet pagina. Sed qui ita ſtrepitum

editis,

editis, nugarum buccinatores: existimatisne absque vestro prorsus conixu motuque omni voluntatis, sanctitatis ornamentum vobis desuper concedi? quorsum tunc fides & voluntas credendi? quæ ad iustitiam exigere videmini? Fides, dicitis, donum Dei est, qua diuina promissa apprehenduntur: Romanorum vero contritio fidem non requirit, neque gratiæ auxilium, sed diffidentiæ quidam effectus, carnei brachij subsidium est, quod multum cruci Christi derogabit. Pudebit vos tandem aliquando mendacij, credo, & confictæ calumniæ. Dolorem qui odium peccati continet, vtpote Dei offensæ, dispositionem statuimus ad iustitiam recuperandam: sed hunc fidem præcedere docemus: cuius indicatu voluntas excitatur, vt se contritione moueat in peccatũ. Cum enim fide constiterit patratum crimen, hominem reum constituere æterni supplicij, Deo inuisum reddere, acerbissimęque eius vindictæ exponere: subinde paratus est animus (& merito quidem) ad odium tam truculentæ noxæ. Statuit porro Concilium Tridentinum, ad hanc contritionem nos diuina gratia prouocari, ipsaque fide adiuuari. Priusquam enim homo suo affectu dolori consentiat, allicitur, & exstimulatur pia à Deo iniecta cogitatione: atque gratiæ virtute corroborata voluntas, hunc tandem dolorem exprimit. *Concil. Trid. Sess. 6 cap. 6. & Can. 3.*
In duobus autem discrepamus ab hęreticicis. Illi vna fide iustitiam comparari adstruunt: nos fidei contritionem addimus & charitatem: istis posteriorem iustitiam affirmantes. Illi pęnitentiam omnem & amorem Dei actus necessarios dicunt, nos vero liberos: ea tamen libertate, qua donauit nos Christus. Sed de istis alias: iam orthodoxi dogmatis puritatem cum gementibus columbis, & iuxta fluenta residentibus, contemplabimur. Nihil quidem peccato coinquinatius, ita nihil discessu voluntatis ab eodem nitidius aut illustrius cogitari poterit. Hac de causa Angeli, sinceri illi spiritus, Sodomitica hospitia exhorruerunt: quod latibula essent scelerum, & turpitudinum cloacæ. Imo vt notauit Philo Iudæus, in apertis potius campis voluit Deus viuendi leges hominibus tradere, quam in confertis turbis ciuitatum: propterea quod illis temporibus innocentia agrestis esset, iniquitas vero vrbana. *Primũ quidẽ quod ciuitates inquit quã plures malis, de quibus dicere reformidat oratio, impietate erga Deum, iniustitia erga se mutuo redundabant.* Hominis idcirco est à delicto tanquam à serpente statim diffugere. Quam quidem mentis auersionem, vti Deus hominibus notiorem faceret: quorundam animalium esum Iudęis interdixit: eorum nimirum, quæ speciem aliquam exhibent fęditatis, rapacitatis, aut sęuitiæ. Similiter ex præscripto legis, illis cadauera contingere nefas: *Gal. 4. Cant. 1. Peccatũ res horrenda. Gen. 19. Phil. lib. de 10. præcept. Peccati causa Iudæi 6. cibi vetiti.*

Leuit. 11. Leuit. 17. Quo intelligerent quanta cura deberent à vitijs resilire, & ad virtutes expeditum receptum habere. Verum post admissum crimen, ab eodem summa vi & mentis concitatione, dolore contritionis discedimus. Quæ quidem acrimonia intus corrodens, ingestam ex voluptate delicti bilem vel purulentiam foras eijcit. Similiter flamma est, fęces stipulasque vitiorum absumens. Recolligenda itaque strues lignorum, conquisitis nimirum varijs ęquissimisque rationibus doloris, & collo humili sui dimissione imponenda: vt cum Isaac ad sacrificium spiritus contriti accedamus. Cogitemus idcirco, quantam perniciem patratum crimen nobis intulerit: quomodo naturæ nostræ speciem & florem corruperit, intellectum ab intuitu rerum cęlestium depresserit, in errores compulerit, vim illam mirabilem voluntatis rebus fluxis sublimiorem deiecerit, perfregerit, appetitum rabidum efferatumque extulerit: à vertice denique capitis vsque ad plantam pedis in nobis non reliquerit sanitatē. Anima sane peccatis infessa, latibulum scorpionum euadit: quæ Dei sedes ipsiusque spiritus sacrarium esse deberet, eremus est, onocratilis, onagris, strutheonibus efferata: quæ aliquando Ierusalem, nunc Satanæ emporeum: vbi nefarius ille facibus suis animum continuo vrget ad crimina, pessimarum rerum obiectu cogitationi illudit, prauis iniectis motibus appetitum irritat: & vbi aliquando suauissima fumigatio ex bono aliquo opere profecta in altum efflata erupit, ibi nidore pedoreque omnia referta. *Ignis, sulphur, spiritus procellarum pars calicis ipsorum.* Ieremias ad excidij conspectum templi, gentisque suæ, ita dolorem in intimos animi recessus & pectoris adita dimiserit: vti consolationem omnem foris in subsidium laborantis animi allatum respueret, diceretque: *Sinite me lugere, ne conamini me consolari.* Quanto acriori morsu illi mens affligenda, cui non templum, cum arca, aut aurea phiala deflagrauit, sed thronus ipsius Dei, eiusdemque viua expressaque imago concidit, defloruit, deperijt? Mox erigendus animus in Deum, & sicut solis radio obiecta cera liquata defluit: ita cor humanū in diuinā directū bonitatem mollescet, ex ferreo carneū, ex indurato fluidū euadet. Quis enim indigne non feret, se clementem adeo parentē cōmisso scelere offendisse, in iram eius grauē impegisse? Si namq; sanguine nobis coniunctos, societate vitæ deuinctos, beneficiorum magnitudine obstrictos, piaculum sit aut verbo irrato, vel quopiam iniquo facto lacescere: quanto erit atrocius, Deum optimum & maximum, in quem parentis affectus, socij facilitas, amici benignitas conueniunt, prauis moribus, & suarum legum transcursu ad vindictā igne & flabris nostris concitare? Quid iniustius quam delinquere

Margin notes: Effectus cōtritionis. Gen. 22. Psal. 90. Peccati malum deplorandum. Esa. 1. Esa. 34. Psal. 10. Hierem. 1.

linquere in tam bonum vitæ authorem,& eiuſdem pijſſimũ tutorem? An non è ſinu ſuo vnicum & vnice dilectum filium ad nos dimiſit, cuius morte & cruore cum peccati redemptionem perfecit, tum eiuſdem grauitatem detexit, quæ niſi eiuſmodi ſacrificio, in quo rerum omnium ſummũ cum ſummo dolore offerebatur, expiari non potuit? Delicta quidem noſtra illum traxerunt ad terras, ſupplicio & internecioni addixerunt. Quanto iam atrocius veritate tanti myſterij agnita, remiſſione peccatorum eius ſanguinis effuſione peracta, tantam gratiam reditu ad volutabrum aſpernari, conculcare? Si ingenitæ nobilitatis aliquid retineat anima, nondum extinctum aut oppreſſum à peccato, profecto cum hæc conſiderarit, dolebit, triſtabitur, ſoluetur q; vbertim in lachrymas. Neq; infimũ aliquem gradum contritionis ſibi conſtituet, ſed ad ſupremum adſpirabit. Menſuram etenim ferme omnem delictum exceſſit, quod iniuriam contra ipſum Deum complectitur: quid ergo cogitandum de termino doloris? Tametſi enim vel minimus iſtius ordinis dolor, quod adiunctam habeat charitatem, rubentes peccatorum maculas, & flagitiorum coccinum exterminet, ipſamque animam niueo candore venuſtet: tamen veriſſimum illud erit cuiuſdam ex noſtris: *Si pænitens ex vehementiſſimo Dei amore, tam intenſe doleret de peccato ſuo, quod ex hoc cauſaretur in appetitu ſenſitiuo tam vehemens dolor, vt corrumperet harmoniam corporis neceſſariam ad vitam: non eſſet exceſſus in genere moris, nec perfectioni pænitentiæ derogans, ſed concordans. Niſi forte hominis voluntas directe & ex intentione ferretur ad procurandam talem paſſionem, vt ipſe moreretur.* Et credibile eſt beatiſſimam Virginem Mariam, ex immenſitate diuini amoris, qua tota flagrauit, ita vt corpus adiunctam ardori immutationem ſuſtinere non potuerit; diem obijſſe. Renatis quidem delinquentibus non ita culpa dimittitur, ſicut in baptiſmo. Eccleſia enim tunc aqua externa, alterius culpa nobis illatum crimen eluit. At vero poſt baptiſmum (vt loquitur ſanctus Barlaam apud Damaſcenum) *Per aſperam pænitentiam, & calentes lachrymas, & labores, ac ſudores, propter viſcera miſericordiæ Dei noſtri purgationem ac peccatorum remiſſionem conſequimur.* De huiuſmodi receſſu voluntatis à peccato loquitur D. Auguſtinus, docens pęnitentiam ex odio peccati & Dei amore conſtare. *Nobis parcet Deus, ſi nobis ipſi non pepercerimus.* Dolor iſte receſſibus animæ incluſus, vim quoque ſuam effundit ad corpus, cuius conflictatione mouetur Deus ad miſericordiam. Si enim externus cultus illi placuit, qui alienę carnis immolatione perfectus fuerit; quomodo ipſi non arridebit noſtræ carnis mactatio? Ceterum qui ardenti amore fertur in Deum, ipſe eius iniuriam etiam in ſeipſum vindicabit.

Eſa. 1.

Rich. in 4. d. 17. q. 8. art. 1.

Damaſc. hiſt. Barl.

Auguſt. ſerm. 7. de temp.

Contritio effectũ habet in corpore.

Propterea

Propterea corpus cuius menbra iniquitati inseruierũt,& infesta signa superis intulerunt, castigabit, coërcebit, & peccati odio subijciet. Sic Magdalena passis crinibus, laximque per humeros defluentibus, turritam eorundem superbiam fregit, edomuit, pęnitentiæ & Christi pedibus dimisit. Sanctissimus Dauid se ieiunijs macerauit, terræ prono pectore inhęsit. Achab regium fastum reprimens, humilitate Deum sibi propitium conciliauit. Ita arma iniquitatis euadunt arma iustitiæ. Videte an molle aliquod sonet Ambrosianum consilium ad virginem lapsam, num puluinar cum fractis hęreticis delinquentium brachijs supponit? sic illam hortatur: *Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, & mens ac membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt. Defluant oculi lachrymis, qui masculum simpliciter non aspexerunt. Pallescat facies, quæ quondam viruit impudice: denique totum corpus incuria maceretur, cinere aspersum & opertum cilicio perhorrescat, quia male sibi de pulchritudine placuit. Cor vero sit liquefcens sicut cera, ieiunijs inquietans seipsum, & cogitationibus ventilans, quare sit ab inimico subuersum: sensus etiam crucietur, quia in membra corporis cum haberet dominationem, malo cessit imperio.* Huiusmodi alia plura ex Tertulliano & D. Hieronymo superius fuere enarrata. Hæc puritas est nostri dogmatis; ita ab omni labe & sceleris contagione procul recedunt orthodoxa Romanorum instituta. Dicimus enim acri quodam doloris sensu & extremo odio remouendam esse voluntatem ab affectu admissi criminis: insuper corporis artus imperio rationis subdendos, iustoque supplicio castigandos: vt iustitiæ gemma nobis cęlitus infundatur, atque in nobis conseruetur illęsa. Despiciamus modo sectariorum commenta, videamusque quam pulchra sint, quam nitida, quam seiuncta ab omni turpitudinis nota, scelerumque colluuie.

Luc. vlt. *Hieron ep. ad Eustoc.* *Psal. 90.* *3. Reg. 21.* *Rom 6.* *Ambros. lib ad virg. lap. cap. 8.* *Tertul. lib. de pæn.* *Hieron. ep. 20.*

Portentosum hęresiarchi Nouati errorem, pernegantis beneficium resipiscentiæ delinquentibus post baptismum, hic non discutio: satis aperte ex sacris literis reuincitur, alijsque rationibus obruitur: quas diligentissime pertractant Epiphanius & Ambrosius. Goliath tamen non est pretereundus Lutherus, de pęnitentia absurda statuens, vt scripturis aduersantia, ita rationi morumque honestati contradicentia. Impurus iste eam solum renatis, si in culpam concesserint, pęnitentiam attribuit, quæ terroribus quibusdam, à Deo menti incussis ad conspectum supremi tribunalis, contineatur. Quos quidem terrores & exanimationes affirmare renuit liberos arbitrij esse actus, sed impressiones solũ definit esse diuinas, & horrendas quasdam animorum concitationes torsionesque. Itane, de eximia illa virtute resipiscentiæ,

Cyp. lib. cõt. Nouat. Pænitentiã negunt Nouatiani. *Epiph. hær. 59.* *Amb. lib. 1. de pæn.* *Lutherus verã negat pænitentiã* *Confess. Aug. art. 2.*

centiæ pęnitentięque, scelerate & coinquinate, doces? Visne ea solum furiosos quosdam terrores significari, quales etiam in phreneticis, imo in damnatis reperiri possunt? Pænitentiam hoc pacto suo loco in Ecclesia exturbasti, & amandasti ad inferos. Humanam quippe industriam, & connixum omnem ad vitæ correctionem, penitus sustulisti. Horrores enim illos, cum naturis suis nec tanti pretii existant, tum eosdem non hominis actus esse doces, sed expositis quibusdam terriculamentis forinsecus excussas & temerarias affectus agitationes. An non ipsi dęmones ad intuitum tartarei supplicij, huiusmodi horrore concutiuntur? An non damnatorum animæ pęnę obiectu eodem modo exulcerantur? tu tamen motum hunc, pręcipuam partem adstruis pęnitentiæ, quam Christus vti tabulam contra naufragium, hominum saluti consulens, in orbem inuexit. Vehementer hoc odis, quod delinquens nimirum vllo suo actu recedat à peccatis: ideoque fateris terrores hosce non esse molitiones humanas, sed spicula potius diuina, malleos, & fulgetra: ac si de Iouis trisulco fulmine poëtice delirares. Somnolente, impie, quo spectant istæ scripturæ sententiæ: *Conuertimini ad me, in toto corde vestro. Scindite corda vestra. Pænitentiam agite. Si pænitentiam non egeritis, omnes simul peribitis?* Quinimo Lutheri dogmate imbuti ita dicerent, ac Deo responderent: quid nos ad pænitentiam hortaris, siquidem pęnitentia terrore quodam perficiatur, quem non alterius manus, sed tua solum operatur: si tu non percusseris, nihil à me fiet: si percusseris, à te omnia. Videte obsecro, quam absurdas Dei voces reddit Lutherana dementia. Horrorem quendam scleratę conscientiæ admittit iste, arbitrio tamen subiectum negat. An non hoc curam omnem & solicitudinem pęnitentiæ adimit? Dicas mihi Luthere, si quis pęnitentiæ studium hominibus excuteret, num is vitæ turpitudini suppetias esset laturus? Absque dubio huiusmodi impostorem scelerum patronum fatebere. At is ipse tu es. Si enim Deus sua sola actiua virtute in nobis pęnitentiam operetur, & veluti ex silicis appulsu chalybs scintillam exilire facit: quis animum intendet ad pęnitentiam? quis eius cura districtus tantæ virtuti incumbet? Prępostera illa opera, absurdus conatus ad illud procurandum, quod de integro effectione alterius, haud nostra existit: quod nobis tam dormientibus quam vigilantibns ex æquo accedit: quod denique nullo modo in nostra potestate collocatur. Nunc demum vides, credo, te asseclas tuos ad sordes dedisse pręcipites: cum ita pęnitentiæ neruos impuro dogmate succideris. Comparationem modo instituemus inter Germanicam illam terrificamque pęnitentiam, nostramque Roma-

Pænitentia non est terror cōscientiæ.

Pænitentia est actus humanæ voluntatis

Psal. 89. Ioel. 2. Lucæ 13.

Studiū pænitentiæ hominibus excussit Luther.

nam: & aliorum iudicio definiendum relinquam, quęnam longius à turpitudine recedat. Orthodoxi sic peccatum execramur: vti existimemus deleri non posse hominum animis, nisi discessu quodam ab illo, & expedita voluntatis fuga. Nam sicut cupiditas prosecutione sua labem à rebus noxijs attraxit: ita affectus auulsione & odio eijcitur, exterminatur malum, & ad virtutem fit receptus. Hoc liquidum satis reddit Dauidis in scriptura declarata pęnitentia, prophetarum etiam hortamenta idem comprobant. Constat idcirco pęnitentia, non ex sola cessatione à peccato, terrore aliquo, vel nouę vitę proposito: verum ex animi interno dolore, & veteris culpæ summo odio. Nam qui sanctorum clamores gemitibus plenos considerauerit, vt loquitur Concilium Tridentinũ: *Facilie intelliget eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse.* Describit eapropter hanc in formam contritionem D. Augustinus: *Contritio est dolor voluntarius pro peccato, puniens in se, quod dolet commisisse.* Nihil autem tale Lutheri commentum decreuit. Terrores enim illos suos à Deo incussos fides (vt ipse vult) statim subsequitur: qua peccatorum fiat condonatio: interim affectus nulla pænitudine ductus, minime resiliat à peccato: qui idcirco magis fauent turpitudini, nos, qui ad iustitiam exigimus voluntatis discessum à culpis earumque detestationem: an Lutherus, qui sceleri semel affixum appetitum dolore aliquo aut proprio motu reuellendum pernegat: ita vt si complacentia perstiterit prauus in sordium affectu, modo credat Christum orbem morte sua redemisse, satis bene comparatus erit ad sanctitatem?

Concil. Trident. Sess. 14 cap. 4.
August. de ver & fal. pæn cap. 8.
Lutheri pænitentia impura.

Istius vero notæ & infamiæ Lutheri discipulos iam pridem pudere cepit. Animaduerterunt enim scripturarum apertissimis testimonijs contritionem & dolorem de peccatis susceptum, vt Dei offensis, assertumque à Catholicis passim comprobari: illum itaque simulata fide suscipientes, eundem occultis tamen quibusdam rationibus extenuare, amoliri, nepharijs suis commentis, continenter ad scelera prospectantibus, aggressi sunt. Inter quos Kemnisius audax ille vir censorius, vti pium Deoque gratum hunc dolorem traduceret, Iudaicum dixit, non ad Euangelium pertinentem, sed ad legem relegandum. Cum autem hoc hominum auribus insonuerit, quis illorum, vitę correctionem secum statuens, magnopere de contritione laborabit? Pręterquam enim quod res in se dura & aspera sit hæc pęnitentia, & proinde tetra quadã specie reuerberet hominũ sensus: porro indignitatẽ & dedecus pre se fert relicta Ecclesia, ad synagogã pro morbi remedio festinare, abstenta cruce Christi, rupem humorẽ exstillantẽ inquirere.

Contritionẽ sectarij relegant ad legem vet. & inde impuri videntur.
Exod. 7.

Visne

Visne indoctissime, istiusmodi dolorem amandare ad legem? quæ Theologia te aliquando ita instituit? quæ schola tam prauo & dementi errore mentem tuam fascinauit? Dedocebo te hæc. Ausculta. Vim argumenti perpende. Contritio decreta ab orthodoxis ad peccati expiationem requisita, tanquam præparatio animæ ad iustitiam, expressus & proprius est actus habitualis charitatis. Si idcirco charitas eximius sit fructus professionis Christianæ, si legis finis & plenitudo, si Ecclesiæ culmen & ornamentum: quomodo contritio, quę eiusdem est operatio, non erit vere Euangelica, potius quam legalis? Enimuero qui aliquem amore complectitur, is eodem plane habitu, quo illi bona cupit ac precatur, eidem repugnantia & aduersa odit, reijcit, execratur, ita ipsa philosophia pręcipit, si tamen illam aliquadantenus attigisti. Affectus idcirco charitatis, quo feruet humanũ pectus in Deum, cum ipsum prę omnibus diligat, tum inimicos eius atque hostes infensissimo odio prosequitur. At quid obsecro atrocius depugnat cum diuino honore, cum Numinis potestate, imo cum ipsius existentia, quam peccatum, quo talis honor contemnitur, potestas abijcitur, existentia (quod delinquens non esse Deum cupiat, qui ipsum pęna multaret) quodammodo violatur? Detestatio idcirco peccati, quæ contritio est, sicut charitatis molitio censetur, ita pręcipua quadam ratione Euangelica. Vlterius procedo. Quem voluntatis motum post admissum crimen pręstantiorem assignare mihi poteris motu illo, & recessu animi ex contritione? Nam sicut omnium pessimum est, voluptati contra Dei legem inhęrere; ita nobilissimum erit, affectum auellere à tali illecebra, eumque in Deum transferre. Quid odio Dei tetrius? quid eiusdem opposito amore diuinius? Imo contritio comparata cum fide priores obtinebit, vtpote iustitiæ vicinior & à labe vitij remotior: cum qua ne per momentum quidem consistit; fides autem etiam diuturniori tempore manere poterit cum flagitio: ni dicamus quemlibet luxuriantem, pręda sque agentem, in hęresim prius incidere & infidelitatem. Euangelicum profecto opus contritio. Quid? an non vita ipsius Christi, tot ęrumnis plena, illibatum eius corpus cruci conclauatum, sanguinum riuis roscidum, omnes illæ iniuriæ, quas peccati nostri causa mitissimus agnus pertulit, ad pęnitentiam ac dolorem, ad odium delicti nos excitant acerrime? quomodo sine acri doloris sensu peccata nostra animis repetere possimus, quæ filio Dei, tot vulnera inflixerunt, tantos cruciatus intulerunt, quæ vt feræ pessimæ deuorarunt filium Dei, nisi ad aspectum Christi pro nobis patientis oculos claudere velimus, incedentes per viam recu-

Contritio euangelij summa gratia.

Rom. 13.

Gen. 37.

Thren.1. Cant.1. semus gradum sistere,& attendere qualis fuerit dolor eius. Nobis autem orthodoxis fasciculus myrrhę est crucifixus,& inter vbera nostra commorabitur. Iam vno verbulo inter nos fiet paralella. Contritionem & animi dolorem,quo relinquitur peccatum,sectarius Iudaicum facit, orthodoxus Christianum: quis nostrûm se longius remouet à turpitudine vitiorũ? Ille Magdalenam ad pedes Christi prostratam, lachrymis suis pedes eius rigantem,& capillis tergentem, Iudęam facit,nos eximie Christianam. Quis de pęnitentia & vitiorum odio sentit honorificentius?

Caluinus peruerse docuit ac sentit de cõtritionis dolore. Caluinus superest profligandus,qui(omissis verborum suorum pręstigiis,quibus imperitorum oculos fascinauit,illorumq; sensibus illusit) reipsa omnem vim doloris & contritionis sustulit. Iste quidem duas pęnitentiæ partes definiuit,seu potius sua vafricie effinxit: quas mortificationem appellat & viuificationem. Perplexe sane nouellus iste loquutus est Theologus. Forte sibi à vellicatu timuit & sugillatione. Proinde varius & ambiguus esse voluit ad fallendum effugiendumque. Persequar tamen,& premam,quousque ipsi sententiam extorsero. Dolor iste contritionis (si quem demum admittat Caluinus) fidem subsequitur vel antecidit. Si subsequatur,non ergo necessarius ad iustitiam & peccatorum deletionem: hæc enim vna fide (vti diuinat Caluinus) peraguntur. Repugnabit autẽ hoc ex diametro scripturis,patribus,concilijs,ipsique demum rationi,quibus conficitur, pęnitentiam pręuiam quandam esse animæ dispositionem, ad sanctitatem conciliandam. *Impius cum egerit pænitentiam,ab omnibus peccatis suis, vita viuet,& non morietur.* Quo in loco asseritur animæ vitam, quæ est iustitia,pęnitentiæ esse effectum. *Si pænitentiam non egeritis,omnes similiter peribitis.* Quæ causa ruinæ? defectus pęnitentiæ: ergo absque pęnitentia,manet culpę reatus,iustam causam damnationis continens. Male itaq; dicit Caluinus,ex fide partã iustitiam pęnitentiã subsequi. Porro etiam patres passim docent, lachrymis & animi dolore remissionẽ culpæ comparari.*Gratia munus largientis est,*(inquit Ambrosius)*pænitentia delinquentis remedium.* Et alibi: *Tanta enim est pænitentiæ medicina,vt mutare videater Deus suam sententiam.* Et D.Cyprianus: *Quoties te in conspectu Domini video suspirantem, spiritum sanctum non dubito adspirantem. Cum intueor flentem, sentio ignoscentem.* De qua pęnitentia loquens Tertullianus inquit: *Hæc te peccatorum fluctibus mersum proleuabit,& in portum diuinæ clementiæ protelabit.* Et alibi: *Peccator ante veniam deflere se debet.* Denique in Mileuitano & Aurosicano Cõcil.definitur absq; penitentia peccatorũ remissionem non fieri. Quod si dicat Caluinus, pęnitentiam hanc antecedere

Caluin. l.3 inst. cap.3. sect.3.

Contritio prior iustitia.

Ezech.18.

Lucæ 17.

Ambros. lib.2. de pæn. c.6

Cyp. lib. de Cæn. Dom.

Tertul. de pæn cap.4.

Cap. 6.

antecedere fidem, ostendat tunc quomodo poterit Deo placere? Infirmus quoque est infidelium dolor, ad noxæ grauitatem exæquendam. Sciscitor vlterius à Caluino, quid nomine mortificationis ipse significare velit? Putarunt aliqui, ipsum tali voce dolorem animi non expressisse, sed propositum tantum immutandi vitam. Sed tunc in eodē luto fęditatis hærebit, in qua Lutherus: ad culpæ expiationem non requirens hunc ex dolore animi recessum à peccato: neque adduci possum vt credam, mortificationis verbo Caluinum indicasse corporeos cruciatus: vtpote ieiunia, humi cubationes, cilicia, abhorruit enim semper ab istis delicatus. Sed profecto tum internum animi dolorem, tum externam corporis vexationem pænitus exterminauit Caluinus. Priorē quidē, eo quod ipse asserat vna fide iustitiā acquiri, qua quilibet credit se iustum esse & prædestinatū. Quorsū obsecro dolor tunc susciperetur? non vt Deo satisfiat, hoc enim abunde præstitit Christi passio fide concepta: non vt iustitia acquiratur, eam enim adduxit fides: non vt eadem conseruetur, excidere namq; non potest: non vt meritum boni operis adueniat, sunt enim opera potius peccata. Non vt indicio fidei bonum exemplum alijs prębeatur, quis enim latentem in animo alterius dolorem suis oculis despiciet? inutilis ergo dolor, pænitentia vana. Hæc istorum irritamenta sunt ad flagitia, eorum sane fides flagitiosissima. Modo de satisfactione pauca.

Inutilis dolor ob peccata ex sentent. Caluin.

Vt autem sectarius tandē adsequatur orthodoxi dogmatis sententiam de satisfactione, prius paucis erit instituendus. Ferme enim semper aut labilis est ad errorem, aut tardus ad intelligentiam. Admonitum ipsum volo, hic sermonem non haberi de recompensatione pro ipso delicto, hæc enim perficitur, quantum ad formam, ipsa iustitia: non opere nostro, sed diuinitus infusa gratia. Cum enim Tridentinū concilium vim illorum actuum & seriem explicasset, quibus animus idoneus redditur ad capessendam iustitiam, de illa sic loquitur: *Demum vnica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit.* Hæc etenim sicut amicitiam quandam inter Deum & hominem procurat, ita criminis labem, vnde dissidiū & affectuum contrarietas exoriebantur, penitus delet & expungit: tantumque Deo restituit bonitatis, quantum culpa inuexit malitiæ. Veruntamen quod finito restrictoque modo quodam, iustitiæ gradus, iuxta mensuram dispositionum, & diuini spiritus beneplacitum reparatis & restitutis ad innocentiam, conferatur: idcirco perpetuo cursu istius renouationis interioris, non omnis prorsus temporalis pænæ reatus aboletur: sed aliquid illius sæpius soluendum superest iustificationi. Quem orthodoxi dicimus

Cōcil. Trid. Sess. 2. c. 7.

Satisfactio est iustitia qua procul pæ macula satisfit Deo.

Iustitia non semper delet omnẽ reatum pænæ. *D. Thom. 4 cont. gent. cap. 72.* cimus pœnali opere imperato à charitate, vel iniuncto à sacerdote plenissime expiari. Priuilegium quidem est solius baptismi, simul cum ipsa criminis labe, debitum pœnæ remittere, quod non semper competit iustitiæ, ex vi operis & actualis præparationis indeptę. Cuius discrepantiæ rationem ita declarat D. Thomas: *Quia coniunctio nostri ad Christum in baptismo non est secundum operationem nostram, quasi ab interiori, quia nulla res seipsam generat, vt sit, sed à Christo, qui nos regenerat in spem viuam, remissio peccatorum in baptismo fit, secundum potestatem ipsius Christi, nos sibi coniungentis perfecte & integre, vt non solum impuritas peccati, sed etiam soluatur penitus omnis pœnæ reatus. In hac vero spirituali sanatione, Christo coniungimur secundum operationem nostram, diuina gratia informatam. Vnde non semper totaliter nec omnes æqualiter remissionis effectum per hanc coniunctionem consequuntur.* Fieri tamen potest, vti excitetur in pœnitente tam insignis calidusque *D. Thom. supra.* actus contritionis, aut etiam amoris erga Deum: vti cum ipsa culpa, omnis quoque pęnæ reatus absorbeatur. Idque etiam à D. Thoma te- *Aliqua cõtritio omnẽ reatum pœnæ delet.* statum habemus. *Potest enim esse conuersio mentis in Deum & in detestationem peccati tam vehemens: quod perfecte remissionem peccati homo consequatur, non solum quantum ad purgationem culpæ, sed etiam quantum ad remissionem totius pœnæ.* Verum cum restet frequenter, & iustitiæ indeptæ supersit reatus aliquis pœnæ temporaneę: hunc dicimus certis operibus virtutum, ex diuina gratia natis & profectis, redimi posse. Quod enim iustitia om- *2. Reg. 12.* nem huiusmodi noxam pęnitus non auferat, manifestum facit Dauidis reconciliatio cum Deo. Etenim illi dimissa fuit culpa, flagello tamen Dei, in fauorem etiam adscitus, digne castigatur. Idem probat durissima illa pœnitentia, quã sponte subierunt Sanctissimi viri expiatis *Tertul. lib. de pæn.* *Basil. lib. de pæn.* *Ambros. lib de pæn.* *Chrysost. ep. ad lap.* *Dan. 4.* criminibus, de qua re multa disputant Tertullianus, Basilius, Ambrosius, Chrysostomus. Verissimum enim est quod dicit Ambrosius, *Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem.* Et iuxta hanc sententiam, in scripturis peccata Eleemosynis alijsque bonis operibus redimi dicuntur. Reclamant autem Caluinistæ, & sacrilegium à nobis inferri dicunt Christi meritis, idque duplici ex causa. Primo, quod debilem & quasi mancam hinc faciamus iustitiam Christi, definientes hanc non valere omnem pęnam & culpam exterminare. Deinde quod operibus nostris, Christi operibus detrahentes, vim satisfaciendi adijciamus: quasi redemptoris solutio inferioris esset pretij, ideoque nostris additamentis indigeret. Pręclari viri, multũ quidem vos solicitos video de merito Christi. Crederem tamen hanc curam somnum vobis non discutere, sed adferre potius. Quid enim nisi somnus est, Epicureo & Turca dignus, ex pręfidentia in Christi meritum, à pia

actione

actione cessare, & animam scelerum fecibus obruendam committere? Sed vt intelligatis, nos beneficijs Christi & iustitiæ iniuriam minime irrogare, sed potius vos cruorem Christi repellere & conuitiari, percipite mentem nostram. Meritum quidem Christi infinitum agnoscimus, operatur tamen in nobis iustitiam finitam. Nullus tamen huius tam exilis aut exiguus est gradus, qui non omnem peccati labem penitus expungit ejicitque. Vos autem nihil tale Christi munificentiæ conceditis: quandoquidem dicatis, illum sparso suo sanguine, patrique litato, vitiorum maculas non abstersisse, sed easdem semel Satanæ tacibus inustas reliquisse, neque sordes hasce hominũ animis abstulisse. Quę hæc Christi iustitia? si verum sit, quod asseritis. Quæ satisfactio? vbi superest culpa solutioni & noxa. O pręclarum vestrũ zelum, in causa passionis Christi! Intonatis in nos plenis buccis, rabidisque animis, quasi in Christũ iniurios, quod eius iustitiæ, temporalis pœnæ debitum coniungi affirmemus. Vos autem ipsam fœditatem peccatorũ, & æterni cruciatus reatum, cum hac ipsa iustitia copulatis. Quod vero spectat ad hunc reatum pœnæ momentaneæ, fatemur Christum sua iustitia meritoque de integro eum interdum expellere: vt in ijs contingit, qui eius gratia exciti, ad excellentem gradum charitatis vel cõtritionis consurgunt. Cũ vero non ita perfecta dispositio pręcesserit, cui apte respondeat amplissima illa iustitia infusa, tunc ex vi illarum dispositionum aut iustitiæ, omnis talis reatus penitus non aufertur. Nullus tamen orthodoxorum vnquam affirmauit, humana solum opera, & non beneficio Christi, eundem aliquando expiari. Quinimo profitemur Christi meritis in nobis expelli imprimis maculam peccati, & expungi simul reatum ęternæ pœnæ: temporalis quoque cruciatus debitum, eisdem meritis solui & expiari definimus. Quod si contritio & laboriosa molitio, iustitiam subsequuta, vi tantum humana reatum hunc deleret ex nostra sententia, quęrimoniæ vestræ ratio multo iustior videretur. Nos autem nihil tale opinamur. Dicimus enim susceptam à nobis operam vigorem satisfaciendi mutuari ab infusa diuinitus iustitia & charitate, quam in Christi passionem, vti in causam & originem meritoriam & effectricem refundimus. De qua re postea commodiori loco nobis erit disputandum. Neminem autem modo puto ęquiorem ad veri censuram, aut idoneum ad intelligentiam: qui clare non perspiciat puritatem honestatemque orthodoxi dogmatis. Ex amore enim erga summum Deum punimus in nobis ipsis delicta: rigore disciplinæ, quæ illius nomen & numen offenderunt, membra corporea prolapsa in iniquitatem, inflictis pęnis coërcemus

Hæretici Christi meritis detrahunt.

mus,& ad similia scelera inepta postea constituimus: non aures, sed integram carnis molem, quaqua versum spinis sepientes. Humorem illum noxium,& ad libidines fluxum, victus duritiæ exhaurimus, floridum cutis colorem, Veneris vexillum, luteo squalore conficimus, exultantes artus graui tristique incessu reprimimus, ieiunijs extenuamus, sacco conterimus. Quis feruor ita animum impulit ad pęnitentię acerbitatem? quæ flamma corporis ędes sic depascitur? quis iudex hanc exercet crudelitatem? amor & charitas in Deum. Hæc retorquens colla ad aspectum pręteritorum criminum, sanguinem elicit in sacrificium. Ingenti enim odio dum transgressionem diuinæ legis prosequimur, nos ipsos rapimus ad vindictam,& ab inferiori nostri parte, quæ superioris imperium abnuit, pęnas reposcimus. Quorum nihil cum exequantur sectarij sua fide contenti, carnem libidini soluentes, satisfactionem respuentes: an non fœdi & lutulenti? Cum illa fide inflatę genæ, exæstuantes venæ, dementes sensus, nihil sancti, (vt auguror) nihil innocentis & puri præstabunt.

Prouer. 8.

De causis tentationum, earumque vi ac potestate.

CAPVT XIX.



QVanam ratione animi motus sint moderandi,& ad virtutis actionē referendi, superioribus luculenter copioseque satis pertractatum videtur. Reliquum est, vti agamus de causis eorundem, siue innatæ fuerint,& pectoribus nostris infixæ penitus, siue forinsecus ab externis rebus, quæ cum nobis necessitudinem habent, profectæ. Cuius rei exacta disquisitio, quantum habeat emolumenti ad officium humanum adamussim præstandum, nullus est qui ignorare poterit. Nam si ad hostiles exercitus trasmissi clanculum speculatores oculis lustrandos, cum numerum militum, loci situm, manipulorum ordines ac discrimina recte suis retulerint atque descripserint: viam præclare eisdem muniant ad victoriam: pariter qui vim omnem suggestionis nephariæ discusserint, insidias ac dæmonum latebras, quas in nostram perniciem occuluerunt, plene aperteq; detexerint: pręcipua quadā ratione multorū saluti insigniter adiutum ibunt. Quod quidem munus Israëlitæ visi sunt adumbrasse, qui regressi à Palestina, in quam missi erant exploratores, huiusmodi nuncium ex inibi spectatis retulerunt: *Venimus ad terram, ad quam misisti nos, quæ reuera fluit lacte & melle, vt ex his fructibus*

Vtile scire tentationū causas.

Num. 13.

cognosci potest: sed cultores fortißimos habet, & vrbes grandes atque munitas. Stirpem Enac vidimus ibi, Amalec habitat in meridie, Hethæus, & Iebusæus, & Amorrhæus in montanis. Chananæus vero moratur iuxta mare, & circa fluenta Iordanis. Quæ non inepte quidem ad moralem aliquam sententiam, in quam propendent, deduci possunt. Terra hæc, quam ditioni nostrę subijcere aggredimur, ipsa est hominis natura, à feris cultoribus possessa, nobisque erepta alienigenarum manu. Fluit quidem lacte & melle, quandoquidem admirabilis quidam nitor candorque in mentis intelligentia eluceant, & lacteum quid prę se ferunt. Ad amorem vero instituta voluntas, fauum mellis premens, honestis potita rebus, exstillat exprimitque iucunditatis succum. Verum ex insidijs in nos eruperunt infesti aduersarij, sensusque nostros, veluti sedes suas ac proprias, obtinuerunt. Ibi modo stirps Enac (vt ratio nominis significat) grauedine quadã & torpore præclara opprimit mentis consilia. Amalec ad percussionem excitatus, arma mouet continuo. Hethæus languore confractus, animæ atque corporis contentionem debilitat. Iebusęus conculcandas sordes cogitat voluptatum: & enutritus in croceis, amplectitur stercora. Iste rerum affluentia & spectabili pompa, tanquã meridiano radio, acië intelligentiæ perturbat. Amorrhęus feruido quodã ingenio dissensionibus ac bellis animæ pacem & quietem interpellat ac rumpit. Chananęus iuxta mare amaritudinis & fluenta dolorum consedens, natus ad clades inferendas: dura semper meditatur ac dira. Atque isti montium incolæ inhumanis suis moribus & agresti vita nos efferant quodammodo, & multiplici pugna exagitant. Exponemus itaque, quam succincte possumus, singulas tentationum causas, vti nos melius subinde comparemus ad resistendum. *Thren. 4.*

Corporis quidem constitutio, quod & ratio suadet, ipsaque docet quotidiana experientia, magnam vim habet ad hominum mores recte vel peruerse componendos. Ideoque dæmon, cum arte sua aliquid noxij ad animam traducere molitur, corporum habitus ac temperiem diligentissime obseruat: vti illis inspectis aptius ad mortem incutiendam sua temperet venena. *Prius enim* (inquit Gregorius) *complexionẽ vniuscuiusq; antiquus aduersarius animaduertit, & tunc tentationis laqueos apponit.* Hippocrates (vti refertur) accedens ad Democritũ curationis eius causa, ipsum inuenit exenterantem auiculas, & humorum vasa curiosius inquirentem: putauit enim huiusmodi anatomia rationem aliquam excogitari potuisse, qua semetipsum, ad risum nimis procliuem, morum grauitate orisque constantia reformaret. Neque incongrue fortassis Metamoscopus ex figura ac filo corporis, Socratem

Tentationis causa in corpore.

Greg. in illud Iob. diuiditur æstas.

vinolentum ac mulierosum iudicauit. Hinc Latini elati, vani Ligures, leues Galli, iactabundi Hispani, fraudulenta Grecorũ ac tẽporaria ingenia, Peni fedifragi, Cretenses ventre pigri, Athenienses prudẽtiores, Thebani robusti, & ex Scythis (vt narrat Herodotus) preter vnum Anacharsim (quem etiam ipsi interfecerunt) nullus sapiens vnquam extitit. Sane corporum discrepantiæ, ingeniorum hanc differentiam effinxerunt. Verissime quidẽ Hippocrates: *Quo fit vt nonnulli hominũ semper quasi rideant, quidam vero tristentur: huius rei ex elementis causam esse dicimus. Qui enim puri sanguinis non expertes sunt, hi vsquequaque rident, & aspectu & corpore floridi, perspicui coloris existunt. Qui vero flauæ bilis participes sunt, desides, pusillanimes, pauidi, imbecilles esse solent.* Certa etiam corporum temperies existit, quam dęmones sui appulsu magis cupere & appetere videntur, eaq; vberius delectari. Quo pacto (vt scribit Porphyrius) exundantibus corporum humoribus, ex nimia repletione gaudent: sacrificiorum nidorem, loca fœda, crassiores vapores quęrunt: & erga hæc mire affici inueniuntur. Quamobrem (vt docet Galęnus) qui fame, siti, ęstu, vel labore corporum vrgentur, animos excitatos habent ad iram & impatientiam. Quod si quatuor illas celebriores & cardinales corporum temperaturas mente percurramus: facile erit coniectare, ad quid vnaquęque propendeat. Sanguinei ex calore & humore ęqualiter intermixtis coaliti, in quibus aër pręcipue dominatur, lętitia & animæ quadam audacia ad agendum alacres, perpetuo exultant: Voluptatem propter organum corporis defæcatius, lubentius appetunt, vehementiusque percipiunt: ab aspectu infortunij, in quod semel inciderunt, ilico animum remouent: propterea mœrore & tristitia vacant, spe erecti fortia arduaque semper moliuntur: offensæ quoque in ipsum Deum facilem veniam sibi spondent: sicut alijs delinquentibus in ipsos, iniuriam haud ipsi grauate remittunt. Hi sane humanissimi & ciuiles. Colerici in quibus viget ignis, ob calorẽ cum siccitate coniunctum, extenuatis protensisque instar flammæ corporibus, ira & perturbationibus animi vtpote leuiores facile abripiuntur. Nihil enim igne leuius, ita nec colerico mobilius. Propter subtiliores tamen spiritus, contemplationibus vacant acriter, sed momentaneis: studij enim impatientes, altiora & magis abstrusa non inuestigant: credunt tamen, propter ingenij primum impetum acrem admodum, se rem ipsam omnino penetrasse: ideoque in aliorum contemptum inclinantur: quod ceteris vtpote tardioribus se prestare arbitrentur. Ex istis tamen nullus ferme solide doctus exitit. In consilijs pręcipites, atque ad res agendas non tam prudentes & sagaces habentur. Phlegmatici

Hip. lib. de Structura hominis
Herod. lib. 3.

Dæmoni arridet certa tẽperies corporis.
Euseb. 4. præpar. cap. 12.
Galen. lib. quod mores animi. &c.
Vid. Method Bodini.
Sanguinei mores.

Cholerici mores.

matici cõstituti, ex humore nimio, & exiguo calore depressi, & in omnem partem fluentes aquam imitantur. Hi animis abiecti vitio aut virtuti non multum inuigilant. Melancolici frigore & siccitate concreti, terræ similiores, ab ingenio tristes, hominum cætus auersantur: susceptas iniurias facile non deponunt: impressionem enim diu in illis siccitas tenet: sicut diuturna cogitatio eandem primo induxit: vnde etiam in propositis peruicaces, & contra aliorum consilia obstinati: meticulosi sunt, & suspicantur perpetuo ipsis aliquid mali intentari: voluptatis etiam venereæ appetentiores, non quidem ex calore in illis feruente, sed ad leniendum acrem illum morsum humorum, quo ipsi sua corpora perpetuo vexari sentiunt. Quibus familiares solent esse literæ. Non quod prę cęteris in illis perspicax intelligentia eluceat, sed quod ob frigus, quo opprimuntur, laboris sint patientiores: & ratione siccitatis, illata semel in animũ fidelius seruent ac retineant. Istis autem si modicus calor contingat, quo spiritus euadant puriores, Musis gratissimi existunt. Duobus enim ferme literæ addiscuntur, acumine & patientia. Satanæ autem insidijs maxime patent, tum quod tristia semper meditentur animis, tum quod semel iniectam cogitationem foueant pertinaciter augeantque, ipsoque nixu animi iugi & contento corporis temperiem deuastant, & tandem plerumque incidunt in phrenesin aut desipientiam.

Flegmatici mores. *Melancholici mores.*

Accidit quoque hominis appetitus sensitiuus, qui incentiuis vitiorum occasionem subministrat vberrimam. *Vnusquisque tentatur* (inquit Apostolus) *à concupiscentia sua.* Seuiunt siquidem in nos istius partis affectiones, virtutis actionem difficilem reddũt, erroris autem & lapsus facilem atque expeditam. Deflexit non parum hæc facultas à sua primęua rectitudine. Et licet incitata perturbatio, quę voluntatem defert ad vnam partem, (vt obseruauit D. Thomas) diminuendo in actu gradum voluntarij, inde ipsam culpam extenuet: ad hanc tamen hominem constituit propensiorem. Primo quidem ex eo, quod menti & intelligentiæ tenebras offundat: quibus impeditur animus à perspicientia veri: deinde ex vinculo naturæ, intra animæ facultates intercedente, hoc idem pręstat. Comparatum enim est, vt voluntas ea acrius appetat, quæ appetitui magis placent & arrident. Fertur voluntas vt nauis, vela expandit cupiditas, apprehensio delectabilis fortiter spirat, & passa impellit. Quod quidem genus incitationis aduersæ in nobis est perpetuum, & totam hanc nostram vitam, militiam reddit. Ducis Hieronis clypeo fertur aquilam insidisse, hastę vero noctuam: quo significatum fuit, virum hunc diu noctuque in armis consistere debere, in

Tentationis causa appetitus sensitiuus *Iacob. 1.* *Quomodo appetitus inclinat voluntatẽ.* *Iob 7.* *Trog. lib. 23.*

consilijs cautum fore, in opere vero fortem. Ita nobis nullum tempus vigilantiæ & conflictus intermittendum, aut otio concedendum quicquã in vita. Noctua Palladis auis, sapientiam indicat omnino necessariam: nam sine cognitione veri, nihil pręclari in actione efflorescit: aquila quoque adhibenda, in qua vis est spectabilis; forti enim animo conterendæ tum repellendæ tentationes.

Causa tentationis cælum.
D. Thom. opusc. de necessitate virtutis.

Externa etiam sunt nonnulla, quæ potestatem aliquam in hominis animum obtinent: illamque in effingendis moribus mirifice exercent. Non quod actione vlla spiritualem illam substantiam immediate afficiant: verum exinde solum, quod primo corpora transmutent, deinde facultatem imaginatricem excitent, atque sic tandem horum interiectu virtus, deforis adueniens, ad ipsam mentem peruadit. Inter quę primum locum tenet cęli influentia, & ambientis aëris certa temperies: ideoque eorum locorum incolæ, vbi sol magis exæstuat, acriora plerumque retinent ingenia, ex spiritibus subtilioribus caloris vi excitatis: sicut qui crasso & obnubilo fruuntur cælo, obstructos habent sensus, languidos, & multum impeditos. Ob firmam tamen quam hi corporis constitutionem habent, sola tolerantia sua sublimes illos Musarum montes felicissime interdum superant. Sunt etiam ita comparati aliqui ab ingenijs: vti placida tantum illa philosophia, & rerum iucunda ex similitudine adumbratione, quam poësis ferme pręstat, delectentur: quibus cogitatis, in illis simulachris efformandis sese miros exhibent pictores, docteque sapere & eleganter disseruisse videntur, cum rem aliquam suo typo, ad multa alludentes, & in aëre quasi nodos plectentes, accommodarint. Quo in genere Latinos excelluisse nouimus. Alij autem relictis istis vmbris & fictitijs coloribus, cognoscendę rei medullam & abstrusa principia suis intelligentijs acriter persequuntur, subtilissime distingunt, oculatissime inquirunt: in quibus studijs nostrates inter alios claruisse, scholis obscurum non est: nisi quod obscure ipsi multa tractarint. At certe Gręcorum eloquentiam, ne occidens sua laude careret, firma solidaque notitia exęquarunt. Plurimum itaque refert, quo quisque cęlo fruatur. Qua de causa Homerus dicere solitus est, talem animũ homini aduentare, quale cęlum, quo tegitur, ipsi deorum pater Iupiter concedit.

Lucret. l. 3.

Haud equidem credo, quia sit diuinius illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia maior.
Verum vbi tempestas, & cæli mobilis humor,
Mutauere vias, & Iupiter humidus austris
Densat ea, quæ rara modo, & quę densa relaxat:

Vertuntur

Vertuntur species animorum, & pectora motus
Nunc alios, alios demum, nubila ventus agebat,
Concipiunt. Hinc ille aciem, contentus in agris,
Hinc læti pecudes, & ouantes gutture corui.

Verum neque eadem serenitate mens & ratio semper collucent, aut eodem feruore seu promptitudine ad recta cõsilia voluntas expeditur: illa siquidem interdum cæcutit, hæc vero infirmatur & languet. Deus enim, cuius prouidentiæ modus abysso continetur, statutis temporibus retrahit splendoris sui radios, comprimit ardoris scintillas. Quod sępius etiam negligentia nostra socordiaque efficitur. *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Quid in causa est, cur cęlum nonnunquam ita desæuiat in terram, obductum nubilo horrendum vultum exhibeat, pręcipitatis imbribus, ruente grandine illam vehementius diuerberet, nubium fragore & volitantibus fulgetris vindictam minetur, nisi vapores & humores ipsi, quos terra in altum emisit? Ita tempestatibus impetiti, animorumque motibus vehementius concussi, existimare debemus ex nobis ipsis tetrum aliquod euolasse, vnde mala coalita in nos incidunt. Atque diligentissime nefarius dæmon hunc animi statum obseruat, & suis insidijs aptum & oportunum facit: Quando enim videt dulcẽ auram cælestis Fauonij non ita blando spiritu efflari, aut sensibus nostris iucunditatem adferre: tunc de suis cogitat turbidinibus, quibus nos abripiat ad deuia, ad syrtes & scopulos. Tunc machinationes suas intentat, imparatos nudosque nos putabit ad spicula sua, debilesque ad resistendum.

Tentatio ex subtractione diuinæ gratiæ.

Psal. 29.

Vitæ etiam genus & institutum maximum in vnoquoq; momentum habet ad tentationem perferendam. Hoc autem duas in species commode posse diuidi censebitur. Vel enim negotijs ijs distinetur, quæ ad honores referuntur, vtpote quod versatur in magistratu gerundo, in scientiis comparandis: aut illis implicatur occupationibus, quæ ad voluptatem, ad opes & diuitias destinantur. Primus parens in deliciarum loco degens, vitæ suæ conditione eximiæ cuiuslibet dignitatis capax videbatur, & propterea apte obiectu excellentiæ solicitatus fuit ad delictum. *Et eritis tanquam dij*, quod etiam acri sensu carnis fuerit & perfecto, instigauit ipsum Satanas ad delectationum illecebras: ori ipsius suauissimum pomum comedendum apponens. Duplici idcirco perpessione Christus Dominus pro hac protoplastę transgressione satisfecit: ignominiam nimirum sustinens & dolorem. Quod vero rerum exuberantia criminibus materiam porrigat, eapropter sapientis huiusmodi petitio extitit, *Mendicitatẽ & diuitias ne dederis mihi: tribue tantum*

Causa tentationis genus vitæ.

Gen. 2.

Prouer. 30

tum victui meo necessaria, ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam quis est Dominus? Penuria etiam quandoque lapsui occasionem præbet: propterea subiunxit Sapiens: *Aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei.* Nam vt inquit D. Basilius: *Æque enim durum videtur in rerum difficultate minime deiici & infractum seruare animum: ac in felicitate non extolli ad irrogandam contumeliam,* Varias autem tentationum formas ita describit Paulinus: *Excipit nos mundus iste varijs voluptatibus, florens & fallentibus venenatis illecebris. Excipit nos innumeris anguis insidijs, cui nomina mille, milli nocendi artes. Ac sæpe aperto certamine violentus aggreditur, & candentibus petit telis, si latentibus non capit laqueis. Sagittæ enim potentis acutæ, cum carbonibus desolatorijs, quæ videlicet noxijs cupiditatum ignibus animam nostram perurant, & à spiritus sancti habitatione desolent.*

Basil. homil in illud destruam horrea &c

Paulin. ep. 2. ad Seuer.

Inter externas similiter peccati occasiones, ratio conuictus adnumeratur. Si enim illis cum vitæ societatem ineamus, qui moribus sunt flagitiosis, facile eorum exemplis inducemur in eiusmodi prauitates ac consuetudines. Quocirca sanctissimus Dauid cum orasset: *Ab occultis meis munda me Domine.* Subiunxit: *Et ab alienis parce seruo suo.* Vt autem hanc eius petitionem interpretatur D. Augustinus ita petijt: *A cupiditatibus in me latentibus munda me Domine: & ne seducar ab alijs.* Atque hoc ipsum paulo diuersis verbis idem Psalmista alias efflagitauit: *Non veniat mibi pes superbiæ, & manus peccatorum non moueat me.* Quem etiam locum ita elucidauit Augustin. *Non veniat inquit mibi pes superbiæ: hoc est ab occultis meis munda me Domine. Et manus peccatorum non moueant me: hoc est, ab alienis parce seruo tuo.* Preclarissimarum actionum cumulata & efflorescens seges grauioris quoque infestationis causa existit: adeoque vt in optimis institutis nobis sit precipue cauendum, nedum in peruersis & malis tantum. Aranea salubres illos suauesque florum succos in venenatos vertit humores: ita nepharij demones ex nostris virtutibus occasionem sumunt nocendi nobis, & preclara nostra in nostri ruinam plerumque inflectunt. Optatum siquidem illis oneratam pretiosis & exquisitis mercibus nauem, in ipsius portus complexu eiaculata glande supprimere, aut fluctibus haurire: triumphantē currū inter ipsius populi clamores, & applausus canoros euertere: splendentē meridie solē atra nube obtegere: celo infixū luciferū ad tartara deuoluere. *Non quærit* (inquit D. Hieronymus) *Diabolus homines infideles, non eos, qui foris sunt, & quorum carnes Rex Assyrius in olla succendit. De Ecclesia Christi rapere festinat, escæ eius secundum Abacuch electæ sunt.* Diuus Paulus ad culmen Apostoli euectus, appetitus grauiores sensit cupiditates: & ex acri lucta, nimia defatigatio has ei voces elicuit: *Infelix homo, quis me liberabit de-*

Conuictus causa tentationis.

Psal. 18.

August. in psal. 18.

Psal. 35.

August. in psal. 18.

Virtutis excellentia obuia tentationi.

Hieron. ep. 22.

Abac. 1.

bit de corpore mortis huius? Quando enim in virtutibus maiores fiunt progressus, tunc (vt inquit Chrysostomus) *Diabolus seuerior efficitur, tunc magis efferatur, cum viderit nos cum diligentia vitam nostram disponentes.* Vbi effodit, repagula atque claustra perfringit latro, nisi vbi thesaurus occulitur? non vbi palea & lutum iacent sordentque. Quibus maris tractibus infesti piratæ, nisi illis, vbi onerariæ naues sępius traiectum habent. Non enim è portu soluentes primo adoriuntur: sed regressu littora adeuntes. Quos autem sanctitate pręstantes viros ad noxam trahere non potest dęmon, illos tamen infamiæ interdum nota & labe aspergit: vti oppressi pudore, à bonis actionibus desistant, animosque despondeant. Dimisit quidam Rex Hanon seruos Dauid, quos ceperat. *Tulit tamen Hanon seruos Dauid, rasitque dimidium barbæ eorum, & præscidit vestes eorum medias, vsque ad nates, & dimisit.* Ita quærit malignus ille spiritus notam aliquam dedecoris adferre optimis hominibus: hac ratione putans illos deijcere, & authoritatem opinione virtutis comparatam penes alios imminuere. Qua de causa D. Athanasium, sicut & alios sanctissimos, adulterij, homicidij, nigromantiæ criminibus infamauit. *Sub ipso erunt radij solis, & sternet sibi aurum, quasi lutum.*

Rom. 7. *Chrysost. homil 1. ad pop.* *2. Reg. 10.* *Metus dedecoris optimi tentantur.* *Iob 41.*

Quibus omnibus, si humani generis vaferrimum hostem adiungamus: nihil ex aduersis periculosius vita nostra, aut ex conflictu turbulentius apparebit. Tria autem sunt, quæ subdolum & potentem dæmonem in nostri armant interitum (quod adnotauit. D Antoninus) Malitia imprimis illa summa, qua mentem à Deo auersum habet vehementer, ipsum in hominem commouet, quem nouit Deo adeo charum esse, & ab eodem, huic aspectabili orbi pręfectum. Deinde inuidia ipsum exstimulat, dum egre fert, eam felicitatem nobis constitutam, vnde ipse exciderit. Quamobrem ad impediendũ & rumpendũ pręclarũ hunc in nobis progressum virtutis ad exitũ adeo beatũ, omne studiũ suum adhibet & connixum. Superbia denique eundem efferat quodammodo: quippe dedignetur se à nobis carne fragili amictis profligari: proinde hinc acrior & pertinacior euadit in impressione sua. Istius autem naturam si quis animo secum expenderit, nihil dubitabit, quin virtutis sit excellentis, summaque in res materia concretas potestatem obtineat. Si enim ex sententia Aristotelis verũ sit: cęlos ipsos intelligentias in orbem ciere, facile eisdem opus erit, humana consilia euertere, corporibusq; quamcunque demum immutationis causam & formam inferre. Neque dęmoni deesse poterit rerum scientia: complectitur enim ipse cogitatione sua mundi fines, arcanos eius recessus, effusa spatia, denique numerum & rerum pondera. Atque

Tentat dæmon. *Anton. lib. de semp. 52* *Arist. 1. de Cel.*

ex vario multiplicique euentu experientia collecta, de futuris ſagaciſſime pronuntiabit. Vnde D. Cyprianus: *Aduerſarius vetus eſt, hoſtis antiquus, cum quo prælium gerimus: ſex millia annorum iam plene complentur, ex quo hominem Diabolus impugnat.* Et ad ſignificandum immenſum eius ardorem, quo plane flagrat ad nocendum homini, iſtis nominibus illum inſigniuit D. Ioannes: *Et proiectus eſt draco ille, magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas.* Iſtius autem nomenclaturæ ſummã quandã energiam demonſtrat articulus in Græco adhibitus, *Τὸν δράμοντα, τὸν ὄφιν, τὸν ἀρχαῖο.* In dracone aſtus, in ſerpente venenum, in Diabolo calumnia, in ſatana ſupplantatio notantur. *Dæmones,* inquit Euſebius, *ſi nominis poteſtatem dicere licet, non quia dæmones ſint: quod Latine ſcientes dicere poßimus: ſed quia δεμάνειν ſoleant: pulcherrime appellauit: id autem Latine te timere, te terrere ſignificat.*

Cyp. exhort ad Mart. cap. 1.

Apoc. 20.

Euſeb. l. 10 præpar. c. 6.

Quomodo dæmon tentat.

De methodo autem & via quibus vtuntur Dæmones ad flectendũ in nobis appetitum tam ſuperioris quam inferioris partis (quod ſubſtantiæ ſpirituales longe ſuperiores ſint noſtris intelligentijs) non tam facile erit vnicuique quidpiam certi & explorati ſtatuere. Ariſtoteles quidem (vt creditur) plures iſtius ordinis ſpiritus non admiſit, quam ſint orbes cæleſtes. Minime agnouit proinde illam ipſorum in nos, quam fatemur, poteſtatem. Eam tamen alij philoſophi nobiſcum agnouerunt. Vt Mercurius, Proculus, Apuleius, Plato, & eius ſcholæ ſectatores. Itaque Auicenna iſtius quæſiti hanc ſecum rationem iniuit: Res (inquit) corporeæ compoſitionis expertibus ſubſtantijs ita ſubiectæ ſunt, vti in omnem partem pro libito loco moueri poſſint ab illis: quod experientia quoque manifeſtum reddere videtur. Siquidẽ in homine imaginatio corporeos ſpiritus & artus concitat, ſanguinem pellit, emittit, retrahit, illamque interdum intemperiem efficit: vt inde febris aut mors oriantur. Quod ſi imaginatio mole carnis oppreſſa tantam vim habeat ad cienda corpora: profecto intelligentiæ, à tali concretione terreſtri ſecretæ, in eadem multo maiorem obtinebunt virtutem. Cum vero mores animi plerumque corporis temperaturam ſequantur, (vt oſtendit Galænus) etiam in iſtis efformandis plurimum valebit dæmonis opera: quando corpus exagitarit permutaritque. Verum quod ad corporis motum ſpectat, arbitratur D. Thomas localem hanc corporis concitationem non fieri immediate ab imaginatione: ſed interueniente perturbatione aliqua appetitus, quam imaginatio boni mali ve euocauit. Quo pacto ſuper trabem anguſtam in ſublime inambulans facile decidit, inquit, non ex vi ſolius phantaſiæ, ſed quod ad timorem caſus membra trepident, mox labantur: quocirca

Mercur. in Pimand. Procul. in Alcib. Apul. in dæmon. Socrat. Plato, de Repub. & Phed. Auicen. aphoriſ.

D. Thom. 3. Cont. gent. cap. 130.

affectio appetitus excitat hunc motum corporis. Satis ideoque non erit, quod dęmō imaginationi pręstigijs suis illudat, vt corpus moueat. Quare D. Thomas, propius ad huius rei explicationem accedens, primum negat quædam posse fieri à dęmone, ne illi nimium concedatur: mox alia eius virtuti adscribit. Putat itaque excedere potestatem dæmonis, actum aliquem intellectui aut imaginationi effectione sua inferre, qui versetur circa res turpes: quasi ipse solus illos eliciat. Cum enim sint animæ operationes vitales, exigunt aliquam eius facultatem, vti ipsorum principium. Sed neque dæmoni attribuit D. Thomas facultatem excudendi speciem aliquam intensionalem, ad cuius effectionem minime concurrat vis ipsius animæ aut aliquis eius connixus. Quod vero ad corpus attinet, quod proxime recipit eius impressionem: immediate quidē sua innata virtute illud loco mouere poterit dæmon, eius partes, atque sanguinem spiritusque huc atque illuc impellere. Si autem qualitatem aliquam inferat corporeis artubus, id non pręstat, nisi interueniente actiuo aliquo naturali, quod ab ipso, corpori applicetur. Corpora autem dæmones ciere posse & mouere, manifestum reddit Angelus, qui Loth patriarcham incendijs eripuit, & Sodoma euertit: quocirca per corpus traijcit omne venenum suum dæmon ad animam. Atque tribus præcipue hac in re eius virtus contineri apparebit: primum est, quo potest ipse sensibus humanis obiicere aliquid, aut reali constitutione fabrefactum, sicut quando hominum oculos in pulchra quędam dirigit, quæ existunt plane: vel omnino delusorium: vtpote ex luminis varia reflectione, & nubium condensatione multiplici conflatum: vel etiam quando hominū aspectus fallit omnino inani ostento, quo modo serpentinam formam eum effinxisse in paradiso multi autumarunt. Ex his autem sensui propositis perceptisque excitatur imaginatio ad recentem aliquam speciem excudendam, aut veteris vsum. Euocata autem imaginatione, erumpit motus aliquis in appetitu sensitiuo, qui inclinet solicitetque voluntatem ad affectum alicuius noxij & illiciti. Deinde adhibere valebit dęmon corpori occultas rerum naturalium vires: vtpote lapidum, gemmarum, herbarumque, quibus immutando corpus imaginationem exinde flectet ad illud, quod ipse statuit & decreuit. Denique ipsum corpus subintrans, vel illi contiguus, humores fluere & defluere, condensari aut rarefieri, feruere aut tepescere procurabit. Vt enim ait D. Antoninus: *Natura corporalis naturaliter spirituali obedit ad motum localem: vnde & Diabolus omnia causare potest, quæ ex motu locali corporum inferiorum prouenire possunt, nisi ex virtute diuina reprimatur.* Veriſſimum quidem est,

D. Thom. opusc. de causa peccat. art. 4. 3. cōt gent. cap. 130. 1. part. q. 111. art. 3. Victor. relec. de magia.

Gen. 40.

Anton lib. de temp. cap. 13.

dem eſt, ipſaque experientia compertum, ſummam eſſe proportionem & habitudinem inter corporum alterationes & phantaſiæ motus. Ideoque à medicis, ex inſomnijs vagæ ſolutęque imaginationis opera pręſtitis, diuinationes fiunt & coniecturæ de corporum qualitate. Quorum etiam affectiones vim quandam habent in phantaſiam, vtpote facultatem animæ, organo corporis vtentem. Vnde fames, corporea quędam intemperies, ex diminutione humidi propagata, imaginationem pellicit, non ſolum ad doloris notitiam, verum etiam ciborum apprehenſionem. Corporis feruor ad iræ, calor humori admixtus ad libidinis, humor ad quietis, ſiccitas ad triſtitiæ cogitationem phantaſiam excitabit. In appetentia autem honoris ex ſuperbia, obſcurius erit in corpore cauſam aliquam inueſtigare: eo quod hęc obiectum habeat (vt loquuntur) rationis bonum, non ſenſus. Nihil tamen impedit, quo minus in corporeis ſpiritibus agitatis & extenuatis originem ſimiliter habeat. Sed de his hactenus ſatis multa.

Corpus, imaginatio, appetitus, volūtas, cauſam dāt peccato ex dæmonis artificio

Cum vero conſtet, Dęmonis arte informari poſſe hominis imaginationem certa aliqua notione boni delectabilis aut nociui: perſpicuum erit, ipſum magnam quoque vim habere ad mores animi effingendos. Non quod neceſſitate aliqua cogere poſſit voluntatem concedere in prauam aliquā appetentiam, ſed quod ipſam valeat plurimū exſtimulare, ſolicitare ad illicita. Nam imaginationis notitiam ſequitur ſubitaneus aliquis appetitus motus, qui in idem prorſus obiectum, quod imaginatio oſtenderit, vehementer inclinat voluntatem. Ad ea enim facilis ductiliſque eſt voluntas, quæ appetitui & ſenſibus arrident. Quod ſi voluntas ſuggeſtioni ſatanicæ plenum conſenſum exhibuerit, criminis propagabitur integra conſummataque veluti prolis generatio. Dęmon quidem tentando ſemen inijcit, homo conſentiendo partum edit. Atque de huiuſmodi loquitur Chriſtus: *Vos ex patre veſtro Diabolo eſtis.* Cum etiam cuiuſlibet ingenium ad vnguem teneat dęmon, (quantum coniectare illi licet ex corporis habitudine & actibus externis) accurate intelligit quænam eiuſdem diſpoſitio melius conferat ad certum aliquod genus delicti. Proinde dubitari non poteſt, quin ipſe ſit ad commouendos hominum animos potentiſſimus. In hac autem arte ſua imitatur eos, qui munita loca obſidione cingunt: ſcientes namque ea aperta impreſſione recipi non poſſe: clam paciſcuntur cum aliquibus qui intus ſunt de proditione: ita quod nihil in ipſam animam, vtpote inexpugnabilem, directe moliri queat dęmon: corporeos ſenſus mercede voluptatis conducit, quorum opera infelix anima tandē in eius poteſtatem deueniat. Quocirca in puteum

Ioan. vult.

hunc limpidissimum viuentis & videntis cum Philisteis rudera conijciunt dęmones: quibus labe & sordibus criminum coinquinetur. Puteus quidem viuentis animus est, quod Dei viuentis eiusque vitæ expressa imago; videntis pariter: cuius in luce omnia cernuntur, & spectabilia euadunt. Principio itaque vis satanica corpus ferit & sensum, vti ad animam tandem peruadat. *Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro.* Et vt inquit Augustinus: *Malum hoc serpit per omnes aditus sensuales, dat se figuris, accommodat coloribus, adhæret sonis, latet in ira, in fallacia sermonis, odoribus se subijcit, infundit saporibus, & quibusdam nebulis implet omnes meatus intelligentiæ.* *Gen. 16.* *Gen. 49.* *August. 83. quæst. q. 39*

Rationum momenta recensentur, quæ animæ contra tentationum vim præsidio esse poterunt.

CAPVT XX.



Aturæ fractæ & debilitatæ admodum propensiones plurimum faciunt ad morum prauitates: pręsertim si alastoris genij insidię multiplices illis accesserint. Nihilosecius ad erigendos atque corroborandos animos in hac acri virtutis pugna, plurima se offerunt: quæ si mente numerauerimus, nobis aderit Eliseus aliquis, qui dicat: *Nolite timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis.* Et imprimis non leuis aut exigui momenti res æstimari debet, quod contentione quadam nobis pręclaræ merces comparandæ proponantur. Siquidem luctæ conditio illustris cum sit, eius opinio facile cuiusuis pectus, in quo vel igniculi virtutum conduntur, inflammabit pręmij cupiditate. Istęc concertatio illud Iob sterquilinium illustrauit, nobilioremque sedem corporis effecit, quam fuit illa pergula, in qua Cleopatræ manibus vinctus Antonius, & luxuria emollitus, inter flores iacuit euiratus: imo haud errare viderer, si paradiso casus, ac ruinę nostræ consciæ, ac eiusdem maximæ occasioni anteponerem. Huiusmodi sane ęstimatione imbutus D. Chrysostomus, Apostoli Pauli carcerem, testem admirabilis illius constantiæ, clariorem duxit cęlo empyreo: in quo parumper deliciatus Lucifer, mox inde pręcipitatus fuit in Tartara. Neq; si comparatio institueretur inter animæ castimoniam, qua eluxit eximie Susanna impetita tentatione: atque hortum illum floribus depictum, arborumque & herbarum ordinibus destinctum: vbi ad lauandum *4. Reg. 6.* *Opinio concertationis & gloriæ, animũ munit contra vim tentationum.* *Chrysost. homil. de vincul. Pauli.*

corpus balneum petebat: vlla inueniretur ratio æqualitatis: sed infinitis gradibus talis anima horto illo, imo paradiso, vel cęlo antistaret. Illibati namque virtutum flores, candentia castitatis lilia, sanctam & innocentem illam feminam decorarunt: quæ nullus ęstus libidinum infuscare potuerit, aut efficere vti marcescerent: verum illius loci flores, quos solis radius è terræ sinu euocarat, eosdem denuo arefecit & absumpsit calor. Susannæ animam fortem ac sinceram nihil coinquinati consilij subintrare potuit: at horti illius densa arboreta impuros senes contexuerunt ac munierunt, & serpentem tametsi Dei sententia eiectum iterum exceperunt. Habet itaque ipsa digladiatio & conflictus, quæ in retinendis virtutibus vitijsque superandis versantur, multum quidem decoris ac gratiæ: & nobis omnino gloriæ cedit, quod non otiosis aut residibus iustitia accedat, sed vigilantibus potius accerrimeque confligentibus. Alterius fauor esset, bonos nos euadere sine labore, non industriæ nostræ decus & ornamentum. Splendor enim non in rebus fluidis, sed in solidis & concretis gemmis elucet maxime. Ita indurandi assidua contentione sumus, vti virtute fulgeamus. Hinc Apostolus: *Omne gaudium existimate fratres cum in tentationes varias incideritis: scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur.* Et vt ait D. Augustinus: *Dum huius vitæ infirmitatem gerimus, si tentationes & passiones omnino nullas habemus, non recte viuimus.* Iniquam idcirco conditionem nostri non queramur, nec ęgre feramus quod huiusmodi concertatione vita distineatur: quinimo gaudendum potius, nobis brauium cursu acquirendum exponi: quod sane viro forti animos accendere deberet, si modo pręclari alicuius facinoris desiderio teneatur, aut vera laude ducatur. Atque ad dignitatem illius contentionis plurimum faciunt aduersarij, cum quo confligimus, vis & astutia. *Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Quorum etiam in nos hostiles animos ita describit Euangelista: *Et vidi equos in visione, & qui sedebant super eos habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & sulphureas.* Quid equi quibus vehuntur? nisi vis, & impetus, velocitasque incursus. Quid loricæ flammeæ aliud innuunt, quam dęmonum subtilem substantiam, qua in latentes hominum sensus facillime penetrant? Earum calor hyacinthinus nequitias significat, quas Apostolus supra dixit in cęlestibus: vtpote animorum elationes, schismata, hęreses, Apostasias, dissidia, partiumque studia. Sulphureæ, blasphemiam in ipsum Deum indicant, libidinumque fætores: quibus omnibus veluti iaculis nos Dæmones adoriuntur.

Anima illustrior horto aut paradiso ex pagna.

Iacob. 1.

August. lib 14. Ciu. cap. 20.

Pugna nostra illustrior ex hostiū peritia & vi.

Ephes. 6.

Apoc. 9.

Quam-

Quamobrem ſi immanis illa moles, qua giganteum Goliath corpus conſtabat, Dauidi admodum iuueni, dimicationi inſueto, eandem ad terram proſternenti, laudi & gloriæ fuerit: deprędicandum quoque ſuſpiciendumque in nobis animi robur efferetur: ſi modo fragili carne induti, exigui & depreſſi, ſpiritus illos poteſtate & ſubſtantiæ magnitudine ita inſignes deuincimus ac debellamus. Protoplaſta naturæ dignitate & integritate abſolutus, perfectiſſimæ quoque gratiæ ſubſidio adiutus, & corroboratus, loci etiam in quo morabatur ſpecie recreatus & ad dimicandum inde animatus, ne inde eiectus exularet: nihilominus inſidijs ſerpentinis impetitus ſuccubuit, & è ſummo illo gradu decidit imperij. Sin vero nos, etiam vulnere grauiter concuſſi, neque talibus inſtructi copijs, Satanam profligemus: in hac noſtra imbecillitate & exilio quantũ decoris & ornamenti apparebit? Nullus itaque à ſpe deiectus, inęqualem opinione ſua, ſeu potius abiectione ſui ſe Dęmoni faciat: vel cauſetur ſecum, illum ſubſtantiæ ratione ſegregatum à concretione terreſtri, & immortalitati donatum: hominem vero conflatum ex partibus inter ſe diſſidentibus, ijſque craſſis & impuris, mortis legibus ſubiectis, & mille incommodis obnoxijs: illum eximia mente prędictum omnia intueri enucleate & explorate: hominis autem intelligentiam in erroribus verſari plerumque & denſa caligine. Verum quidem eſt magnam olim vim & quaſi imperium in homines exercuiſſe Satanam: quando nimirum Gręciſmus & ſuperſtitioſus deorum cultus mortalium animos occuparant. Vt *Lactant. lib. 2. c. 15.* enim ſcripſit Lactantius: *Adhærent ſingulis hominibus, & omnes oſtiatim domus occupant: ac ſibi geniorum nomen adſumunt. Sic etiam Latino ſermone dæmonas interpretantur. Hos in ſuis penetralibus conſecrant, his quotidie merum profundunt, & ſcientes dæmones venerantur quaſi terreſtres Deos, & quaſi depulſores malorum, quæ ipſi faciunt & irrogant. Qui quoniam ſunt ſpiritus tenues, & incomprehenſibiles, inſinuant ſe in corporibus hominum, & occulte in viſceribus operti, valetudinem vitiant, morbos citant, ſomnijs animos terrent, mentes furoribus quatiunt: vt his malis cogant ad eorum auxilia decurrere.* Modo autem illo fortior *Luc. 3. Apoc. 20.* in eius regnum inuaſit, Chriſtus nimirum Dominus: quem deuictum compede ſtrinxit, & infernali antro incluſit captiuum, neque valebit poſtea vim ſuam ita in humanum genus exercere. Ipſa quoque apparitura pares ſumus, actione ſi velimus ſuperiores. Cogitatione itaque tantæ dignitatis, ad ſuſtinendas tentationum impreſſiones, animabitur pectus virile & excelſum. *Laudauerim* (inquit D. Ambroſius) *virtutem* *Ambroſ. in pſal. 118.* *gubernatoris, qui nullas procellas ſenſerit, & curſum nauigii direxerit nulla tempeſtate iactatus? ſed illum laudauerim, qui aduerſus ventos renititur, inſurgit aduer-*

sus fluctus, non timet, vel cum eleuatur vndis nauigium, vel cum ad profundi ima deponitur: ita ille laudandus est gubernator sui, qui ea quæ aduersa sunt vincit patientia, virtute superat, secundis non extollitur, aduersis non frangitur. Est sane quod ingenti quodam odio armati in draconem hunc insiliamus, veluti in omnis nostri mali authorem. Darius cum audiuisset Sardas ipsius socios mali habitos ab Atheniensibus, famulo suo, ęgre ferens illorum calamitatem, pręcepit vti ei ter in cęna quotidie diceret: *Here memento Atheniensium*: ita iniuriam omnem animis sępius repetere debemus, qua dæmones vitam hanc nostram ferme confecerunt: vti semper de vindicta cogitemus. Quod efficiemus nobiscum statuentes, eorum aspernari ac reijcere illectamenta, quibus carni lenocinantur. Cum vero præcipuum & vnicum animæ ornamentum sit virtus, quod eius in nobis multiplicem actionem eliciat iniecta tentatio, & animis à dęmone intententata malitia, profecto eandem nobis vtilissimam reputare oportebit. Quando autem oramus: *Et ne nos inducas in tentationem*, prorsus carere non cupimus infestatione satanica: hoc enim rerum naturę ordinique à Deo prefixo ac constituto aduersatur: iam enim stipendium gloriæ & pondus non nisi tentatis proponuntur. Sed ad contundendam Pelagianam superbiam, memores propriæ imbecillitatis veremur pugnam: & ideo subsidium diuinum imploramus, ne à tentatione vincamur. Cuius conflictationis emolumenta ita recensuit D. Gregor. *Cum tentamur vicijs, pia dispensatione nobiscum agitur, ne his virtutibus, quibus proficimus, extollamur. Cum flagellis atterimur, admonemur ne mundo blandienti seducamur: vitia dum nos tentant, proficientes virtutes humiliant: flagella dum nos tentant, surgentes in corde huius mundi voluptates eradicant; per tentantia vitia discimus, quid de nobis sentiamus; per ferientia flagella cognoscimus, quomodo de hoc mundo fugiamus; per ista cōprimimur, ne quid extrinsecus appetamus, per illa restringimur, ne intrinsecus extollamur.* Timore & voluptate (vt docet D. Augustin.) tentatio omnis definitur. Voluptas dimissos nos fecit, & vilissimarum rerum appetitores; timor absterret nos à bonis consilijs, pericula alicuius damni sensibus nostris obijciens. Virtus autem tunc efflorescit, cum praua cupiditas abiecta fuerit, inanesque terrores excussi. Vasa pulsu probantur, an firma & integra. Contrita aromata odores spirant. Contusa metalla resplendent: ita ipso conflictu & tentatione aduersaria virtutes excitantur in nobis, & decus suum ostentant. Procella nautam, lucta athletam, vis belli imperatorem, difficilia fortem, & tribulatio Christianum probat, probatumque illustrem exhibet & conspicuum.

Herodot. lib. 5.

Tentatio commoda.

Matth. 6.

Greg. lib. 2 3. Moral. cap. 127.

August. in psal. 30.

Pręter hanc ipsam actionis honestatē & colorem: impellet multum ani-

animos,ac confirmabit ad pugnandũ, vincentibus constitutũ pręmiũ, ipsiusque Dei conspectus (in cuius pręsentia nos eius milites pręliamur) acres nos reddet & animatos. Quomodo enim existimare possumus illud gloriæ immensum pondus, quod intelligentię vim omnem & ambitũ longissime excedit, sine sudore & sanguine parari? Olimpica laurea pulueres suos habuit, solis radio feruentes. Haustus è Musarum fontibus, difficili & per accliuia ascensu habetur. Post frequentes anhelitus & admirabiles animorum corporumque æstus & eluctationes imperij fines propagantur. Tamen si modo in istis spectatus finis, & instituti exitus mente solum, aliquando etiam errore, designatus, durissimos labores, suaues, imo expetibiles reddant: quid efficiet cælestis pręmij cogitatio, dum parum ipsa contentione defatigati, sursum capita spiritum ducentes attollimus, oculisque vtcunque pręmij illius magnitudinem metimur? *Sinit ergo nos* (inquit D. Ambrosius) *sæpe tentari Deus, volens iusta præmia dare luctanti, itaque non dormienti: non decet redemitos floribus corona, sed puluerulentos; nec molles deliciis, sed labore exercitatos armat victoria.* Cum idcirco acriori vrgemur tentatione, magnitudo pręmij respicienda. Hęc enim non gratis omnino nobis nihil agentibus allabitur, sed solerter gnauiterque operi incumbentibus. Quod si regis alicuius vel imperatoris conspectus, vti fauor eius ac gratia concilientur, pręstet vti arma tractantes maiori cum dexteritate animoque feruentiori inter pugnandum se gerant: multo magis hoc ipsum faciet in hac nostra dimicatione, si quod res est cogitemus, supremum nimirum Numen nostris adesse conatibus, illorũ esse spectatorem ac iudicẽ. Quicquid mali facilius perferemus, hoc reputantes, quam vti fracti aut turpis speciem aliquã eius oculis limpidissimis obiectare velimus. Huiusmodi consilio inducti Darius & Alexander, summi belli imperatores, in editis ac conspicuis locis esse voluerunt: in quos pugnantes ipsorum milites intenderent. Nam (vt inquit Curtius) *ante oculos* [illegible] *regis morte occumbere ducebat egregium.* Scio peruersos nouatores [illegible] dogmate, atque ad lenocinium omnino composito, hac ex parte [illegible] mi instituti neruos pręscidisse, docentes nemini licitum esse ex intuitu cælestis præmij, quidpiam boni moliri. Ita satanæ more suo continuo partibus fauent. Tentationis namque vim & impetum cęlorum adspectu ac coronæ expectatione facilius sustineri posse ac deuinci nemo est qui non sciat. Calcaria ac spiritus retributionis opinio adhibebit luctanti. Hoc autem fomentum animorum, ac refectionem in tam graui necessitate substrahunt hominibus sectarij. Quid aliud faciunt, quam vt cęptis fracti desistant, ac fuga sese prælio subducant?

Præmium & Dei præsentia armãt contra tentationẽ.

Ambros. in psal. 118.

Curt. lib. 4

Hæretici vim ad resistendum tentationi eneruant.

Satis autem demirari nequeo hanc ipsorum proiectam patentemque insaniam. Integrum omnibus erit corporibus curandis reficiendisque multa concedere, quæ lex non interdixit, mala denique omnia amoliri animæ aut carnis. An non pariter tunc nobis concessum, cęlestem illam beatitudinem vti nobis commodam expetere? Quod si verum admittatur: istius potiundæ causa media quoque posse adhiberi, & comprimis egregia virtutum opera vnusquisque videbit ac profitebitur. At temerarij absurdique magistelli ferme semper in naturam ipsam errantes impingunt & offendunt.

Cohibendi sensus, vt vincatur tentatio.

Imitandum quoque à nobis videtur prudens illorum consilium, qui obsessi ab hoste, cum exiguis suis copijs porta non egrediuntur ad confligendum contra numerosum exercitum: sed vallo mænibusque inclusi, ipsius loci custodia ac munimentis se defendunt: ita cincti cum simus aduersæ potestatis obsidione, sensus nostri foras excurrere non debebunt: hoc est, minime tutum erit periculis & occasionibus delinquendi sæpius nos cōmittere: sed disciplina potius seueriori strictiorique coërcendi, & intra certum spatium occupationis continendi sumus. Potus veneno infectus, quem interficit? haurientem. Fluctus quos absorbent? natantes aut nauigantes. Belli clades quos inuoluit? temerario pugnantes. Edax flamma quid absumit? apposita ligna: Pestis quos corrumpit? nimium vicinos: ita neminē ferme tentatio deijcit, nisi illum, qui peccandi causas subductione sui haud effugerit.

Basil. tract. 21.

Nam vt bene disserit D. Basilius: *Quamuis nauis gubernatori concessum non sit, tranquillitatem mari pro arbitrio & voluntate imponere: nobis tamen integrum est, vitam quietam omnemque vacantem perturbatione constituere: si nimirum internos tumultus, qui ab affectionibus externis proficisci solent, sedauerimus, & mentem eis, quæ extrinsecus accidunt, altiorem constituerimus. Siquidē illi, qui nimis magnum studium & curam in res mundi istius conferunt, tanquam volucres carnosæ frustra habentes, vna cum esculentis suis deorsum trahuntur.* Cuius quidem con- atio in promptu. Motus enim appetitus sensitiui, qui proximæ æ existunt vitiorum, non prius excitantur, quam sensilibium quidpiam in oculos aut alium sensum incurrerit. Vnde venit quod ij acriores frequentioresq; interioris hosce motus patiantur, qui sensibus habenas laxantes, incuria quadā illos dimittunt, sinuntq; effuse vagari.

Imaginatio in bonis occupanda.

Quod vero primus assultus, quem in animam facit dęmonis tentatio, rei cuispiam sit in imaginatione expressa noticia: pręsidiū aliquod vti huic parti constituamus, necesse est: quo primæ hostiles impressiones ilico repellantur. Hoc autem duplici ratione efficietur: primo si mentem optimis notionibus continuo præoccupatam habeamus ac

munitam. Sic enim locus ſuggeſtioni nephariæ non ſupererit:ſed ſicut muſcæ ad terſum delatę ſpeculum extemplo decidunt: ita cogitationes turbidæ ad ſerenum animum appulſæ, luceque rationis ſplendidum, labuntur protinus, reciduntque incaſſum. Nam ad rei cuiuſpiam perceptionem attentio quędam ęſtimatiuæ facultatis requiritur, eiuſdemque quidam connixus: impeditus autem & diſtrictus animus melioribus notionibus, forinſecus allatis ſimulacris haud intendet: proinde quod incuſſum fuerit, nullam plane impreſſionem faciet. Alius vero modus repellendi tentationes tunc exiſtit: quando ſubitaneum motum animaduertentes, nos recolligimus, & alio ſtatim mentem transferimus. Serpentes, ſi vel paruis ictibus ipſorum capita concuſſa fuerint, ſtatim trucidantur: reliquo autem corpore etiam protrito vulneribus tamē vita non cedit: ita primis cogitationū initijs extinctis, quod reſtat nullo ferme negotio debellatur: ſin vero infixa fuerit lenocinij apprehenſio, quam mens ſemel concepit: inde neceſſario cupiditas & appetitus delectabilis incrementum capient. Vnde Pſalmiſta: *Beatus, qui allidit paruulos ſuos ad petram.* Ille nimirum, qui tactam iniectu nephariæ cogitationis mentem, quam citiſſime colluſtrationis agilitate transfert ad Chriſtum Dominum, firmiſſimam petram, ipſaque auſteritate duram: cuius robore optima propoſita fixa manent & ſtabilia: cuiuſque firmitudine teneræ & emollitæ voluptatum blanditiæ tanquam maris ſpuma diſſipantur. *Pſal. 136.*

Explorandæ demum vnicuique (maxima qua fieri poterit ſagacitate) inclinationes & naturæ pondera: ſic enim ſedulo ſtudio reparantur incommoda natiuitate ipſa, lacte materno & domeſtica educatione contracta: meliuſque prouidetur ijs malis, quæ aliqua ex parte nobis periculum maius adferunt. Quemadmodum qui ciuitates muniunt & defendunt, inſtructionem machinarum ibi parant firmiorem, vbi patentior hoſti aditus offertur: vel vbi murus aut vallum non ita valida ſunt ad ictus tormentorum: ſic naturæ propenſiones, eiuſdemque imbecillitates perſpectæ, efficiunt in nobis maiorem curam, certioremque intelligentiam, quibus contra hoſtium impetus ſubſidium aliquod labenti animæ ſupponamus. Proinde huic inſpectioni ſumma diligentia vigilantiaque incumbendum. Si enim de die & de nocte, nulloque remiſſo tempore, continuo inſidiæ nobis ſtruantur, non frequentes, ſed perpetuæ ſolicitudines animum vrgere debent ad ſui cuſtodiam: ita vt pręſidium nunquam interruptum, infeſtationem perpetuam exæquet. *Super cuſtodiam meam* (inquit Propheta) *ſtabo, & figam gradum meum.* Dux quidam Romanus, militaris diſciplinæ obſer- *Abac. 2.*

Defectus naturæ ab illo intelligendi, qui cupit tentationes ſuperare.

Cornel. Tacit. lib. 11 Anal.

obseruantissimus (de quo scribit Cornelius Tacitus) gregarium quendam militem cespite egressum, quasi indiligentem, proiectęque incuriæ hominem occidit: & alium eadem pęna plecti voluit, quod pugione tantum armatus terram defoderet. Enimuero si comparatio fierit inter genus periculi, in quo ex neglectu tentationum desidiosi versantur: atque illud, in quo fuerunt Romanij milites, rationes in promptu aderunt, ob quas maiorem illi curam in sui munimentum conferre deberent, quam isti. Hoc autem vel maxime perficitur exercitio virtutum, prępsertim vero pietate & diuinorum cultu. Horrendus illi dæmoni videtur, qui mentis agitatione, seu potius excessu, studia sua omnia & cogitationes transtulit ad cęlestia. Hunc aggredi vix audit: videt etenim cęlesti rore extinctam libidinem, transmissa luce serenatum animum, diuino amore subactam carnem, denique nulibi sibi ingressum patêre. Quod & ipsis philosophis obscurum non fuit: illis etiam temporibus, quando dęmonis imperio omnes ferme sua capita dimittebant. Sic loquitur Hermes: *Vna custodia pietas. Pium enim hominem nec dæmom malus nec fatum tenet: nam Deus liberat pium ab omni malo. Quod enim vnum & solum in hominibus bonum est, pietas.* Quamobrem huic nostro instituto conuenientissimũ mihi videtur consilium illud Thucididis cuidam militi traditum, ab ipso informationem militarem exquirenti: tria hæc inquit tibi obseruanda: τὸ ἐθέλειν, καὶ τὸ ἀσχύνεσθαι, καὶ τὸ τοῖς ἄρχοις πείθεσθαι. Velle, vereri, obedire. Primum indicat defixum animi propositum pręliandi, quo affici omnino is debet, qui huic negotio euincendi tentationis incumbit. Alterum significat, tutum non esse temerario se pugnis committere. Et simile quid Christianus miles obseruat, dum occasiones deuitat delinquendi, disciplina se munit atque coërcet. Postremum innuit in perplexis euentibus vtilissimum fore, aliorum sententias requirere: quod & noster athleta, quem instituimus, exercebit: proprio ingenio nimium non fidens, sed peritorum iudicio multum concedens. Nam vt loquitur Psalmista: *Tenebrosa aqua in nubibus aëris.* Siquidem potestates istæ, de quibus Apostolus, tenebrosam in nos sępius aquam dimittunt, vt obcęcatos ex qua velint parte vulneribus conficiunt. Atræ autem istæ nebulæ aliorum consilijs, veluti radio solis, sępius fugantur. Nihil autem miri si luxuriantes petulantesque frequentius dęmonum incursu ad praua impellantur. Quemadmodum nec admirationem parit vllam, quod corui, & vultures turmatim conuolent ad cadauera. Carnis idcirco castigatio adhibenda, & esca quasi dęmoni hoc pacto subtrahenda: neque in omnem partem laxanda cupiditas, sed intra certum spatium coërceda, ea enim ipse

Pietas munimentum contra tentationem.

Hermes apud Lact. lib. 2. c. 16.

Thucid. orat. Peric

Psal. 17. Eph. 6.

ipse vtitur in nostram perniciem. Verum de istis superius satis multa diximus. Denique admirabilis illa virtus sacramentorum, qua per aureos canales, sacrosanctus Christi Domini cruor ad animas nostras deriuatur, efficax omnino est ad extinguendum ardorem libidinis, omnisque prauæ appetentiæ impetum propulsandum. Ea propter huiusmodi fontes sępius adeundi petendique: de qua re imposterum copiosior à nobis disputatio instituetur.

Pelagiana superbia, diuinæ gratiæ subsidium recusans, vitijs locum parat: ex aduerso autem orthodoxorum dogmata, de gratiæ istius necessitate suscepta, virtuti & puritati morum consentiunt. Quæ etiam ad expugnanda scelera summam statuunt ex ratione opem: vtpote firmissimum animæ præsidium: quod cum Pelagianis Caluinistæ labefactarunt.

CAPVT XXI.

QVi graui accepto vulnere miles, dissimulato malo, & dolore mente occultato vix ad mouenda brachia, aut pedibus consistendum idoneus aciem repetit: imperatori inutilis, sibi ipsi improuidus, & ad necem creatus iure censebitur: imprudens iste, & ex animi elatione temerarius extitit Pelagius: etenim protoplastæ errore, lapsuque ingenti quadam vi concussus, inde etiam plurimum debilitatus, ac ferme fractus, veretur tamen quod res est agnoscere, & suam voce prodere infelicitatem: sed firmamentum gratiæ reijciens, inermis & nudus impotentia quadam animæ concitatus, ad bellum rapitur, vitęque miser discrimen subit. Non ignoro fortissimum Dauidem arma Saulis, quorum vsum non habebiat, repudiasse, sed quid? exarmatusne descendit ad certamen? loricam quidem capitis munimentum, horrenda aliqua efferati animalis forma effigiatum haud intueor: sed neque thoracem pectoris vastitatem animumque ferreum ostentantem video: abest etiam fulgens clypeus, in quo victoriarum insculpta monumenta describi solent. Corporis habitus pastoralis plane & domesticus, vel campestris, non Martius. At, en tibi aliam panopliam, non vulca-

Pelagius miles imprudens.

1. Reg. 17.

neam, sed diuinam, non incantationibus pręmunitam, sed virtuti cęlesti corroboratam. *Ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israël, quibus exprobrasti hodie, & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te, & dabo cadauera castrorum Philistijn hodie volatilibus cæli, & bestijs terræ: vt sciat omnis terra, quia est Deus in Israël.* Pari modo in conflictu, quo à nobis in vitia pugnatum est, non sensibus obiecta pręsidia comparantur: sic enim diuitiæ, populi fauor, generis dignitas multum conferrent opis ad victoriam: sed alterius ordinis sunt firmamenta nostra, intelligentia solum diuinisque notionibus percepta. Quod cum euidentius constaret, tum ex scripturæ testimonijs, tum communi omnium populorum suffragio, male audire cepit Pelagius, & piorum animæ grauiter offensæ eius dictis, ferre non potuerunt sententiam adeo peruersi dogmatis. Animis enim horrebant affirmare, quempiam hominum sine diuinæ gratiæ adminiculo felicitatem posse adipisci: propterea (vt adnotauit D. Hieronymus) sola Pelagiana hæresis, inter ceteras omnes, proprio notata nomine aut charactere, in publicum prodire ausa non fuit. Neque explicate & enucleate profiteri voluit, quod sensu inuoluebat: sed varijs verborum inuolucris tectus, honestaq; specie excultus teterrimus error, grassari cepit, citatoque cursu Christiani orbis fines tantillo temporis est complexus: virus concepit, & aluit primum Britannia, mox Galli, Itali, Græci, Ægyptij, Afri in intimos sensus effusam veneni vim exceperunt. Hoc autē negotiū tam dextere & accurara arte tractauit Pelagius: vti Diospoli in Palestina cū orthodoxis patribus pronunciatum illud abiurarit, quo dicitur ad recte traducendā vitam diuinæ gratiæ opē non esse requisitā: seq; affirmauit opinionem de gratiæ necessitate susceptā non conuellere, sed statuere potius, & corroborare. Quis non Catholicū plane heresiarchā hūc ex voce reputaret? Vnde alumnus eius & sectator Celestinus, Romæ disputatione publica, pręsidente Zozimo Romano pontifice, Pelagianū dogma enarrans, ita versipellē egit, sic verborum pręstigijs sensibus in hanc hęresin inquirentium illusit: vti iudicio ipsius Zozimi absolutus fuerit, & suspicione erroris, qua laborabat, leuatus ac liberatus: imo Pelagius ipse, literis munitus Praili Hierosolymitani antistitis, sententia quoque ipsius Zozimi orthodoxus iudicatur. Cum vero acrius adhuc instarent Catholici, subdubitantes ne sub virenti herba quid serpentis latitaret: peterentq; ab ipso pressius, vti explicaret quidnam gratię nomine, cuius fautorem se tantopere depręadicabat, significare vellet: constringentes hominem, ruperunt oua aspidis, & egressus est regulus. Bimembrem namque iste suæ gratiæ

Hieron. ep. ad Ctesiph. *Pelagij hæresis odiosa*

Pelagij hæresis fraudulentia.

D. Hieron. ep. 19. Aug. lib. 2. retract. cap. 47. Epist. Zozim. apud Baron. tom. 5. pag. 417

Esa. 59.

gratiæ partitionem (orthodoxo etiam more vt videbatur) fecit. Internam vnam, alteram externam nominauit. Internam autem ad virtutes tam morales quam theologicas exprimendas liberum posuit arbitrium, intellectus ingenita vi collustratum: quod, cum dono creationis gratis homini attributum fuerit, absq; operum merito, gratiam merito nuncupandum pronunciauit. Quam quidem vocis gratiæ maxime vniuersalem acceptionem, naturę quoque munera coërcere affirmat D. Augustinus. Externam gratiam omni illo definiuit Pelagius, quod sensibus subiectum, homines in cogitationem deuenire facit, & intelligentiam sui officij. Cuius generis reputauit miracula, conciones, quibus fidei mysteria enunciantur, & credibilia redduntur: promulgationes quoque legum, Christi Domini voces & opera, Apostolorum labores, quibus ostendebatur quid credendum, quid sperandum, quid diligendum. Insonante itaque verbo extrinsecus, sine alio naturę inducto adiumento, ex istius sententia fidē homines adhibent Euangelij dictis, in spem etiam beatitudinis animos erigunt, tentationes superant, legem adimplent, omnia denique obeunt recti honestiq; munia, ad officium pręstandum finemque adipiscendum requisita. Quamobrē cum Pelagius nullos debilitatę naturę languores agnouerit ex originaria culpa profectos, tenebras nullas menti offusas, imbecillitatem nullam voluntate adiectam, appetitui denique nihil turbulentiæ accessisse opinatus fuerit: legislatorem & doctorem tantum Christum Dominum, non naturæ lapsæ reparatorem, non vulnerum atque morborum curatorem admisit: cum summa crucis iniuria, ac in Deum blasphemia. In hanc ipsam formam Pelagij mentem interpretati sunt patres eius contemporanei, qui causam ipsius ad curiam Pontificiam primo retulerunt: *Isti autem asserunt, sicut à fratribus, qui eorum libros legerunt, cognouimus: in eo Dei gratiam deputandam, quod talem hominis instituit creauitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei posset implere, siue naturaliter in corde conscriptam, siue in literis datam. Eandem quoque legem ad gratiam pertinere, quod illam Deus in adiutorium hominibus dedit.* Verum cum Pelagij sequaces premerentur multum scripturarum testimonijs, quibus luculenter asseritur pręter legis externam denunciationem, ipsasque arbitrij & intellectus vires, in subsidium naturæ adhuc postulari gratiam diuinitus inspiratam, vt vita Christiana bene instituatur, & virtutum ornamentis insignita feliciter decurrat; eam tandem fassi sunt. Sed ob quem finem? non vt omnino conducat quasi necessaria ad honestas diuinasque actiones: sed solum vt illius accessu molitiones virtutum faciliores nobis essent & expeditiores. Quam quidem hæresim

Gratia quā agnouit Pelag.

August. ep. 95. & in psal. 144.

Pelagius vim crucis extenuauit.

Epist. Innoc. ad Ep. 1. Tom. Concil.

Hieron. ep ad Ctesiph. hæresim (vt narrat D. Hieronymus) hac consecutione intulerunt: Liberum homini inditum est arbitrium; non ergo indigebit ad officium præstandum alio interno gratiæ auxilio. Illationem legitimam admittunt Neoterici sectarij: proinde aliam plane oppositam ex opposito consequentis eliciunt: sic differentes: gratia prorsus est necessaria, excussum idcirco est homini liberum arbitrium.

Gratia non solum ad facilitatē rectè viuendi, sed simpliciter est necessaria. Vim & naturam Pelaginæ hæreseos proprijs coloribus descripsimus: nunc nobis incumbit, vti orthodoxam veritatem paucis elucidemus. Optarem equidem imperitos inductosque sectarios, ex progenie Lutheri atque Caluini propagatos, veri tandem intelligentijs suis de diuinæ gratiæ adminiculo sententiam nostram adsequerentur; quod hactenus sane minime præstiterunt; toties homini nostro, mendacio vel calumniæ pelagianismum affingentes. Reuocandi ad orbilium, quos sic instituo. Recolenda istis imprimis est, & in memoriam redigenda sanctio Concilij Mileuitani, quæ istis exprimitur: *Quisquis dixerit eandem gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantum nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipsum nobis reuelatur & aperitur intelligentia mandatorum, vt sciamus quid appetere, quid vitare debeamus: non autem per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus, atque valemus, anathema sit.* Et ne quis asserat auxilium gratiæ, facilitatis potius esse commodum, quam necessitatis præsidium, aliam idem Concilium definitionem subiunxit: *Item placuit, vt quicunque dixerit ideo nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberum arbitrium iubemur, facilius poßimus implere per gratiam, tanquam etiamsi gratia non daretur: non quidem facile, sed tamen poßimus etiam sine illa implere diuina mandata, anathema sit.*

Concil. Mileu. cap. 41.

Cap. 5.

Concil. Aurosi. cap. 5. Simile quoque iudicium Cęlestini pontificis, Pelagianum errorem perculit: *Diuini est muneris, cum & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate, vt in iustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur, operatur.* Atque vt innotescat nunc demum sectarijs, quam perenni & interrupto cursu per omnes ętates feratur veritas orthodoxa: audiant decretum Tridentinæ synodus: *Si quis dixerit, sine præueniente spiritus sancti atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pænitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Quam consentientes conspirantesque Ecclesiæ Romanæ voces? Non sic Babylonici hęretici harmoniam edunt. Nec miror: integrum namque & concinnum opus haud moliuntur; sed idolum potius illud apud prophetam conflatum ex varij generis rebus, minimeque cohęrentibus. Sententia itaque Ecclesiastica hoc spectat: vt contra Pelagium gratiæ necessitatem decernat, eiusque interioris: non quidē solius intellectus aut

Cōcil. Trid. Sess. 6. Can. 3.

Dan. 2.

aut liberi arbitrij, sed alterius doni, cuius collatione mens imprimis veritatis luce perfunditur. Neque tantum (vt voluit Pelagius) exigitur quæuis agendorum cognitio, sed requiritur (vt definit Concilium Tridentium) Spiritus sancti illuminatio, cor hominis tangens, inspiratio ipsius arbitrium excitans vocansque: deinde vis arbitrij operatrice Dei gratia adiuta (vt definit idem Concilium) Deo excitanti assentitur, atque vocanti cooperatur: Liberrime tamen; nam vt ait Concilium: *Inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abijcere potest*. Atque de huiusmodi gratia interiori naturæ inducta, intelliguntur loca scripturæ: *Habentes igitur donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes. Vnicuique autem nostrûm data est gratia, secundum mensuram donationis Christi*. Vnde cum huiusmodi gratia beneficio nobis insito constet; procul dubio actum aliquem, habitum, aut qualitatem inuoluet: alterius siquidem rationis effectum cogitare non possumus benignitate Dei in animas nostras diuinitus transfusum. Hoc ipsum toties D. Augustinus contra Pelagianos probauit, multumque opere in eo posuit, vt ostenderet præter creationis donum, requiri aliud gratiæ, etiam interius collatum ad perfectionem Christianam. *Non ideo dicendum est, quod Deus adiuuet nos ad operandam iustitiam, atque operetur in nobis velle, & operari pro bona voluntate: quia præceptis iustitiæ forinsecus insonat sensibus nostris; sed quia intrinsecus incrementum dat, diffundendo charitatem in cordibus nostris per spiritum Sanctum, qui datus est nobis*; & alibi: *attendamus gratiam Dei, non solum qua fecit nos, sed etiam qua refecit*. Progressus vero istius gratiæ, vti exordiamur à fide cũ Cõcilio Tridentino, quę radices continet & fundamenta Christianę perfectionis, ita explicatur. Nemo fideliũ, animo cõsentit in hanc credulitaté, nisi prius vocatione Dei pręuẽtus fuerit & inspirationis gratia excitatus: vti hoc pacto volũtas prouocetur ad cõsensũ. Mox hęc ipsa voluntas adiutrice gratia corroborata, suaui quodã flexu, eoque luberrimo, intellectũ applicat ad assentiendum diuinitus reuelatis. Postea cum fides concepta peccati fęditaté aperuerit, diuinamque vindictam ob oculos delinquentium statuerit, existente quoque in animo vocatione sancta diuinitus immissa, voluntas eadem Dei gratia operatrice confirmata, ad cogitationem peccati trepidat, vitiaque horret, quæ tam atroces pęnas consciuerunt. Deinde radio quodam dilapso illustratur animus, & illuminatione quadam Spiritus sancti aciem suam intendit in diuinam bonitatem, vnde affectus mediante gratia efficaci inducitur ad sceleris detestationem, verumque cordis dolorem. Tandem serenata mente fons & abyssus omnis bonitatis Deus conspicitur, ex cuius aspectu, atque eius auxilio adiutrice, diuino

Rom. 12.

August. de spirit. & lib. cap. 25

August. in psal. 44.

Gratiæ progressus in homine.

diuino quodam amore voluntas inardeſcit. Atque ex ſimili gratia propoſitum melioris vitæ eliciens, iuſtitiæ formam & characterem demum excipit: qua conſequuta, ne torpor & deſidia Dei dona in nobis obruerent, vocante Dei gratia præuenimur, inducimurque liberrime, vt à ſanctitate in ſanctitatem progredi velimus. Cum autem grauis aliqua tentatio nobis incubuerit, excitans, præueniensque Dei gratia euocat, & exacuit voluntatis vim ad odium criminis: ac eadem adiutrice gratia præmunita, periculum euitat, receptumque habet (dum gratiæ cooperatur) ad virtutem: & in ſecuritate tandem

Pſal.123. conſtituta decantat: *Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.* Atq; hæc ex diuina gratia vitæ Chriſtianæ munimenta ſunt & præſidia: de quibus plenius libro tertio.

Gratiæ neceſſitas vnde probetur. Cuius gratiæ neceſſitas, ſi diſcurſum Theologicum ſpectemus, duplici argumento comprobatur: primo, ex eo quod finis noſter, in quem deſtinamur, ſit ſupernaturalis, altiſſimus, viribus naturæ impar: vtpote clara dilucidaque diuinæ ſubſtantiæ intelligentia. Proinde media ad hunc ſublimen finem apta atque idonea eſſe debent: vtpote gratuita, vltronea Dei beneficia, & naturæ vires excedentia. Alteram

D.Thom.3. cont. gent. cap.147. 1. 2. q.109 art.1. rationem, à conditione noſtri ſtatus deſumptã, iſtis explicauit D.Thomas: *Homini ſunt impedimenta plurima perueniendi ad finem. Impeditur enim debilitate rationis, quæ facile trahitur in errorem, per quem à recta via perueniendi in finem excluditur: impeditur etiam ex paſſionibus partis ſenſitiuæ, & ex affectionibus quibus ad ſenſibilia & inferiora trahitur; quibus quanto magis inhæret, longius ab vltimo fine diſtat: hæc enim infra hominem ſunt, finis autem ſuperior eo exiſtit. Impeditur etiam plerumque corporis infirmitate ab executione actuum virtuoſorum: quibus ad beatitudinem tenditur. Indiget ergo homo auxilio diuino, ne per huiuſmodi impedimenta omnino ab vltimo fine deficiat.* Iſtius autem gratiæ effectus in nobis exiſtentes, ad duo ferme reducuntur, quæ ita recenſet

Duo præcipui effectus gratiæ. Auguſt.l.2 de pecc. mer. cap.2. & 17. D. Auguſtinus: *Vt autem innoteſcat quod latcat, & ſuaue fiat, quod non delectat, gratiæ Dei eſt, qua hominum adiuuat voluntates.* Dum itaque error aliquis aut ignorantiæ tenebræ diſpelluntur, quæ aſpectũ veritatis morabantur, ac mens certo quodam notionis genere informatur, elucet in noſtro intellectu (vt ſtatuit Concilium Tridentium) gratia excitans, præueniens, vocatio Dei, illuminatio ſpiritus Sancti. Quando vero opus aliquod virtutis, carnis ingenio permoleſtum, cum dulcedine quadam

Deut.32. à nobis perficitur, gratiam Dei adeſſe profitemur operatricem & effi-

Exod.12. cacem; quæ ex fauo ſuccum exprimit, oleumque ſugit de petra, & mel de ſaxo duriſſimo; lactucas agreſtes conuertens in dapes opiparas.

Cant.1. *Meliora ſunt vbera tua ſuper vinum.* Multumque operæ & ſtudij ponentes dicimus:

dicimus: *Non est labor neque dolor in Israël.* Modo quod ad humanum officium spectat, videbimus quidnã intersit discriminis inter Pelagij errorem & dogma orthodoxum; vtrum horum ad virtutem magis conferat, vtrinq; rationes expendentes trutinabimus: atque sic professionis Romanæ vera, genuina, & in omnibus sincera puritas apparebit. Nihil Deo charius, aut etiam homini vtilius (sicut antea sępius inculcatum fuit) dimissione sui. Hoc etenim instituto pauperes & mendici, clamoribus doloris magnitudine expressis, vulnerum, vlcerum, & morborum mala ostendentes, stipem & precarium victum conquirunt. Infortunia etiam alia passi, sicut rei familiaris conflagrationem vel naufragium, appensis ad collum tabellis, miseriam suam aliorum oculis ingerentes, ad condolentiam & largitionem quos obuios habent inflectunt. Deo idcirco clementissimo parenti non solum ipsa peccata humili confessione exponenda, verum defectus, naturæ imbecillitates eidem libera voce aperiendæ. Quod quidem omnimodo pręstant orthodoxi, fractas & debilitatas suas vires agnoscentes: quibus diffidunt plane, ideoque ad firmiora diuinæ gratiæ pręsidia confugiunt, dicuntque cum Psalmista: *Nonne Deo subiecta erit anima mea, quoniam ab ipso salutare meum? Et sana animam meam, quia peccaui tibi.* Emortua illa aridaque ossa, quæ conspexit Ezechiel, non prius neruorum compage illigata cohęrebant, sanguine rigabantur, cute que induebantur, quam ingentis cuiuspiam venti spiraculum ad ea delatum fuerit: ita membra hæc nostri corporis, aut ipsius animæ facultates, grauiter conquassatæ, ardoribusque cupiditatis exustæ, vitam haud recipient, nisi diuinissimi Spiritus aura vehementior ad nos appulerit. In fornacis medio, quis immisso rore vim ardoris compressit, nisi cęlitus ad tres pueros flammis inuolutos dilapsus angelus? In hoc libidinum incendio & appetitus feruore, solus Christus nos inuisens, sua gratia deuastatione corpora & animos liberauit. Cum fęda illuuies aquarum exundatione coalita hanc rerum faciem deturpasset: nil nisi è supernis spiratus ventus, ad natiuum decorem eam denuo reduxit: ita vitia quæ animam fęcibus obruunt non excutiuntur, aut vberes iustitiæ fructus existunt, nisi benignitate diuina ex arcanis illis nubium flatus eruperit. *Opera vero iustitiæ* (vt inquit D. Augustinus) *non faciet, nisi quantum ex illo fonte atque ex illo lumine percipit, vbi nulla indigens vita est, & vbi non est commutatio, neque momenti adumbratio. Si enim Dominus, vt est apud Psalmistam, suæ gratiæ benignitatem dederit, etiam & terra nostra dabit fructum suum.* E contrario autem pręfractam quandam audaciam, & non ferendam superbiam spirat error Pelagianus. Quid enim aliud est superbia,

Esa. 52.

Morum integritas ex orthodoxa sententia, de gratia Dei.

Gratia Dei agnitio ad humilitatē confert.

Psal. 61.

Psal. 40.

Ezech. 20.

Dan. 3.

Gen. 8.

Augustini de spirit. & lit. cap. 7.

Psal. 84.

Hæresis Pelagij superba.

perbia, quam excellentiæ non debitę (vt loquuntur) expetitio? Superbit itaque, & istius piaculi summum gradum elatione sui attingit, qui se posse confidit ad felicitatis culmen ipsiusque Dei conspectum peruenire, insitis tantum sibi à natura viribus subnixum: qui difficultatem, & diuinorum mysteriorum obscuritatem, suæ perspicaciæ natiuæ subijcit: qui firmitatem fidei in tenui humanæ fragilitatis arena velut anchoram iactam habet: qui charitatis admirabilem vim, mundi illecebras superantem, mortisque aculeos retundentem, carni & sanguini attribuit. Quid aliud moliuntur animis, qui in hunc errorem concesserunt, quam quod aggressi sunt insani & dementes illi Babylonij, qui erecta turre nubibus dum minantur, ipsos cęlos scandere prodigiose attentarunt? Infamem hanc superbiæ labem concilij Mileuitani patres, in Pelagianorum frontibus altius impressam, detexerunt & redarguerunt. *Iam enim damnabilibus disputationibus suis, vt non defendendo, sed potius in sacrilegam superbiam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquunt locum gratiæ Dei.* In eandem etiam sententiam D. Hieronymus: *Respondemus manichæorū esse hominum damnare naturam, & liberum auferre arbitrium, & adiutorium Dei tollere: rursum apertissimæ insaniæ, hoc hominem dicere, quod Deus est.* D. etiam Bernardus de errore Pelagiano edisserens inquit: *Quid his in verbis intolerabilius iudicem, blasphemiam an arrogantiam?* Miram istis deprædicat Plinius Ægypti fertilitatem: *Ægyptus alendis augendisque seminibus ita gloriata est, vt nihil imbribus cæloque deberet:* Sic Pelagiani propriæ ac natiuæ excellentiæ opinioni subnixi Nilum suum inferius cum Ægypto exaggerant, haud de cęlo liquoris aliquid expectantes.

Gen. 11. *Concil. Mileu.* *Hieron. Dialog.* *Bernard. Ep. 190.* *Plinius Panegir.*

Nihil etiam (quantum ego coniectura adsequi valeo) ad omnem virtutis actionem hominum animos acrius exuscitat, quam summa illa charitas, qua Christum complectimur: illius enim amore accensi, difficilia quæque superamus aggressu, & durissima perferimus tolerantia. Iste autem erga Christum affectus orthodoxo dogmate vel maxime statuitur & corroboratur. Cum enim firmiter credimus illum, non solum ad nos concionatoris, pręconis, vel nuntij officio defunctum, (quod voluit Pelagius) verum insuper vulnera nostra suis adhibitis fomentis & malagmatibus curasse, confecto ex proprio sanguine medicamento morbos expulisse, (vt notauit D. Augustinus) ex hac summa inter nos Christumque necessitudine, ex illa summa beneuolentia eius, qua in recessus animorum ita salubriter influit: eximius quidam ardens flagransque amor exoritur. Non enim amplius paradisus in eius medio fluente fontis latice, quasi naturæ munere, irrigatur & floret: hunc enim fluxum protoplastæ error alio diuertit: idcirco in

Orthodoxa fides de gratia Dei promouet ad charitatem. *August. in Psal. 58.*

in Christum modo salutis authorem fontemque intendimus, cataractas eius aperiri desideramus, dicimusque: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum.* Atque, *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ.* Nam & corpora hæc nostra (vt obseruauit. D. Macharius) sua sponte ad alimentum & victum ipsorum omnia non effundunt aut suppeditant: sed externa ope multa consequuntur; quæ partim institutiones artium, partim naturæ contentior industria pariunt. Similiter neque animæ omnia subsidia salutis ipsi insita sunt, aut penitus agnata: sed alterius manus imploranda, & adiumentum forinsecus deuocandum. Istius autem amoris incentiuum frigore suo & boreali glacie restinxit Pelagius, vinculum hoc & beneficiorum communionem repulit ingratus, sicut & exterminauit superbus.

Esa. 1. *Psal.* 67. *Macharius homil.* 1.

Eximium etiam illud ex oratione præsidium, hæc eadem hæresis conuellit & labefactat: splendores illos, quibus piorum mentes Deo admodum vicinæ redditæ collucent, dispellit & profligat. *Accedite ad eum, & illuminamini.* Fœdus iste Pelagij error, illam orationis Dominicæ petitionem otiosam fecit, in qua precamur: *Et ne nos inducas in tentationem.* Quam à fidelibus proferri voluit, non quod indigerent ipsi peculiari aliquo dono ad profligandas Satanæ insidias: sed quod solum humilitatis causa, illis vocibus naturæ beneficia Deo abscriberent. In eodem (vt videtur) tetro vestigio hæsit Pelagius, in quo ab antiquis temporibus quidam dictus Prodicus, de quo hæc Clemens Alexandrinus: *Hic mihi venit in mentem quorundam, qui diuersa sentiunt, nempe Prodici hæresis sectatorum dogmate; qui inducunt non esse orandum.* Quid peius excogitari potuerit, quid efficacius ad infringendum orationis studium inuehi in hominum animos, orationis dico, cuius nixu mens sursum elata, ad ipsum Deum ascendit, cum illo familiarem miscit sermonem, inde ornamenta & tutelam omnem ad se deducit: cuius virtute publicanus anthidotum sibi parauit contra peccatum, dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori*: cuius valori diuinæ clementiæ dona pollicentur: *Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & apperietur vobis. Orate ne intretis in tentationem?* Denique omnem ferme sanctimoniæ spem collocatam videmus in oratione. Deprecante Moyse Deum Allophili dispalati in latebras se abdunt: eodem deprecationes emittente, Dei gladius in internecionem Iudæorum districtus, theca sua quasi reconditur. *Et dixit vti disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione, in conspectu eius.* Vbi effusæ ad Deum preces, ibi scala Iacob, per quam ascendunt & descendunt angeli: ascendunt, vota nostra referentes Numini; descendunt, reportantes dona gratiæ. Ieremias in cæno, Iob in stercore,

Hæresis Pelag. jin fesla orationi *Psal.* 33. *D. August. Ep.* 100. *Clem. Alex* 7. *Strom.* *Lucæ* 8. *Lucæ* 18. *Exod.* 29. *Psal.* 105. *Gen.* 28.

ſtercore, Ionas in ventre ceti, Daniel in lacu leonis, Ezechias in lecto, Paulus in carcere huic ſcalæ aſſiderunt, orarunt, & ad voluntatem petita fluxerunt. Huius quidem inſtituti ſumma dignitas, cum maxima neceſſitate coniuncta, intolerabilem illam tyranni legem Danieli fecit, qua triginta dierum ſpatio omnis ad Deum oratio fuit interdicta. Diſpendium pati noluit tantillo temporis propheta: ſed interrito animo mortis metu aut cuiuſlibet alterius immanitatis excuſſo, multoties Deum in die ſupplici voce animoque dimiſſo exoratum eſſe voluit. Iiſdem quoque rationibus inductus ſanctiſſimus Dauid, ſepties in die religioſo huic ſpiritus exercitio incubuit. Thus autem orationis iſtius vt ſurſum aſcendat, tanquam ſuauis gratuſque Deo odor, accendi prius debet ardore charitatis, & humilitate quadam mentis comminui, atque inferius dimitti. *Ante orationem* (inquit Sapiens) *præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum.* Vnde D. Ambroſius: *Qui cito poſtulat veniam, plus offendit per impudentiam, quam impetrat. Solet enim citius mereri indulgentiam, qui verecundius deprecatur. In omni igitur culpa ante flendum eſt, & ſic precandum.* Pelagius itaque, qui neceſſitatem gratiæ interioris ad remiſſionem culpæ, ad vincendas incitationes in malum, ad opera pręſtanda inſignis meriti haud agnouit, iuſtiſſimas cauſas orationis amputauit, quas orthodoxi conſtituentes, orationis neceſſitatem magis confirmant: puriores ergo exiſtunt inde & ſanctiores.

Dan. 6. *Pſal. 118.* *Eccli. 18.* *Ambroſ. ſerm 46. de pœn.*

Cum multa ſint, quæ orandi deſiderio Catholicorum animos inflammant, & non intermiſſo ritu effundendi preces, ad ſoluendum hoc pietatis vectigal, alacres reddũt & indefeſſos: tũ nihil magis, quã quod credamus orationũ energia diuinam gratiam comparari, tentationes reijci, cogitationes ſanctas deuocari, quib⁹ ad vberiores iuſtitię fructus promoueamur. Quas quidem occaſiones, vti inanes & ſuperſtitione tantũ conſtitutas, ex Melanthone, Caluino, atque Brentio propagati abdicarunt: proindeque orationem penitus eliminarunt. Vtinam vel vnam bonam actionem nouella horum & phanatica fides in mortalium cętus inuexiſſet, aut inuectam non corrupiſſet. Sed proh pudor, integram vitæ probitatem eiecerunt, & ad philoſophorum ſpatia deintegro relegarunt. Ex horum placitis atque ſcitis aperte ſequitur, neminem orare Deum, niſi infidum & infidelem, prodentem ſigna reprobrationis ſuæ, oſtendentemque ipſius parentes infideles & malos fuiſſe dum ipſum generarent: quod omnino faciet, ſi modo remiſſionem peccatorum, ſi incrementum iuſtitiæ, ſi in eadem, perſeuerantiam oratione implorauerit. Credit enim firma fide Caluini alumnus ſe modo iuſtum eſſe, ęquali iuſtitia qua Chriſtus; nec poſſe infirmitate

Sectarij moderni hoſtes orationis.

ſua vel dęmonis malitia ab accepta iuſtitia deficere. An non proinde aperte ſe reprobum declarat,fide deſtitutum,omniquе ſanctitate vacuum,ſi modo oret Deum,vt ipſe velit,ſibi miſereri,vitiorum noxas remittere,iuſtitiamque ſtabilire?Credens quippe hæc iam eſſe peracta, quid orat? ſi oret, diffidit,nec credit perfecta: diffidens Deo ſceleſtus omnis; idcirco qui orat,talis. Quam etiam fidem ſi non habeat,oratio eius erit peccatum mortale: nunquam itaque orandus Deus ante fidem,ſed neque ea aſſequuta. Sin dicat humilitatis cauſa orandum,vti hoc pacto agnoſcatur Deus bonorum omnium author,in eandem naſſam incidunt cum Pelagianis; qui affirmarunt non neceſſitatis ergo ſed humilitatis orandum: quo nomine à concil. Auroſ.damnationis ſententia percelluntur. Hæ gemmæ ſunt agri illius,in quo deliciantur ſectarij, & in quo ſuam gallus Eſopicus vngue inuenit. Quid relinquunt iſti orationi,cuius rei gratia flectenda genua ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum? vt diuitiæ affluant,dicunt, vt voluptates habeantur,vt corpus ſanum ſeruetur. Sanctiſſimi Theologi, putaram capita veſtra ipſas nubes ſuperaſſe, nunc genua dimittitis ad ſordes, coruis quam aquilis ſimiliores.Oratiſne aliquando , vix credo : quod ſi oretis,in votis non ſunt dona Dei ſupernaturalia,quæ oratione petantur: (de iſtis enim magnopere ſoliciti non eſtis) ſed orant fortaſſis miniſtri, imo ſępiſſime puto, vt fulminante vxore domum à conflagratione numen tueatur. Ipſe noui quendam ſępius lachrymis ſuis vxoreas haſce irarum flammas extinguentem : aut orat, ne miſerum caput rei domeſticę curis defatigatum, fulmen aliquod eiectum è ſcabello aut fuſte excipiat. Profecto iniquiores multo exiſtunt hi in orationem, quam vnquam Pelagiani. Nam iſti rei nephariæ obiectu prouocari poſſe mentem crediderunt ad peccatum,quo iuſtitiæ gratiæ pellatur: proinde orandum Deum definierunt,vt huiuſmodi lenocinia & incitamenta externa ab illis pellere velit & amoliri. Caluiniani vero de ſua iuſtitia retinenda tam ſecuri ſunt,vti indubitanter credant,nullo rei delectabilis aduentu flecti poſſe ipſorum voluntates ad prauum conſenſum,vnde iuſtitia amittatur: vel orationis ſtudio acceptam iuſtitiam excitari ad incrementũ ſanctitatis. Vt quid ergo illis orandum?quorſum aërem verberant ſuſpirijs? Admitto,concedunt ipſi, nec vnquam orant aut gemunt. Orthodoxi vero quam aſſidui & frequẽtes in hoc pietatis genere? Noſtrę ſunt vigiliæ & ſupplicationes nocturnę,quibus cherubinos ipſos imitamur,nunquã à diuinis laudibus ceſſantes: quando ſectarij Bacchanalia celebrãt,& ſacra Elucinia. Cuius conſuetudinis antiquiſſimus meminit Clemens Alexandrinus:

Clem. Alexandrinus 4. Strom.

andrinus: *Qua quidem ratione mihi videntur noctem vocasse εὐφρονὴν: quoniam anima tunc cessans à sensibus, conuertitur ad seipsam, & est magis prudentiæ particeps. Propterea ergo sacra mysteria maxime noctu fiunt, significantia eam, quæ noctu fit animæ à corpore contractio.* Hunc orandi ritum naturæ admodum consentientem indicat Seneca, quippe ab ethnicis obseruatum: *Non est iniquum nobilissimas virgines ad sacra facienda noctibus excitari, altissimo somno inquinatas frui.* Nostræ quoq; sunt tacitæ mentis conceptiones, quibus lux diuina affulget, & dum secreto calore succensus affectus in meditatione exardescit. *Quando* (vt inquit Chrysosto.) *licet genua non flectas, neque percutias pectus, nec in cælum manus extendas, si mentem tamen ferventem exhibeas, orationis perfectionem consummasti.* Nostræ sunt ad altaria sedes corporis & sanguinis Christi (vt loquitur Optatus) & thecas sanctissimarum reliquiarum effusæ preces: sacrum quippe locum orationibus religiose deputamus. Sectariorum autem Geneuensium cantionũ promiscuos & inconditos clamores, confragosa montium, siluarum densa excipiunt, imo stabulæ, horrea, & haræ porcorum. Atque istorum truculentiam, qua in adita nostra & pietatis asyla deseuierunt, istis depinxit Optatus Mileuitanus: *Cur vota & desideria hominum cum ipsis altaribus confregistis? illic ad aures Dei ascendere populi solebant, cur consciuistis precibus viam, & ne ad Deum supplicatio de more solito ascensum haberet, impia manu quodammodo scalam subducere laborastis?* Nostræ denique existunt, graui suauissimoque cantu modulatę Psalmodiæ, septies in die laudem Deo dicentes, diu noctuque orationem protelantes. Et in hunc finem erecta monasteria, vt perpetuo orationis cultu, cessantibus alijs, Deo sacrati homines diuinum numen propitium redderent omnibus & munificum. Superiores sumus, puriores in hac re, nullus iudicium subterfugio.

Seneca lib. Cur. bonis mala cap. 5

Chrysost. homil. 7. ad Pop.

Optat. lib. 6

Appetitus sensitiui concitati motus absque arbitrij pleno ac libero consensu, nihil continent culpabilis turpitudinis: quin potius honestissimis virtutum actionibus inseruiunt plurimum. Sectarij vero, qui illis crimen & culpam affingunt, humanam vitam flagitijs coinquinant, ipsis vitijs suppetias ferunt, Christianæ iustitiæ labem consciscunt, eiusque authori Christo insignẽ irrogant iniuriam.

CAPVT

CAPVT XXII.



SI orthodoxæ veritatis dogmata ſub vno quaſi aſpectu conſtituere velimus, exacteque diſquirere quemnam exitum vniuerſa ſpectarent: facile perſpiceremus innocentiam omnia reſpicere,& vitiorum exterminationem. Fides etenim,quæ baſis eſt Chriſtianæ dignitatis, charitatem parit: hæc vero contagioſos & impuros affectus abdicat, animum autem adfert obſequendi Deo,& conficiendi ſingularum virtutum monita atque imperata. Infinitorum propemodum beneficiorum,quæ in homines diuinum Numen contulit, ſummam quandam ſubduxit Apoſtolus dicens: *Hæc eſt voluntas Dei,ſanctificatio veſtra.* Veluti ſi definiret, conſtitutam periodum, in quá deſinerent dona cęleſtia, noſtram eſſe vitæ innocentiam, morum ſinceritatem & candorem. Qua de cauſa ne quid imperfectionis in primæua rerum conſtitutione exiſtens, naturæ eſſet dedecori: prouidentia diuina ſicut rationis expertia ad eximium excellentiæ gradum affabre perduxit, ita comprimis ipſum hominem animo rectum condidit,corporeque erectum. In quod opus ipſius nulla labes, nulla coinquinatio ſeſe inſinuarant. Hinc vero dęmonis inuidia & odium in hominem atrociſſimum concitantur. Permoleſte ferre cepit tartareus Spirtus,ſe ita vitiorum turpitudine infectũ & denigratum,naturá vero hominis illibatá prorſus, nullá adhuc maculam contraxiſſe: quocirca ad tantá elegantiam traducendam, & defamandá, Simonianos,Cerdones,Marciones,Manichęos ſibi ſtipendiarios adſciuit,quorum opera perfici voluit, vti crederent homines carnis molem à malo quodam principio deſcendiſſe,humanam ſubſtantiam tetram eſſe & execrabilem;neque Chriſti merito fieri poſſe vti ſordibus iſtis vacent redempti, deformitate hac careant, quantumlibet demum iuſtificatos ſe glorientur. Abſterſis autem hiſce maculis orthodoxi dogmatis veritate, quas phanatici & mente deluſi confinxerant: iſtorum conſanguinei Lutherus & Caluinus eiuſdemque viperæ genimina, non auſi naturam ipſam incuſare,aut illi notam aliquam turpitudinis inurere,ne tamen omni prorſus macula carerent à Chriſto in ſanctitatem adſerti (ita ſordibus inſtar Dęmonum delectantur) ſubitaneos motus ſenſitiuæ partis,quos omnes ſumma neceſſitate perpetiuntur, nondum accedente conſenſu arbitrij,aut mente plene circunſpecteque aduertente, grauiſſima dicunt eſſe delicta,æternoque digna ſupplicio. An non ferme naturam ipſam hoc pacto in culpam quoque traxerunt? Non enim minus

Innocentia in nobis præcipue à Deo ſpectatur.

1. Theſſ. 4.

Innocentiã humanam deprauant hæretici.

nus naturalis est impetu naturæ decreta appetitio, quam eiusdem ex intimis principijs constitutio. Hanc autem orthodoxi, opinionis seu potius phrenesis detestantur cum insipientiam, tum non ferendam turpitudinem: atque duplici de causa deprędicandam astruunt Dei bonitatem, quæ excellentiæ nostrę, & quasi coloris efflorescentis speciei eximie prospexit. Primo, ex eo, quod latice baptismi omnem originalis culpæ noxam penitus absterserit, nosq; immaculatos, nitidos, candidosque effecerit: deinde, ex eo vel maxime quod nostræ propriæ actioni venustatem, & admirabile virtutum decus proposuerit comparandum. Hinc existens in renatis feruor aliquis concupiscentiæ, tanquam aduersarius in aciem contra eos descendit, qui concussis armis, & minaci voce ad pugnam eosdem continuo prouocat & elicit: manet enim ad agonem, vt loquitur Consilium Tridentinum. Ex quo quidem conflictu arbitrij & concupiscentiæ, victoria cum incremento iustitiæ emanat. Non ergo obest nobis perturbatio, nisi affirmare velimus, concertationem militis gloriæ officere: nec deturpat animum temeraria appetitio, aut labem infert sceleris strenue renitentibus.

Cōcil. Trid. Sess. 5. cap. 6.

Tota itaque ratio istius certaminis à voluntate dependet. Si victi consenserimus, flagitium fit: si constantes restiterimus, virtus effloreſcit. Nam vt inquit Tertullianus: *Nec bonæ nec malæ merces pensantur ei, qui aut bonus aut malus necessitate fuisset inuentus, non voluntate.* Fomitem idcirco vitiorum appetitus perturbationes dicimus; easdem quoque prędarissimarum actionum segetes & occasiones nuncupamus. Delictum autem, pro cuius expiatione diuina indulgentia est imploranda, non in ipsa irritatione consistit, (vt passim docet D. Augustinus) sed solummodo in arbitrij libero inflexu & descensu. Culpa quidem est rabidum & effrenem motum, cum quis ad eum mente intenderit, rationis imperio non coërcere: ad hoc enim spectat efferuescentiam eius subigere, & intra certos terminos exorientem continere; alioquin periculum erit, ne sicut Æua seduxit Adamum, ita appetitus liberius discurrens rationem pelliceat ad inhonesta consilia. Culpa similiter propagatur, si consulto & cum libertate propositi delectationem hauriamus ex illicita cupiditate: vel is delinquet etiam, qui animo suo destinat illud se velle exequi, quod perturbatio insana suggessit. Nam vt inquit Christus Dominus: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est illam in corde suo.*

Tertul. lib. 2. contra Marcion.

August. lib de Nupt. & concupis. Quando peccatum ex concupiscentia.

Matth. 5.

Ancipiti tamen, eaque subtili disputatione quęstio inter Scholasticos versatur, quodnam sit in homine noxę & maculæ subiectum, dum quis sensualitatis motus ex incuria sedare non conatur, vel etiam ex illorum

Quodnam sit subiectū peccati in delectatione morosa.

rum obiectis volens prudensque morosam (vt appellant) voluptatem capit. Meo quidem iudicio, D. Thomas istius quęsiti non ita apertam resolutamque sententiam protulit. Principio duplicem is rationem assignauit, ob quam culpa actum tantum voluntatis vt subiectum afficeret: perturbationem vero sortiretur pro obiecto solum & termino. Quarum anterior fuit ex eo petita, quod voluntas vnice sit initium actuum internorum, sibi plenissime rationem libertatis vendicans: cuius imperio, reliquarum facultatum actus obsequuntur: proinde voluntas censebitur inquit integrum subiectum peccati. Alteram ita explicauit: illa potentia in se admittit solum labem delicti, cuius proprium est conatus omnes humanos in suos debitos fines destinare: munus autem hoc voluntati tantummodo conuenit: hæc idcirco propria sedes erit & receptaculum cuiuscunque offensæ. Nihilominus alibi definire videtur, in qualibet animæ facultate reperiri posse peccatum, cuius actus libertatem à voluntate mutuatur: & proinde in ipso sensualitatis motu formaliter quoque inesse iudicauit. Quibus Cardinalis Caietanus in eam sententiam fuit inductus: vti existimarit, semoto omni vsu rationis & voluntatis, appetitui sensitiuo quoddam (vt ipse loquitur) libertatis vestigium attributum esse, sufficientem habens in se causam culpæ venialis: lethale vero crimen voluntatis actui tantum cōcedit. Minus tamē probabiliter mihi visus est disputasse. Nam appetitus perturbatione sua anteuertens vsum rationis, summa quadam cum necessitate excurrit, suumque appetit delectabile absque omni forma libertatis, quoad exercitium vel specificationem: quemadmodum contingere animaduertimus in appetitionibus brutorum, ostentu pabuli vel prædæ euocatis: quocirca neque ad leuissimum peccatum constituendum, satis erit appetitus absque voluntatis consensu & deliberato rationis iudicio. Alij vero sectatores D. Thomæ in ea sunt sententia, vti credant in ipsa perturbatione, in quam consentit voluntas, formaliter & intrinsece (vti schola loquitur) reperiri ipsam maculam culpæ, neque omnem existere in sola actu, quem superior appetendi facultas, nimirum voluntas, elicit. Ita inter recentiores Medina & Valentia. Antiquiores autem scholastici, à quibus non putarem D. Thomam dissentire, oppositum plane statuunt, Ioannes Scotus, Gabriel Biel, Guilielmus Ochamus, affirmantes vnicum subiectum offensæ & culpæ actum esse voluntatis expressum vel interpretatiuum: siue exterius quid voluntas imperet efficaci proposito, siue complacentia simplici interiorem solum cupiditatem & delectationem quęrat. Concedunt quidem isti externa quo-

D. Thom. 1. 2. q. 74. art. 1.

D. Thom. 1. 2. q. 74. art. 3. & 4

Caiet. art. 4

In appetitu non est veniale crimen sine actu voluntatis.

Medin. 1. 2. q. 74. art. 3 Valent. funct. 1. Scotus in 2. d. 42. Biel ibid. q. vnica. Ocham in quodlibet. 22. & in 3. d. 9. q. 10.

que opera vitiorum, vtpote furti & maledicentiæ, ſicut & latentes appetitus cupiditates, propriam quandá habere turpitudinem, & certam in ſuo genere malitiam, obiectiuam tamen & radicalem: quatenus ratio recta diiudicat hæc, obiecta eſſe actuum repugnantium virtuti, habentiumque vim per modum obiecti transfundendi & ſpecificandi labem peccati in libero actu voluntatis: ita vt ſolius voluntatis conatus in ſe tantummodo formaliter hanc noxæ labem excipiat, qua homo redditur vituperabilis, vitioſus, exoſus Deo, pęnaque dignus. Quæ ſententia procul dubio verior eſt, & hac ratione demonſtrari poterit. Ad voluntatem ſpectat excitatam appetitus cupiditatem reprimere: eſt enim voluntas pędagogus, appetitus puer? ſicut ergo pædagogus crimen ſibi conſciſcit, permittens pupillum laſciuire, alioquin ineptum ob ętatem vt ipſe proprio actu peccet: ita voluntas officium ſuum deſerens, neque frena inijciens appetitui, delinquet, & maculam ſolummodo vitij contrahet. Illa quidem puerilis petulantia mala eſt, ſed obiectiue & radicaliter: ſimili modo & non alio malæ ſunt appetitus irritationes, & vituperabiles. Porro perſpicuum eſt, voluntatem ſolum in ſe formaliter complecti libertatem, quæ à Theologis genus moris appellatur: genus autem auelli non poteſt à ſua differentia; hæc autem eſt culpa & prauitas, bonitas vel malitia; ergo vbi libertas repetitur formaliter, ibi & noxa, ſi quę detur. Quod ſi pręter hanc aliam attribuant ſenſus motui; duas in eodem peccato maculas conſtituent, vnam in appetitus affectione, alteram in voluntatis actu. Tantum itaque abeſt à vero, quod delirant ſectarij, nimirum affirmantes abſque voluntatis conſenſu perturbationes omnes appetitus eſſe culpabiles, vti neque verum ſit huiuſmodi conſenſu accedente, eas formaliter in ratione culpæ malas exiſtere, cum obiecta ſolum ſint peruerſarum cupiditatum flagrantium in voluntate.

Omne peccatum formaliter in voluntate.

Qui autem ſcripturarum authoritati iudicij ſummam attribuere ſolent, (ſed voce quidem tenus, & vt preſſi, acriuſque perſequuti ab orthodoxis, ſuos flexus habeant & diuerticula) velim nunc eiſdem tantum attribuerent, quantum videri voluerunt hactenus conceſſiſſe: non dubitarem tunc illos diſputationis rete inuoluere, captoſque argumenti pondere opprimere. Agnoſcant itaque voces Apoſtoli: *Fidelis eſt Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet ex tentatione prouentum.* Vim arbitrij magnitudo ſuggeſtionis non excedit: Dæmon idcirco nepharius in crimen neminem compellit, niſi ipſe velit ſuccumbere: quinimo non ſolum caſſus & irritus nonnunquam euadit eius conatus: verum ex hac ipſa tentatione voluntas illecebræ repugnans

1 Cor. 11.

Tentatio cauſa prouentus non ergo mala ex ſe.

nans & renitens, virtutis & meriti prouentum consequitur. At quis obsecro prouentus est labe & sceleris turpitudine sordidari, crimen in se admittere? Requiro hac in re, si vnquam, intelligentiam vestram. Quod si huiusmodi prouentum decernatis ex infestinatione satanica, gratias agite Diabolo, qui illum vobis effudit: & glorientur dęmones se hoc effecisse opere vestro, vti modo peccata prouentus loco ab hominibus habeantur. *Ex tentatione prouentus*, inquit Apostolus, *ex tentatione delictum, & horrendum continuo scelus, vos reclamatis.* Quæ sententia propius accedit ad verum, Apostolicane an Caluiuiana? Imo hoc ipsum quo quis repugnat iniectæ tentationi, omnis etiam voluntatis molitio blandimenta sensus reijciens, vobis doctoribus, nihil boni continebit, sed peccatum erit potius: quomodo tunc prouentum constituunt tentationes? Ostendite emolumentum aliquod ex istis? fragrantem honestatis rosam cum orthodoxis inter aculeatas peruersæ cupiditatis spinas digito designate? Verum ex vestra sententia obruit hominem dæmon sceleribus, perpetua quadã instigatione ipsum incitans ad malum: accendensque indesinenter stipulam & escam libidinum, quotidie deuastat eius vim & vigorem. Vbi prouentus? Imo Dæmoni vltro sectarius concedit quod quærit, nimirum peccatum. Magnopere itaque solicitus amplius non erit dæmon consensum tentatione sua voluntatis elicere: iam enim potitur victoria. Nam si prouocandus consensus, eam sane ob causam, vti peccatum inde constaret, quo hominis natura pollueretur: hoc autem iam pręstitit in ipsa prima irritatione appetitus sensitiui, cuius omnes temerariæ & concitatæ expetitiones vestris iudicijs fęda sunt peccata, quibus hominem etiam inuitum coinquinauit dæmon & cooperuit. Quid aliud vlterius desideraret? Sed ex tentatione prouentus, affirmat Apostolus; falsi ergo vos, qui ex tentatione semper scelera & peccata descendere definitis. Porro Apostolus certam quandam rationem ostendit, qua ex concupiscentia peccatum solet erumpere (ne in vniuersum appetitionem omnem sensus culpæ insimulemus): *Concupiscentia autem cum conceperit, parit peccatum.* Vbi apertissima distinctione concupiscentia à concupiscentiæ conceptu discriminatur. Aliud est idcirco mentis euagatione abstrahi, & temerario delectabilis appetitu concitari: aliud vero excitatam concupiscentiam concipere: atque sic tandem parere peccatum: siquidem hoc illo posterius. Tentatio itaque, & animæ solicitatio in appetitu naturis suis innocua sunt, & absque delicto. Cum autem voluntatis consensus ad perturbationem à dęmone excitatam, aut occursu rei minus honestæ euocatam appulerit: tunc demum con- *Iacob. 1.*

 cupiscentia

cupiscentia parit peccatum, & sponte animus crimen subit: alioquin immunis ab omni labe, castus & purus elucet. Quid aliud etiam voces & exhortationes scripturarum innuunt, quibus admonemur fugere & deuitare vitiorum colluuiem? *Fili peccasti non adijcias iterum. Hæc scribo vobis, vt non peccetis.* Quorsum clamores isti hominum aures feriunt, si verum sit primos appetitus motus scelere esse coinquinatos? Enimuero istis carere non possumus; irruunt in nos non volentes: anteuertunt rationis vsum. Similiter hoc pacto improuidas, inanes, imo friuolas, & ineptas sectariorum commenta diuinas admonitiones efficiunt: quod cum piaculum sit affirmare; sciant non nisi consensu voluntatis sensus appetitiones malas & vituperabiles euadere. Proinde ad huiusmodi studia, quibus instituitur voluntas vt se auertat à prauis iniectis cupiditatibus, legitime prouideque scripturarum præmonitione excitamur.

Eccli. 12. *1. Ioan. 2.*

Alio tamen spectare diligentius omnia excutientes animaduertemus hæreticorum dogma, quam quo prima fronte quispiam secum reputaret: fœditatem etenim & Christiani officij corruptelas horũ omnia spirant & intendunt. Quibus itaque vitia displicent, illi pari odio Satanam prosequuntur & Caluinum: ambo namque scelerum fautores; nisi quod Caluinus licet carne crassiori contectus satanam, tametsi natura spiritum, subtilitate & versutia superarit. Quis etenim satana dicente & illius iudicio flagitia consequeretur? Caluino autem concionante, propemodum infiniti quasi œstro perciti ad morum turpitudinem prouolarunt. Depellam tamen vafri istius fucos, aperiam fraudes, & horrendam eius speciem nude proponam omnibus despiciendam, *Reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum.* Bello iam suscepto, qui aduersas copias fama immoderatius præter rei veritatẽ augent, apparatum hostilem magnifice deprędicant: denique superiora faciunt ea, quæ inimicorum sunt, vim omnem præliandi & veluti animæ neruos illi effringunt, cui hæc in ea depugnaturo denunciãt. Quo quidem Consilio Atheniensis ille miles paratus, Leonidi infesta arma mouenti occurrit: ipsique retulit, ita missilium copiam confertissimam suos, in Spartanos eiaculaturos, vti eorum constipato interiectu solis ipsius splendor interciperetur, quo minus ad oculos ex aduerso confligentium hostium pertingeret. Præclari illius ducis feroces spiritus amplificato terroris nuncio, iactabundus miles compescere voluit. Quidam etiam, ex Israelitis difficultatis obiectu, socios ingressu in palestinam prohibere attentarunt, dicentes: *Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, qui fortior nobis est.* Hoc ipsum sane hæretici (quantum

Hæreticorũ opinio de cõcupiscentia fœda. *Esaiæ 47.* *6. Cicer. 3. orat.* *Num. 13.*

(quantum in ipsorum viribus situm est) hodie perficere moliuntur. Bellum committendum negant contra libidines & peruersos appetitus motus: & qua de causa, obsecro, hoc nobis otium suadent? ideo videlicet, quod nullus hominum, excitata perturbatione aliqua, à se arcere possit peccatum: cui necessario quilibet eius vi semel impetitus subijcitur, eiusque incursione ratio & ipsa anima perpetuo superantur ac prosternuntur. Frustra proinde contentio suscipietur, inanis omnis voluntatis conatus existit: nisi ad impossibile aliquod prętandum montesque deijciendos nostram adhibere velimus industriam. Priusquam nos ipsos recte & accommodate accingere possumus ad pręlium, irruperunt in nos hostes, dormientes, & nihil minus cogitantes suis armis iam oppresserunt. Profecto imperator è graui somno excitus, si modo hostilia signa statim ac expergefactus in stationem suam illata videret, discurrere cerneret vbique armatos aduersarios, omnia loca occupasse, suorumque stragem edidisse perspiceret: non nisi inconsulto ad arma capienda clamaret: potius illi cogitandum videretur de fuga, aut honesta sui deditione. Ita si primi illi appetitus motus, & erumpentes concitatius affectionum impetus vitiosi sint & flagitia: nihil proderit peruigili animo pręsidia virtutis conquirere: superfluus labor occursantibus pectus opponere, dęmoni vel peccato resistere: iā enim profligati sumus; crimina & mores pessimi arcem animæ obtinuerunt. An non sine spe prouentuum in agricola languet colendi arandique studium? Vbi nulla adest victoriæ expectatio, ibi vel Martium pectus friget. Sectarij vero futuri quęstus omnem plane spem nephario dogmate pręsciderunt, victoriæ expectationem abiecta sententia extinxerunt. Quæ enim spes, vbi clades adest? qualis expectatio, cum ruina oculis obuersatur? Hoc autem pręstiterunt appetitus cupiditates, quæ animam sordidarunt, & coinquinarunt, quæ eam turpissimis sceleribus obruerunt & bona eius omnia funestarunt. Quid ergo hinc sequitur? illud ipsum quod in optatis tantopere habent sectarij: nimirum vt omnem operam inanem existimaremus, quæ impenditur in profligandijs vitijs: propterea magis consultum, si animis torpentes nos otio dedamus, luxui & libidini indulgeamus. Cum enim nobiscum constituerimus fore impossibile, existente suggestione satanica, aut titillante nos carnis humore, peccatum deuitare: ilico arbitrabimur non requiri industriam nostram ad irritos conatus: neque inutili labore voluptatis torrenti resistendum. Nihil ergo superest, quam vt arma abijcientes, ad extremam seruitutē & fœditatē quę vitia adferunt sponte festinemus: siquidē in sordes semel progressi,

eisq; coinquinati, nihil pēsi ducūt vlterius proficisci in lacuna aut palude. Quod si hoc non sit vitę turpitudinē suadere, nihil vnquā tale constituetur. Cū enim homines criminis labē vehemēter execrentur: inde venit illos acres semper esse & pugnaces contra incitationē nephariā; ne huiusmodi intentatus næuus faciem & vultum animæ corrumperet: neue pulcherrimum illum iustitię colorem, cuius pretium extitit diuinus & innocuus Christi cruor, exterminaret. Hæc autem contentio (de sectariorum mente) friuola plane est & inanis: in nos etenim vltro grassata est turpissima macula, quam illiciti appetitus motus inuexerunt, quibusque carere nullo modo possumus. Quæ cura puritatis, nisi vana? quod studium integritatis, nisi frustraneum?

Opinio orthodoxa de motibus cō cupiscentiæ pura.

Longe autem ab hac sectariorum colluuie orthodoxi dogmatis splendor & eximia species recedunt. Hortamur nostros ad constantē pugnam contra vitia, ingruente quacunque demum incitatione satanica, efferuescente aut feruente qualibet appetitus cupiditate: quandoquidē his nihil obstantibus, retinere adhuc in animis possimus illibatam virtutis pulchritudinem, iustitiæ Christianæ optimum & præstantissimum decus incorruptum seruare. Rugosa cortex suspicionem agricolæ non adfert, quod carie arbores sint confectæ: interius etenim & secretius abditum, quod ligna exedit: ita infestatio illa, quam forinsecus appetitus adducit turbulentia, vitium non elicit, in extimis versatur eius vis omnis. Si namque affectus minime explicet sinum suum, neque libero consensu appulsam illecebram complectatur: nihil sequetur inde detrimenti: interiora animæ pura erunt, viuida, & florescentia. Quocirca tantæ perfectionis amore capti homines, eiusque retinendæ desiderio accensi, in præsidio virtutis diligenter excubant, extemplo noxias cogitationes repellunt, turpitudinis odio voluntatem vrgent, contento studio & quasi ferocia quadam omnes animæ facultates armant in peccatum. Et quemadmodum attrita aromata odores efflant: ex ictu chalybis scintilla elucet: ita ex conflictatione hac virtus pulchrior flagrantiorque euadit. Nihil ergo integritati officit perturbatio temeraria, quin potius ad illam mirifice confert, cum conseruandā, tum etiam expoliendā, perficiendamq;. Et vt admonet Apostolus omne gaudiū existimamus, cū in varias tentationes inciderimus: sicut miles, qui animo est excelsiori, eductis signis alacrior apparet, quod in conspectu iam habeat certaminis gloriam.

Iacob. 1.

Fædū quod dicunt hæretici, mor-

Qui prętere a rationes omnes extenuant, quæ nobis vitiorum turpitudines detegerent, & iniquioris facti grauitatem eleuantes, lethalia crimina adserunt naturis suis res non esse vsque adeo execrabiles aut

detestandas;

detestandas; vti hactenus ab hominibus creditum fuerit: an non singulari quodam modo sceleribus patrocinari videbuntur, occasionesque cęteris prębere impune & liberius delinquendi? Hoc ipsum penitus in hac controuersia sectariorum error molitur, in hunc scopum animi sententiam intendunt: idcirco sua falsitate non modo deformes existunt, & quouis carbone nigriores: quinimo fœditate horrendi, & flagitiosi apparent. Grauius quidpiam illorum sectæ homo haud existimabit esse, voluntate ex pleno iudicio mentis in crimen aliquod consentire, quam satanæ opera, aut qualitate corporis excitatam appetitus indecentem aliquam perturbationem admittere: nam vtrobique æqua mensura (vt ipsi sentiunt) noxæ mortiferæ reperitur. Verum qui huiusmodi ęqualitatem secum constituerit, cum eius oculis voluptatis illecebra obuersatur, ita secum animo ratiocinabitur. Non video profecto, quonam modo atrocitatem vllam crimen illud contrahat, quod temeraria solius appetitus motione exiliente committitur: hoc etenim me nolente, vel etiam somno oppresso solius dęmonis opera excitatur. Vnde magnopere curandum non est, vt istis motibus pectus vacet: ebulliunt etenim ex feruore deprauatæ naturæ. Quibus insuper si consensum prębeam, simile prorsus flagitium existet: neque peioris alicuius conditionis. Sicut ergo delictum atrox non est hanc affectionum turbulentiam pati, ita neque piaculum erit, aut ingens culpa libidini se deuouere, aut quodcunque aliud scelus apud se voluntatis decreto constituere: crimina enim hæc nullo gradus discrimine partiuntur, sed æqualia sunt. Commentitium proinde videtur, quod Romani hactenus disputarunt de peccatorum maculis, de culparum enormitate: leuia namque peccata esse inde probatur, quod nobis necessario obrepant, quod naturæ sint agnata: quare neque reatum continebunt vllum, qui acriores pęnas demereatur. Superfluus inde existit dolor, quo se affligunt pęnitentiam agentes, crudelitas plane est strictiori disciplina deseuire in corpus, dementia omnino illucescente euangelio voluptatum lenocinia abdicare. Minutum & exiguum modo apparere cepit quodlibet flagitium. Concupiscentia peccatum est: admitto. Morte dignum: non renuo. Quid tum? nihil interim nocebit. Viua etenim illa fides, qua viget animus Caluinistæ, hanc labem conteget: quominus pateat aspectibus diuinis; efficietque ne mihi imputetur ad crimen. Sed quid? An non eadem credulitatis gratia fruar, cum voluntatis etiam delectu consultoque in omnes libidines & iniurias concesserim? Nam hoc non magis peccare erit ex rei natura, quam pruritum carnis perperi, aut

tus concupiscentiæ non imputari propter fidem.

aut temerario appetitus motu perturbari. Ex ęquo itaque fide celata, Dei iudicium omnia fallent aut effugient. Docte admodum principia Caluinianæ turpitudinis pertractans,& ad legitimam consequutioné accommodate sectarius disseruit:sed impiissime, Turcice, fœdissimeque. Hac namque mente imbutus voluptatibus non abstinebit, neque ipsum magnitudo sceleris à turpissimis arcebit cupiditatibus.

Hæretici Christi meritum extenuant & vim Satanæ amplificant.

Isti autem qui ita sordes congerunt,& perfectionem Christianum ad fæces libidinum prostituto dogmate abiecerunt, quidni sub satanæ vexillis stipendia mereri censeantur? Satanam enim pręcipua hæc cura tangit, vt eius opere animarum candor,decus,& pulchritudo vitiorum purulentia corrumpantur: in hoc omnes neruos intendit, & studia confert. Eadem prorsus cogitatio hęreticorum sensibus altius insidet,idem moliuntur & vrgent. Omnibus siquidem modis satanæ potestatem exaggerant, vim eius in homines amplificant,crucem autem Christi redemptionemque eius morte peractam extenuant: imo ad ipsas sordes & horrenda scelera detruserunt. Nihil fingo ad odium aut inuidiam illis conflandam; solum ex illorum placitis deductas illationes necto,& torquem conficio, dignam sane dęmonis collo & illorum ingenijs. Satanæ virtutem in homines istis deprædicant. Parentes primos asturia & dolis pellexit satan ad diuinæ legis transgressionem, fœdo scelere ipsorum animas ex illis propagatorum polluit, iustitiæ præclaro thesauro spoliauit. Hos vt redimeret Dei filius, vitiorum mole depressos, humana carne spectabilis apparuit, crucem subiuit & mortem: fide miserorum mentes illustrauit, & ad iustitiæ normam,à qua deflexerant,reduxit. Sed quid? An hinc satanica tyrannis excussa est hominum ceruicibus, extinctane eius vis & potestas? nihil quidem minus: nam non obstante quolibet dono Christi, homines adhuc pessundat satan scelerum cumulis: omnes siquidem motus appetitus, quos ne tantillum temporis prohibere aut excutere possunt à se etiam sanctissimi, peccata sunt mortalia. Horum infinitam congeriem auget diu & noctu satan,neque tot opera bona gratia Christi in illis efficit,cum omnia sint peccata;quot lethalia crimina malitia elicit satanica. Quis dinumerare poterit singulos insultus concitatæ perturbationis, quorum author est satan, omnesque existunt peccata grauissima? At quis amplius feret Cerberum Caluinisticum satanam Christo pręferentem? Quis voces huius patienti aure excipere poterit? cum dicat in ipsis iustis, in ipsis Dei filijs, in cohęredibus regni cęlorum, in tabernaculis spiritus sancti,latius effusum esse satanæ imperium,quam Christi regnum: maiores turpitudines inuehere

here satanam in animam Deo vicinam, illique charissimam, quam vt Christus possit ornamentis virtutum & honestatis illas exequare? Abiecti ad libidines, latrinarum incolæ, Satanæ mancipia, capitales hostes Christi, ad Tartareas sedes, vnde emersistis, refugite. Non vobiscum sentit Apostolus, sed plane succensuit, qui Christianam puritatem multo aliter descripsit: *Hoc scientes, quia vetus homo noster crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltra non seruiamus peccato.* Rom. 6. Corpus peccati destruxit Christus, hoc eius fuit beneficium, & opus diuinum prorsus tanti artificis: Sectarij vero omnia replent peccatis, sola fide scelerum tam immensam congeriem celantes. Quam in Christum eiusque gratiam ęqui? Quo nunc loco habent redemptionis pondus? Plura quidem adduci à me potuerunt, ad immanem & tetrum hunc errorem reuincendum: neque satis, qui vlla rationis luce pollent, demirari valent hac in re hęreticorum dementiam, asserentium temerarios appetitus motus absque arbitrij libero consensu peccata esse. Hinc autem aperte constat, quod officium virtutis deprauato dogmate violarunt. *Oua aspidum ruperunt; qui comederit de ouis eorum morietur.* Esaiæ 3.

Orthodoxorum sententia de libero arbitrio suscepta, & Ecclesiastico iudicio definita, multũ confert ad virtutem, & morum puritatem. Sectariorum vero absurdæ voces, quibus præclarum hoc animæ munimentum homini eripiunt, procliues sunt ad libidinem, & in omni genere vitæ turpitudinem.

CAPVT XXIII.

SVperiori libro in vniuersum disputatum est de natura liberi arbitrij: eo fine solum vti hominis dignitas contra hęreticorum errorem, quo illam impetebant, statueretur: nunc de eodem disserendum, vt inde quoque deducatur ratio officij nostri, & mores ab illa impuritate vendicentur, qua idem sectarij suis placitis eos inficere satagerunt. Tanti quidem momenti res est libertas arbitrij, vt hac sublata nec virtus, nec vitium incidere possint amplius in hominum concilia: hęc etenim (vt liquido constat) omnem vitæ rationem continet. Quare

Quid voluntarium seu spontaneum.

vt distinctius explicentur, quæ ad pręsens institutum pertinent: pręmonendum id dici voluntarie susceptum à voluntate, quod sponte fit, principiumque sortitur ipsam voluntatem vitaliter operantem. Sectarij (si Lutherum & pauculos alios eximamus suæ scholæ homines) operationibus, siue quas naturę vires excudunt siue diuinę menti impressæ notitiones ac gratia Dei efficax eliciunt: veluti quando vocanti Deo consentimus credere, sperare, amare, pęnitere sicut oportet: spontaneæ & voluntariæ molitionis rationem concedunt: alioquin ipse homo munera hæc præstare minime diceretur. Tanti vero imperij est voluntas in hac actione sua spontanea, vt nulla vi cogi possit aut violentia adigi ad aliquid expetendum. Violentum enim illud dicitur à Philosopho, quod externo impetu, nullam vim conferente passo, existit. Si ergo vitali efficientia ad omnes suos conatus voluntas semper concurrat; fieri nequit vti violentiam patiatur aut coactionem. Ita tamen rapi & destinari poterit ad conatum, vt libertate actus prorsus destituatur: cuius generis censetur amor Dei in beatis flagrans, qui ipsum clare aperteque intuentur: siue hoc proueniat ex natura talis visionis necessario voluntatem determinantis ad dilectionem (quod probabilius videtur) siue ex concursu Dei iam restricto ex eius beneplacito ad vnam partem: quod opinatus est Scotus. Similiter libertate priuatur voluntas in subitaneis suis motibus & impressionibus improuisis, quas sensibus obiecta inferunt: in quibus sponte operatur, tametsi necessario tum ex specie actus, tum ex specificatione eius: neque istis tamen vlla inest coactio aut violentia. Verum etiam est contra actum suum elicitum & naturæ inclinationem suscipere posse voluntatem forinsecus immissum habitum, quem nollet admittere. Actus etiã sensuum, qui subsunt imperio voluntatis, alio possunt dirigi, quam quo vellet voluntas: atque in istis proinde vis aliqua illi infertur: quemadmodum quoque si iam propensa in aliquem actum, quem natura sua cuperet elicere, subtraheret Deus concursum suum generalem, sine quo fieri non possit, vt quidpiam operetur, violentiã exinde sentiret & sustineret. Ceterum in actibus illis, quos ipsa efficit elicitque, cogi omnino nequit. Quo pacto spontaneum & voluntarium secernimus in actu voluntatis à libero. Alius porro est peculiaris operationis voluntariæ modus & forma, quę oritur ex mentis animaduertentia, vtramque contradictionis partem consulto iudicatoq; circumspiciente. Nihil autem in hac vmbra fidei carnisque fragilitate sub omni prorsus ratione boni mentibus nostris obijcitur. Nam aut malum in re proposita vel in exercitio actus circa illam semper despici-

Voluntas cogi non potest ad actionem spontaneã. Arist. Ethic. cap. 1

Scotus in 2. d. 2. q. 1.

despicimus: atque ita sicut boni aspectus nos prouocat ad cupiditatẽ eius: ita obiectus mali fugam in nobis valebit efficere, & præstare vti rem ipsam odio habeamus, vel vti in hoc rerum ordine actus, qui versaretur circa aliquid obiectum, nobis displiceat. Agentes idcirco cum hac potestate, & indifferentia voluntatis, libere agimus, bene aut male, cum laude vel dedecore. Quamobrem radix libertatis istius in intellectu defigitur: eius vero principium effectiuum voluntas est, & subiectum eiusdem, actus, vt bene Bartholomęus Medina disseruit.

Quid actus liber.

Medin. 1 2 q. 6. art. 2.

Ex quibus nunc facile colligi poterit orthodoxorum sententia. Asseritur namque hominem liberum esse (modo adsit vsus & circumspicientia rationis) in operationibus suis moralibus & theologicis: ita vt illi integrum sit in hoc aggredi, vel opere desistere; expositum bonum voluntatis cupiditate requirere, aut illud spernere, reijcere, atque detestari. Vnde qui fidem mysterijs adhibet, grauiori exagitatus tentatione, is in crimen infidelitatis incurrere potest, fidẽ adhibere dictis valebit, cum Euangelium eius auribus insonuerit, aut eidem dissentire: quod affirmamus quoque verum de actionibus spei & charitatis. Qui crimine pariter lethali implicatur, diuina gratia pręuẽtus adspirare poterit ad contritionem & amorem Dei, veramqne iustitiam; vel in pessimo statu obstinate persistere. Quem dęmon insidijs suis adoritur, ipsum pelliciens in crimen, illi integrum suggestioni obniti, vel ijdem consensum prębere. Cuius animum incitat diuina gratia ad perfectius vitæ genus ineundum, vel ad vberiores fructus iustitiæ faciendos, cooperari is queat Dei gratiæ, vel segniter se gerens, eidem non respondere. Equidem existimarem neminem ita in malo obfirmatum esse, quin vrgente ipsum satanica tentatione ad peccatum, vel illi incumbente pręcepto legis obseruandæ; sufficiens habeat auxilium, vnde poterit officium suum explere. Ipse Pharao, cuius cor induratum referunt scripturæ, populum Dei, quem captiuum habebat, dimittere potuit. Excęcati Iudæi, quos prędixit Isaias propheta in viuum illum lapidem Christum Dominum incursuros, sicut grauiter offenderunt non credendo, ita & credere valuerunt: de qua re satis bene disputauit Molina. Videamus modo (si placet) huius orthodoxi dogmatis sinceritatem, & morum quam effundit sanctimoniam.

Libertas voluntatis ex sententia orthodoxorum.

Rom. 6. Esaiæ 6. Matth 11.

Molin. 1. part. q. 14. art. 13. d. 10

Terra, quæ diuinam in se maledictionem excepit, *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Diligenti solertique opera exculta vberrimos fructus parit, vitæque nostræ saluberrimos. Voluntas eadem, quæ succrescentibus repentibusque per omnes tam animæ quam corporis partes perturbationum vepribus quodammodo efferatur, studio virtutum pacatiori

Gen. 4.

tiori subacta & emollita, segetem profert honestissimarum actionum ad vsum & ornamentum vitæ conducentissimam. In voluntate vero, cuius imperio subijciuntur appetitus affectiones, ea cura minime est necessaria, quę agricolam tangit. Nisi enim stirpitus agricola siluescentes frutices, vtpote arbusta, spinas, & id generis noxia resciderit, campus ineptus erit optimis seminibus excipiendis. Opus autē nō est, vti voluntas Stoica seueritate ita omnes appetitus affectiones penitus exstirpet eijciatque: quod (vt alibi probatum est) virtuti inseruiant & adminiculentur; solum in hoc eius studium ponendum, vt rationi pareant, ac se ei dimittant. Quarū vis & energia nobis neq; liberum arbitrium penitus excusserunt, (vt delirant sectarij) inclinatum quidem in malum reddunt, tamen liberum sinunt. Nollem autem eos suspicari nos ita liberum arbitrium constituere, vti olim Pelagius: qui cum interioris gratiæ subsidium vtpote necessarium à Catholicis stabiliri animaduertisset, eos liberum arbitrium sustulisse proclamauit. At huiusmodi opprobrium à nomine nostro ita reiecit D. Hieron. *Blasphemas, & ignorantium auribus ingeris nos liberum arbitrium condemnare, damnetur ille, qui damnat.* Pelagianum autem arbitrium, vtpote superbum, ita repudiauit D. Augustinus: *Laboratum est pro libero arbitrio, sed vicit Dei gratia.* Contra Pelagium vim arbitrij extenuare videmur ad credendum, sperandum, amandum, & Dei legem obseruandā, diuinam opem requirentes: rursum contra neotericos hęreticos differentes efferimus arbitrium, affirmantes in nostra positum esse facultate Dei gratiæ cooperari, vel resistere, pie viuere vel flagitiose mores instituere. *Liberum ergo arbitrium* (inquit Augustinus) *euacuamus per gratiam? absit: sed magis liberum arbitrium statuimus. Sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non euacuatur, sed statuitur.* Et alibi, Ciceronem grauiter reprehendit, qui vt liberam in nobis faceret voluntatis potestatem, diuinam rebus humanis prouidentiam exemit: *Sed religiosus animus* (inquit) *vtrumque eligit, vtrumque confitetur.* Et post: *Vtrumque fideliter & veraciter confitemur: illud vt bene credamus, hoc vt bene viuamus*: quasi sine libero arbitrio honestæ vitæ nullus esset futurus locus.

Infirmatū liberū arbitrium ex peccato.

Hieron ep. ad Ctesip.

August. l. 1 de præd. cap. 4.

Pelagij liberū arbitrium.

August. de Spir. & lit. cap. 33.

August. 5. Ciu. cap. 9. & 10.

Virtutis amore penitus capti, ardua quęque superamus, sublimia transilimus, & nobis ipsis vim quandam inferimus, vti tantam pulchritudinem consequamur. Quid obsecro est, quod ita præcordia pulsat, quod ad honestissimas actiones nos rapit, toto corporis pondere aliorsum pertrahente? quid immensos labores, innumeras difficultates melle condit & nectare; nisi virtutis species sensibus obiecta, quæ mirifice in oculis nostris splendet & effulget? Studia virtutum animo per-

Notio virtutis constat ex libero arbitrio.

perſpecta, vim habent excitandi vel plumbea pectora, & frigore concreta cryſtalla eliquandi, atque ex ipſis aquis flammas plane eliciendi. Hæc autem omnia incentiua ad pręclara facinora pereunt funditus & intercidunt ablato ſemel libero hominis arbitrio. Nam ex eo pulcrũ apparet ſecundum virtutem operari; quod aprehendimus huiuſmodi inſtitutum à nobis ſuſcipi poſſe vel deponi: quocirca iudicamus rem eſſe longe excellentem, in hac tanta libertate, imo propenſione magna in malum, nihilominus aliorſum in bonum ferri, eiuſque cupiditate duci. Ad hoc autem decus virtutis decernendum, concurrit libertas actionis: alioquin ipſis brutorum conatibus ęque ac humanis illa ſpecies competeret: quandoquidem naturæ ipſorum conuenientia munera obeant ſimiliter appetitionis motu. Diſcrimen ponet libertas tantum molitionis: inſtinctu ſiquidem naturæ illa feruntur ad optima: homo autem rationis iudicio liberoque conſenſu officium ſuum exequitur: proinde laudem meretur ipſe ſolus & pręconiũ. Ex aduerſo nihil hominis animum ita auertit à delictis, atque ipſorum teterrimus ac deformis aſpectus. Ad hoc autem dedecus conſtituendum, poſtulatur liber voluntatis inflexus in peccatum: quo abſente, nihil flagitij aut dedecoris ſupererit intuendũ. Nam qui turbidine deuoluitur in ſordes, eiſque veſtes deturpat, is ſibi, hoc eſt menti ſuæ, non adſcribet maculam, ſed veſtibus tantum: quandoquidem neceſſitate ceciderit, non culpa & voluntate. Similiter ſi poſt crimen Adami adeo laxata & effrenis ſit concupiſcentia, vti homines pręcipites hæc ferat in vitiorum lacunas, ad morum turpitudines: eiuſmodi coinquinatio nemini niſi Adamo vicio danda, non niſi in illo, ſupplicio aut vituperio digna. Auferunt idcirco ac prohibent ſectari cum virtutis tum vitij formas, ne hominum oculis pateant: quarum intuitu peruerſæ cupiditates abijcerentur, actiones vero pręſtantiſſimæ ſuſciperentur. Orthodoxi vero florentiſſimas virtutum ſpecies ſuis coloribus illuſtrant, & natiuam ipſorum elegantiam hominum oculis obiectant: vti ſic earundem amore deliniti capiantur. Vitiorum quoque atrocitatem proponunt viſendam, cuius aſpectu deterreantur à prauis conſilijs. Excutientes vero liberum arbitriũ, virtutem rem mortuam quandam efficiunt, fatalem, & nullius præſtantiæ. Vitiorũ pariter grauitatem extenuant, illis neceſſitatem quandam imponentes: proinde omnem eius deformitatem velo contegunt & diſſimulant.

Conſtituamus iam hic aliquem Caluiniano dogmate imbutum, cuiuſque animus illecebræ obiectu ad quidpiam nephandæ ac ſceleratæ libidinis prouocetur: & iudicio cuiuſuis relinquam definire,

Sectarij negãtes liberũ arbitriũ homines excusant à peccatis.

vtrum consequutiones legitimas inferat nec ne; dum hoc pacto apud animum suum raciocinabitur. Quorsum peccati dulcedinem, vtpote veneno illitam respuerem; in quam si animæ consensu & electione iuerim, quid mali tandem meo opere patratum erit? Nam mihi Deus aditum præclusit ad fidem omnemque virtutem, propter Adami delictum, mihi perfregit penitus, & in me violauit liberum arbitrium; brachium eneruauit, quo blandientem noxam abigerem: adeo acris amor lenocinij mentem occupauit modo, vti non possim omnino incendium excitatum comprimere, aut aliorsum voluntatem destinare, quam quo eam impulit cupiditas. Facessant concionatorum voces, sileant monita scripturarum, mihi aures occlusit Deus, hæc animo excipere nequeo; desinant hortamenta & consilia sapientum, ni surdo canere ipsi operæprecium habeant. Nihil ad me præclarissimorum virorum illustria exempla spectabunt; cum oculis priuer, quibus ea contemplarer. Neque in causa erit, vt timore diuini iudicij concussus, delinquere extimescam, aut facinus cũ trepidatione aggrediar: timor etenim iste Iudaicus est, non Christianus; seruorum, non filiorum. Quorsum etiam illud timeam, ad quod fatum me vrget, ac cogit? Vix credere etiam possum tam horrenda Deum supplicia peccantibus decreuisse: vt scrupulose nimis aliqui, præsertim Romani, suspicantur. Nam cum apud me statuerim Deum summe esse clementem, adduci nequeo vti existimem ipsum adeo dirum esse & crudelem, vt postquam necessitate me in flagitia compulerit, adhuc velit acerbissimis inferni cruciatibus fato concedentem excipere. Quod si quis dicat, fidem vnicum mihi fore subsidium, mittenda cetera: ipse mihi maximam libertatem faciet quiduis agendi, aut eadem dura necessitate rursum premet opprimetque. Credo me iustum esse, neq; Deum fornicationes, adulteria, & furta, quæ in animo designaui, imputaturum ad crimina, vel etiam, cum ea perfecero. Agedum secure ruam in scelera & confidenter. Nec me aliqua suspicio terret, quod hæc fides mea non sit vera & diuina: scio enim talem esse: vel si non sit, iterum necessitate vrgeor, eaque excusor. Fato inuoluor, effectu impossibile est vt credam sicut oportet: lumen suum mihi Deus denegauit, retraxit sol ille radios suos, ego in tenebras detrusus, interim infidelitatis malum sustineo prorsus necessario. Ex altera autem parte suaue, blandum est, emollitum, gratiosum, quod mihi suggerit cõcupiscentia: multa sunt, quæ me ad huius appetitum mouent, pelliciunt, trahunt: nihil autem animo succurrit, quod firma ratione voluptatem haud persequendam probet & doceat. Blanditias exquiram, asperas & salebrosas

ſalebroſas virtutum ſemitas auerſabor. Ita ex Caluini dictis appoſite omnino & conſequenter diſputauit impurus iſte & impudicus.

Sane iſtorum hominum pluſquam ſtupida eſt inſcitia, quum peruerſo dogmate naturæ iura ita peruertant, omniaque miſcent ac perturbant. Quoſdam humanæ voluntatis actus peccata eſſe fatetur Caluinus, tametſi neceſſitati ſubiectos: à quo cum cauſam ſciſcitor, reſpondet mihi molitiones neceſſarias ideo vitioſas eſſe, quod effectus ſint corruptæ deprauatęque naturæ. Quid an non prudens iſte eadem ratione motus peccata eſſe fatebitur operationes omnes ſenſitiuæ & vegetatiuæ facultatis, cum ſenio pręſertim debilitatæ vires corporis, minus perfectas actus expreſſerint: ex æquo enim operatio intellectus & ſenſus proficiſcuntur à corruptione naturæ ac conatus voluntatis; ſimilem idcirco peccati formam retinebunt? Quo pacto quartana febris, capitis vertigo, & morbus quiuis peccata erunt. Medici quoque non corporum, ſed animarũ reparatores habendi: vitiorum nempe curatores. Sed dicet Caluinus, actum ſolius voluntatis peccatum eſſe, quod hic tantummodo Dei legi & interminationi aduerſetur. Quam ſubtilem ſe oſtendit? Hinc enim ſequitur, abſente prohibitione diuina, æque peccatum eſſe fluxum pituitæ, & innoxij cruoris in homine effuſionem. Demum hoc ſuo effugio ſtultas, inſanas, ac rediculas orbi exhibuit Dei leges & pręſcriptiones officiorum. Quorſum enim Deus alicui prohiberet adulterium, ſi ipſe hoc crimine propter peccatum orginale abſtinere non poſſet? fluxum pituitæ aut naſi curuitatem eadem prouidentiæ forma hominibus interdicere valuit, ac adulterium. Qui orthodoxę fidei mente obſtinata repugnat, is peccabit, & quare? quod Deus ſpontaneam hanc & affectatam infidelitatem vetuerit. Quorſum autem vetuit, aut huic vitio vertit Deus, quum ſufficienti gratia deſtitutus credere non poſſet vera fide, eamque habet ſibi impoſſibilem? Adempta itaque libertate, nullus voluntatis actus magis peccatum erit, quam corporis defectus aut alia quęuis ſenſus molitio. Atque hac via Caluiniſtæ inſolenti quodam helleboro omnia plane peccata orbe eiecerunt, ſanctos homines reddiderunt & immaculatos; quodcunq; in poſterum egerint purum erit ac nitidum, cum neceſſarium: niſi quod dictorum immemores, iuſtorum opera optimaque eorum inſtituta peccata eſſe definiant: quod à naturę corruptione proficiſcantur. Adhuc ne natura curupta? qualis tunc medicus Chriſtus? ſi hæc corruptio in renatis ſit peccatum, vbi Chriſtus, qui abſtulit peccata mundi? etiamnum enim redempti in ſordibus ſuis volutant, nullibi ſanitas aut integritas apparebunt; redemptio nulla.

Sine arbitrij libertate actus ſenſuũ perinde peccata, ac voluntatis.

nulla? Et quemadmodum vitij naturam occultarunt ſectarij liberum arbitrium negantes; ita eodem aſſerto virtutum amabiles ſpecies fugarunt,nullumque locum eis inter homines reliquerunt. Qui fide ſuperbam mentis intelligentiam ſubegit, qui inter fluctus iſtius vitæ ſpei anchora animum firmauit, ſpreta cupiditate, Dei amore pectus ſuum inflammauit: is pręclari nihil in ſua actione expreſſit: neceſſitas enim vel fatum hæc arbitrio extorſerunt. Viderint iam, quomodo exilientes igniculos virtutum,quos abſtruſos in ſe habet anima,penitus extinxerunt.Fieri non poteſt, vt quis intueatur virtutis elegantiā, niſi eam cogitet liberæ actionis colorem eſſe. Si enim Adamus in accepta iuſtitia perſtitiſſet, multaque ex obiecto & circumſtantijs bona peregiſſet,neceſſitate tamen ductus,quis putaret eum ex virtute fuiſſe operatum. Abſque libertate perinde eſt, ſiue ſomnians aliquid homo fecerit ſiue vigilans: tam bene ſimia ablatam pecuniam reſtituens iuſtitiam exercebit ac Caluiniſta. Quod decus elucebit in operibus fidei, ſpei, & charitatis, ſi molitiones animæ ſint à neceſſitate, non libertate expreſſæ? Quum itaque in hominum mentibus opinionem virtutis Sectarij extenuarint: an non eoſdem languidos plane reddunt, & ſemiſomnes ad prętantiſſima inſtituta? Nam vt ait Euſeb. *Quod ſi eßet fatum, iaceret omnis philoſophia, iaceret pietas, nulla eßet laus virtutis, nullus fructus laborum, nec puniendi eßent reprobi, nec admirandi ſtudioſi; ſi non libera voluntate & noſtra ſponte ſuſceptis laboribus, ſed neceßitate fatorum hæc fierent. Ita vniuerſam vitam hæc euertit opinio.* Quod & ante ipſius tempora pronunciauit Clem. Alex: *Sed nec laudes nec vituperationes, nec honores nec ſupplicia iuſta, ſi anima non habeat liberam poteſtatem & appetendi & aggrediendi: ſed ſit vitium inuoluntarium.*

Euſeb. 5. præpar. c. 5. Nemeſ. lib. de Fato.

Clem. Alex. 1. Strom.

Qui errore aliquo detinetur, aut crimine ex animæ ſuæ ſententia, illum graui quodam obſtringi ſcelere aſſerunt orthodoxi, ſi alijs meliora inculcantibus non conſentiat, nec ſuſceptam vitæ rationem mutare velit. Huiuſmodi arietem admouemus delinquentium animis, vti conſilia inueterata, quę in malū delata, excutiamus illis. At Sectariorū delirium, momentum hoc ad reſipiſcentiam ac penitudinem amolitur prorſus. Cum enim rationes omnes ad pęnitentiam facientes inſonuerint: cauſari poterit maleuolus, ſibi liberam non eſſe poteſtatem credendi aut recte viuendi: propterea irrita eſſe ſtudia & inſana eorum, qui vociferantes è regione fato obnituntur. Cui ſi quis dicat, eum ita obſirmatum ęternos cruciatus manere. Ridebit, ac dicet, quaſi vero inclementem adeo habeamus Deum, qui de me impotente penitus, non languido, ſed fracto & exſciſo, vt in melius mores mutare

Sectarij negantes liberū arbit. vanas faciunt hortationes ad pænitētiam.

non

non possim, tam horrendum sumat supplicium? Hoc modo Caluinista secum diuinabit; & qui in sordibus est, adhuc sordescere non erubescet. Ex huius sententia nullum remedium contra vitium: non flectitur Deus, se ipsum autem homo flectere nequit: iniquam profecto isti reddunt Christi Domini contra incredulos Iudęos latam sententiam: *Vę tibi Corazain, vę tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidione factę essent virtutes, quę factę sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent: veruntamen dico vobis, Tyro & Sidoni remißius erit in die iudicij, quam vobis.* Matth. 11.
Quorsum hæc cōminatio? quare intentatus luctus; nisi quod Christo tota die (vt inquit Isaias) manus suas expandenti ipsi non crediderint, sed potius contradixerint? Vera itaque fide & amore in illius complexus ruere valuerunt: alioquin quomodo vera erit eiusdem Christi sententia: *Si non venissem, & locutus non fuissem ijs, peccatum non haberent.* Aduenīente Christo, illoq; concionante, peccatū Iudęi contraxerunt; quod absente & silente non in se admisissent. Quæ ratio discriminis, nisi quod potuerint Christo fidem adhibere, & errores suos deserere? libera ergo voluntas. Pro nobis perspicue & dilucide sententiā continet scriptura: stupidi sectarij si illam non videant, maleuoli si agnitam nobis non concedant: vtrumque vero ipsorum nominibus dignissimum.

Isaia 65.

Ioan. 15.

Nemini quoque vitium deforme videbitur, aut magnopere fugiendum, cum semel constiterit Deum ita esse eius causam effectricem, sicut esse cernitur omnium earum molitionum, quæ fiunt à causis secundis. Verum sublato libero arbitrio, si aliquid vitij superfit, recurret illud in ipsum Deum, vt in fontem & principium: proinde non amplius fœdum & coinquinatum apparebit, sed potius naturam limpidissimi illius fontis, è quo emanat, imitabitur: aliquid illius splendoris mutuabitur. Quam consequutionem istis adstruit Eusebius Cęsariensis: *Nam siue cum videat vniuersa, cunctisque adsit, peccare cogit homines: siue stellarum motui vim cogendi concessit ipse, certe aut per seipsum aut per orbes cœlestes, quasi per organum, nolentes homines ad vitia immittit. Quare non iure homo sed ipsius creator peccator erit.* Eodem modo Cirillus Hierosolomitanus sordes peccatorum in voluntatis libertatem reijcit: vt tantam illuuiem à diuina effectione remoueret: *Plantatio quidem bona, sed fructus ex voluntate malus: atque ideo plantator quidem in culpa non est: vinea autem conburetur: quoniam in bonum plantata est, & in malum fructificauit. Fecerat enim hominem rectū, (vt inquit Ecclesiasticus) sed ipse quęsiuit quęstiones multas.* Vnde colligit idem doctor, non naturæ determinatione aut necessitatis ductu cecidisse dęmonem è felicissimo illo statu beatitudinis, sed

Absque libero arbitrio peccata à Deo.

Euseb. lib. 5. prępar. cap. 5.

Ciril Hierosol. Catech. 2.

vitio solum liberi arbitrij, ne atrocissimum scelus naturæ authori præstantissimo adscriberetur. *Peccauit non quidem ex necessitate naturæ vitium suscipiens: quo sic peccati occasio rursum in opificem retorqueatur.* Cuius ratio in aprico est posita. Eorum enim omnium Deus causa & author censetur, quæ naturę necessitate existunt. Cũ enim ipse vim talem rebus indiderit, effecta ab illis dependent quoq; à Deo, à quo etiã (vt docet

D Thom 1 par. q. 70. D. Thomas) in suas molitiones & fines destinantur: non tam proprio motu, quam impulsione diuina progredientia. *Illa vero quæ ratione carent, tendunt in finem propter naturalem inclinationem, quasi ab alio mota, non autem à seipsis, cum non cognoscant rationem finis: & ideo nihil in finem ordinare possunt, sed solum in finem ab alio ordinantur.* Ex quibus colligitur turpissimum hoc sectariorum dogma omnia virtutum præsidia destruere & impugnare.

Iren. lib. 4. cap. 72. Nam vt scribit D. Irenęus: *Si in nobis non esset facere hæc aut non facere, quam causam habebat Apostolus, & multo prius ipse Dominus, consilium dare quædam quidem facere, à quibusdam vero abstinere?* Similiter nihil deformis aut tetri vitijs concedunt, vti eorum aspectu minime absterreantur homines à cupiditate praua: quandoquidem affirment peccata necessitate propagari, & ab ipso Deo effingi. Sane in hac tanta ipsorum inscitia, imo insigni blasphemia, nihil fusiori disputatione dignum inuenio: odio autem & flammis quamplurima.

Concupiscentia, apprehensionesque mentis, siue iudicium rationis optime cohærent cum libertate arbitrij.

CAPVT XXIIII.

CVm multa sint, quæ humani arbitrij libertatem explicatu difficiliorem reddunt: tum nihil magis meo iudicio, quam perturbati motus appetitus, prçsertim vero mentis intelligentia, hac in re Theologis negotium facessunt. Multorum acumina plurimum laborarunt, vti hominis arbitrium consonum redderent çternis Dei decretis, quibus singulos quosque actus nostros certa quadam prouidentia futuros statuit. Desudarunt etiam vti ostenderent eandem libertatem conspirare cum actuali Dei concursu, cum virtute efficacis gratiæ: de quibus libro tertio pauca disseremus. Nunc autem ostendemus arbitrij libertati haud aduersari concupiscentiam, vel mentis notiones, quas voluntas

luntas in expetitione sua sequitur. Atque de hoc posteriori pauci sunt quos vidi, qui enucleate hactenus pertractarunt.

Omnino exploratum est, appetitus sensitiui motus, quos post peccatum originale experiuntur homines, liberum arbitrium multum infirmasse. Quod enim inter duo extrema perfectissimam rationem medij obtinet, illud vtrumque indifferentia quadam ex ęquo respicere dicetur: quę quidem indifferentia diminuetur, si accessus fiat ad aliquod eorum. Ita humana voluntas, cum perturbationum impetu plurimum inclinetur in irritamenta sensuum, propter hunc flexum in vnam partem minus, dum operatur, habet libertatis. Huiusmodi autem voluntatis propensio non prouenit ex immutatione suæ naturæ intrinsecę, vti morbo vires corporis absumũtur, vel ex aliqua praua qualitate ipsi impressa: sed inde solum, quod appetitus sensitiuus, quodam iustitię originalis effectu destitutus, magis iam ferociat, solicitet acrius, pelliciatque laxatus ad se voluntatis cupiditatem. Nam ad illam rem facilis est voluntatis ductus, cuius amore flagrat & feruet appetitus: ita enim partes naturæ inter se conspirant & consentiunt. Quod autem voluntas appetitus ratione in vnam partem, quam in alterã magis inclinetur, ex duobus oriri poterit. Primo, exinde quod (vt ostendit D. Thomas) aliud iudicium perturbato sensu animus proferat, quam faceret sedato & cõpresso. Quod modo ira efferati vindictam ęstimant dulciorem & appetibiliorem. Cum itaque iudicium hoc accesserit; voluntas quasi quodam pondere eo vrgetur, quo iudicium prospexit. Deinde vt probabiliter satis multi arbitrantur, tametsi excitata perturbatio tale iudicium non exprimeret, neque intellectum immutaret, adhuc tamen propter nexũ & sympathiam, quæ inter voluntatem & appetitum intercedunt, inclinatior euaderit voluntas in illud, in quod appetitus cupiditas magis propendet. Apte idcirco concludit D. Thomas concupiscentiam hanc appetitus voluntatis actum magis voluntarium & spontaneum reddere; minus autem liberum. Prius ex eo descendit, quod concitatior & ardentior fit progressio voluntatis, quando in eandem metam cum illa procurrit appetitus. Posterius ex eo prouenit, quod voluntas plurimum alliciatur incitatione appetitus; & proinde magis determinetur in vnam partem. Summa autem indeterminatio voluntatis & libertas tunc existunt, quando voluntas inter bonum rationis & sensus, quasi in ęquilibrio, constituitur. Si hac aut illac momentum aliquod accedat, in actu, quem elicit voluntas, diminuetur aliquid de gradu libertatis: tametsi sufficiens reperiatur libertas ad virtutem aut peccatum. Ex quibus liquet, peccatum

Quomodo concupiscentia debilitauit lib. arb.

D. Thom. 1. 2. q. 9. art. 2.

Medin. 1. 2 q. 9. art. 2.

catum originale plurimum debilitasse libertatem arbitrij. Quod etiam præstare poterit gratia aliqua intensior efficaciorq; : vti videre licet in beatis : quibus visio beatifica abstulit penitus liberum arbitrium ad amandum Deum. Visum enim necessario amant & diligunt.

Concupiscentia non abstulit lib. arb.

Sequitur vt ostendamus concupiscentiá hanc efferuescentem non abstulisse penitus liberũ arbitriũ. Orthodoxorũ iudiciũ est, flagrante cupiditate, propendenteque voluntate in blandimentũ sensus, (modo adsit vsus rationis & circunspicientiæ) posse hominem, Dei gratia corroboratum, suggestum à sensu odio habere, aut exercitium actus circa illud sistere & cohibere : vel denique posse mentis cogitationem alio transferre. Hoc enim probari omnino videtur ex illo Geneseos: *Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Dominium autem hoc rationis in appetitum inde constituitur, quod voluntas appetitui valeat consentire vel dissentire, motum eius sequi, vel eundem comprimere. Quocirca si consenserit appetitui nepharia suadenti, peccato se coinquinabit : quandoquidem potuerit eiusdem appetitus consilia reijcere. Nam ni hoc situm esset in hominis potestate, frustra admonuit Apostolus, cum dixerit : *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Vbi peccati nomine, motum concupiscentiæ intellexit : quod nempe effectus sit primi illius peccati. Hortatur itaque, vt hoc non regnet in nobis: id est non secum rapiat ad noxam delicti voluntatis consensum. Nam voluntas iure quodá imperiali cæteris eminet naturæ potentijs, illisque præficitur. Cum idcirco perturbationes voluntaté sensui subiecerint: non voluntas aut ratio imperitant amplius, sed sensuũ libidines. Suadet autem Apostolus, vti regnum hoc rationi omnino seruemus. Quæ monitio inanis esset, si cupiditatis impetum ratio repellere non posset. Olim, natura adhuc integra existente in Adamo, adeo repressæ & dimissæ fuere concupiscentiæ vires : vti exiguam quandam aut ferme nullam virtutem in rationem habuerint : vt adnotauit D. Augustinus: *Gratia Dei magna ibi erat, vbi terrenum & animale corpus bestialem libidinem non habebat.* Quod si tunc rationis vsum anteuertentes modice irrupissent in Adamo, ipse in illa originaria iustitia constitutus, fine speciali Dei auxilio summa cum facilitate easdé sedare potuerit. Iam vero ab ipso lapsu eius, effrenes prorsus (deperdita gratia) sensuum cupiditates euaserunt : propterea ingens negotiũ & summá difficultatem nobis faciunt in honestis institutis: ita vt illis immoderatius flagrantibus sine speciali Dei auxilio resistere non possimus. Sicut auté serpens inferendo peccatũ hoc in animam protoplastæ, liberũ arbitriũ grauiter in nobis concussit, plurimumq; debilitauit illud tradu-

Gen. 4.

Rom. 6.

Augustin. lib. 4. cont. Iul. cap. vlt

Bellarmin. lib de grat. prim. hom. cap. 4.

cendo

cendo ad malū: ita Christus Dñs iustitiā adferens, libero arbitrio admirabilem suæ gratiæ vim contulit, qua obniti valemus concupiscentiæ eiusque excitatori satanæ repugnare. Quamobrem sectarij, qui asserunt inuectam à dæmone concupiscentiam perfregisse & eneruasse liberum arbitrium, summam Christo reparatori iniuriam irrogant, eiusque effuso cruori. Maneat itaque integrum hominis liberum arbitrium, cum quouis concupiscentiæ feruore.

Modo inquirendum circa mentis notiones, quomodo cum libertate arbitrij conspirent. Et inprimis inuestigandum, quodnam iudicium intelligentiæ exigatur ad molitiones voluntatis: & an aliquod dæmum requiratur. In disceptationem non venit, sed pro explorato habetur, nihil voluntatem appetere, nisi quod noticia aliqua illi mens ostenderit: vnde dici solet, voluntatem in specificatione sui actus dependere ab intellectu; quod nempe intellectus illi obiectum adferat, vnde actus species primum exoritur. Duplex autem existit voluntatis motus in quidpiam appetibile. Primus, simplex complacentia nuncupatur, & est nuda quædam rei secundum se appetitio, abstracta ab eius consequendi studio. Quo genere cupiditatis ea interdum desiderantur, quæ alioquin effectu impossibilia à nobis dignoscuntur: vtpote imperia, cumuli diuitiarum, & similia iucunda, quæ secum animus nonnunquam effingit cogitatione sua. Alter vero efficax dici solet appetitio; atque propagatur non solum ex ea animi noticia, qua res aliqua delectabilis aut commoda apprehenditur vel diiudicatur: sed ex eo assensu intelligentiæ, quo sententiam ferimus, certis quibusdam medijs expetitum acquiri posse à nobis, & ad effectum perduci. Si itaque sermo sit de efficaci proposito, omnino definiendum, ad hoc satis non facere in mente apprehensionem iucundi aut vtilis: sed postulari iudiciū de rei consequendę possibilitate. Nemo enim aggredietur consilio suo aliquid opere præstare, nisi prius iudicauerit illud saltem medijs in vniuersum parabile effectuque possibile. Multorum autem est opinio, neque iudicium hoc, quod appellitant speculatiuum, sufficere ad efficacem finis intentionem, siue mediorum electionem, sed insuper postulari iudicium aliud practicum, (quod etiam verum opinantur in motu simplicis complacentię) quo nimirum iudicetur hoc aut aliud, hic & nunc à nobis actione fore suscipiendum si bonum fuerit: sin malum abijciendum. Ego vero huiusmodi iudicium practicum tam in cōplacentia simplici, quam in efficaci proposito, superfluū omnino semper existimaui: & errorem quendam inuoluere sententię, quem nullus in se admittet ratione vsus. Nam ex parte intellectus ad mo-

Duplex motus voluntatis ex cupiditate.

Iudiciū practicū reijcitur.

ad motũ voluntatis quid aliud requiritur,quã propositio obiecti,vnde actus species oriatur? Hæc autem habetur absq; iudicio tali practico, vti cõstat. Quod si quis dicat iudiciũ hoc debere accedere, vt sit maior ratio,ob quam voluntas se potius in hanc partem inflectat,quam in aliam,parum hinc efficietur. Nam reuocare videbitur is determinationem voluntatis in causam naturalem,atque sic liberum arbitrium tollere. Siquidem ante quemlibet actum voluntatis, quidpiam erit prę-currens in intellectu vel sensu,quod cum non dependeat à voluntate, naturale erit ac necessarium: atque sic tandem resolutio libertatis fiet in principium naturale. Quid? an non D.Thomas docet cum alijs Theologis exercitium actus voluntarij pendere ab ipsius voluntatis libertate? Bono itaque & malo propositis,cum simili vtrimque iudicio possibilitatis, si quęratur causa,ob quam voluntas se potius exerceat actu suo circa malum,quam bonum: non dicam eam esse iudicium practicum, quo iudicatum fuit malum persequendum; sed causam adstruam esse voluntatis libertatem, quæ vitio suo malum bono pręferre voluit. Porro iudicium illud circa malum,tale est,quale penitus aduersatur rationi, ac ipsi fidei: neutiquam idcirco postulatum ad voluntatis actum. Nam ratio fidesque vnicuique ostendunt, non solum indefinite nunquam malum aut vitiosum amore esse prosequendum: sed neque hic & nunc,in hoc aliove certo rerum ordine. Generalis enim notionis hæc existimatio est illatio & consequutio necessaria. Qui ergo ratione viget,cuiusque animus fide collustratur, is iudicare non valebit hic & nunc latrocinandum,occidendum: quandoquidem fides & ratio horum contradictoria aperte statuant ac decernant. Quod si in hanc partem definite adsit iudicium, alterius partis nulla erit facultas: siquidem absque tali iudicio sit impossibilitas antecedens ad propositum aliquod voluntatis efficax: perit idcirco libertas,quæ potestatem dicit ad vtrumuis. Neque sane positum videtur in cuiusuis potestate de re omni, vti ipsi placuerit, iudicare. Repudiandum itaque huiuscemodi iudicium practicum, vtpote minus necessarium ad voluntatis actum,aduersarium quoque eiusdem libertati: fidei pariter ac natiuæ mentis intelligentiæ.

D.Thom. 1. 2. q. 9.

Vtrũ actus imperij sit necessarius

Sunt autem nonnulli doctores, etiam ex sententia D.Thomæ dissentientes,qui arbitrantur neq; iudiciũ hoc practicũ satisfacere ad excitandam voluntatẽ: sed vt aliquid definite appetat,in subsidiũ venire debere aliam mentis notionẽ,quam imperium appellitant,hisce verbis explicatũ. *Fac hoc*. Ita Cardinalis Caietanus,Dominicus Soto Medina, Valentia,& alij quamplurimi. Quod quidem animi imperium prorsus necessarium

Caiet. 1.2. q. 17. Soto de iure & iust. cap. 1. Medin. art. 1. Valent q 1. punct. 1. disp. 2.

necessarium dicunt, vt voluntas se in vnam aliquam partem suo actu inflectat. Quo quidem imperio semel expresso & constituto in mente, fatentur voluntatem de reliquo se in contrarium mouere non posse. Verum non omnes eundem istius actus imperiosi vsum decernunt. Aliqui volunt illum inseruire tantum executioni: vtpote potentiæ motiuæ semel præmissis à voluntate facti proposito efficaci electioneque. Valentia autem ad omnem plane actum voluntatis, etiam simplicis complacentiæ & desiderij, huiusmodi actum imperij postulari affirmat: & reuera omnium videtur eadem ratio. Sic ergo argumentantur. Apprehensio delectabilis non satis est ad mouendam voluntatem neque iudicium, quo statuitur delectabile posse comparari, idoneum erit ad eliciendū consensum voluntatis: sanctissimi enim viri, qui voluptates penitus aspernantur, eas apprehendunt naturis suis iucundas, iudicantque effectu possibiles, à quibus tamen nihil mouentur: vt ergo voluntas aliquid determinate appetat, pręcurrere debet actus imperij, quo illud mandetur pręscribeturque appetendum.

Veruntamen antiquiores Theologi, nobilissimi sane & classici hunc actum imperij ad motum voluntatis superfluum omnino arbitrantur: vt Scotus, Adrianus, Almainus, Marcillius: quibus sane ipse assentior; existimoque imperium illud intellectus cum minime requisitum, tum voluntatis libertati maxime aduersari. Nam statim atque intellectus voluntati obiectum suum ostenderit, effectuque possibile docuerit, quid eam remorabitur quominus honestum vel iucundum appetat? Si dicant deesse actum imperij, quo voluntas in hanc partem destinetur: exilem & minutam prorsus tandem facient libertatem. Nam constituto imperio, voluntas nihil libere cupit aut refugit (vt fatentur ipsi) sed necessario, & quodam naturæ ductu in obiectum suum prona defertur: ita vt aliunde actus voluntatis liber non sit, quam quod semel habuerit liberam sui causam, nimirum electionem imperij. Sed quid? recidit ne tandem omnis libertas voluntatis ad decretum imperij, quasi in nullo actu immediate amoris vel odij voluntas libera sit, prętérquam in solo actu imperij decernendo? Passim enim vero scripturæ & patres asserunt voluntatem hominis liberam esse in ipsismet rerum appetitionibus, vtpote in prosequutione delectabilis vel honesti, nobis integrum esse adstruunt vti obtemperemus legi, vel illi repugnemus, vti cooperemur gratiæ Dei, vel resistamus: male ergo isti omnem voluntatis libertatem reuocarunt ad solam constitutionem cuiusdam imperij: quo semel decreto, de cętero nihil libertatis actibus insit voluntatis, hoc sane (quantum ego coniectari possum)

Actus imperij repudiatur

Scot in 2. d. 6. q. 2.
Adrianus quol. 4. art. 1.
Almainus in moral.
Marcil. in 2. q. 16. art. 1

sum) humanorum consiliorum libertati plurimum repugnabit. Causa quoq; leuissima est, ob quam istius imperij necessitatem decreuerunt. Si enim requiratur, vti ipsi asserunt, ad determinationem voluntatis: sciscitabor, vtrum hoc imperium constitutum fuerit ab aliquo naturali in homine, quasi agente necessario, vel an à libertate voluntatis. Si prius definiatur, funditus peribit liberum arbitrium. Sic enim nulla supererit libertas, cum in decreto imperij, tum neque in actu voluntatis ex illo propagato. Sin posterius statuatur, ita arguam: voluntas sine preuio actu imperij potuit ex sua innata libertate decernere hoc imperium, vel eius oppositum omnino; imo vel nullum proferre: nam si ad hoc quoque requiratur aliud imperium, progressio erit in infinitum: itaque tandem voluntatis aliquis actus anteuertet omne imperium. Quod liquido patet, si modo imperium sit effectus liberæ electionis in voluntate. Infero idcirco: sicut voluntas sine preuio actu imperij determinare se potuerit ad constitutionem huius imperij potius quam alterius: ita bono & malo obiectis, cum iudicauerit intellectus vtrumque actione suscipi posse, absque actu imperij ex sua insita libertate hoc aut aliud valebit expetere.

Voluntas si determinare potest sine actu imperij.

Profligato itaque & abdicato huiusmodi actu imperij, vtpote nihil conducente ad humana consilia: reliquum est vt ea designemus ex parte mentis & intelligentiæ, quæ requiruntur ad voluntatis motum. Dico itaque, simplici apprehensione propositis bono ac malo, liberrime posse voluntatem circa hoc aut aliud complacentiam exercere. Sin autem efficaci proposito ipsa velit aliquid expetere: opus est vti prius intellectus iudicet, tale quid eius viribus subiectum fore. Quoniam vero libertas duas partes respicit contradictorias, veluti honestum, & iucundum, faciendum & non faciendum: eapropter ad libertatem actus voluntarij exigitur vtriusque partis contemplatio. Ideo namque in voluntate existunt motus quidam subitanei & necessarij: quod tunc mens honestum, iucundumque non intueatur circumspecte, sed vnum horum tantum: proinde sicut alterius appetitio incogniti est impossibilis: ita huius necessaria, nec vllo modo libera. Ad intelligentiam vero istius libertatis existimo maxime facere, si cogitemus in ipso momento intentionis, aut electionis liberæ, intellectum multiplicem actum efformare: vt simul bonum & malum intueatur, quod Scotus voluntati concedit. Nam si vnius tantum visus sit, non percipio quomodo in eodem instanti antecedenter potens sit voluntas ad oppositum eius, quod facto suo molitur. Facillimum vero hoc fuerit definire, si modo tam boni quam mali despicientiam

Quæ cognitio necessaria ad motum voluntatis.

Scotus in 3 d. 26. q. 1. Parag. ad quartum concedo.

tiam actualem intellectui pariter attribuamus. Sic enim dum hoc voluntas aggreditur, contrarium quoq; prosequi poterit: quandoquidem eius tunc in mente quoque ostentum habeat.

Adhuc tamen quęstio alia magis salebrosa & obscurior suboritur. Quomodo namque acriori conatu intellectus in aliquam partem prospectans, in alteram voluntati libertatem non eripiat? cum enim voluntas facultas sit cęca, & (vt docet D. Thomas) externũ quoddam principium postulet, quo determinetur: in natura videtur omnino defixum, quod voluntas debeat eam partem necessario sequi, quam intellectus acrius intensiusque considerat. Duplex itaque quęstio hic instituitur. Prima, an sine pręuia mentis mutatione possit voluntas animum, hæc aduertentem, alio transferre, & auertere à cogitatione suscepta: vel an exigatur ad imperium voluntatis, pręcedens aliqua mutatio in intellectu. Altera huiusmodi existit; vtrum voluntas, propositis omnibus, quibus nunc mouetur ad aliquid expetendum, valeat huius oppositum concupiscere, vel desideratum abijcere absque mutatione aliqua in mentis consilio. Socrates (vt testatur Aristoteles) tantum veri perspicientiæ attribuere voluit: vti virtutem omnem collocari existimarit in mentis intelligentia, vitium vero in errore, secum ratus neminem opinione virtutis ac decori collustratum posse ab officio boni viri deflectere. A quo si defecerit, ex errore omnino aut ignorantia lapsum propagandum adseruit. Verumtamen existere quamplurimos videmus, qui accurate virtutis naturam animis tenent, nihilosecius cupidatati illecti concedunt in vitia: imo probe intelligunt & explicate iudicant neq; in hoc momento rerumq; serie quidpiam suscipiendum, quod cum virtute depugnat: tamen affectu quodam eadem ita abiudicata prosequuntur. Cum itaque voluntati honestum atque iucundum obiecta fuerint, eaque mens & ratio circumspecte viderint, in duobus libertas cerni poterit. Primo in distractione quadam intelligentiæ: deinde quod ab ipsa iucundum appeti queat vel sperni. Vt in priori constituatur libertas, ad eam satis facere non videtur, quod bonum & malum rationis animaduertentia despiciantur in obiecto voluntatis, seu in exercitio actus: sed quod voluntas non feratur nisi in cognitum, tertia quędam noticia requiretur: illa inmirũ qua constat malum esse, hunc actum intellectus circa rem talem protelare: vel bonum, intentum animum in hoc minus licitum distrahere, & alio transferre. Nam nisi hanc notionem constituerimus, voluntati erit impossibile plane animum à suscepta cogitatione auertere, & ad alia dirigere; quippe quod nulla huius causa aut motiuum.

An mutatio in intellectu necessaria sit ad oppositos motus in voluntate.

D. Thom. 1. 2 q. 3.

Aristot. 7. Eth. 10.

Sola cognitio satis nõ est ad virtutem.

Quæ cognitio necessaria ad mẽtis distractionem.

tiuum eluceat in mente. Hæc autem noticia vnicuique satis obuia erit & facilis, eo ipso, quo morali diligentia quis vtitur in expendendis eis, quæ eius animo occurrunt. Statim enim atque rationem mali in illecebra detexerit, videbit pariter bonum esse abijcere admissam cogitationem, & quasi filum interscindere, quod excurrere cepit. Adhuc vero superest difficultas definire, vtrum quando mens intensiori conatu deprehendens auersionem animæ non efficiendam: imo iudicans etiam protrahendam potius institutam apprehensioné: interim exilis aliqua, neque tam exacta noticia existat, qua in illa cogitatione ratio mali detegitur: an iam possit fieri auocatio animæ à voluntate; vel an vt alio transferri possit intelligentia, prçrequiratur mutatio in mente, ex qua accuratius iam consideret & iudicet quis abducendam esse mentem, cum prius alterius partis maior intensiorque erat noticia. Assero itaque posse voluntatem, pro suo imperio, duplici aliqua cognitione boni & mali in actu intellectus existente, interim inæquales fuerint notiones illæ sine alia mutatione cogitationem susceptam protrahere, vel ad alia mentem destinare. Hoc quidem mihi adeo exploratum videtur, vti nisi hoc adseratur, intelligere non possim libertatem arbitrij circa actus intellectus. Et quod voluntas illam partem eligere possit, quā debilius apprehendit, ex eo liquet, quod in illa quoque proponatur ipsi ratio obiecti: nihil ergo impediet voluntatem, quo minus circa illud operetur. Atque ita summo quodam conatu videns bonum esse persistere in cogitatione delectabili & vitiosa: si tamen quacunque demum noticia despexerit rationem mali in illa, eamque attente considerarit, sine alia mutatione intellectus, valebit cogitationi institutæ incumbere, vel eam abrumpere & abijcere. Quod si aliam mutationem exigamus, peribit liberum arbitrium, circa operationis mentis, vt dilucide probant argumenta Scoti, Richardi, & Bachonij. Nam mutatio hçc anteuertens omnem actum voluntatis, prorsus est naturalis: quocirca qui illa priuatur, necessario & naturaliter eadem destituitur: ideoque si ad possibilitaté antecedentem, vti diuertatur animus, prçrequiratur eiusmodi mutatio in intellectu, illi, qui facto suo non distrahunt animum, carebūt aliquo prorsus necessario ad talem distractionem: proinde hæc illis antecedenter erit impossibilis. Quæ mutatio si veluti pondus iniectum accedat ad vnam partem, necessario secum feret in eandem electionem voluntatis: quandoquidem tale momentum alteri parti desit, antecedenter tamen requisitum ad electionem eius. Atque sic omnis tandem libertatis resolutio circa actus intellectus recidit in causam naturalem ac necessariam:

Scot in 2. d. 62. q. 4. & in Coll. 11. Rich. d. 38. art. 2. Bachon. in prohem. 1. lib. sent.

ſariam: quod abſque dubio repugnat omnino libertati arbitrij. Sufficit idcirco ad libertatem voluntatis circa operationes mentis illa noticia, quam diximus. Supereſt modo alterum inquirendum: vtrum nimirum, immutato intellectu, imo cum in vnam determinate partem iudicium collatum fuerit, voluntas aliquid ita libere expetat, vt oppoſitum poſſit concupiſcere.

Multorum eſt ſententia, vt oppoſitum eius eligatur, quod facto aſſumitur, precurrere debere mutationem in intellectu, eamque iudicij: quod ſic oſtendunt. Voluntas ab intellectu ſuam habet determinationem: cum idcirco vnius partis acrior fuerit diligentiorque intelligentia, ea habebitur determinatio voluntatis ad eandem: ita vt alterius electio ſine mutatione noua ſit plane impoſſibilis. Contrarium autem verius opinantur Richardus de Mediauilla, Guilielmus Bachonius, & alij, qui, vt aſſeratur liberum arbitriũ, omnino ſtatuendam definiunt diſpari cognitione exiſtente vtriuſque partis contradictionis, etiam in hanc partem prolato iudicio, poſſe adhuc voluntatem ſine alia mutatione animi, hoc aut aliud pro libito decernere. Atque in horum opinionem omnino lubens concedo: idque neceſſariam prorſus duco ad ſtatuendam libertatem arbitrij. Principio oſtendam hoc omnino conſonum eſſe doctrinæ D. Thomæ, qui paſſim affirmat ad libertatem arbitrij, ſatis eſſe cognitionem tantum vtriuſque partis contradictionis. Sic loquitur: *In omnibus particularibus bonis poſſumus conſiderare rationem boni alicuius, & defectum alicuius boni, quod habet rationem mali: & ſecundum hoc poteſt vnumquodque huiuſmodi bonorum apprehendere, vt eligibile vel euitabile.* Quibus aperte docet D. Thomas, duplicem illam noticiam boni & mali, tametſi habitudine ad obiecta diſparem & inęqualem, ſufficientem eſſe cauſam expetitionis liberæ. Imo cum delectabile aliquod vehementiſſime acerrimeque animus intuetur, ſi tamen ratio omnino non ſuperetur, ſed vel tenui aliqua notione deſpexerit malum & vitioſum in illo, liberrime abſque mutatione mentis poterit voluntas hoc aut aliud ſtatuere. Quod etiam D. Thomas affirmauit: *Aliquando autem ratio non totaliter abſorbetur à paſſione, ſed remanet quantum ad aliquid iudicium rationis liberum, & ſecundum hoc, remanet aliquid de motu voluntatis.* Et alibi clariſſime: *Si proponatur aliquod obiectum voluntati, quod ſit vniuerſaliter bonum, & ſecundum omnem conſiderationem: ex neceſſitate voluntas in illud tendit, ſi aliquid velit: non enim poterit velle oppoſitum. Si autem proponatur ſibi aliquod obiectum, quod non ſecundum quamlibet conſiderationem ſit bonum, non ex neceſſitate voluntas fertur in illud.* Quare vt voluntas poſſit vtramque partem contradictionis eligere, exigit ſolum D. Thomas

Ad vtrunque poteſt voluntas, abſque mutatione conſilij.

D. Thõ 1.2. q.14 art. 6

D. Thom 1. 2. q 10 art. 2. & 3.

noticiam boni malique: idcirco mutatio alia aut aliud iudicium haud requirentur ad dispares oppositosve in voluntate conatus.

Liberũ arbitriũ vix explicare possũt, qui mutationẽ mentis exigunt, ad positos motus, in voluntate.

Quod vero accommodate ad assertionem liberi arbitrij ita sit sentiendum, facile probatur. Mutatio namque intellectus & iudicij subiecta est libertati voluntatis, vel secus. Si illi subijciatur, tunc deueniendum erit tandem ad aliquid in intellectu, quod eius haud paret imperio: nam vt voluntas mutet intellectum, ex parte ipsius intellectus, prequiritur maior ratio precurrens omnem actum voluntatis, quare mutaret, quam non mutaret: vt fatentur aduersarij. Hæc autem maior ratio illi non adest, qui facto non mutat intellectum, ergo talis mutatio intellectus illi antecedenter erit impossibilis: atque sic neque supererit liberum arbitrium. Quod si hæc mutatio mentis non subijciatur voluntati, tunc sicut naturalis ratio erit status mentis, ita causa naturalis & necessaria determinationis in voluntate: vnde nullibi libertas constabit. Porro qui iudicat modo obseruandum esse aliquod præceptum, vel exercendum actum virtutis, is liberum habet arbitrium, quo possit desistere ab officio, inde solum quod apprehendat rationem aliquam mali in exercitio talis virtutis: non requiretur ergo alia mutatio in mente. Nam fieri non potest, modo adsit vsus rationis, vt quis deponat hoc iudicium; continet enim conclusionem euidenter deductam ex fide & prescripto naturalis intelligentiæ. Nihilominus iste liberum arbitrium habet instigatus à satana aut concupiscentia sua ad agendum contra iudicium & officium virtutis à mente prescriptum. Quod si exigere velimus semper acriorem mentis attendentiam ad eam partem, quam facto suo eligit voluntas: ita vt ea permanente, oppositam consectari nequeat: non video quomodo liberum arbitrium constituetur. Nam qui vehementissima cogitatione animo concipit illectamentum aliquod sensus, habet ex motione Dei vocationem sufficientem, cui satis commode valebit consentire, seque auertere à praua cupiditate. Hæc tamen vocatio ipsius Dei non semper exæquat gradum & vehementiam suggestionis nephariæ: liberum idcirco arbitrium in hoc ponetur, quod immutato animo pro libertate sua voluntas hoc aut aliud aggredi posset. Quamobrem antecedenter ex parte intellectus, vt voluntas dicatur posse vtrumque eligere, sufficiet noticia vtriusque partis, deprehensioque boni aut mali.

Rich sup.

Recte idcirco Richardus intellectum comparat famulo, obscura nocte preferenti facem, voluntatem autem Domino insequenti. Quemadmodum enim Dominus ex lumine despectis viarum differentijs, in hanc aut aliam poterit ingredi: ita cum ratio omnia considerarit, &

calculos

calculos suos in vnam partem contulerit: modo boni malique despicientia adsit, situm erit in voluntatis potestate agere, vel non agere, hoc expetere vel oppositum. Atque hæc ad adstruendum liberum arbitrium à me iudicantur necessaria. De qua re obscura & subtili satis multa sub hac breuitate disputasse videbimur.

Sicut delicta & scelera grauia nobis apparent, & odio digna, quod rationi ipsique naturæ hominis aduersentur: ita ex eo vel maxime atrocia vnusquisque iudicabit: quod Deo repugnẽt, non illius sed nostra duntaxat effectione vitiosa existant. Hanc autem in peccato grauitatem mirifice cum blasphemia eleuant sectarij, asserentes omnis flagitij Deum authorem esse & propagatorem.

CAPVT XXV.



QVi deformen vitij speciem animo complexus fuerit, cum nihil tetrius aut immanius eius menti obijci poterit: voluntatis, singulari quodam odio, tam ingens malũ prosequetur. Nam si ipsis tenebris obscurius, si qualibet monstri, sphyngis, harpyiæ, aut cacodemonis forma horribilius, si Thessalicis venenis truculentius delictum & crimen merito ęstimentur: nemo erit, qui non mille mortes oppetierit prius, quam vel vnum scelus in se velit admittere, adscita culpa naturæ integritatem violare; faciem, in qua diuinitatis imago eximie relucet, deturpare, animęque vitam diuinitus afflatam extinguere. Truci aliquo spectro deterritus infans, strictiori amplexu immergit se in matris gremium: ita si vultum illum plane horrendum peccati videremus, si feriret sensus tam deforme spectaculum, nullus ferme esset, qui non summo amore ipsi Deo inhęreret, nihilque ita timere & exhorrescerct, ac incidere in facinus aliquod inhonestum actionemque turpem. Duo autem (ex sententia Theologorum) peccato insunt, quæ multum faciunt ad eius truculentiam: conuersio nimirum animæ ad vanum quid, & fluxum, quodque rationis sententia deforme & indecorum iudicatur: auersio itidem affectus ab ipso Deo, summo bono; in quem, vti in scopum ac metam, dirigi potius deberet. Vtrimque sane

Forma peccati horribilis.

Conuersio & auersio in peccato.

damnum, vtrimque piaculum. Damnũ quidem existit, cõmutatio spiritus & salutis vitalis, cum vilissima voluptatis illecebra: damnũ, clementiam ac bonitatẽ Dei, veluti solis istius sospitales influxus deserere, repellere, & auertere se ab haustu supremę illius felicitatis. Damnũ concreditam sibi animam, rem tam insignẽ proijcere ad fæces libidinũ. Piaculum, spretis diuinis legibus ipsi Deo, superis, inferisque hominibus, ac sibi ipsi demum repugnare. Hęc autem duo se inuicem necessario & colligate sequuntur: atq; ex eodem facto oriuntur coniunctim. Nam qui delinquit, is animæ suæ consilio, proposito, ac delectu quidpiam Deo præfert, & præstabilius ducit: ea propter eodem plane voluntatis motu, quo se ad illicitum quid conuertit; se quoque auertit à lege Dei æterna, siue sanctione aliqua legali descripta, siue ipsius menti impressa. Vt enim recte disserit Gabriel: *Lex vero æterna est ratio diuina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conseruari iubens, perturbari vetans.* Transcursa idcirco ratione recta per improbitatem actionis, inde pariter diuina lex violatur. Animaduertit tamen Ioannes Scotus, subtilissimo suo ingenio, duplicem in delictis auersionem hominis à Deo reperiri. Primam, formalem appellat, vtpote quando actu aliquo positiuo alicui displicet, quod Deus sit omnium vltimus finis, vel suprema charitate diligendus: qui quidem actus, cum odium Dei contineat; maxima est & expressissima animæ à Deo auersio. Cuius rationem proximam defectus ille participabit, quo suo tempore omittitur impletio illius præcepti, vnde tenemur Deum supra omnia amare & diligere. Alteram, appellat virtualem, omnibusque peccatis lethalibus communem: de qua sic loquitur: *Hæc nihil aliud est, nisi inordinatio voluntatis circa aliquod ordinatum ad finem ex præcepto diuino, quod deberet ordinari.* Censebitur itaque ex peccato auersio animæ à Deo in hoc poni: quod reatus ipsius criminis patrati depugnet prorsus cum iustitia, quã à Deo habemus, eamque haud aliter expellat, quam frigus calorem, tenebræ lucem. Dissoluit itaque & infringit peccatum amicitiam animæ cum Deo, à qua ipsam auertit. Quod etiam expressit D. Thomas, probans peccata hominum, Deum offendere: *A quo* (inquit) *beatitudinis præmium expectatur, secundum quod Deus humanorum actuum curam habet. Peccatum etiam contrarium est charitati diuinæ: & per peccatum amittitur fiducia accedendi ad Deum*: de qua re alibi vberius disputat idem D. Thomas.

Gab. in 2. d. 35. quæst. vnic.
Scotus in 2. d. 37.
D. Thom. lib. 4. cont. gent. c. 54. Thom. in 4. sen. d. 14. q. 2. art. 1.
Iniustitia in peccato.

Continet porro peccatum rationem quandã summæ iniustitiæ, qua illud alteri iniuriose subtrahitur, quod ipsi æquissimo iure debetur. Deo autem veluti parenti pijssimo, omniumque bonorum largitori munificentissimo, amor à nobis est rependendus, & eidem supremum

quoque

quoque honorem impertiri naturæ lege obligamur. Quæ duo quolibet crimine grauiori iniquissime Deo auferuntur: honor quidem legis ipsius contemptu, amor vero peruersa cupiditate. At in peccato tria sunt, quę D. Augustinus accurate pertractat, quęque eius naturam omnino patefaciunt. Primum istis verbis enarrat: *Itemque scio in quo fit mala voluntas; id in eo fieri, quod si nollet, non fieret, & ideo non necessarios, sed voluntarios defectus iusta pœna consequitur.* Hæc aperte ostendunt, quænã exigantur ad peccatum ex parte principij: affirmatque ad illud requiri liberum arbitrium flexile & versatile in vtramque partem; sine quo vitium & defectus haud constarent. Mox subiungit ea, quæ rationem obiecti vitiosi constituunt: *Neque enim auri vitium est auaritia, sed hominis peruerse amantis aurum iustitia derelicta; quæ incomparabiliter auro debuit anteponi. Neque luxuria est vitium pulchrorum suauiumque corporum: sed animæ peruersæ amantis corporeas voluptates, neglecta temperantia, qua rebus spiritaliter pulchrioribus & incomparabiliter suauioribus coaptamur, &c. Ac per hoc, qui peruerse amat cuiuslibet naturæ bonum, etiamsi adipiscatur, ipse fit in bono malus, & miser meliori priuatus.* Quibus significat Augustinus peccati obiectum non esse aliquid physice corruptum aut deprauatum: sed solum moraliter iniquum: quatenus nimirum dissentit à lege diuina mentisque præscripto. Vltimo denique propriam peccati formam istis ob oculos statuit: *Deficitur enim non ad mala, sed male. Id est non ad malas naturas, sed ideo male, quia contra ordinem naturarum: ab eo, quod summe est, ad id quod minus est.* Constituitur itaque ratio peccati ex quadam contrarietate, quam implicat eius actus cum ordine rerum ab ipso Deo decreto defixoque: & sicut hæc animam destinat ad illecebram: ita eam à Deo retrahit auertitque. Quæ duo, in grauiori delicto, significari aliqui autumant illo Ieremiæ: *Duo mala fecit populus meus, me reliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ non valent continere aquas.* Atque hæc quidem satis facere possunt ad odium vitij & peccati; cum nobis constiterit iniustitiã hanc contractam, naturam ipsius hominis polluere, fœdare, rationem repellere, ordinem rerum inuertere, & animum auertere à summo bono, grauesque Dei iras in nostra capita concitare. Quinimo si hęc macula adeo tetra sit & deformis, vt nullius probi aut docti artificis manu effingi possit, sed propagetur tantum ex maleuolentia dæmonis, & defectu liberæ voluntatis, nemo est, qui illam non debeat animo vehementer auersari, cane & angue peius ac detestabilius secum ducere.

Tria in peccato.

August. lib. 12. Ciu. c. 8.

Hieron. 2. Anton. lib. 7. de pecca. cap. 1.

Inter omnia effecta quæ existunt, vnice peccatũ id est, quod quo dãmodo omnipotentiam Dei excedit. Non quod eius virtus vllis limitibus

Peccatum ideo odiosum, quod non à Deo.

bus coërceatur: sed quod iniquitas culpæ res sit adeo vilis & execranda; vti in se respectu Dei nullam rationem includat obiecti possibilis: quemadmodum neque solis radius quantumuis resplendens tenebras effundere poterit. Quod quidē adeo patens & apertissimis scripturæ testimonijs explicatū est, vti nihil plane notius vel illustrius intelligentijs nostris obuersetur. In hoc namque vniuerso aspectabili, in quo fusissime exquisitissimeque diuina virtus spatiatur, omnia ita suis naturis & partibus integra, ordine situque decora, figura & specie apta & concinna videntur: vt quod tantum decuit artificem, nihil mancum aut mutilum, nihil fedum vel à recto distortum in illis reperiatur. Cum enim Deus mundi hanc fabricam visibili opificio expressisset, accurato quodam circumspectoq; intuitu purissimam illam acerrimamque oculi aciem in opus direxit, & singulari suo iudicio, cui nihil falsi subesse poterit, approbauit: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat; & erant valde bona.* Postea limatius quid & exactius molitus, hominem corporeis membris coalitum affabre effinxit, ipsum rationis luce pulcherrime insigniuit, atque in eo, tanquam in exiguo orbe, vasti alterius species & ornamenta omnia collocauit. In quo effectionis suæ epilogo, & quasi coronide, prorsus incredibile, eius opera maculas apparere, nęuos fieri, inflectiones indecoras, coloresve ingratissimos: multo minus peccatum excitari: quo nihil deformius, tetrius, aut aspectu horribilius. Cuncta quæ fecerat Deus in maiori illo mundo tanquam bona eluxerunt: aliquidne mali idem opifex exhibebit in minori, in hominis inquam natura efformanda, in qua tantopere eius peritia enituit, eleborauit, atque ad summum pręstandum intenta, in eadem specimen virtutis suæ prębuit excellentissimum? Reijciamus has sordes longe à virtute Dei: manus etenim illius tornatiles, vt inquit scriptura: quod nil nisi decorum & arte exquisite elaboratum efficiant. Cęterum ne homines suis deprauatis moribus excusationem aliquam obtenderent, aut liberi arbitrij vitio adscitam culpam, sicut Adam in Æuam & Æua in serpentem, in Deum vti causam referrent: ipsemet sincerissimas suas manus palam facit, nobisque ostendit, & vocis suæ oraculo enunciauit, se nequaquam esse vitiorum effectorem. *Perditio tua ex te Israël, tantummodo in me auxilium tuum. Non Deus volens iniquitatē tu es,* inquit Psalmista. Et Sapiens: *Nemini mandauit impie agere.* Passim etiam testatur Deus se hominum peccata odio prosequi: *Odisti omnes qui fornicantur abs te. Odio est Deo impius, & impietas eius.* Quam quidem labem, cum in natura Angelica sibi admodum vicina reperisset, non perferens eius aspectum, ęternis illis ignibus, sub caligine.

Gen. 1. *Cantic. 5.* *Osee. 13.* *Psal. 5.* *Sap. 14.* *Psal. 12.* *Sap. 14.*

gine densa tenebrarum, illa inquam naturæ decora & delicias addixit. Si peccatum illi vehementer non displicuisset, gratis omnino absque satisfactione reatum eius humano generi indulsisset: vnigeniti autem morte, & cruore diuinæ hostiæ tanti piaculi grauitatem digne expiari voluit. Quod idcirco Deus odio habeat peccatum, euidens inde est, illud ab ipso haud effici. Nam vt loquitur Sapiens: *Nihil odit eorum, quæ fecit.* Sap. 11. Porro dum acerbissima Deus peccaturis interminetur; satis testatur ipse, se nihil opis conferre ad teterrimã peccati maculam. *Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint, &c. visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.* Psal. 70. Denique nequaquam horrendos illos cruciatus peccantibus constituisset Deus, si illos ipse detruderet in flagitia, præcipitesque cogeret ad turpia. Matth. 25.

Verum si naturas rerum penicius contemplari velimus: hinc eximiam Dei virtutem, illinc fœdam vitij luem & contagionem collocantes, luce clarius perspiciemus, malum hoc culpæ potius è sentina quadam, aut terræ hiatu pessimo infecto spiritu pullulare: nedum ab illo fonte bonitatis, non in medio paradisi exuberanti, sed in quo paradisus, cælum, & terra includuntur, profluere. *Peccatũ nõ potest fieri à Deo quod nihil sit.* Si peccatum conditione sua quid esset subsistens aut concretum, sui causam aliquam in ipso Deo designaret: at defectus est, deprauatio consilii, actio dissentiens à ratione, ipsique Deo, sicut & humanæ naturæ aduersaria. Ad Deum idcirco nihil eius effectio spectabit. Quo quidem argumento vsus est Clemens Alexandrinus, ad reuincendos antiquos sectarios, vel potius atheos, huic luto erroris immersos. Clem. Alex. 5. Strom. *Peccare certe inter actiones ponitur, non inter substantias: quamobrem nec Dei est opus.* Cuius argumenti vim eneruare fortassis videbitur is, qui dixerit hinc etiam sequi, neque ipsas bonas actiones effectus esse Dei, quandoquidem in genere actionis sint, non substantiæ. Attamen integra adhuc & valida manebit Clementis argumentatio: maxime ex illorum sententia, qui peccati formam in priuatione constituunt; honesti vero instituti in positiuo & concreto: quasi ad huius efficientiam Dei influxus realis pertingat, ad alterius vero minime. Quomodocunque autem in hac re definiatur, aperta differentia horum eminet ac se ostentat. Quod enim boni virtuti inest, id omnino consonum diuinæ præstantiæ, eiusque ideis ac formis idealibus: proinde eius nixu ac molitione existit. Ceterum quod à vero rectoque alienum est prorsus & deflexum, cuiusmodi peccatum esse cernitur, nihil sibi in Deo simile poterit respicere: sed causam ex integro denotat in efficiendo deficientem & errantem: quale liberum arbitrium est hominis non Dei virtus & efficientia.

D. Thom. 1. part. q. 14. art. 10.

Imo ita remouetur peccati macula ab effectione Dei, vti neque (quod passim docent Theologi) obiectum illa sit in sua specie propria ac natura diuinæ intelligentiæ: proinde in alio quodam eius opposito tantum dignoscitur ac videtur ab ipsa: atque inter cetera omnia, quorum ideas retinet mens diuina, peccatum solum propter atrocitatem ac turpitudinem ideam non habet, sed in tenebras reiectũ notionem Dei effugit, nihilque habet commercij cum eius operibus. Proh enormem peccati fęditatem, si terræ recessus omnes excuterentur, atque in illis latentia animalia, horrenda & turpissima aspectu, illinc euocarentur: venena scorpionum & serpentum, metallorum fęces, illuuies terræ ac maris: si modo in conspectum nostrum procederent, in illis ratio describeret opus Dei, ac eorum ideas in ipsius mente agnosceret, Peccatum vero serpente, angue, crocodilo, ipso dęmone deformius, quauis contagiosa materia impurius, dignum non est aut aptum, quod Dei effectione subsistat, vel radium eius intelligentiæ illi controuersum excipiat: eapropter rerum serie merito eximitur, & à rationibus diuinis penitus exulare videtur.

Deus propter suã perfectionem, non potest esse causa peccati.

Hoc autem nemini obscurum fuerit, qui peccati formam & næuum summa cum Dei perfectione contenderit. Quis enim suspicabitur aureum solis globum tenebras posse transfundere, mellis fauum absynthij distillare liquorem, ignem, terræ centrũ descensũ petere? imitatur namque effectus suæ causæ virtutem, illamque exprimit ac prodit. At diuina agendi facultas magis distat à coinquinatione peccati, quam sol à tenebris, fauus ab absynthio, ignis à terra, vita à morte. A quo, tali interiectu discriminis, diuiditur, quali, quod omnia in se habet, ab eo seiungitur, quod nihil prorsus est, imo nec cogitari valebit vt aliquid. Et cum Deus in sua efficientia à recto aberrare non possit; quandoquidem ipse prima existat regula: iniquitas si modo eius opera existeret, profecto non iniquitas amplius diceretur, sed summa æquitas & iustitia: quandoquidem præstantissimæ regulæ respondens examussim, ita D. Basilius disseruit: *In mutationibus passionum, ex contrario in contrarium est mutatio: in generatione vero, non ex contrario, sed ex* ὁμιογένου *simili vnumquodque generari incipit. Peccatum autem non est substantia viuens & animata, sed passio animæ contrario modo se habens ad virtutem.* Deuium autem est à virtutis tramite, omne quod à vitio elicitur: ideoque in Dei efficientiam non cadet. In eandem quoque sententiam D. Augustinus: *Nemo ergo quærat efficientem causam malæ voluntatis; non enim est efficiens, sed deficiens: quia nec illa effectio est, sed defectio. Deficere namque ab eo, quod summe est, ad id, quod minus est, hoc est incipere habere voluntatem*

Basil. serm. de vitio & virtute.

August. lib. 2. de pecca. merit. cap 18.

tatem malam. Et alibi: *Nullo sapiente authore fit quis deterior*. Nec enim fieri potest vt asserit Tertullianus; *Vt sit incitator aut artifex vllius mali operis, qui nomen perfecti sibi vendicat & patris & iudicis*. Quare sicut hortus vitio glebæ noxias & inutiles herbas profert, non opera hortulani: & (vt inquit Trismegistus) æruginem non lima, sed metallum profert: ita defectus vituperabiles, qui nobis operantibus adueniunt & inhærent, causam non habent in Dei cura ac prouidentia, sed in prauitate tantummodo voluntatis nostræ.

Cap. 19.
Tertul. l. 4 cont. Marc.
Trism. pymand.

Repugnat etiam ipsius Dei administrationi, qua omnia continentur, efficientia mali. Quomodo enim prudenter eius lege coërcentur peccata, grauissimaque eisdem supplicia decernuntur: si eiusdem molitione existant? hæc etenim pugnantia admodum inueniuntur, nec cohęrent. Quorsum etiam cautione insuper ac minis intentatis diuinitus prohiberentur homines à flagitijs, si Deus illos pręcipites suo opere ac influxu deuolueret in scelera ac culpas: sicut alia rationis expertia necessitate quadam destinat ad sua munera obeunda? Proinde æqua ratione cōminari potuit Deus ipsis cælis pænam, nisi à perenni motu statim desistant, aut oceano ne reciproco fluctu diutius exæstuaret: ac hominibus inique agentibus; quandoquidem sit in ipsa natura defixa summa delinquendi necessitas. Et quod crimen grauius, inimicitiam quandam constituat cum Deo, animamque ab ipso auertat: nemo probabiliter secum coniectabit, Deum optimum & maximum actione sua peculiari homines sibi reddere adeo inuisos, à se ablegare, quos condidit instituitque ad se: in illicita eos impellere, ipsasq; turpissima labe vultum animæ, quem naturæ dotibus tam pulcre ipse exornauit, inficere ac corrumpere. Nihil minus. Voluntates prauæ in sordibus (vt Psaltes loquitur) non Deus illarum.

Repugnat Dei prouidentiæ effectio peccati.

Psal. 10.

Quotquot ab orbe condito sapienter disseruerunt: ij omnes peccati causam retulerunt in vitium liberi arbitrij, quo homo aut Angelus cupiditatis flagrantia ductus à præfixa regula defecit ac aberrauit. *Quocirca* (inquit Augustinus) *quod à Deo nos auertimus, nostrum est, & hæc est voluntas mala: quod vero nos ad Deum conuertimus, nisi ipso excitante atque adiuuante non possumus, & hæc est voluntas bona*. Et postea: *Extolli quempiam in superbiam, propriæ voluntatis est hominum, non operis Dei: neque enim eos ad hæc compellit aut adiuuat Deus*. Differentiam quoque idem Augustin. statuit inter pręscientiam Dei eiusque prędestinationem, ac dicit: *Præscire autem potens est Deus ipse etiam ea, quæ non facit; sicut quæcunque peccata*. Clemens Alexandrinus peccatum appellat defectionem voluntariam. D. Iren affirmat delinquentes in tenebris versari, quas ipsi eligerunt.

August. l. 2 de peccat. merit. c. 18.
August. lib. de prædest. sanctorum cap. 10.
Clem. Alex 4. Strom.

Iren. lib. 4 cont. hæres. cap. 48. Cypri. lib. de vnitat. Ecclesi. Ciril Hierosol. Catech. 2. Psal. 9.

gerunt. De hęresibus & erroribus, Ecclesiasticæ veritati infestis nobisque infaustis, hæc D. Cyprian: *Fieri vero hæc Dominus permittit & patitur, manente proprio libertatis arbitrio.* Cirillus Hierosol: peccatũ asserit esse voluntariũ germen liberi arbitrij, & proinde haud incidere in Deum, vti in causam: *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Ad hæc authoritatum pondera, quid leuitas sectariana? Ad hos Ecclesiæ proceres, quid hominum quisquiliæ & fæces, Lutherus ac Caluinus? Ad hos Christiani orbis splendores, quid angulare, desidiosum, ac obscurũ hæreticorum imperium? Conculco aduersarium, non mucrone peto aut armis.

Candor dogmatis orthodoxi ex institutione eius ad amorẽ Dei.

Cęterum istis constituto dogmate orthodoxo, quis eius puritatem & candorem, veluti collucentes gemmas defecatissimo auro insertas, non suspicit & admiratur? Quo imbuti honorifice imprimis de ipso Deo sentimus, tantam Numinis perfectionem deprędicamus: intelligentes ea, nil nisi splendidum summaque arte elaboratum atque excultum effici aut in lucem posse emergere. Probe perspicimus errores nullos aut deflexus cadere posse in naturæ authorem ac propagatorem Deum. Munificentia sua nos ad sui studiũ & amorem inducit, neque malũ infert aliquod, nisi culpa eius manibus quodammodo fulmen extorserit, & inuitum ad pęnas sumendas de sceleratis compulerit. Flagranti rosæ spinam, non primigenia rosæ natura, sed peccatum suffixit: hoc sane Dei tela in nos exacuit, pharetram eius euacuauit, splendentem solem nube contexuit, ratione subactam carnem efferauit, humanam vitam infinitis propemodum ærumnis confecit, ipsum Deum, cęteroquin clementissimum patrem, seuerissimum iudicem exhibuit. Quod si nec pęnæ malum, nisi ex delicto nostro emanarit: sed Dei naturæ quasi aduersetur, (quis enim pupillæ suæ lęsionem sponte infert, aut prolem suam recenter natam ad petram allidit?) multo minus diuina effectione malum culpæ: hoc ingens dico & atrocissimum ac ferme vnicum malum, hæc inquam macula, quam nullus liquor eluere vel lima abradere poterit, propagabitur. Hac fiducia in Deum erecta Ecclesia Christi Catholica confidenti animo ita ipsum precatur: *Custodi me Domine, vt puppillam oculi tui.* Incredibile porro huic suæ pupillæ velle Deum cęcitatem peccati incutere. Atque Deum plusquam materno affectu se in suos effundere pronuntiat Esaias propheta: *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Cogitatu horrendum ęstimare Deum hanc prolem suam fatali quadam necessitate ducere adigere in peccati barathrum ac voraginem. Ex quibus omnino

Hym. Completorij.

Esaiæ 49.

efficitur,

efficitur, orthodoxorum cum ſcientiam tum fidem, quibus intelligunt ipſum Deum non eſſe poſſe peccati authorem, multum inflammare illorum animos ſupremi Numinis caſtiſſimo amore: in peccata vero ac vitia non minus exaſperare, & eorundem extremum odium in illis concitare.

Hinc ſiquidem flagitij atrocitas luculenter apparet, qua deſpecta, maiori quadam deteſtatione concilia auertimus à tanta turpitudine. *Peccatum inde atrocius, quod non à Deo.* Leuaret quidem eius grauitatem ac magnitudinem opinio, ſi vel ſuſpicaremur eiuſdem effectricem cauſam Deum exiſtere: reijcientes enim peccata in Deum, non arbitraremur vitium vſque adeo deforme eſſe malum; quandoquidem diuinis manibus effectum ac procreatum, tantoque artifice dignum opus. At cogitantes & nobiſcum ſtatuentes, ex ſolo vitio ac lapſu liberi arbitrij exoriri delictum, & propter extremam eius deformitatem non niſi vitiatam cauſam errantemque poſſe habere, nec accedere quoquo modo ad Dei molitionem, horremus ilico nigrati maculatique animi crimen: cuius origo non è ſupernis clementiſſimo Deo eſt deducta: ſed potius teterrima quædam infernalis caueæ euoporatio fæda exiſtit, corrupta ac monſtroſa dęmonis ſoboles & propagatio. *Vos ex patre veſtro Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis perficere.* *Ioan. 8.* Imaginem Dei in nobis fędat ac deturpat peccatum. Quis autem has fęces in animam inuexit? non qui ipſa eſt puritas & integritas Deus: ſed ſatan, ſerpens paludoſus, cęno delectatus, draco in locis humentibus manens euomuit hoc virus, & in animas delinquentium effudit. Et quemadmodum ab operibus Dei ſegregata eſt culpæ macula: ita illum, quem afficit, à Deo diuellit, & extorrem plane facit: furia hæc infernalis agit in exilium, qui offendit. *Quo ibo à ſpiritu tuo?* *Pſal. 138.* non locorum intercapedinem inducit peccatum, qua iniquus Dei pręſentiam defugiat: nam vt idem ait: *Si deſcendero in infernum, ades.* Quid? peccatum longius à Deo poſitum, quam infernus; vbi tandem hominem collocabit, quem tangit? Nullibi ſane. Atque ideo ſecernit delinquentem à Deo, qui vbique eſt. Nec mirum, nihil eſt peccatum: & hominē quodammodo reducit ad nihil: & propterea nullibi ipſum eſſe facit. Quanta iam diſtantia ſeparat animam peccatum à Deo? ſpatia omnia excedit hæc diſtractio. Quam ſi vaſtiſſimam mente cogitauerimus, terminis tamen quibuſdam ac limitibus eam definiemus: peccatum vero infinita quadam auulſione ſeiungitur à Deo, nec vllibi conſiſtit, niſi in ſuo nullibi. Quo miſerum peccatorem à Dei conſpectu abripit ac defert.

Immane autem atque nephandum Sectariorum dogma, quod

 paſſim

Opinionem de perfectione diuina extenuant sectarij, docentes Deū esse peccatorū causā.

passim pro rostris decantant, proferre tremo horreoque plane enunciare. Vtinam peccata nostra Diten non aperuissent, vnde tanta blasphemia in cęlum modo erupit: vt mihi neque occasio daretur de illa re cogitandi, quam hęretici absque rubore aut pauore euulgant, asserunt, ac profitentur. Si odia exercere & inimicitias vobis cordi sit: in nos obsecro deseuite, dentata aculeataque oratione nomina nostra lacerate, sicut corpora plusquam barbarica crudelitate decerpitis: solum parcite superis. *Nolite quæso fratres mei, nolite malum hoc facere.* Ipse Loth angelis contra incestuosos pręsidium tulit, ego aduersus sectarios Deo. Infelicitas temporum meorumque necessitas ora mihi reserarunt, & cogor dicere, quod illi non verentur docere. Quid affirmant, quid definiunt? Ipsis quidem dignam sententiam & damnatis: in Deum autem optimum & maximum, blasphemam. Aperte loquuntur ac pronunciant Deum omnium peccatorum causam esse, idque potiori ratione quam ipsi homines. Adamus olim in latebras se coniecerat, hac tergiuersatione existimans se coinquinatum crimine, diuinos oculos posse diffugere. Eo prudentius fortassis sibi consuluit, quod lucem veritatis indicem deserens, ad tenebras, in quibus hominum facta celata delitescunt, sese receperit. Secus autem factitant hęretici, qui cum suam ipsorum vitam turpissimarum actionum illuuie cooperuerint: non tenebras & effugia, vt Adamus, quęrunt, in quibus excusationis aliquid, & inuolucri suis moribus obtendant, sed ad lucem potius aspirant, tantæ improbitatis causati originē esse ipsius Dei prouidā, quā rebus singulis curam exhibet. Pręposterū sane istorū concilium, peruersum transuersumque iudicium. Qui male agit, odit lucem, & versute: qui male agunt, ingerunt se in lucem, sed ineptissime. Nihilosecius cænosæ ac limosæ paludes in quamcunque demum aëris istius altitudinem crassiores suos vapores emiserint & exhalarint, longe tamen coalitæ feces eorum sub ipso sole resident: ita Sectarij tametsi conentur iustitiæ solem, ipsum Deum, suis eiectis sursum & eiaculatis cum blasphemia sordibus inficere & dedecorare: attamen splendores illos non contingunt; sed in nubes conglomeratæ, eius iræ aptæ existunt, *Qui pluit super peccatores ignes & laqueos.* Deo instigante, permouente, patrata si essent hominum scelera: quis hoc apud se definiens, innocuam vitam statuet transigendam? Amor siquidem Numinis, qui oriri solet maxime ex obtutu diuinæ perfectionis, extingueretur; si modo eius opera cuncta, quæ peruersa sunt, dictu factuque turpia fierent. An non Sectarij hoc suo dogmate pręclare comparati ad inflammanda hominum pectora Dei amore? Faciem tantæ pulcri-

Gen. 19.

Psal. 10.

tudinis

tudinis non occultant modo, ſed fędant, puriorique intellectui ingratam reddunt: nemo etenim originem cauſamque peccati odio non habet. Quamobrem ſectarij ipſum empyreum cęlũ officinam faciunt veneni, maleficij, blaſphemiæ: in illis ſpatijs lernas & cloacas conſtituunt malorum, quibus impie & Deum pręficiunt. Imo volunt non tam hominem peccare, quam Deum. Quid enim homo miſer mali committit, qui neceſſitate adigitur ad omnem conatum quem exprimit? quomodo labem digne ac cõmerito ſibi abſciſcet, qua abſtinere non potuit? Deus autem nulla ductus neceſſitate in hanc peſſimam partem hominis voluntatem inflexit: & à recto diſtorſit: proinde ſi noxa aliqua inde emanet, non tam homini, quam Deo ex ſectariorum commentis abſcribenda.

Vitiorum etiam ſpecies, quam hominis animus conſpectam horrere ſolet, comparato quodam fuco & lenocinio ex errore hęreticorum non vſque adeo tetra aut deformis apparebit: ſi non potius venuſtate exculta. Gratias ſectarijs agat dæmon, qui eius peccata ad decipiendos mortales decore quodam & externo colore honeſtarunt. *Sectarij ademunt turpitudinē peccato.* Apud ſe optima quidem ratione fretus, qui hanc illorum opinionem ac ſectam imbiberit, hæc ſecum animo poterit meditari. Vana mihi videntur, quæ ad conflandum vitijs odium, aui noſtri de eorundem turpitudine diſſerentes, ſępius inculcatunt. Quod etenim artificis diuini manu efformatum in lucem prodit, quomodo tam fędum, tam maculoſum, vti paſſim Romani Theologi contendunt, eſſe poterit? Nam peccatum ad exemplar ideale in mente illa cæleſti elucens expreſſio quędam eſt accuratiſſima, & primæ perfectiſſimæque regulæ opus exacte conſentiens. Neque erit quod mecum decernam, peccatum rem eſſe diuinæ voluntati aut legi multum repugnatem: annuente etenim voluntate eius, imo inſtigante, propagationem accepit. Verum neque mihi amplius culpæ, quodcunque commiſero, iure vertetur. Nam ſi non fatum per omnia volitans, vel genethliaca conſtellatio ad crimen me adegerint: tamen ipſemet Deus mihi liberum arbitrium exſcindens; loris brachia pedeſque conſtringens, detruſit in cænum: cui etiam ita os occluſit, vt ne verbulum ſupplicis precationis, quod fidem referat, ad auxilium valeam emmittere. Quis ergo merito me criminatum ibit, quodcunque demum fecero? facti excuſationem ęquiſſimam habeo in ipſa prouidentia Dei defixam: de cętero nihil me tangunt aut angunt peccata. Ita nepharius peſſimæ ſectæ aſſecla de moribus ſuis flagitioſiſſime ſtatuet. Vnde conſtat quam ductile & inclinatum ſit hęreſis ingenium ad ſceleratæ vitæ turpitudi-

nem.

nem. Alia quidem ſunt, quæ ad vberiorem orthodoxi dogmatis tractationem elucidationemque referuntur, ea tamen diſputandi commodiorem locum ſequens liber exhibebit.

Innocentia & à ſceleris labe immunitas, quã ex orthodoxorum ſententia adfert Chriſtianæ iuſtitiæ momentum, hominum animos exacuit ad virtutem. Sectariorum vero commentum de commixtione iuſtitiæ cum vitiorum colluuie, pronum eſt & præceps ad morum labem ac vitæ fœditatam.

CAPVT XXVI.



Peccati mala. Væ in ſacris ſcripturis paſſim de natura peccati diſſeruntur, tetram eius formam ita repręſentant & oſtendunt: vt qui ad illam accuratius paulo mentem intelligentiamque intenderit, neceſſe eſt vt ſingulari quodam odio tam atrox malum is proſequatur. Seruitus

Ioan. 8. eſt peccatum, quæ truculento ſatanæ imperio animum dimittit: *Qui*

Ephes. 5. *facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Tenebras ſecum adducit peccatum.

Pſal. 17. *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum.* Somnus eſt peccatum & oppreſſio quædam ſenſuum: *Dormierunt ſomnum ſuum.* Immunditia quoque & fœditas eſt animam deturpans. *Iuxta immunditiam menſtruatæ*

Ezech. 36. *facta eſt via eorum.* Maculam adfert, qua probitatis decus corrumpitur.

2. Pet. 2. *Voluptatem exiſtimantes Dei delicias, coinquinationis & maculæ.* Curuitas quædam eſt & deflexio affectus indecora. *Miſer factus ſum & curuatus.* Mors

Pſal. 37. denique animæ & interitus crimen. *Peccatum cum conſummatum fuerit,*

Rom. 8. *generat mortem.* Quæ omnia peccato in animam illata, cum inuiſa admodum nobis ſint, tum efficiunt, vt maiori cura & ſolicitudine inuigilemus, ne in nos irrumpant ſcelera. Quod ſi admiſſa fuerint, monent pariter vt reparationi priſtinęque integritatis reſtitutioni extemplo diligentius operam impendamus. Ad quod quidem iuſtitutum eo contentiori ſtudio nos adornamus, quo iuſtitia, ad quam contendimus, omnia mala penitus aboleri & auferri certo certius exiſtimamus.

Iuſtitiæ bona. Iuſtitia itaque Chriſti, quam ipſe nobis ſuo merito comparauit, liber-

2. Cor. 5. tatem habemus, quæ ſeruitutem peccati excutiat. *Vbi ſpiritus Domini,*

1. Pet. 7. *ibi libertas.* Diſpellit iuſtitię lumen, quando Lucifer in pectoribus noſtris oriri

oriri incipit, tenebras delicti: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*: Excitat nos iustitia ad industriam, & somnũ, quo obruti tenebamur, fugat: *Hora est iam nos à sumno surgere*. Vitiorum omnes maculas eadẽ abluit & abstergit. *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis*. Demum mortem, vitam adducens, iustitia pellit & abarcet: *Vt sicut regnauit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam*. Atque ne quis suspicaretur nihil aut parum contra sordes peccati expiationem animæ in Christi cruore efficere; habemus Dauidem prophetam, hæc disserentem: *Lauabis me, & super niuem dealbabor*. Niueus candor in anima lota & lustrata effulget: nullibi obscuri aliquid in ea conspicitur. Propter quam inductam puritatem affirmat Euangelista sanctos in Christi sanguine stolas suas dealbasse.

Ephes. 5. *Rom. 13.* *Act. 5.* *Rom. 5.* *Psal. 90.* *Apoc. 7.*

Ex quibus orthodoxi sicut peccati grauitatem intellexerunt: ita vim Christianæ iustitiæ cęlestisque beneficij recte collegerunt. Elapso etenim actu delinquendi, minime existimandum erit euestigio crimen neuauisse, aut nihil tetri post se reliquisse. Quousque enim in peccatricem animã dimissa sanctimonia cęlitus illam non illustrarit, superest macula quędam altius illi insidens, ex prętερita offensione exorta; ipsamque digne reddit ęternæ pænæ obnoxiam: non quidem reputatione forinseca, sed quod prauus ille voluntatis conatus, pęnitudine nondum reuocatus, labem impresserit teterrimam. Verum quod huic malo iustitia opponatur, tanquam lux tenebris, venustas indecoro, vita morti: quamprimum illapsa fuerit, illico expellit omnem culpam, animamque constituit innocuam, innocentem, puram, candidam, fragrantem, speciosam, auream, gemmeam, sanctamque: adeo (vt affirmet Apostolus) nihil damnationis illis inesse, qui sunt in Christo Iesu. *Quæ enim communicatio lucis cum tenebris, aut Christi ad Belial?* Idcirco non externa voluntate Dei, minime imputante hominibus peccata, eorum noxæ auferuntur aut remittuntur, sed renouatione interiori, quam in hominum animis digitus Dei sanctissimique spiritus iufusio operantur. Solent quidem ciuiles magistratus liberalitate nonnunquã reis offensam remittere & indulgere: sed quid? honestioresne aut meliores illos inde faciunt? Minime quidem: Deus autem, cuius virtus per omnia comeat, & ad secreta animarum pertingit, non pręstigijs, quæ oculis illudunt, non colore in cutem inducto, non existimatione populari aut nudo nomine suos iustos constituit, illisve culpas eximit, sed interius in animam cæli rorem instillat, expurgantem nęuos peccati: igneam faculam immittit absumentem rubiginẽ praui consilij: atque diuinissimæ cuiusdam formæ influxu, hęredes exhibet regni cęlorum,

Iustitia ex pellit peccatum. *Iosue 22.* *Ephes. 5.* *Osee 9.* *Apoc. 1.* *Psal. 118. & 14.* *Rom. 8.* *Rom. 8.*

1. Pet. 3. cęlorũ, cohęredes Christi, & diuinæ naturæ participes. Optime idcirco
D. Thom. 1. 2. q. 113. art. 6. D. Thomas, remissionẽ culpæ finẽ appellat & consummationẽ iustitiæ. Liberũ quidẽ hominis arbitriũ, ex fide gratia ve suffultũ, contritione recedit à peccata: amore vero accedit ad Deũ. Deinde illi Deus infundit semen gloriæ, veramq; iustitiam, quæ ipsam animam rectam, illibatam, sinceram, sibiq; reddit charissimam. Atque vt accessu lucis & caloris tenebræ atq; frigus expulsa pereunt: ita iustitiæ istius appulsu criminum sordes egeruntur, vti ne illarum aliquid mutationi supersit.
Consil. Trid sess. 6 cap. 4 Nam vt definit consilium Tridentinum: *Iustificatio translatio est ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam Iesum Christum saluatorem nostrum.* Quod etiam luculenter admodum sępius sacræ scripturæ adstruunt: significantes
Psal. 9. affluxu iustitiæ peccata deponi prorsus & exterminari: *Quæretur peccatum illius, & non inuenietur.*
Act. 3. *Conuertimini, vt deleantur peccata vestra.*
Ioan. 1. *Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato.*
2. Cor. 1. *Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata.*
Ioan. 1. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.*
2 Cor. 1. *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis.* Quid clarius? peccata in iustis haud inueniuntur, eliminantur penitus, quis suspicabitur ea reperiri in fulgore & puritate institiæ?
Clem. Alex 3 Strom. Nam vt inquit Clemens Alexandrinus: *Peccatum cum sit corruptio, non potest habere societatem cum incorruptione, quæ est iustitia.*
August lib. ciuit. 2. ep. Pel. cap. 13. *Dicimus* (ait D. Augustinus) *dare Deum omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere.* Vnde geniali vnda affir-
Cyp. Ep. 1. mat D. Cyprianus pectus expiatum esse, omnemque eius labem detersam.
Basil. homil. de virtut. & vitio. Clarissime autem & elegantissime hoc ipsum tradidit D. Basilius, iuxta & exemplis aptissimis illustrauit. Nam vt ipse differit, prius suauem liquorem vasi non infundimus tetro odore quondam infecto, quam exinde graueolentia fuerit expulsa. Medicus non nisi vitiosis eiectis humoribus, salutaria pręscribit: ita haud minus ros ille melleus iustitiæ cum fętore peccati aut noxijs cupiditatibus consistit. Qua in re (asserit D. Basilius) nos serpentis prudentiam emulari, qui φρόνιμος καὶ συνέτως ἀποδύεται τον γῆρας. Sapienter prudenterque
Ephes. 4. pellem exuens, senectutem deponit. Exuentes etenim peccatum & veterem hominem, nouumque induentes, quasi à morte resuscitati
Psal. 102. denuo reuiuiscimus, & iuuentus nostra resumptis pennis tanquam
Hieron. l. 2 cont. Iouin. aquilæ renouatur. *Quæ* (inquit D. Hieronymus) *communicatio luci & tenebris, Christo & Belial? quomodo dies & nox miscere non queant: sic nec iustitia & iniquitas, peccatum & bona opera, Christus & Antichristus. Si suscipimus Christum hospitio pectoris nostri, ilico fugamus Diabolum.*

Hæc autem opinio seu fides extincti abolitique peccati iustitiæ munere,

munere, quodammodo ex natura & communi penes omnes sensu profluxit. Sicut enim vniuersę nationes admissum scelus labem inferre crediderunt animis: ita expiationis & lustrationis ritu penitus eam deinceps expungi & elui firmissima illis sententia stetit definire. Hinc purificationes quasdam veteres suis corporibus adhibuerunt: vtpote in igne, aqua, & sulphure, quibus significarant fędas criminum impressiones acquisita sanctitate deleri, eximi, detergique. *Consensus est populorum, quod crimina auferantur, accessu iustitiæ. Macrob l. 3 Satur cap. 1 Catul. epig. 86.*

Ecquid scis quantum suscipiat sceleris?
Suscipit ô Gelli, quantum nec vltima Tethys,
Nec genitor Nympharum abluit Oceanus.

Exustionem hanc maculæ expressit angelus, qui ignito calculo prophetæ labijs admoto, immunditiam omnem absumpsit ex vano sermone olim contractam. Eam pariter Numinis formam Daniel sibi obiectam cõspexit, quæ huiusmodi immundiciei ex peccato eiectionẽ quam scitissime reprӕsentauit: *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus sedit dierum. Vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda. Thronus eius flammæ ignis, rotæ eius ignis accensus: fluuius igneus rapidusque egrediebatur à facie eius.* Quid hæc tanta vis ignis, qua se aspectabilem prębuit Deus, significauit, nisi quod ipse suæ gratiæ beneficio, veluti quodam igne, stipulam ac fęces deuastet vitiorum in hominum animis, & ad purum excoquet scelere pollutos? Eandem ferme speciem intuitus est propheta Ezechiel: *Et vidi, & ecce & similitudo quasi aspectus ignis, & à lumbis eius & sursum quasi aspectus splendoris, vt visio electri.* Expressissima diuinitus impertitę iustitię adumbratio istis videtur deduci, & quasi penicillo aptissime efformari. Iustitia namque, ad superiora comparata, aspectus est splendoris & visio electri: animæ nimirum pulcritudo quędam & collustratio: illa Deo placemus, hac eius dicta percipimus. Relata vero ad inferiora, ignis est peccatorũ maculas exurens, & lumborum noxium humorem exsugens & deficcans. Et quod Deo labes ac næui delictorum, animæ decorem corrumpentes, vehementer displiceant: satis luculenter ipsemet indicauit, cum non nisi masculos & immaculatos antiqua lege sacrificijs suis destinarit. Vt enim interpretatur Cyrillus, qui officio suo erga Deum recte funguntur, imprimis vacare debent muliebri fęditate, omni denique macula ac labe carere iniquitatis: atque inter innocentes manus suas lauare. Quod & multiplices ex vsu Iudæorum lotiones & aspergines denotarunt: futurum nimirum esse testatæ, vti Christi cruore impressæ hominum animis fęditates tandem penitus abluerentur. Communis idcirco penes omnes gentes viguit sententia ac notio, quibus exi-

Esaiæ 6. Dan 7. Ezech. 8. Exod. 12. Cyril. Alex lib. 1. in Leuit. Psal. 25.

 stimarunt-

marunt iustitiæ illapsu rubiginem scelerum, & si quid turpis sit in anima detergi & expungi.

Ratio ostēdit iustitiā pellere peccata. *Psal. 108.*

Quod si quis rationem hac in re vllam, aut humanas coniecturas, ex rerum conuenientia desumptas, spectare velit: is nil dubitabit, sed fatebitur vltro criminum reatus, quantumuis in animæ recessus velut oleum in ossa penetrarint, iustitiæ ac sanctitatis dono expelli. Cum enim ex diametro sanctimonia dipugnet cum vitij labe: quandoquidem illa ex ipsis cęlis deducta, sancti spiritus ore exspirata: hæc vero eiecta ab ipsis inferis, Satanæ virus exitiale: illa Dei filios constituat, ęterni honoris monumenta: hęc autem iræ filios, vasa in contumeliam creet: quis vel leuissime suspicabitur, adeo dispares ac contrarias formas idem subiectum & sociale contuberniū subire, in eadē anima vnitim consistere? Nemo sane, cui animi aliquid vel intelligentiæ obtigerit. Quæ duo ita ab inuicem dissita, si ad diuinā prouidentiam referamus, similiter videbimus plane esse incompossibilia, nec in vnum compingi. Quæ enim alia causa subest, ob quam Deo impius odio sit & eius impietas, si non macula delicti fędissima quidem in se, ac proinde purissimis eius oculis ingrata? non enim natura ipsa illi erit inuisa, sed inducta labes, quam in animam crimen insinuauit ac instillauit. Quamdiu idcirco manebit illa fæditas, tamdiu iustissima causa superetit diuinæ execrationis. Imo quousque illa durauerit, erunt homines auersi à Deo, illi iniurij & refractarij, odibiles detestandi. Quamobrem in gratiam adsciti, iustitiæ integritatem adepti, abolitam prorsus habent ipsis aliquando inustam hanc labem, eiectas sordes vitiorum: nisi illos reputemus nihilo sanctitate meliores factos, adhuc squalere ac confici coinquinatione scelerum, ipsi Deo inuisos esse & execrabiles. Vanissimum autem est quod obtendunt sectarij, affirmantes iustificationi superesse non criminum vestigia, aut cicatrices eorundem, verum ipsas maculas ac deformitates: sed credentibus in Christum tanquam vitiosas aut culpabiles non adscribi vel imponi: fieri etenim neutiquam poterit, vti Deo summe non displiceat maculosa conscientia, & scelerum illuuie impurata. Si enim sacrificio olim animal macula infectum extiterit ineptum: empyreo cęlo peccatorum spurcitie cooperti erunt ne idonei? minime gentium. Quamobrem si Deus quempiam iustum exhibeat, nęuos omnes ac rubiginem malefactorum veluti lima crucis abradit, pretioso sui cruoris liquore eluit & abstergit, formosum illum ac pulcrum constituet, qualem Cantica describunt: *Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis, collum tuum sicut monilia. Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.*

Rom. 9. *Sap. 14.* *Cant. 1.*

Hæc

Hæcquidem probata ab orthodoxis,ſpirant omnino ſanctitatem: ſenſus hominum exacuunt mirifice ad iuſtitiam & animæ candorem. Graue ſiquidem peccati iugum agnoſcentes,illiuſq; turpiſſimam formam ob oculis ſtatuentes, ad cogitationem ſanctimoniæ ac renouationis,præ eius acri ac igneo deſiderio,ingemiſcimus: deploramus dãnum ac miſeriam, quæ nobis flagitia incuſſerunt, & in quibus contabeſcimus. Credentes vero tenebras haſce,in quibus oberramus,luce iuſtitiæ profligandas, diſpellendas; ſqualorem hunc,in quo ſordeſcimus,iuſtitiæ prȩſtantia auferendum,cum ad illam animȩ nixu appulerimus: tanti boni cupiditate inardeſcimus,atque ad illud conſequendum velis remiſque (vt aiunt) laboramus. Et quid miri? Quis ſibi compedes excuti non vehementius diſcuperet? quis ſordes ac fæces contagioneſque à ſe pelli & ſubmoueri haud expeteret? Hoc ſane prodigum illum pannis obſitum,& fame propemodum enectum extimulauit,vti patrem adiret, ac humili prece ad eius genua gratiam imprecaretur. Nam probe cognouit, ſe ad parentis menſam, laute inſtructam,admiſſum ſemel, porcorum ſilliquis amplius vitam miſere non ſuſtentaturum: ipſi ſtola induto, laceris veſtibus corporis nuditatem non contegendam.Ita delictis obnoxij,eo acrius iuſtitiam perſequuntur, quo apud animum ſuum ſtatuunt, inde exuendam peccati deformitatem, deponendam Æthiopiſſæ pellem, quam primum illa donati fuerint.

Iuſtitia inde expetibilior, quod culpas auferat.

Luc 15.

Veritatis luci cum ſe infeſtam hæreſis ſemper præbuerit: tum virtutis omniſq; honeſti formæ inimiciſſimam. Quod enim hac re Sectarij definiunt, perinde eſt,ac ſi cælum cum inferno copularent,ſanctimoniam cum ſpurcitie, ſplendorem cum tenebris, Chriſtum cum Belial, vitam cum morte coniungerent. Ita eorum peruerſi ſenſus omnia perpetuo miſcent ac confundunt. Hi tamen ſunt noui orbis lumina,quȩ antiquæ faces fuere ad incendium. Doctores iſti deſuper illuſtrati, non à ſole, ſat ſcio, ſed à luna potius, ideoque lunatici ac varij. *Nam ſtultus vt luna mutatur.* Et quemadmodum radij lunares ad putredinem ciendam plurimum conferunt: ita horum placita, vitæ ac morum purulentiam continuo referunt & efficiunt. Volunt quidem Chriſtiana iuſtitia virus ac feces peccatorum animis non expelli: quin potius externo & adſcititio fidei ſuæ paludamento celari tantum, quominus diuinis oculis pateant aut hominibus, ab ipſo Deo ad culpam imputentur. Denique artificio quodam verſipelli Dei aſpectus fallere moliuntur. Quantum iſtis ſordes arrident, pro quibus ita ad flammas depugnant? Nolunt eas ſanctorum animis penitus eijci, ſed

Sectarij deprauant Chriſti iuſtitiã, docentes ea non expelli crimina, ſed tegi.

Eccli. 27.

Macrob lib 9. Satur.

locum illis conſtituunt, neque in angulo aliquo aut abiecto deflexu, ſed in ipſa ſede & domicilio Chriſti, in membris ipſius viuis ac renouatis, in Spiritus ſancti ſacrarijs, in panoplia Dei. Quo pacto Deo, Spiritui ſancto, ac Chriſto more ſuo viam ſordibus parant. Quam honorifice hi ſentiunt de vitiorum colluuie, quam modice & exiliter de Chriſti iuſtitia? cuius ſpeciem ac formam de ſententia ipſorum nemo ſuſpiciet, vel magnopere adamabit. Olim de orthodoxis queſti ſunt Montaniſtæ, quos & ψυχικούς, animales, vocitarunt: quod lapſis & relapſis criminum veniam & reditum in gratiam cum Deo concederent. Quapropter affirmarunt eos detruſiſſe Eccleſiam Chriſti ad lupanaria & impuros quoſque hominum cetus. Iniuſta tamen in illos querela extitit, in ſectarios vero recentiores æquiſſima: qui iuſtitiam ipſam vitiorum turpitudini adiunxerũt. Paupertatis quidem tenuitatem diuinæ benignitatis radius non abhorret, eius ſqualorem non fugit, vincula, carceres, ergaſtula, & limbos haud auerſatur: peccatum tantum deuitat & execratur. Et ſicut columbæ cum rapacibus coruis volatum promiſcuum non inſtituunt: ita neque Spiritus ſanctus cęleſtis columba ibi conſedit, vbi vorax atroxque coruus ſatan cadaueribus ſuis inſiderit. Toties offendiſſe Numen omnino non moratur iuſtitiæ affluxum; ſi animi contractas ſordes pænitudinis lacrymæ abluerint. Verum ſi durus & obfirmatus animus labes ſuas ac maculas obſtinatius retinuerit: ſi vitiorum cęno immerſus, fęditatẽ non deteſtetur, nihil commercij habebit is cum iuſtitiæ integritate ac ſplendore. Porcis enim non proijciuntur margaritæ: ficus minime colliguntur ex ſpinis: nec ſuauis & pretioſus liquor graueolenti pixidi apte infunditur. Vnde eo acrius incitantur homines cupiditate iuſtitiæ; quo eius virtutis illam eſſe norunt, qua exterminare penitus valeat nęuos ſcelerum, vigorem ac virorem animæ reſtituere. Hoc exiſtimatione inducti qui à vitijs liberari volunt, non balnea adeunt, non aquas ſulphureas quærunt, non multiplicant ſibi herbam Borith, non excutiunt officinas medicorum, non ad Piſcinam Probaticam accelerato curſu feſtinant, non ſepties cum Naaman Syro ſe lauant in Iordane, ad recuperandam virtutem ac decus: ſed in mare rubrum cruoris Chriſti ſe immergunt, atque exiliunt inde ſtatim ſani, vegeti, terſi, nitidi, mundi, integri, illæſi. Lotionem curandæ lepræ cauſa ex præſcripto Eliſei ſuſcepit Naaman, & vt inquit ſcriptura: *Reſtituta eſt caro eius, ſicut caro pueri paruuli, & mundatus eſt.* Nulla tetri alicuius impreſſio aut labecula lotioni ſuperfuit. Remanebit ne ergo fæda illa delicti & criminis nota ipſi animæ altius infixa; poſt-

quam

Tertul. lib. cont. Pſich.

Matth. 7. Lucæ 6.

Hieron. 46
Ioan. 5.
4. Reg. 5.

quam sanguineos illos imbres è corpore crucifixi fluentes in se vbertim receperit, cum rore cæli madida & splendenti radio illustrata fuerit? Eant nunc sectarij, atque Iordanis aquas, Piscinam Probaticam, pretio redemptionis nostræ, fonti in medio paradisi collocato pręferant & anteponant. Qui nunc, obsecro, melius sentiunt de beneficio iustitiæ nobis à Christo collato: sectarij ne an orthodoxi? Illi imparem, languidam, & imbecillem suis sententijs decernunt ad auferenda peccata: nos vero eam vim cruci Christi ac eius iustitiæ adijcimus, qua iniquum omne, deprauatum, turpe, ac fędum stirpitus hominum animis euellitur, ac deletur penitus. Imo qui illorum partes sequutus fuerit, hæc valebit apud se commentari. Quid refert me tandem à vitijs mutatione conciliorum refugam esse, aut animi mei studia ad virtutum cultum transferre? Nunquam valebo hos næuos & indecora, quæ interius in mente gero, excutere, dispungere, vel illatum mihi innocentiæ damnum vllo munere resarcire. Quocunque perrexero, perpetuo mihi infixæ manebunt & inustæ profligatæ vitæ turpitudines. Spes integritatis ac puritatis prescisa. Sed nec video causam, ob quam ad Christi fidem adspirarem ardenti voto: nam quid commodi hoc mihi demum adferet? nec probum faciet, neque scelere vacuum. Non probum: quandoquidem extra me posita Christi iustitia terræ ac cęli interiectu dissita, haud afficiet aut attinget animam peccatricem: neque illius vnquam forma erit, sed solum ementitam eiusdem speciem forinseca ęstimatione tandem obtinebo. Cooperiri possunt anteactæ vitæ peccata, nequaquam deleri huiusmodi imputatione. Denique beneficio istius fidei hoc tantum discriminis inter me ac Turcam intercedet: quod tametsi æque ac ipse sim omnis generis scelere impuratus & coinquinatus, in rei veritate illo nihilo sanctior redditus: misero tamen illi ad pœnam facinora imputantur, mihi autem minime. Nihil pensi duco hanc exilem discrepantiam: lucrum huiusmodi fictitium non auidius consector: haud minus peccator ero & labe infectus voluptati resistens, quam illi appetitum soluens laxansque. Vel si vna fides sufficiat, impune latrocinia omnemque turpitudinem exercebo: inuolucrum habeo, Dei aspectum factis repellam: quis fęditatem meam despiciet postea aut incusabit? Ex antecedentibus consequutiones optimæ ac legittimæ. Abite canes, abite porci, quid facitis in hac rerum luce, ad lupanar, ad infernum. Videant iam homines qualem & quam bellam decreuerunt sectarij iustitiam: imo quam mutilam & maculosam, denique nullam consti-

Amorē & curam iustitiæ sectarij repellunt.

cõstituerunt. Si enim flagitijs & sceleribus immixta, quomodo non maculosa ac mutila? si tanquam idea Platonica à rebus indiuiduis seuulsa, quomodo non erit fictitia plane & vmbratilis? Delirium quapropter istud, quo arbitrantur sectarij Christianam iustitiam haud eijcere & exterminare vitiorum fęditatem, pronum est & explicatum ad morum omnem licentiosam promiscuamque obscęnitatem.

Grauitatẽ peccati hæretici eleuant.

Orthodoxi figuram peccati eiusque pessimam condicionem considerantes, ex visa specie tam atrocis mali plurimum odio in illud commouentur. Hoc autem maxime tunc oritur, quando cogitant eam esse delicti grauitatem, vti omnem penitus iustitiam ac candorem eliminet, Deo animam ingratam reddat inuisamque: cui ęterni quoq; supplicij castigatio iuste debeatur. Hoc vero noxę pondus hęresis eleuauit, pessimã eiusdem formã prodigioso dogmate honestauit: ęgre (vt videtur) tulit hactenus tam odiosum ac execrandum à Romanis crimen habitum fuisse. Vnde docent falsos extitisse eam enormitatem peccato adscribentes, quæ cum sanctimonia depugnet: nam vt ipsi loquuntur ac concrepant, optime inter se cohęrent peccatum & iustitia, eodem temporis puncto simul eandem animam pacifice imbuunt, eam pulchram iuxta & deformem, lucidam ac tenebrosam, candidam ac obscuram, bonam & malam, pręmio dignam & indignam, mortuam ac viuam pariter efficiunt. Quod monstrum humani iudicij? Facessant (inquiunt) iam mortales atrocius sentire de peccatis: nam iustitiæ aduersarium non est flagitium; conspirant inter se, nihil dissident. Si tenebræ oculis molestæ, ideo quod lucem eripiant nobis ac negent: verum peccatum iustitia nos non priuabit, nihil detrimenti incutiet; quorsum ergo immani eius specie exterriti illud ita nunc horremus? quodcunque egerimus iusti siue iniusti, peccatum erit: nihil iustitiæ familiarius quam peccatum. Enimuero grauitas culpæ & offensæ, cum ita extenuata ac diminuta fuerit, quis magnopere illam animo auersabitur, aut vitæ instituto refugiet? Qui ergo, amabo, grandius malum ex peccato faciunt, orthodoxi ne an sectarij? Illi propter horrendum eius characterem repellunt à vitæ sanctitudine & perfectione Christiana: hi autem iustitiæ associant, æqualem imo pręcipuam animæ partem in ipsis iustis illi attribuunt: afficiunt etenim intime animæ recessus vitiorum labes; (vt ipsi fatentur) iustitia vero, extra illam posita, in Christo tantum vel ipso Deo continetur. Atque ex hoc capite hęreticorum dicta apparent fœdissima: in quibus tamen postea impuriora detegemus.

Inardescunt amore orthodoxi erga Christum: quod ipsum credant

medicum

medicum esse, cuius opera morbi lethales ac grauissima animæ vulnera percurentur. Neq; hoc fieri existimant suaueolenti tantũ balsamo exteriorem cutem obliniente, vel immisso in sensus torpore, quominus doloris vis ab hominibus percipiatur: sed interiori potius quadã renouatione ac medela, prauæ affectionis causas latentes resecante, perfici omnino secũ statuũt. Qua de causa ingressus in orbẽ Christus euestigio idola contriuit, oracula compressit, dęmonum lararia exturbauit, (vti passim retulerunt Athanas. Eusebius, ac alij) ne Satanæ artificio diutius in hominũ animis peccata ac scelera vigerent. Deniq; in hoc collimasse videtur vniuersa Christi iconomia: vt iniquitas ac vitia orbe exularent, & funditus interciderent: vt quæ denigrata libidinum æstu ac sordibus coinquinata extiterit, deinceps candida, absq; ruga & macula euaderet Ecclesia, ac ipsius sponsa formosissima. Quid enim prius homines pessundedit, quid infinitis calamitatibus implicuit, quid funestauit tam animos quam corpora ipsorũ, quid in eos diuina tela exacuit, si non peccatum? Vt ergo per Christum Dominum redemptio plena & restitutio integra ad pristinum decus constarent: eius beneficio peccatum imprimis eijciendum, & ad tartara relegandum, vnde emerserat: non solum cum superstes restet, adhuc minime delinquentibus imputandum; quod hæreticis sufficit, sed penitus eximendum & abolendum fuit. Videre hic licet prophanum, plane abiectum, & prorsus carnale sectariorum ingenium, quo & latissime discriminantur ab orthodoxis. Libertatem illi Christianam Saluatoris sanguine comparatam non ponunt in expiatione peccati, cuius reatum ac maculas inficias eunt Christi cruore elui, sed in licentia potius agendi quiduis contra principum leges, in immunitate delinquendi: si modo vna fides firma perstiterit. Quæ seruitus hoc munere durior? quid vilius expectari potuerit à liberatore? Cæpas, ollas, allia, & id genus contemptibilia cibaria quęrunt isti, non terram fluentem lacte & melle; Babylonem, non ciuitatem pacis Hierusalem. Orthodoxi vero cum intelligant nihil peccato tetrius homini posse aduenire; imo hoc solũ animæ esse malum, reliqua mala non esse, nisi voluntatis vitio: à Christo Domino huius solutionem vinculi & istius labis elutionem præcipue expectarunt; ac confidenter credunt eius beneficio reiectas modo esse has peccatorum sordes è mortalium animis, horum iugum humeris excussum; nihilque renatis superesse pristinę ac vitiosę seruitutis. Ceterum Sectarij amorem hunc, ex huiusmodi eius gratia ac dono propagatum, pessimo commento ac fędo dogmate extinguere moliuntur: asserunt etenim Christum Dominum in nos non adeo

Sectarij amorẽ erga Christũ extinguũt.

Athanas. orat cont. Idol.
Euseb. l. 4. præparat. cap. 1.

Carnales hæretici sicut Iudæi

beneficum extitisse; quasi peccata nostra penitus expunxerit: inuolucro tantum suo (vt fabulantur) cruore intincto reuerberauit patris aspectum, quo minus ea amplius intueretur: velo obduxit ludicro, collato dono minime exegit aut à nobis depulit. Quid? ergone adhuc sumus in peccatis, adhuc leprosi, immundi, canes, venefici, nihil obstante scelerum expiatione, quam Christus in cruce peregit? Quid nobis attulit commodi tanta eius perpessio? quorsum explicata brachia, apertum latus, effusus cruor, cum maculas peccatorũ hęc omnia non absterserint, infixum nobis serpentis aculeum aut emissum virus eius haud expulerint? Potuit Christus deperditã nobis iustitiæ innocentiam Adami lapsu, merito suo restituere ex integro, vel non potuit? Si potuerit, quare illud ipsum iustis pręstitisse negandum? an non hoc mirifice confert cum ad vtilitatem nostram, tum quoque ad honorem eius? ad bonum quidem nostrum: non enim diu tiarũ copiam, non voluptatis affluentiam, non dignitatum culmina à Christo Domino desideramus: malum nostrum vnice peccatum est, huius quęrimus abiectionem, ab hac colluuie liberari efflagitamus. Onus est crimen, quod mentem deprimit ad infernum, deformitas est & coinquinatio negans ingressum in cęlum. Ad honorem vero ipsius hoc pene necessarium videbitur. Quæ namque redemptio, vbi causa superest seruitutis? aut quomodo secundus Adam prioris errorem beneficio aliter exęquabit? Deperdidit iste illibatam animæ puritatem, & primæuum iustitiæ florem corrupit. Christus idcirco decus illud restituere debebit, & ornamentum integritatis adæque reparare. Quod si minus pręstiterit, secundi Adami obedientia, veteris nequitia multo inferior restabit. Hic peccati labem vere inuexit, quam ille non expulit aut exterminauit: neque tantũ lucri attulit, quantũ alter detrimenti: imo quod horreo proferre, serpentis malitiam eius clementiam excessisse necessario fatendum. Serpens tetram peccati maculam intulit in hominum animas, hanc Christus non exemit, ipsam animam non attigit efficacia sui meriti: sed veluti iride fictitij coloris eam forinsecus circundedit, atque ita simulate iustam fecit, boni expressi nihil vel concreti largimonia illi impertiuit. Quod si agnoscant ad hoc exęquandũ, infirmũ fuisse Christum: impotentem habent ipsi reparatorẽ, nos omnipotentẽ retinebimus. Vbi satisfactio, vbi redemptio, vbi Christus, vbi Deus, ex sententia hereticorũ? Quam iniqui in Christum, quam in homines truculenti? In Christum iniqui, cuius meritum cum Pelagio extenuarunt, exsciderunt: In homines truculenti, pręclarum illud iustitiæ ornamentum eiusdem detrahentes:

eiusque loco vmbram quandam reponentes. Romani Christum habent agnum Dei, auferentem peccata mundi: Sectarij circulatorem quendam, fascinio hominum oculis illudentem, consectantur. Qui plus Christo deferunt? qui augustius de illo sentiunt ac loquuntur? Desinant modo verbosis & illusorijs amplificationibus Christi meritum exaggerare: illud reipsa non tantum diminuentes, verum etiam penitus reijcientes. Cęlestem Cupidinem, qui ex arcu crucis suę ignea iacula in hominum corda intorsit, isti diffugiunt, causasque nostri in illum amoris auferunt ac tollunt. Negant ipsum, beneficium aliquod in nos refudisse: dicunt vim eius crucis, serpentis aculeum haud exæquasse: atque huc tendunt horum omnia: ad infidelitatem nimirum & vitæ turpitudinem. Quæ duo in oculis semper defixa habent, dogmata sua effingentes: & in quæ omnes ipsorum conatus, ad multorum interitum, infeliciter continuo diriguntur. Ioan. 1.

Iustitiæ forma, quam decernunt sectarij, insignem continet imposturã, illamque triplici nota infamem: phanatismo nempe, elatione, & flagitiosissimæ sectæ Gnostacismo.

CAPVT XXVII.

QVo vnusquisque prętantiorem suis studijs finem pręstituerit, eo contentio eius alacrior cursusque actionum incitatior euadunt. Hinc fragili ac graui corporis mole oppressus animus, dum cęlestem beatitudinem eiusque gradum cogitatione depingit, metitur, & ob oculos sibi statuit: facilior ac leuior cuiuslibet duri acerbique tolerantia efficitur: virtutis quoque operatio magis prompta & expedita reperitur. Spes etenim optati euentus ac quęstus expectatio languentem erigunt, socordiamque excutiunt. Eadem ratione, tametsi efferatus hominis appetitus à ratione voluntatem perpetuo in transuersum agere nitatur, suauemque efficiens cupiditatem, honesta instituta illi aduersa mille difficultatibus inuoluat: nihilosecius sanctitati animique innocentiæ insignem quandam prętantiam inesse considerantes, fulgores illos irradiati desuper pectoris intuentes, abdicatis voluptatum calamistris ac lenocinijs, etiam nudi per aspera & vepreta lubentes hilaresque ad iustitiæ integritatem conuolamus. Cui quidem honestissimo

Finis iustitiæ præclarus hominẽ excitat ad virtutem.

ſtiſſimo deſiderio orthodoxi,formam iuſtitiæ conſtituentes,ſingulares quoſdam impetus ac impulſus adferunt, ac illud mirifice augent & accendunt magis. Docent namque hanc,diuinam quandam in anima eſſe impreſſam qualitatem,pulcherrimam notam ſtylo ipſius Dei effigiatam,perfectionem denique ſummam: non quæ eam irradiet tantum,quod & ſolis ſplendor efficit,in quodcunque demum coinquinatum delatus fuerit; verum etiam omni labe ac crimine animã perpurget, concretas ſordes emaculet, integram,illibatam,puriſſimamque reddat,perenni pręmio ac florenti corona ęquiſſimo iure digniſſimam. Atque ad hunc vitæ noſtræ apicem rationes ac momenta humanorum conſiliorum referuntur: in hunc,veluti clauſulam,omnis noſtra molitio ac contentio definit, huiuſque obiectu mirifice incitamur ad morum honeſtatem. Quid enim aliud in votis haberemus,quam vt laboribus defunctis viri boni, ſancti,ac iuſti tandem euadamus? vti abſterſis peccatis, decus illud obtineamus,quod Dei amorem in nos

2.Cor.4. conciliet,& virtute ſua quaſi pondus ęternæ gloriæ contineat? Hoc culmen,hoc faſtigium,in quod tendunt,cum naturæ tum gratiæ progreſſiones: quo omnia vti ad auream metam deſtinantur.De quo va-

Eſaiæ 40. ticinauit olim Eſaias propheta: cuiuſque hoc generis Chriſti opera eſſet futurum, prędixit: *Ipſe eſt enim quaſi ignis conflans,& quaſi herba fullonum. Et ſedebit conflans & emundans argentum,& purgabit filios Leui,& colabit illos, quaſi aurum & argentum.* Scoria & rubigo vitiorum acceſſu iuſtitiæ abigenda. Argentariam officinam habemus,liquoris ac ſucci copiam, quam fullonis herba emittit,pariter retinemus. Exuſtio ac lotio nihil patientur ſordidi aut maculati ſuperſtitis. At quid argentaria officina ad Chriſti Eccleſiam,quid herba fullonum ad limpidiſſimum Chriſti ſanguinem? Hoc ſane in honorem cedit reparatoris,quod veri iuſti ſimus,non imputatione externa, quod iuſtiſſime digni pręmio cęleſti, non fauore tantum illo donati, aut alterius munificentia inertes pręmiati.

Vaniſſima forma iuſtitiæ excogitata ab hæreticis. Quamobrem qui de hac vitæ noſtræ pręſtantia ſecus quam oportet ſentiunt ac definiunt: qui peruerſo dogmate eminentiam iuſtitiæ deprauant, tanti doni ſpeciem inſignem deformantes opinione ſua, peſſime ſane mortalium de omnibus merentur: inimici Dei,Chriſti, & noſtri generis reputandi. Hi autem ſunt pręſentium temporum ſectarij,qui nouam quandam ideam,characterem inſolentem, priſcis ignotum,iuſtitiæ excogitantes: tam vanum ac plane ludicrum exhibuerunt,vt quiduis aliud, quam iuſtitiæ excellens forma ęſtimari poterit. Atque vt compendio exponam, quod ipſi fuſiſſima garrulitate ampli-

amplificarunt: vno fidei actu apprehendi hi volunt iustitiam: non fide,
cuius assensu & complexu mysteria scripturarum vocibus expressa,
aut Ecclesiæ testimonijs consignata & euulgata, coërcentur: quam hi-
storicam appellitant, sed alia multo angustiori, & ad Dei beneuolentiã
particularem restricta, qua quotusquisque firmiter apud se statuit ac
credit Christi iustitiam sibi à Deo patre imputari, remissasque esse sce-
lerum noxas: non earum deletione, sed quod superstites ad pænam
ipsis diuinitus haud imputentur. Quam quidem persuasionem Con- *Cõcil. Trid. Sess. 6.*
cilium Tridentium grauissimo suo iudicio vanam esse definiuit, &
fiduciam ab omni pietate remotam. Vanam dixit; quod nullo pror-
sus nitatur fundamento, quod sui iustas causas non habeat: denique
quod fides non sit, sed phanaticum potius commentum. Et profecto,
(quantum ego sentio) non ratione expugnanda Theologica hæc ipso-
rum æstimatio, quam helleboro expurganda. Ab omni pietate remo-
tam addidit Consilium, quod prona sit & præceps ad quamuis vitæ
turpitudinem. Quas duas notas hæresi à Consilio inustas, vel in ea re-
pertas, satis omnino facere ad eiusdem refutationem in sequentibus
ostendetur.

Diuina fides, vti in obiectum aliquod deferatur, ex parte rei in *Fides hæreticorum phanatica, cui iustitiã adscribunt*
assensum animi admittendæ, binæ condiciones exiguntur. Prima, vti
quandam credibilitatem in se contineat, easque sibi adiunctas ratio-
nes habeat, ex quibus liquido constet, idoneam esse & aptam, vti abs-
que temeritatis ac leuitatis crimine, quis iudicio valens ac pollens, illi
credere debeat. Mouetur etenim homo agitatione diuina non quo-
modocunque, (vt docet D. Thom.) sed certa methodo ac via suæ ip- *D. Thom 2. 2. art.*
sius naturæ oportune consentientibus: quod & in aliarum rerum mo-
deratione clarissime elucet. Quocirca quod hominis animus ratione
ac iudicio sit insignitus, præeunte veri perspicientia, singula proposita
expendente, examiante, subinde ad adsensum fidei ex diuina collu- *Ad fidem necessaria rei credibilitas.*
stratione progreditur: ita vt euidentia quædam credibilitatis ac pro-
babilitatis rei (quemadmodum scola loquitur) fidei actum anteuer-
tat: ne dicatur quod mens credendo inconsiderate leuiterque in ali-
quid impegerit. Necesse eapropter est, vt quis consulto ac iudicato
dictis aliorum fidem habeat, motiua quædam & argumenta humana
explicari ac percipi, quibus motus animo æstimet credibilia esse, quæ
proponũtur, omnino credenda iudicet, ac talia, qualia à prudenti viro *Ad fidẽ necessaria propositio per scripturas & Ecclesiã*
& sagaci pro verissimis enunciatis ex fide habenda. Alterum est
requisitum, nimirum vt scripturarum conceptis verbis, aut traditione
Ecclesiastica, tanquam effatum Dei illud adstruatur, quod diuina fide

est credendum. Hæc enim sunt oracula Spiritus sancti, à quibus in supernis consilium omnem à nobis capiendum: neque enthusiasmis tuto nostra fides committenda, absque speciali priuilegio. Horum autem nihil plane inesse apparet sectariorum persuasioni, qua credunt se iustos esse, ac ipsis Christi iustitiam imputari: non ergo fides est, sed illusio quędam phanatica, otiosiæ mentis commentatio, vel impeditæ rationis insania. Prius non habere hanc ipsorum fidem, facillime ostendero. Qui grauioris alicuius delicti piaculo iustitiam excussit, vel illi obstaculum posuit, vti ad integritatem deperditam concionatoris voce reducatur: omnino (neque inficias ibunt sectarij) inducendus is est, vti credere se velit iustum esse, idque Christi iustitia: hac etenim fiducia perfectionis summam contineri ipsi volunt. Modo ab illis quęrerem, qui hoc prędicationis munus obeunt, quęnam habeant motiua, quasque rationes, quibus sceleratus ille persuadeatur ab ipsis, vti credat se iustum esse iustitia Christi? Respicient etenim si quæ penes eos sint, imputationē iam factam, aut fidem ipsam, qua statuunt faciendam. Prius dici nequit, sic enim iustificatio actum fidei prorsus anteuerteret, quod absonum est & scripturis aduersarium: Nam vt
Heb 1. inquit Apostolus: *Sine fide impoßibile est placere Deo.* Verum neque posterius satis tutum erit aut probabile: nam motiua fidei supponunt rei veritatem iam diuinitus exhibitam, non enim quod ita creditur, res sic se habet, aut credibilis est, sed vice versa quod res facto aliquo sit expressa, ideo subinde fide suscipitur. Quamobrem vt in eam aliquis inducatur sententiam, qua apud se statuat sibi iustitiam Christi imputari, prius credibiliter ostendi debet, quod ante hanc fidem talis imputatio iam præstita sit: proinde fides iustitiam non acquiret, sed partam præsupponet. Quod si quęratur circa genus horum motiuorum, quibus alicui talis imputatio probabilis reddatur, aut ab alio ipsi cum ratione suadeatur: nihil firmi aut solidi apparebit. Nam si ea motiua adducantur, quæ in vniuersum Christianam fidem vti credibilem adstruunt, vtpote miracula, martyrum constantia, consentiens Ecclesiæ doctrina, Pastorum successio; quid hæc demum obsecro facient, vt hic in particulari credat sibi Christi iustitiam imputari? illa etenim vti vera admittet, qui tamen minime apud se statuet se iustum esse, sed potius impurum atque flagitiosum. Neque opis aliquid conferet, si scripturæ in medium adferantur: illis etenim fidem iniquus & scelere corruptus iam derogauit: etenim promissis Dei in scripturis explicatis eo non credit, quo neque credit se iustum esse: quibus si fidem adhiberet, concionatoris voce non indigeret. Si recurrat Ec-
clesiastes

clesiastes iste ad delinquentis mores, illos fatebitur infidus deprauatos admodum extitisse & obscęnos: eapropter inferet nihil inde capiendum sententiæ, vti credat se iustum esse: cum nihil tale ipse commeruerit, sed oppositũ potius, Dei nimirum iram & iudicium vltionis. Si inculcet ingeminetque Minister, omni credenti se iustum esse infundi, ac donari protinus iustitiam: propterea eam fidem ab ipso admittendam: frustra illum concrepare affirmabit impurus: nam dicet, olim Massaliani, Gnostici, Nouatiani se iustos esse firmissime crediderunt, sicut modo idem faciunt Lutherani, Anabaptistæ: quos tamen omnes ego Caluini dogmate imbutus vti reprobos execror, & inferni flammis deuoueo: vnde mihi probabiliter nunc constabit obsecro, Christi iustitiam re ipsa ac solide imputari: cum hoc etiam credidero? Phanatica procul dubio hæc Caluiniana persuasio: quandoquidem probabilibus motiuis destituta, ineptaque vti in viri prudentis animo quidpiam efficiat. Etenim delinquens causabitur se probabilibus innixum argumentis, apud se definiuisse quando peccabat, Christi iustitiam sibi haud fuisse imputatam: opus idcirco modo vt contrarijs rationibus ei ostendatur à Ministro, eiusmodi imputationem esse iam factam.

Ex altero autem capite, quod paulo ante constitueram, fiduciam hanc Caluinianam phanaticam esse euidenter satis constare poterit: maxime ex placitis ipsorum: ita pessime inter se cohęrent, quæ temere effutiunt. Nihil diuina fide credendum, quod non enunciant ac proponunt sacræ literæ. Hoc apud illos solemne est pronunciatum: hic gradum figentes authoritati Ecclesiasticæ insultant, ac sua mirifice venditant. Atqui quod huic in particulari sit iam facta aut facienda imputatio iustitiæ Christi, ex testimonijs Scripturę perspicuum non euadit; phanatice idcirco fidem concipit, qui ita credit. At satis erit dicunt, cum referent scripturæ illi imputandam iustitiam Christi, qui diuinis promissis crediderit. Verum necubi scripturæ adstruunt quempiam iustorum (neque Abrahamum, cuius fidem ideam facere volunt sectarij suæ persuasionis) credidisse se iustum esse iustitia Christi: vel vnicuique certo statuendum se iustum esse iustitia formali ipsius Dei aut Christi. Proferant vnum locum, cum omnia excusserint si possint, qui hoc explicate & clare contestetur. Hactenus ne speciem aliquam aut vmbrã eiusmodi adserti ex sacris literis in subsidiũ labantis & desperatæ causę ipsorũ protulerunt. Quod si illis damus, credenti legitime eam fictitiam imputationem concędi, vt hæc tamen fides firma sit nec vacillet, non solum certo credere

Fides iustificãs penes hæreticos caret proponente legitimo.

credere debent ipsis imputari Christi iustitiam, quinimo hanc fidem, quam iste in particulari concepit, diuinam esse non humanam, veracem non falsariam, omnino apud se oportebit statuere: alioqui in ambiguo & quasi in æstuoso salo turbatæ conscientiæ eius animus perpetuo versabitur. Ceterum vt quis ita de sua fide decernat confidenter; actu ipsius fidei id habetur, vel operatione alterius cognitionis. Dilemmate hoc constringam & disrumpā phanaticam ac ventosam sectariorum fidem. Si respondet eam certitudinem actu ipsius fidei obtineri, de obiecto eius sciscitabor: ac quæram num scripturis proponatur, vel enthusiasmo aliquo seiuncto ab illis percipiatur? Prius si obtendant, impingent in falsum patentissimum. Vbi obsecro dicunt scripturæ fidē Martini aut Ioannis esse diuinam, non humanā; cælitus inspiratam, non leuissime susceptam? ne syllabam quidem continent ad hoc spectantem. Sin vero fateantur non proponi hoc credendum in scripturis, enthusiasmos tunc decernunt phanatice, neque ad salutem scripturas sufficere pronunciabunt: quandoquidem alia reuelatio & ostensio requiratur ad firmitatem istius fidei, quæ necubi in scripturis reperiuntur. Vel si opinio propriæ fidei non sit actus eiusdē fidei, sed alia mentis notio & collustratio, corruet omnino illud, quod toties decantant, *Sola fides satis est ad iustitiam*. Insuper namque alia exigitur notitia, qua constet vniuscuiusque fidem esse diuinam & à Deo excitatam. Cuius certitudinem neque video quomodo ratione vlla stabilire poterunt. Nam incertam fore definiunt conditionem iustitiæ, si modo ab operibus dependeret: quocirca fluctuaret animus, ac sępius dubitaret an officio satisfecisset vel secus, inquiunt. Tamen improuidi homines & inconsiderati non animaduertunt adęque actū fidei esse opus atque charitatis: *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille.* (*Ioan, 6.*) Idcirco si de charitatis opere certitudo illa summa haberi non poterit, neque de opere fidei eadem habebitur. Nulla itaque ratione istis constare poterit qualitas vel forma fidei, qua credunt se iustos esse: incerta idcirco, temeraria, ac phanatica.

Ex sentētia hæreticorum nemo vere iustus.

Sin vero fieri omnino non possit, vti hoc pacto Christi iustitia alicui imputetur, aut vt inde quis iustus ac sanctus efficiatur; an non phanaticum erit, imo insanum quid, hanc sibi imputationem fide polliceri? Quomodo enim iustitia Christi à quopiam deprehendi poterit tanquam sua: ita vt illamet iustus vere recteque sit ac nominetur? In quibus absecro angulis magistelli eam logicam didicerunt, qua dicitur externam aliquam formam, loco ac situ à subiecto dissitam, posse illi effectum formalem ac denominationem veram & concretam impertire?

pertire? Num Athenienses, qui impijs manibus Socratem trucidarunt, innocentia ac pietate in Deum pollere exinde potuerint: si modo sibi ipsis sub mortis articulum quam ille habuit vitæ integritatem imputassent? cedo mihi? quæ hæc iustitia auulsa ab anima, eius maculas non eluens, sed luteam ac cęno collitam permittens? Qualis hæc rectitudo, minime auferens incuruos prauarum actionum inflexus? Hoc pacto lasciuus, prodigus, auarus, etiam flagrante delicto, vel somno oppressi, & à ratione alienati, si Deus illis Christi iustitiā velit imputare, tam sancti atque iusti euaderent, quam modo in virtutibus exercitati ac detriti, quam Apostoli, quam Deipara, imo quam Christus. Quis his character sanctimonię, quam tenuis vmbra ementitę iustitiæ? Vel si dæmonis superbiam innocentissimis hominibus imputaret Deus, ex horum sententia ęque peccatores essent, & Dei odio digni, quam dęmon ipse, qui proprio actu in diuinum imperium elate inuolauit. At quod hoc peccatum, quæ coinquinatio animum non attingens? Hæc monstra sunt crassissimæ desipientiæ, qua Sectarij vsque ad nauseam nostram & æternam ipsorum infamiam prodigiose delirant. Quis duram prouinciam suscepisse nos affirmabit, dum illorum errores ipsissamque ignorantiam profligamus? Adeo adsurditatem sententiæ horū omnia ostentant, vt argumenta semper nobis in promptu sint, neque aliqua occurrunt, quę non demonstratione conficiunt quod volumus: interim miseri illi & tenebriones, vespertiliones, ac noctuæ in hac tanta luce cęcutiunt. Hoccine Christus demum suo merito effecit, vt dormientes pariter ac vigilantes, credentes vel non credentes, voluntate ipsoque actu defixi in flagitium, atque virtuti sedulo insistentes, eadem forma & æquali pondere (modo hæc vna imputatio desit) iustitiam consequantur? Perinde erit tunc quodcunque homo peregerit. Honestus imputatione peccati ab alio cōmissi turpis erit & sceleratus: rursum pessimus & omni colluuie vitiorum sordidatus facta imputatione alienæ iustitiæ innocens denuo erit, ac verissime nominabitur sanctus. Sit itaque aliquis scelere coopertus, accedat postea huiusmodi imputatio ex speciali fide, quam Sectarij comminiscuntur: quęro ab illis num talis, nulla prorsus in ipso mutatione effecta, iustus sit nec ne, idque solide & rei veritate? Si iustum pronuncient, asseram ipsum potius nequam esse & vitæ profligatæ: addam nihil in ipso reperiri, quod non Deo vehementer displiceat, dignúq; esse potius ęterno horrendoq; inferni supplicio. Simul nę iustus & iniustus, bonus & malus, albus & ater, filius Dei & filius Satanæ? Vlterius vrgebo ac petam, num potiori ratione sit iniustus & fędus,

quam iustus & candidatus? Dubio procul potius dicendus iniustus ac sordidus, quam purus & sanctus. Nam maculæ vitiorum vere afficiunt ipsius animam, vt formæ subiectum: ibi defixæ penitus manent: ceterum iustitia abstracta est ab eadem, seiuncta, nec ad eam quicquam spectans, nisi ęstimatione quadam forinseca. Qualem tandem Christianam iustitiam hi expresserunt, quo in loco nunc habent à Christo pręstitam orbis redemptionem, quandoquidem adsciti in iustitiam re ipsa potius existunt adhuc peccatores, filij iræ, ac sordidati nequitia vitiorum, quam sancti, puri, & genuini filij Dei? Eodem plane modo, quo Sectarij hominē iustum decernunt, potuerit & diues Crę-sus incidens in famelicum Codrum, pannosum totum & squalore obrutum, locupletem ilico constituere: si nempe magnifico & nouo quodam eleemosinæ genere, non indigentiam eius collato munere subleuando, sed suam opulentiam illi imputando, beneuolentiam exerceret. Imo æque sapere mihi videtur Homerus, qui se tempore Troianæ obsidionis gallum esse meminit, atque Sectarij, se iustos esse credentes, idque iustitia Christi: eodem plane modo errantes à vero, quo populares illi, qui asinum videntes è liquido potitantem, in quo lunę formam noctis tempore contemplabantur, quod tunc occursans nubes radium lunarem intercepisset, existimarunt miserum asellum lunam epotasse: proinde ipsum dirissime exenterarunt, vti eius visceribus ereptam lunam suæ spheræ restituerent. Verosimilius mihi videtur asinum illum lunam imbibisse, quam Caluinistam sua phanatica fide Christi iustitiam animo hausisse: quē si quis pariter exenteraret, in ipso nihil boni viri aut iusti vspiam inueniret: non plus in eo iustitiæ Christi despiceret, quam illi lunæ in ventre dissecti aselluli.

Rainol. lib. 1. de Idol. cap. 3. parag. 2. Ceterum Ioannes Rainoldus Caluinista incredibili quodam acumine duplicem vel excogitauit vel admittit iustitiam: vnam passiuam, actiuam alteram: illam appellitat imputatam, hanc inhærentē, priorem dicit gratiam: *Qua in filios Dei adoptamur, abluimur Christi sanguine,* *Gal. 5.* *remissionem peccatorum per fidem consequimur, hæredes cæli constituimur*: Posteriorem eam nuncupat: *Qua renouati spiritu mentis nostræ, & nouum hominem induti, fructus conuenientes resipiscentiæ ferimus.* Excutiam paucis istius *Rainoldi iustitia examinatur.* sectarij commentum. Quomodo, amabo te, illa tua iustitia externa, ac imputatitia, iure appellari poterit passiua? si gustasses vel parum primis vti inquiunt labris Philosophiam, passiuam eam formam didicisses, quæ in subiectum aliquod vi actionis alicuius inducitur: nisi velis putare eum iam in se pati, & excipere inferni pęnas, aut dęmonum flagitia, cui hæc essent ab aliquo forinsecus imputata. Verum

iustitia

iustitia hæc Caluinistica hominis animam minime attingit,in Christo etenim Domino tantum vti forma reperitur, qua igitur ratione tui respectu iustitia passiua? nisi somnians se esse Cræsum, te iudice passiue esset diues & Cręsus. Dum hæc commentus, mentis deliquium crede mihi es passus,idque non imputatiue,sed reipsa ac verissime. Quum vero huic passiuæ iustitiæ aliam adnectis actiuam, an non à schola,in qua eruditus, te refugam plane ostendis? Proh fidem tuam iustitia actiua. Num frustraneæ Lutheranorum & Caluinistarũ voces, quibus hactenus insonuerunt: nempe inclamantes inhęrentem & actiuam iustitiam esse iustitiam legis, iustitiam carnis, iustitiam Pharisaicam, inimicam iustitiæ Christi ac fidei? an in auras extenuati eorum clamores, ac te sententiam ferenti hæc immania tonitrua abiere? excute intelligentiam tuam: caue sis, tu etenim nobiscum admittis iustitiam inhęrentem, idque iustitiam operum: vide ne iustitiam legis ac carnis. Si hanc iustitiam actiuam cuilibet hominum ętatis adultæ opinare necessario requisitam ad salutem ac felicitatem, aperte quoque fateris Lutherum & Caluinum splendide mentitos, dictitantes vnam fidem satis esse ad beatitudinem ac sanctimoniam: quippe tu insuper exigis aliam iustitiam operum, eamque inhærentem. Etenim istius actiuæ iustitiæ munus ex Apostolo describis esse mentem renouare, hominem nouum induere. Nam obsecro te, quis vnquam adultorum in regnum cęlorum ingredietur, nisi mentem renouarit, nouumque hominem induerit? non ergo iustitia fidei ac Christi nobis imputata sufficiens modo ad felicitatem, sed iustitiæ fidei ac Christi (quod tibi inconsiderate excidit) adiungenda iustitia nostra, iustitia inhęrens, iustitia operum. Animaduerte Rainolde, quale piaculum tibimet consciuisti, qualemve iniuriam cruci Christi ac eius merito irrogasti. Non contentus Christi iustitia, tuam adhuc vis (quod redarguit Apostolus) constituere. Porro mihi videris plus nimio hanc tuam iustitiam actiuam amplificare: quippe asseris eiusmodi iustitia hominis mentem renouari, ac nouam prorsus hominem indui. Modo te septo includam, ni caueas, ad ludibrium. Pręcise itaque expendo tecum effectum illius summæ ac primæ iustitiæ passiuæ: & quæro abs te, num talis iustitia vi sua propria & formali constituat aliquem Dei filium, Christi sanguine ablutum & hęredem regni cęlorum, nec ne? Incunctanter definis ita esse; idque ex virtute eiusmodi iustitiæ. Iam volo mi Rainolde vti nullo pacto memoriam deponas eorum quæ affirmasti de iustitia actiua: etenim dixisti huius interuentu mentem hominis renouari, ac nouum hominem indui. Idcirco ex tuis placitis

hæc confecta sunt: principio hominem esse iustum ac Dei filium, imo Christi sanguine lotum, qui adhuc mentem non renouauit, sed sceleribus ex animi voto infixus squalet, qui nedum nouum hominē induit, sed anteactæ vitæ pessimis consilijs adhuc Adamū delinquentem in se exhibet. Deinde animas Christi sanguine ablui, nihil tamen succi in se recepisse. Demum hominem iustum esse, & Christum induisse, nondum tamen mutasse mentem, aut veterem hominem excussisse: simul album iuxta ac nigrum, bonum & malum, nouum & veterem, lotum ac sordidum, filium Dei ac satanæ. Quæ monstra sunt hæc iustitiæ Caluinisticæ? Denique satis mirari nequeo, quomodo passus es incidere in cogitationem tuam iustitiam actiuam: tibi stat sententia propalam cameleontem agere, & prçceptores tuos calcibus impetere. Nosti tuos patriarchas homini exemisse liberum arbitrium: quod si vero consentiat, nullibi locorum constabit iustitia actiua: enimuero nihil spectabilis elucere potest in actione, ad quam quis necessitate adigitur: ideoque in somnis peractum haud suspicimus vti prçclarum, quandoquidem liberum minime tunc temporis interueniat arbitrium. Qualis ergo illa actiua iustitia, quæ necessitate exprimitur? Insuper si obliuione nondum habes implicatam intelligentiam; Euangelistæ tui passim docent omnia hominum opera concupiscentiæ euaporato spiritu quasi infici, corrumpi, denigrari, peccata esse lethifera. En habes iustitiam tuam actiuam ex sordibus & eluuie exundantis Nili coalitam. Quomodo hæc cohçrent? Spartam humeris tuis impono: mihi edicito Ioannes: at nunquam dices.

Opinio Sectariorū de iustitia spirat superbiam.

Venio nunc ad insignem illum tumorem, quo inflati sectarij certo statuunt de sua ipsorum iustitia, de innocentia & sanctimonia. Detestanda fuit Catharorum & Nouatianorum superbia, qua se sanctos impollutos ac propemodum diuinos venditabant: exultantes quippe illorum sensus nullus timor coërcuit. Quorum vestigijs insistentes Sectarij recentiores, simili audacia, imo fidei certitudine pronunciant se iustos esse, & hçredes cçli iam constitutos. E quibus vnus Osiander eo temeritatis processit, vti Christi iustitia non contentus, altius cum Lucifero conscendens, se Deo çqualem fecit, ac dixit sibi Dei ipsius iustitiam eadem plane mensura imputari, qua in natiuo fonte affluit & redundat. Fastus non ferendus, elatio sane plusquam insana, sibi ac Deo æqualem iustitię sortem ac gradum decernere. Quomodo humanæ animæ angustiæ immensam illam & Dei essentialem iustitiam capere poterint, & effusum illud mare exiguo sinu conchæ includere?

dere? Precipitium hoc subuerit alij eiusdem farinæ homines, submiserunt se parum; nec tamen superbiæ caliginiosos montes volatu prorsus declinarunt: vnde Christi Domini iustitia se iustos esse proclamarunt, eademque stola vestiri seruum, qua Dominus induitur, firmiter definierunt. Adhuc quoque spirat intoleranda in istis insolentia. Nam Christi iustitia (vt schola iudicauit ac docuit) infinita est, si modo meriti & iustitiæ eadem forma ponatur: atque ita ex sententia Sectariorum nuda fide quilibet impurus, quando omni genere turpitudinis coopertus, non modo iustus erit, sed ad cumulũ, ad immensum, ad infinitatem iustus, Christo æqualis: atque vnius fidei actu hoc pacto tam excelsum gradum iustitiæ consequetur profligatæ vitæ mancipium, ac alij, qui Deo familiares effecti innocentiam diu seruarunt, omnique virtutis genere ab infantia ad mortis articulum sedulo & operose inbuerunt. Verumtamẽ in altissimis sancti spiritus mysterijs, in eis, quæ eius arcano consilio in hominum cordibus fiunt, istorum pronunciandi libidinem ita comprimit Augustini sententia: *Noui quod iustitia Dei mei maneat: vtrum mea maneat, nescio. Terret enim me Apostolus dicens: qui putat se stare, videat ne cadat.* Vnde obsecro nouerunt isti, aut cuius relatu didicerunt, cum ipsis ita Deum egisse, vti filij sui iustitiam eisdem impertiuerit? aut qua authoritate muniti, ventosi homuli de tanto accepto beneficio gloriantur? Quod credimus, inquiunt: inepte. Quotusquisque est hæreticorum, qui hisce diebus se eadem fide iustum esse non proclamauit? communis est hæc superbia scopulus, ad quem allisi naufragium omnes fecerunt, & sua fide delusi, vanissima credulitate spem integram sustentarunt; nihil demum minus, quam veram expressamque iustitiam adsequuti. Vbi iam timor & animi dimissio apud eos? exularunt. Vbi frequens ex pauore & suspicione exulceratæ animæ effugium ad orationem & diuina præsidia? ablegatur; nemo enim pro eo orat, quod fide nouit futurũ. Vbi acrimonia conscientiæ ex notione scelerum, qua admonitus illis multo sanctior Iob apud se dixit: *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me?* Obliterata eiectaque perijt. Vbi trepidatio animi ad intuitum iudiciorum Dei, quæ secretissima sunt, penitissima & omnino arcana? excussa est: & in horum locum successit & erupit falsa, insana, phanatica persuasio de imputata iustitia & peccatorum indulgentia. Constituunt se ante sententiam iudicis, & prius quam ad eius tribunal sistantur, hæredes regni cælorum: iam militiam exercentes, de nulla re alia, quam de impetrio loquuntur, de bonis illis, quasi iam obtentis, disserunt ac decernunt. Et qui? infidi, truculenti, ignari, impij, sordidi: quos

limus ac fæces vitiorum exhauſerunt. Quid carbonibus cum illis gemmis? quid putidis cadaueribus cum illis ſpatijs amæniſſimis ac roſetis? quid hoſtes Dei facerent cum ipſius amicis? quid ſanguinis calore exuſti cum illis, qui lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni? quid hęretici cum ſanctis?

Apoc. 22.

Porro quod pręcipua quadam ratione, vti infamem obſcęnamque iuſtitiæ formam à ſectarijs excogitatam traducit: vitæ eſt turpitudo, ad eam omnino conſectaria; qua abutuntur ad cuncta nephanda dictu effectuque. Latêre diſcupiunt hi in pręſidio vnius fidei: vtpote qua tanquam Gygis annulo ad palmam inuerſo non hominum tantum, ſed ipſius Dei aſpectum ſe poſſe diffugere inepte arbitrantur. Vir autem probus, vt ſcribit Cicero: *Hunc ipſum annulum ſi haberet, nihil plus ſibi licere putaret peccare, quam ſi non haberet.* Sed quemadmodum Gyges admirabili annuli beneficio adiutus, Reginæ ſtuprum intulit, eius maritum occidit, & in imperium inuaſit: ita ſectarij ſua fide & perſuaſione freti de non imputanda illis culpa, conceſſam habent ſcelerum quamcumque atrocitatem: impune ad omnem libidinem explendam naturę inſanos feroſque impetus effundunt. Quod quidem triplici pręſertim ex capite efficiam luculentiſſimum. Principio, illa iuſtitia, quæ peccati coinquinationem non abſtergit, neque hominem vere ſolideque iuſtum aut meliorem conſtituit: quam imbecillis, quam vmbratilis, quam remota à candore animæ ac eiuſdem puritate? Imputatio autem alienæ iuſtitiæ adſerta à ſectarijs (vti penes illos in confeſſo eſt) vitiorum labes non eluit, hominem haud attingit, neque ſanctum & bonum re ipſa, ſed ęſtimatione ſola pręſtat: non eſt ergo ſincera illa iuſtitia, color ille diuinus, ſtola candida, quæ in expiatis luſtratiſque elucere debet: ſed potius ſcelerum commixtione & copula ſordidiſſima illuuies. Ita in Chriſti meritum prorſus iniurij fatentur prodigum filium à ſuo clementiſſimo parente non ſplendentem veſtitum, ſed pannum menſtruatum recepiſſe. Ipſum mundi reparatorem cum vocis reuerentia, tum ſanguinis pretio adſtruunt tetri alicuius acceſſu infectam iuſtitiam ſuis impreſſiſſe, ac diuinitus illis obtinuiſſe: neque ad hæc quicquam erubeſcunt. Videri diſcupiunt Pelagio hęreſiarchæ vehementer aduerſarij: ſimulato vero greſſu tanquam boues Caci, eius partes ſequuntur prorſus. Pernegant enim, quod & ille mordicus fecit, inhęrentem iuſtitiam animæ infuſam, Chriſti meritum extenuantes. Aliud autem adijcientes, hęreſin eius ſuperarunt: adeo vt ipſorum commentatio de imputata iuſtitia, veluti hypocentaurus ex hęreſi & immani abſurdo ſit conflata. Conſiliū

Fides iuſtificans quã ſtatuunt Sectarij turpis.

Cicer. lib. 4. off.

Herodot. lib 1.

Lucæ 15.

Moderni hæretici, negantes iuſtitiam inhærentẽ, Pelagiani ſunt.

Mileui-

Mileuitanũ iſtis contra Pelagij errorem internam ex Chriſti meritis profectã iuſtitiã ſtatuit ac definiuit: *Placuit, vt quicunque dixerit gratiam Dei, in qua iuſtificamur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, ad ſolam remiſsionem peccatorum valere, quæ iam commiſſa ſunt, non etiã ad adiutorium, vt non committantur, anathema.* De ſententia idcirco concilij poſita eſt iuſtitia, haud in non imputatione peccati, ſed in interiori adiutorio contra peccatum: nimirum virtute quadam ac firmitate animæ habituali. Nam idem Conciliũ aperte docet, iuſtitiam hanc qua adiuuamur, illam eſſe, qua facienda diligimus, & operamur: & propterea coincidere cum charitate diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum. Quam iuſtitiæ gratiam, dono collatam, non imputatione ęſtimatam, neceſſariam pronunciat ad legis obſeruantiam. Atque errorem Pelagij in eo pręſertim poſitum fuiſſe, quod huiuſmodi interius impertitam gratiam negauerit, teſtatur D. Auguſtinus: *Ipſam quippe gratiam, qua iuſtificamur, id eſt qua charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, in Pelagij & Cæleſtini ſcriptis, quæcunque legere potui, nuſquam eos inueni, quemadmodum confitenda eſt, eos confiteri.* Et alibi: *Si conſentiat Pelagius, ipſam voluntatem & actionem diuinitus adiuuari, vt ſine illo adiutorio nihil bene velimus & agamus, eamque eſſe gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, in qua nos ſua non noſtra iuſtitia iuſtos facit, vt ea ſit noſtra iuſtitia, quæ nobis ab illo eſt: nihil de adiutorio Dei (quantum arbitror) controuerſiæ relinqueretur.* Caluiniana itaque iuſtitiæ imputatio Pelagianiſmum implicat. Hęreſi autem eius abſurdum adiunxit, quod ſane Pelagius horreret, ſicut & quilibet alius mente pręditus verum aut probabile eſſe inficiabitur: nimirum cum dicatur iuſtitiam Chriſtianam extra ipſos Chriſtianos poſitam eſſe: hancque cum omni vitiorum colluuie conſiſtere, eaque ſordidari. Talem habeant iuſtitiam ij, qui nihil puri cogitant vel actione perficiunt. Pelagius munditiã quandã & integritatẽ natiuã ex virtutũ exercitio inducere voluit: caſte quidẽ & nitide ſentiens de iuſtitia Chriſtiana, parũ tamẽ digne ęſtimãs Chriſti ipſius meritũ. Caluinus vtrimq; à vero aberrauit: iuſtitiã imprimis decernẽs maculoſam ac fędã: deinde negans Chriſti meritũ infuſo aliquo dono haſce vitiorum labes hominum animis expuliſſe, vel illos re ipſa ſanctos cõſtituiſſe. In naturã proinde deliquit hęreſiarcha & in gratiã.

Quid ni turpiſſimam dicerem imputatitiam hanc animi ſanctimoniam, quæ tanta tamque eximia poterit eſſe in aliquo etiam flagrante delicto, vtpote blaſphemiæ, odij Dei ipſius, rapinæ, adulterij, quam quæ reperitur in quolibet ex illorum ordine ſancto aut honeſto viro? Nam ſi Deus blaſphemanti vel adulteranti imputaret iuſtitiã Chriſti, quod

Concil. Mileu. Can. 3.

Rom. 5.

Auguſt. lib. de grat. Chriſt. c. 36

Auguſtinus cap. 14.

Iuſtitia hæreticorum cõſiſtere poteſt cũ ſceleratis actibus.

quod facere poteſt,neque in illis reatum pęnæ agnoſceret : hoc ipſo iuſti euaderent blaſphemi,adulteri,eſſentque innocentes & impollutis,regnique cælorum hęredes. Nam iuſtitia (ſi dictis ipſorum habenda fides) non poſita eſt in mutatione animæ, vel interiori reparatione,ſed in voluntate Dei ſolius,non imputante delinquentibus flagitia,& Chriſti iuſtitiam illis ad ſpeciem quandam adijciente. Hac idcirco præſtita imputatione, nihil ſupererit diſcriminis inter pium & blaſphemum,adulterum & continentem : ſed omnes æqualem iuſtitiæ dignitatem ſortientur. An non hæc præclara iuſtitia, & merito pręmianda ? Quod ſi quis illorum dicat, blaſphemiæ noxam huic imputationi obſtaculum ponere, ac eam impedire : cauſam ab illo requiram talis impedimenti. Eam adferet,quod blaſphemia ſit peccatum,depugnetque cum iuſtitia. Mendacem memorem eſſe oportere nunc video. An non faſſus es iuſtitiam peccata non eijcere, ſed cum illis in eadem anima contubernium ſubire? peccatum itaque imputatiuæ iuſtitiæ non repugnabit. Proinde hæc cum actu blaſphemiæ adęque reſtabit,ac cum elapſis ſceleribus. Quid ergo nunc mali blaſphemo acceſſit ex hoc ſuo crimine? nihil fecit iſte iuſtitiæ aduerſum: habere is poterit ſibi Chriſti iuſtitiam imputatam parili menſura largitionis, ac ſi pietati incubuiſſet. Fortaſſis adhuc effugium aliud tentabunt; ſunt etenim mirifice circumſpecti & ſubtiles: præſertim poſt ſecundas menſas. Dicent itaque, iuſtitiam imputatiuam non aduerſari præteritis criminibus & eorum maculis; eapropter valebit cum illis reſtare : pugnabit tamen cum flagrante delicto ; vtpote actu blaſphemię & adulterij: proinde blaſphemi & adulteri iuſti eſſe nequeunt. Fugientes inciderunt in naſſam, qua non exhibunt. Redigite ad memoriam ſapientiſſimi Theologi, quod alias enunciaſtis, videlicet optima iuſtorum opera naturis ſuis peccata eſſe mortalia, ipſis iuſtis tamen à Deo non imputari : haud ergo imputatiua veſtra iuſtitia repugnabit flagranti delicto actualis noxæ; eapropter blaſphemus & adulter dum actum exercent flagitij, credere poſſunt ſe iuſtos eſſe & ſanctos; quid illos moratur amabo? Hic hęrebunt credo in luto,& magnitudine abſurdi oppreſſi,in ſordibus conticeſcent : captique ab hoſtibus,& male habiti præ nimio pudore Dauidis conſilium
1. Paral. 9. ſequentur: *præcepit vt manerent in Ierico, donec creſceret barba eorum, & tunc reuerterentur*. Quid? an non ita facilem & expeditam methodum iuſtitiæ conſtituentes, ſceleri patrocinari & libidini opem ferre videmini? In veſtra ſiquidem ſchola edoctus, cum ipſum Satan ad flagitiũ aliquod ſolicitauit, ita poterit ſecum ratiocinari. Quid me continebit à volu-

à voluptatis vſu? Quid ſolutum appetitum coërcebit? In crimen hoc iucundum & naturæ meæ oportunum ſi conceſſero, quid detrimenti inde mihi emanabit? nihil ſane: in ipſa namque appetentia ac feruore delicti credam me iuſtum eſſe iuſtitia Chriſti; impune tunc ſcortari potero & græcari. Num inde ero infidelis? num ſcripturis diffidere incipiam? minime gentium. Credam itaque me iuſtum eſſe, atque ſic fallam iudicia Dei, eiuſque prohibitiones inanes reddam. Vna fides ſubſidium mihi, & in Acheronte ſcapha. Quod ſi quis multum contendat me non poſſe credere mihi imputatam iuſtitiam Chriſti, dum voluntatis actu adulteriũ decernam. Quid tum poſtea? carebo ne expetita iucunditate? non ſum ita ſtolidus & excors? Peracto enim flagitio, ad recuperationem iuſtitiæ neceſſum non eſt vt ob crimen doleam vehementius, eiuſque labem contritione animi deteſter, vel vt proponam nunquã in poſterum Dei mandata me nolle infringere, aut eius monitis contraire: per hæc enim aſpreta incedunt Romani, meis pedibus Euangelicis amęniora loca parantur: ſolum itaque opus erit vti excurſo peccati actu, credam me iuſtum iuſtitia Chriſti, Deum mihi noxam non imputare. Hoc factu mihi erit facillimum: peccatum ſuaue, amuletum expeditum & in promptu. In hac itaque tanta impunitate non ſum tam aridus, aut Stoicus, vt priuari velim voluptate. Digna Caluiniſta ſententia. Mihi nunc dicite quęſo, an ad inſignem aliquem gradum Chriſtianæ iuſtitiæ ſummam reduxiſtis nec ne? Vobis Apoſtolis, ferme dixeram Apoſtatis ac magiſtris, ſi rerum naturas expendere velimus, idque ſolum intelligentijs noſtris deſignare, quod re ipſa concretum eſt, ęque ſanctus eſſe poterit, qui os deteſtabile blaſphemiæ ſcelere polluit ac fędauit: atque quilibet ex veſtris innocentiã vitæ purus, aut fiducia in Chriſtum viuus, imo atque ipſe Chriſtus. An non ergo pręclare ſentitis de iuſtitia, de reparatoris munere? Sane vobis purior perfectiorque Turca, qui iuſtitia animi nęuos abluendos cenſuit: ſuoſque altius iudicijs veſtris Mahometes euexit, quam Chriſtus fideles. Ille quippe eam iuſtitiam decreuit, quæ peccato repugnat penitus, neque eius conſortium patitur: vos adeo imperfectam ſtatuitis, quæ ſecum admittit quamcunque demum vitiorum contagionem, neq; vel latum vnguem recedat à Laide & Glicerio, à libidinoſæ vitæ turpitudine.

At quid circa hæc minuta laboro ita penſiculate? Quid curioſus in hac Sectariorum iuſtitia atomos aut leuiores maculas diſquiro? En aperiunt ipſi ſentinas ac cloacas fędiſſimorum morum, in quibus iuſtitia donati deliciantur. Quodcunque enorme facinus perpetrarint, modo

Hodierni hæretici ſunt impuri Gnoſtici.

modo fidei clypeus aut velamen adsit imputatæ Christi iustitiæ, impune ferent: nec mali quidpiam illis inferet ęstus vel phrenesis libidinis. A Christo diploma regium se accepisse gloriantur, quo ipsis plenissime licentia conceditur scortandi, pręd andi, heluandi: nihil horum illis ad culpam imputabitur, cum facta exercuerint. Huiusmodi priuilegio ornati, molles & pręposteri amoris cupidi regnum Dei possidebunt. Atque ita se verissime Gnosticos, seu Catharos & Puritanos infanticidio, omnisque libidinis genere infames, quos antiquitas vt orbis sordes est exercata, his nostris temporibus Lutherus ac Caluinus eorum mores exprimentes, esse prodiderunt. Crediderunt illi firmo quodam assensu fidei se iustos esse ac sinceros: idem isti sibi quoque pollicentur. Verum illi ex ea suscepta fide hanc delinquendi licentiam sibi arripuerunt, quam ita describit D. Iren: *Quemadmodum aurum in cæno depositum non amittit decorem suum, sed suam naturam custodit, cum cænum nihil auro officere possit: sic & semetipsos dicunt, licet in quibuscunque materialibus operibus sint, nihil semetipsos noceri, neque amittere specialem substantiam. Quapropter & intimorate omnia quæ vetantur, hi qui sunt ipsorum perfecti, operantur.* Eodem plane modo sectariorum fideles, ex hac sua fide se aurum faciunt, & radios solis, in locis fędis, nihil inde coinquinamenti attrahentes. Licentiam indulgendi libidini, quiduis demum intemperantis concilij peragendi vendicant, atque ipsis Turcis, vel eorum porcis turpiores in hac immunitate delinquendi positam Euangelij libertatem profitentur. Quamobrem inepta prorsus existit comparatio, quam instituit Caluinus ex vna parte inter fidem suam ac charitatem: atque ex altera, inter Christum & Spiritum sanctum: quasi fides illa phanatica diuelli non possit à charitate, sicut neq; spiritus sanctus à Christo: proinde vniri semper fidẽ intullit vitę integritati ac amori Dei, quo pręcepta obseruantur. Hoc enim vanissimũ esse commentũ ita ostendo. Quilibet Caluinisticæ sectæ, cum eius appetitui iucundũ aliquod oportune fuerit obiectũ; pręsertim si veneres illi occursent, (quarũ amore mirifice delinitur, vt simia bellarijs, vel vrsus mellis fauo) laxare poterit habenas concupiscentiæ ad illud, quod cum ęterna Dei lege dipugnat. Hoc credo mihi non negabitur; nam Caluinistas nouit orbis incredibiliter emissarios, protelarios, & salacissimos. Atque nimis multum sibi assument Caluinistæ, si modo dicant, ab orbe condito illorum neminem in hunc vsque diem incidisse in crimen petulantiæ, fornicationis, adulterij, furti, & similium. Quare sumam hoc mihi pro certo, posse nempe Caluinistam ita incitatum obiectu cupedię & lenocinij concedere in aliquam inhonestam cupiditatem,

Iren. lib. 1. cont. hær. cap. 1.

piditatem. Vel dicam nuſpiam terrarum neque Geneuæ eſſe Caluiniſtas. Quod ſi mihi concedatur, ipſum habeo impune peccantem, alieno thoro, vel alterius pudicitiæ inſidiantem,& vere Gnoſticum aurium tenus in illuuie cum ſua iuſtitia. Salamandra in medios rogos intrepide inſilit, quod natiuum quoddam frigus habeat adeo concretum: vti ignis ardorem facile repellat vel extinguat. Tale ſibi Caluiniſta ex ſua fide adſumit,quo à criminis labe,etiam cum in voluptates animam iuxta & corpus immerſerit, ſe tueatur. Quid ergo ſupereſt,quod illi peccati noxam exoſam faciat? Non blandimentum iucundi,hoc enim potius allicit ad prauitatem. Non culpę malum: ex fide namque haud imputabitur delinquenti. Non dæmon: ipſe namque ſtimulis ad nequitiam inſtigat. Non Deus:quippe immunitatem quiduis agendi fide ſalua conceſſit. Gnoſta itaque & Caluiniſta ſolo nomine ac ſono diſſentiunt,ſententia autem conſpirant. Vterque ſe purum & ſanctum deprędicat, ſpetiali fide munitum à reatu culpæ. Sed (vt inquit D. Epiphan:) *Omnis qui ſeipſum purum pronunciat, impurum ſeipſum perfecte condemnat.* Verum de hac fide fortaſſis aliquis illorum honorificentius iudicans,dicet eam,quod neceſſario quodam effluxu ex ſe charitatem effundit,aduerſari cuilibet diuinæ legis tranſgreſſioni, proinde non admittere ſecum vt contubernalem flagitioſum actum. Nihiloſecius qui ita pro Caluiniana fide depugnat,nulla prorſus ratione duci videbitur. Fatetur namque Caluinus,quod paulo ante intulimus, quæuis opera iuſtorum,etiam bona & pia,grauiſſima eſſe peccata,cum quibus tamen fides illa commoratur quiete ac placide. Quare non ęque bene eadem manebit cum periurio, adulterio,& latrocinio? At nequit fidelis affirmabit, facto aliquo minus honeſto Dei legem tranſcurrere aut temerare,niſi fidem prius excuſſerit.Quid argumento ad hoc reuincendum opus erit,vbi abunde facit experientia? Si Caluiniſtam ſtupris ac luſtris operam dantem inuenero: dicam illum eſſe hęreticum,aut infidelem,non credentem ſcripturis,in quibus referuntur Dei promiſſa de imputanda Chriſti iuſtitia. Imo ſtatuam ac definiam huius delinquentis parentes bonos nequaquam fuiſſe aut prędeſtinatos, prę ſertim non habuiſſe fidem quo tempore illum generabant: nam ex ſententia Caluini,parentes iuſti filios procreant iuſtos. Inſuper docet,ſemel comparatam iuſtitiam nemini poſſe excidere. Ex quibus conſequens erit, deprehenſum Caluiniſtam in flagitio nunquam fuiſſe fidelem aut iuſtum, neque parentes tales habuiſſe auos aut proauos. Quale priuilegium, ſi Caluiniſta nunquam peccauit? ſi nunquam ſub patibulo gulam fregit? Sanctiſſimi homines, puriſſimus

Epiph. lib. 2. hær. 59.

purissimus grex. Lætor equidem plurimum,iam enim comperi Angliam nostram, quam hactenus intellexi Caluinistis oppressam, nullũ prorsus Caluinistam proferre : incolas tamen habet morum fęditate turpissimos,& passim ob enormia flagitia in crucem actos : quos haud Romanos esse plusquam pro explorato habeo. Palatijs sanctiora ergastula,ac limbi,vel recessus nemorum, illorum sunt domicilia. Sed neq; Caluinistæ sunt,nullus enim talis potest furari,adulterari, meretriciũ exercere. Deus bone,quod aliud germen?quæ Satanæ propago? Sin vero experientiam amoueamus,quæ illustribus testimonijs Caluinistas probet vitæ esse profligatissimæ,eosque posse absque fidei dispendio suspendi,grauissimeque peccare : ratio id ipsum euidentissime demonstrabit. Qui fide speciali promissis Dei in scriptura adsertis credit & assentitur : cum ipsum nulla dubitationis causa vrgeat , ob quam eiusdem promissis diffideret , is ita constans in fide, vehementi aliqua solicitatione ad malum & nephariũ quid factu extimulari valebit : quandoquidem in sensus eius inhonesti alicuius delectabilis species incurrat, pronusque sit corporis ratione in voluptatem. Hæc siquidem duo,eorumque causæ & occasiones sunt disiunctissima: infidelitas nimirum & appetitio iucundi. Nihil itaque ipsum mouebit ad infidelitatem,aut vt scripturis fidem deneget : interim acriter incitetur obiectu delectabilis cupediæ ad illicitam appetentiam. Nam duplici huic crimini duplex inseruit tentatio : neq; ita coniunguntur. Vna inducitur animus,vt incipiat iam diffidere Dei promissis,Christo & Euangelio nuncium remittere. Altera persuadetur suscipiendum esse actione adulterium vel latrocinium : quæ nullo modo implexa sunt inuicem,sed seorsim existunt. Suppono iam satanam , aut aliam occasionem posterioris solum generis incitamentum adferre,ac pellicere quempiam ad adulterium, neutiquam tunc cogitantem actu de scripturæ promissis aut sibi imputata iustitia: quod facillime imo ferme semper contingit. Is ita solicitatus ad crimen impudicitiæ , salua fide,cui nullum periculum imminet,quod nec eius vllam eo temporis puncto notionem habeat ,consentire poterit in adulterium,feruore concupiscentiæ exagitatus. Concludo itaque Caluinistæ,quemadmodum & Gnostæ, diuinitus impune concessum esse adulterium,aut quodlibet aliud factu turpe & enorme obeundum. Nam si hoc priuilegio donatus non esset,ex flagitio detrimentum aliquod ipsi aduentaret. Verum cedo mihi amabo,quod damnum, vbi viua & illæsa iustitia floret & viget? Nam haud obstante delicto,fiducia est animi, qua creditur iustitiam Christi ipsius esse,neque velle Deum ipsi quid-
piam

piam ad peccatum imputare. Quod si conscientia enunciante male operari se sciat, tamen semel acceptam fidem, quæ iustitiam adfert, quamque aliquando se habuisse nihil dubitat, adhuc superstitem esse & integram, nec posse illi excidere, certo statuet. Siue ergo adulterium committamus, siue aliud facinus turpe perpetremus, obligamur ac tenemur credere nihil horum nobis ad peccatum imputari. Proinde parum habebimus flagitia, nec quicquam formidabimus scortari, veneficia exercere, Dei vel hominum leges transcurrere. Habeo itaque Caluinistam ac Gnostam eadem catena illaqueatos, ac eiusdem sordibus ex ingenio dogmatis pollutos. An non horum præclarum, diuinum, & lucidum Euangelium, in quo incitationes acerrimæ euulgantur ad peccata, in quo dicitur omnia scelera vna fide absorberi? in quo definitur perinde esse scortari ac continentem esse, recte viuere aut corrupte: in quo docetur contra expressam Scripturarum sententiam, auaros, luxuriosos, inobedientes, omni libidine & nequitia obscænos ingressuros in regnum cælorum? Si enim impura meretrix aspectu & alijs blandimentis illiceret iuuenē ad veneres, non est necesse vt iuuenis ante prauum consensum animo dicat, Christus non est mortuus pro me, vel non credo diuinis promissis. Sicut ergo abest infidelitas, ita adest fides & iustitia, atque exinde cum flagitio immunitas delinquendi. Est ne hoc Christianam perfectionem decernere, aut primitiuæ Ecclesiæ puritatem æmulari? Potius vel Turcæ aut cani vomitum prouocabit hæc vestra fides sordidissima. Vos præcones, vos lumina, vos Angeli? at vbi? in prostibulo, in sterquilinio, in inferno. Quid? dicitis ne fidelem hominem impune posse adulterari, nihilque eorum, quæ ipse egerit, illi imputari? Sane ira me ita nunc exacuit, vti non aliter insilirem in Caluinistam, quam serpentē, aut Dæmonē. Quid ad hæc dicent? quod velum detectæ fæditati obtendent? Scio eos nihil iusti aut æqui posse in sui excusationem proferre. O tempora, o mores! quando extrema ignorantia & immanis fæditas ita dominantur! At cū respexero ad Romanam Ecclesiam, Deus bone quis fulgor, quis candor & venustas meis oculis obuersantur? Hæc me admonet, nihil Deo vsque adeo exosum ac peccatum, quo iustitia & cum Deo suauis sanctaque amicitia expelluntur. Hac de causa prædicat, ad introducendam in hominum animas innocentiam, cælestem filium è sinu sui patris in vterum virginis purissimæ dilapsum, pretiosum eius cruorem effusum, deuicta morte, profligato satana patris dexteram repetijsse, vti stolam immaculatæ iustitiæ inde nobis dimitteret. Apostolus etiam aperte enunciat, Sectariorum illam coinquinationem, & carnis

Puritas orthodoxi dogmatis in doctrina iustificationis.

opera nunquam ad prçmium peruentura. *Nolite errare, Deus non irridetur.* Quid existimatis vos inani fide posse Dei aspectum effugere & impune delinquere? Deus non irridetur, prçstigiæ vestræ eius oculos non perstringet. *Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem. Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Quis Philosophorum iam audiens apud Christianos huiusmodi placita pro effatis haberi, nimirum quod homini fideli omnia perçque sint licita, nihilque posse iustitiam fide semel acquisitam exterminare, eorum professionem non detestabitur, assertoresque nephandi dogmatis non conspueret? Misera videtur orthodoxorum condicio hac ex parte cultissimis suis ingenijs, ac innocuæ vitæ angelis cum his bardis ac porcis confligere. Pluribus supersedeo, partim dolore oppressus, partim iusta indignatione cõmotus. Apostolicum hoc duntaxat proferam: *Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Sit itaq; Caluinistæ Hieroglyficum Sphynx aut Harpia: ex fide quippe, veluti facie, mulier, reliquo corpore & actione brutum.

Gal. cap. 5.

1. Cor. 6.

Insignis illa vis meriti, quam orthodoxi bonis operibus adscribunt, mirifice hominis animum excitat ad virtutem: sicut è contrario, Sectarij vim illam eximentes, affirmantesque optima quæque vitæ instituta ac concilia, peccata esse mortalia: ad nepharias actiones non parum suos promouent sequaces.

CAPVT XXVIII.



Duo in virtute, quæ nos incitãt ad bonum: honestas & meritum.

Vm ex vitiosa humanæ naturæ in malum propensione, omnis eius constans actio, & ad regulam rationis expressa molitio, singularem quandam difficultatem adiunctam habeant, tum çquissimum fuit illam formam honesti ac pulcri in eadem elucere debere, ex cuius intuitu in homine flagraret desiderium traducendi vitam cum virtutis cultu, & iustitiæ integritate: ne absterritus animus eius visu, quasi nimis ardui negotij, prçclaris institutis penitus abstineret, imperiumque vitæ voluptatis

luptatis tyrannidi lubens demandaret. Duo autem sunt, quæ in humanis conatibus egregiam quandam speciem spectandam exhibent, si modo virtuti consenserint: ex quorum aspectu inflammari possumus recte operandi cupiditate. Prius, ipsa est honestas, virtutis color excellens, seu decus admirabile, de quibus superius disseruimus. Alterum, certus valor & pondus momenti, optimæ molitioni insidentia, quibus ęterna felicitas ęquitatis iure quasi emeritum stipendium, comparatur. Atque huius rei ęstimatione omnes ferme ad iusta & optima instituta prouocamur: tametsi insanæ cupiditates aliorsum trahant, ac solicitent affectum, cursusque impetum sistant. Neque hæc meriti ratio exquisitioris doctrinæ est inuentum, aut vafri alicuius ingenij excogitatum. Nam quot naturæ luce Numinis prouidentiam hominisque conditionem agnouerunt, ij omnes non confidentia sola, aut supina oscitantia freti, è cęlis bona fatali aliquo vel fortuitu defluxu effundenda expectarunt: sed operis contentionem adhibentes, inde existimarunt meritum constare, lucrum ac quęstum cum gratiæ tum etiam gloriæ prouenire. E portu soluens nauclerus, vti auspicato nauigationem instituat, Numen inuocat; clauum tamen manu tenet operi intentus, vt scribit Plutarchus. Idem ex pręcepto Hesiodi agricolę pręstiterunt: dum enim vota Cereri nuncuparent, stiuam manu complectuntur, quasi ad solertiam ac laborem animis parati. Aiax depugnaturus cum Hectore, suorum preces ad Deū efflagitauit: illis tamen supplicantibus se adornat ad certamē. Recte enim Cato: *Non votis neque supplicacionibus mulieribus auxilia deorum parantur, vigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt: vbi socordiæ te atque ignauiæ tradideris, ne quidquam deos implores, irati, infestique sunt.* Quod si verum sit in ijs euentis, quæ homini hac in vita obtingunt, nimirum in prosperis ac felicibus, contento non nisi opere & frequenti studio acquisitis, multo magis credibile ęterna illa felicitatis pręmia neminem nisi laborantem viresque exerentem manere. *Homini* (inquit Cicero) *datur ascensus in cælum, propter mentem, pietatem, virtutem, fidem.* Hanc spem, virtutis actione optime excultam vitam adferre Seneca agnouit:

Meritum ratio naturalis docet

Plutarch. lib de superstit.

Homer. Iliad. 2.

Saluft. de coniurat.

Cicer. Lel.

Senec. in Hercul. Furent.

——— ——— ——— *Quisquis est placide potens,*
Dominusque vitæ, seruat innocuas manus,
Et cruentum mitis imperium regit,
Animoque parcit, longa permensus diu
Felicis æui spacia, vel cælum petit:
Vel læta felix nemoris Elisij loca.

Quia

Qua in re optima ratione nobis ſuam Deus prouidentiam ſpectabilem fecit? Sicut enim duo bonorum genera exiſtunt, quę homini adueniunt; vnum animæ, alterum corporis: ita corpori quod ſuum erat gratis omnino adiecit, quod autem animæ eſt bonum, tanquam præmium actioni propoſuit: vt adnotatũ vidi ab Hugone Victorino: *Quod viſibile bonum erat gratis dedit, quod inuiſibile erat, merito quærendum propoſuit.* D. Thomas non obſcura ratione vim quandam meriti, quæ honeſtis inſit actionũ formis, ex naturæ ipſius principijs appoſite ſciteq; deducit. Nullus etenim exiſtit probus conatus expreſſus ab homine, qui non conferat aliquid ad boni communis, vt ipſe loquitur, incrementum. Nam ſi vlterius non progrediatur, ſed illius tantum animæ definiatur, qui eum elicuit; nihilominus quod quilibet pars ſit communitatis, ex eius quoq; perfectione aliquid ipſa ſocietas humana boni acquiret. Neque virtutis actio ſeiungi poterit ab honore Dei, quem vt vectigal illi pendit, aut velut ſplendorẽ dimittit ex ſe: ſicut vitium pariter vniuerſi bono repugnat, Deoque honorem detrahit; & ideo rationem ſubit demeriti. Vnde congrue concludit D. Thom. *Manifeſtum eſt, quod actus humani habent rationem meriti vel demeriti, per comparationem ad ipſum Deum: alioquin ſequeretur, quod Deus non haberet curam de actibus humanis.*

Hug. Victor lib. 1. part. 6. c. 1.

D. Thom. 1. 2. q. 2. art. 4.

Quod ſi ſcripturarum teſtimonia diſcutere velimus, nihil explicatius comperiemus in illis, quam quod bona fidelium atque iuſtorum opera beatitudinis cæleſtis ſint meritoria. *Omnis miſericordia* (inquit Sapiens) *faciet locum vnicuique ſecundum meritum operum ſuorum.* Et infinitis propemodum in locis expreſſe ſignificatur relatio inter actiones iuſtorum atque beatitudinem, tanquam inter meritum & ſtipendium ſeu coronam. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci, talibus enim hoſtijs promeretur Deus. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. Voca operarios, & redde illis mercedem. Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum paratum vobis, ante conſtitutionem mundi: eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare. Et tunc reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Ecce venio cito, & merces mea mecum, reddere vnicuique ſecundum opera ſua.* Quid luculentius in ſcripturis expreſſum, quam quod beatitudo ſtipendium ſit bonorum operum? Earum authoritate muniti hæreticorum partibus inſultamus plane, ſumma controuerſiæ ſcripturis ac iudiciũ ſupremum committantur: noſtra erit victoria, & in omnium oculis triumphus: Dei ipſius chirographum habemus; quis nobis litem amplius intentabit? Sectariorum vero tergiuerſationes, veluti anguillarum in cæno inflexiones ac ſpirę ineptiſſimę ſordidiſſimęque. Quod ſi Patrum explicationes

Meritum adſtruunt ſcripturæ.
Eccli. 16.
Heb. 13.
Matth. 5.
Matth. 20.
Matth. 25.
Matth. 16.
Apoc. vult.

cationes vel Conciliorum sententias hac in re exquirere vellemus: Romanorum omnia videbuntur. At refugiunt illi hoc genus testimonij: vltro fatentur commune antiquitatis fuisse erratum, dum veteres omnes sanctissimique viri istorum bona opera meritoria esse docuerint. Huc itaq; recidit exagitata controuersia: num scripturarum expressis verbis, & vnanimi Patrum consensui fides sit adhibenda, vel potius pauculis quibusdam Sectarijs male inter se coherentibus, inscitia obrutis, fastu turgidis, flagitijs coopertis. Nihil ergo attinet myriades Patrum congerere, eorum dicta huc coaceruare, quod & multi prestiterunt: nam hos omnes agnoscunt Sectarij in hac quęstione nimium Romanos, ac meritorum assertores. Eos tamen ignorasse dicunt crucis mysterium, & propterea falsa quædam de operum valore commentarijs suis inseruisse. *Vid. præfat Canisij in Epist. D. Hieron.*

Veruntamen, vti clarius orthodoxi dogmatis vera sententia constet: meritorij operis causæ atque conditiones prius decernendæ videntur. Principio necessarium, vt qui ęternam remunerationem condigno opere promereri dicatur, is iustus sit, & in numero filiorum Dei ipsius munere constitutus. Nam (vt asserit Concil. Trid.) præmium illud cæleste non nisi filijs Dei est promissum. Insuper requiritur vti actio, qua meretur quis, libera sit, vel quoad exercitium aut specificationem: ex obiecto quoque & circumstantijs bona honestaque existat, quæque dimanet ab influxu Christi in suos; qui vt inquit Concil Trid. *Tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter influit. Quæ virtus bona, eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritorio esse poßunt.* Simile extitit iudicium Concilij Aurosicani: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare aut eligere absque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suauitatem in consentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur Spiritu.* At constitutionibus istis causa orthodoxorum omni Pelagianæ hęreseos suspicione plenissime liberatur. PrętERquam enim iudicio nostro, vt opus dicatur meritorium, hoc pacto requisitum sit vt fiat libere, vt versetur quoque circa obiectum bonum, atque supponat iustitiam ex dono Dei in illo, qui operatur; vlterius requiritur vt fiat à gratia interiori, excitante & adiuuante; quam meritis Christi acceptam referimus, quamque iustorum bonis ac probis actionibus perenni quodam influxu adesse concilium Tridentinum definiuit. Incitari itaque debemus ad bene operandum pia aliqua iniecta cogitatione, quam appellat Tridentina Synodus vocationem Dei: eamque partitur Augustinus in con-

Quænā ad meritū requiruntur.

Cōcil. Trid. Seß. 6. c. 16

Cōcil. Aurosi. 2. c. 17.

Meritum effectus gratiæ duplicis.

August. tract 16. Ioan. de bon. perseu. cap. 14. lib. 1. ad Simplic. 42. de corrept. & grat. cap. 7. de prædest. sanctor. cap 3. & 19.

in congruam, seu secundum propositum, & non congruam. Prouocamur etiam nonnunquam ac præuenimur à Deo illato nobis bono motu voluntatis indeliberato ac subitaneo: cui sicut & vocationi liberrime consentire possumus: ita vt prima diuinæ gratiæ impressio in nobis sit suasio quędam, vocatio, & illuminatio à Deo: quę operationes sunt mentis; quod mille in locis inculcat Augustin. Atque hinc statuit Concilium Tridentinum nos liberrime Deo cooperari. Quando autem efficaciter id volumus consentientes, quod diuinitus suadetur, reperitur tunc in nobis virtus gratiæ adiuuantis & cooperantis: eademque mentis collustratio seu vocatio Dei, voluntati cooperatur ad assensum eliciendum: vti expressissime decernit Concilium Tridentinum. Quando (vt inquit D. Augustin.) Deus suasionibus suis facit vt velimus: & cum congrua mentibus audimus verba, vel signa conspicimus. Quamobrem sicut ortus & principium operis meritorij desumuntur à gratia Dei excitante & adiuuante, ita eiusdem valor vti à quodam fonte deriuatur ab illa gratia habituali, quæ vera est coram Deo sanctitas animæ & iustitia: eatenus meritum existit, quatenus ex se bonum, ab homine iusto atque Dei amico profectum. Quod quidē aperte significauit Celestinus Papa: *Tanta enim erga homines est bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona: & pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donatus.* Atque vt definit Concil. Aurosic: *Debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia, quæ non debetur, præcedit, vt fiant.* Ex quibus etiam liquet, quam crassa ignorantia cum singulari maleuolentia sectariorum animos hactenus tenuerit; qui nobis orthodoxis exinde Pelagianismum affingere voluerunt, quod operum merita sensentijs nostris stabiliuimus. Quid? an nō Celestinus Papa, Concilij Aurosicani Patres optime mentem Pelagij nouerunt, cuius errorem damnarunt ac eliminarunt? Hi tamen (vt iam vidimus) operum bonorum meritum agnouerunt ac deprædicarunt. Discant iam tandem (si velint) Pelagium reiectum ab Ecclesia, non quod meritum adstruxerit, sed quod illud sine gratiæ adiutorio constituerit. Nos autem ad minus triplicem gratiam operi meritorio requisitam decernimus: excitantē, cooperantē, & sanctificantē. Facessant quoq; calumniari nobis, quasi meritis nostris Christi glorię ac dignitati quidpiam detrahere velimus: fatemur enim influxum eius gratiæ, radium illius solis, principium esse nostri meriti: eoque magis deprędicandam Christi virtutem dicimus, quo intelligimus non solum in ipso, veluti in fonte, veram iustitiam ac meritum extitisse: quinimo ipsius dono etiam in nobis iustitiā meritumque florere. Nisi vitio vertendum sit

August. de spir. & lit. cap. 34. de bon. perseu. cap. 14.

Celestin. tom. 1. Concil.

Concil. Aurosc. 1. c. 18

Merita nostra Christi gloria.

viti,

viti, quod eius palmites ſucculenti ſint, quod ſoboleſcant, vuaſq; proferant: vel fonti, quod plenis gurgitibus & elicibus flumina inde deducta vberrime decurrant. Excutiant tandem Sectarij extremam hanc ignorationem.

Duo autem ſunt, quę in orthodoxorum ſcholis diſputatione verſari ſolent. Prius, num ſola coniunctio ex parte ſubiecti operis boni, etiam facti ex gratia Dei pręueniente & adiuuante, cum gratia ſanctificante ſufficiat ad virtutem & valorem operis meritorij: vel an ad meritum vitæ æternæ condignum requiratur imperium aliquod charitatis: ita vt opus illud bonum actu vel virtute, nempe ex vi prioris intentionis, referatur in Deum ſumme dilectum, eiuſque amoris ergo ab homine exprimatur. Communior receptiorq; penes recentiores Theologos ea exiſtit ſententia, qua dicitur ad huiuſmodi meritum prorſus requiri imperium illud charitatis, ac relationem in Deum: neq; ad illud facere ſatis vnionē cum iuſtitia, tametſi aliunde moraliter ſit bonū opus effectumq; à diuina gratia. Ita Barthol. Medina, Illuſtriſſimus Card. Bellarminus, pręceptor meus: cuius eximia doctrina, cum pręſtantiſſima illa animi ſubmiſſione, non minus olim ſcholam illuſtrauit, quam nunc eius purpura conſiſtoriū: Greg. à Valent. & alij: antiquiores etiam ſequuti, Scotum & Durandum. Quæ quidē opinio duobus vel maxime innititur. Primum, quod Sacrę literæ vim hanc meritoriam paſſim attribuant charitati, illique referant promiſſam ęternam beatitudinem. Alterum ducitur ex ratione: inde nimirum quod nihil apud aliquem remuneratorem quicquid præmij vllus meretur, niſi eius intuitu opus fiat: eapropter neceſſariū videtur vti Dei amor illos imperet actus, qui meritorij cenſentur. Ceterum alij, grauiſſimi quoque Theologi, aliter ſentiunt ac ſtatuunt, relationem nempe hanc operum ex charitate in Deum non vſque adeo eſſe requiſitam: quin abſque ea exiſtat meritum, modo adſint reliqua quæ ſupra recenſuimus. Ita doctiſſimus Victoria, Dominic. à Soto. Card. Caietan. Capreol. & alij. Quorum ſententiam ſi exacte ad doctrinam Concilij Tridentini expendere velimus, vero omnino conſentire reperiemus. Cum enim illud Concilium influxum perennem Chriſti in iuſtos enarraſſet, hæc ſubiunxit: *Nihil ipſis iuſtificatis amplius deeſſe credendum eſt, quo minus plene illis quidem operibus, quæ in Deo ſunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia diſceſſerint, conſequendam, vere promeruiſſe cenſeantur.* Sunt itaque ex mente concilij ea iuſtorum opera meritoria, quæ in Deo ſunt facta. Hoc autem prouenire inde ſuperius dixerat, quod Chriſtus in eos

Vtrum ad meritū requiratur imperium charitatis.

Medina 1. 2. q. 114. art. 4. Bellarm. lib. 5. de iuſtif. cap. 15. Valent. 1. 2. de effect. grat. q. 6. diſp. 8 pūct. 3. Scot. in 1. d. 4. 1 q. 10. Durand in 1. d. 4. q. 2.

Victoria relec. 7. Sot. lib. 3. de nat. & grat. cap. 4. Caiet. 1. 2. q 21. art. 2. Capreol in 2 diſt 40. Cōcil. Trid. Seſſ. 6. c. 16.

tanquam vitis in palmites iugiter influat, efficiendo in illis gratiam, quæ eorum bona opera continuo antecedit, comitatur, & subsequitur. Quam quidem gratiam, ex tali iugi Christi influentia, omnia prorsus bona iustorum opera annexam habent. Quocirca hinc absque relatione ex charitate, quæ minime omnibus eorum bonis operibus adest, sufficiens causa meriti constituetur. Atque in operibus Christi Domini hoc clarissime elucet: in quibus inerat meriti valor infinitus, ratione solus vnionis hypostaticæ ex parte subiecti, absque relatione eorundem in Deum ex charitate. Quod itaque in Christo præstitit absque finitione gradus vnio personalis, hoc in operibus iustorum bonis efficiet restricte & moderate gratia iustitiæ & sanctitatis. Quando autem scripturæ vim merendi charitati adscribunt: docent tantum inter omnes aliarum virtutum actus, hunc charitatis in genere meritorio esse eminentissimum: atq; habitualem gratiam, quam habitualem appello (de more scholę celebrioris) charitatem, principium esse merendi: vnde omnia iustorum opera suum valorem mutuantur: interim relationem illam ex charitate omnino necessariam esse denegemus. Quod vero dicebatur intuitu remuneratoris merita existere: esto verum sit; hunc tamen intuitum de integro in relatione ex charitate non constituimus: sed in eo potius quod hominem Deus destinarit ad finem supernaturalem, ipsumque suæ gratiæ impulsu instigarit ad optima virtutum instituta: quæ ipsius amori ac honori ancillantur.

Vtrū opera propriā habeant iustitiam.

Alterum, quod in disceptationem venit est, vtrum opera meritoria, ex iustitia illa habituali profecta, in suo genere formam contineant iustitiæ, distinctam à gratia sanctificante: vel an omnis iustitia illa sola habituali gratia includatur. Quęstio in duplici specie actuum institui poterit. Primo, circa eos, qui disponunt ad hanc iustitiam, maxime qui censentur vltimæ dispositiones ad eandem: vtpote actus contritionis & amoris erga Deum. Secundo, quęritur de operibus bonis, quæ supponunt hanc iustitiam infusam. Circa prius nonnulli autumarunt actum talem contritionis seu amoris formalem esse iustitiam ex se, dignamque satisfactionem pro peccato: tametsi secretus esset ac separatus à gratia habituali: eo quod huiusmodi actu recedat affectus à peccato, conuertatque se ad Deum. Existimo tamen nullum actum, seorsim sumptum à gratia habituali, formalem iustitiam implicare, sed meritoriam tantum de congruo, aut dispositiuam: quod & clarissime mihi definire videtur Concil. Trident; cum dicat actum amoris ac contritionis disponere ad iustitiam, ac implorare veniam peccatorum:

Amor Dei & contritio ante gratiā infusam nō sūt iustitia. Cōcil. Trid. Sess. 6. c. 7.

non

non ergo ſunt ipſa forma iuſtitiæ, expiatio plena delicti, aut deterſio illius maculæ: hæc enim primo conueniunt habituali iuſtitiæ, cui viam muniunt actus illi, vti diſpoſitiones accommodæ. Si autem ſermo ſit de eis actibus bonis, qui ſupponunt iuſtitiam habitus & qualitatis, ac ab illa actu procedunt aut virtute: Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus exiſtimat, nullum huiuſmodi actum hominem formaliter iuſtum conſtituere, ſed meritorie ſolum: quod ſane haud improbabili coniectura elici videtur ex verbis Concilij Tridentini. Nam cum declaraſſet Concil. quinam virtutum actus neceſſariæ eſſent diſpoſitiones ad iuſtitiæ gratiam: hanc ipſam, quam à quolibet actu diſtinguit, affirmat vnicam eſſe cauſam formalem iuſtificationis noſtræ. Vnde iſtius quidem incrementum mereri poterunt bona opera, nunquam tamen iuſtitia erunt formalis. Vt in hac re quid ſentiam dicam: iudico negari non poſſe, quin fatendum hæc bona opera iuſtorum in ſe formaliter habere valorem meriti, qui alia ſit forma ab ipſa gratia habituali. Nam valor iſte non exiſtit, niſi homine ſtudioſe operante: & nunc maior eſt, nunc minor: idcirco aliud quid erit à gratia habituali, tametſi ex ea dimanet. Quod ſi verum ſit, mihi difficile tunc videtur valorem hunc ſupernaturalem, cui pręmium cęleſte reſpondit, ſecernere à iuſtitia formali. Nam ſicut operationes virtutum moralium, vtpote iuſtitiæ, hominem conſtituunt bonum ac iuſtũ, pluresque actus meliorem ac iuſtiorem: tametſi habitus omnino non darentur: ita operationes ſupernaturales, profectæ ex iuſtitia, hominem reddent bonum ac iuſtum, & frequentæ meliorem ac iuſtiorem. Nam quo quis maius pręmium apud Deum meretur, eo ipſo formaliter (licet habitus incrementum non capiat) dignior eſt ac dignior mercede, Deo charior ac charior, ſanctior & ſanctior. Iam mihi ſeparari & diſcriminari non poſſe videntur à iuſtitia, dignitas ad pręmium, ſanctitas, honeſtas ſupernaturalis, aut illud, quod hominem Deo chariorem reddit. Habebunt itaque hæc merita in ſuo genere formalem iuſtitiam: nimirum actualem. Neque iſtis obſtare exiſtimo authoritatem Concilij. Nam cum dicat habitualem gratiam vnicam eſſe noſtram iuſtitiam formalem, intelligit eam primam, ad quam deſtinantur diſpoſitiones actuales, atque ab hac manare in actus quoſcunque actualem iuſtitiam: ſicut ab eadem profluit valor meriti. Sane Philoſophi in actu pręcipuum hominis decus & ornamentum collocarunt, ad quem habitus referuntur. At in iſtis nihil tam ſpectandum, quam Concilij decretũ. Proinde priorem ſententiam non auſim repudiare: ſolum oſtendere volui, quid mens mea in illa difficultatis conceperit.

Bellar. lib. 2. iuſtif. cap. 15.

Ariſt. 7. Eth. cap. 17

Quænam cadunt sub meritum. Quæ autem sub hoc meritum cadunt, duo præsertim sunt, retributio nimirum æterna, augmentum gratiæ & iustitiæ: cetera vt ad hęc spectantia. Felicitatem quidem sepius scripturæ coronam, brauium, denarium diurnum vocitant: quibus nominibus indicatur actionibus iustis eam vti meritis respondere. Ad huius autem acquisitionem plane necessaria diuina promissio, nostris operibus felicitatis pondus vti pręmium constituens. Stipendium enim ex iure æquitatis laboranti non debetur, nisi conuentione prius facta. Multum tamen displicet quod Gregor. à Valent. sentit: qui seclusa hac gratuita Dei pollicitatione, ita de operum valore pronunciat: *Longe superat illam præstantiam dignitas æternæ vitæ.* Hinc namque sequitur, nullum hominis iusti opus in rei veritate valorem condignum habere pręmio cęlesti: sed omnem poni in acceptatione Dei ac fauore eius extrinseco. Quemadmodum illi sentiunt de iustitia infusa, qui dicunt sine noua imputatione meriti Christi & Dei benignitate superaddita, illam veram non esse hominis iustitiam, aut debitam plenamque peccati expiationem: quod omnino Concil. Trid. reiecit: sic enim homines re ipsa iusti non essēt, sed fauore tantum extrinseco ita denominati. Eadem nota eorum sententia inurenda, qui operum valorem reuocant non ad influxum gratiæ & iustitiæ, sed ad promissionem Dei: sic enim summa & forma illius valoris ab extrinseco Dei fauore dependerent: quod sane Tridentinę Sinodo prorsus repugnat. Huic etiam valori non solum debetur gloriæ corona, cuius semen dicitur & arrha, sed & augmentum iustitiæ. Hoc luculentum faciunt ea scripturæ loca, quæ diuersitatem pręmij cęlestis indicant. Nam vt testatur Sapiens: *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Et D. Augustin: *Non gratiam Dei aliquid meriti præcedit, sed ipsa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici.*

2. Tim. 4. 1. Cor. 9. Matth. 20.

Valent 1. 2 q. de effect. grat. disp. 8 punct. 4.

Cōcil Trid. Sess. 6. can. 11.

Prouerb. 4. August. n. Ep. 106.

Opinio orthodoxorū de merito honestati fauet. Hoc autem orthodoxorum dogma de operum valore susceptum, si vitæ innocentia morumque candor spectentur, ipso sole purius ac nitidius comparebit; vitam sane nostram auream gemmeamque reddit. Curam adfert & peruigilem animæ solicitudinem, ne vasis fictilibus æternæ gloriæ pondus illatum excidat aliquando, nobisque pereat. Animos adducit rectissima istec opinio, vt ne cunctanter quidem aut languide difficilia, & quæ hęroica sunt virtutum opera, aggrediamur: sed potius vti omni alacritate expediti, optima spe erecti, durissima quæque tentemus ac superemus: stellis plane animam carnemque insignit, Salomonis thronū exquisita opera exornat, in quo resideat imperetque cęlestis ille Spiritus, ac diuinum Numen. Qua æstimatione imbuti homines, imitantur diligentiam ac mirabilem illam formicæ solertiam.

solertiam. Cogitantes etenim se breui ex hac vita ad aliam transituros, nihil socordiæ in hac mora concedentes, bonorum operum thesauros præmittunt, qui in ipsis cælis recondantur. *Quo fur & latro non appropiant.* Causam ipsorum apud Deum emolumenta hæc virtutum agere arbitrantur; illisque refugium præparare: vbi tanquam post diuturniorem iactationem, ex hoc mortalis corporis æstuoso mare eiecti, etiam cum fodere non valent, & mendicare erubescunt, suauissime excipiantur. Congestis itaque optimarum actionum diuitijs, quæ vna nobiscum ad supernos euolant, securi reddimur: quæcunque demum calamitas, casus, vel mortis inopina acerbitas in nos inuaserint. Pecuniæ quidem contento studio corrasæ fisco addictæ pereunt, aut nobis penitus excidunt: & cum ad funus ventum fuerit, nudos nos relinquent & imparatos. Hominē applausus tunc silebunt, fastigium honoris ad pulueres dimissum lugubre aut nullum apparebit: pristinos excursæ vitæ ac diurni solis splendores atra nox abscondet, tempusque edax gestorum memoriam obliterabit. At merita, si quæ expresserint mores nostri, animam munient perpetuo, atque ad iudicis supremi perferendam sententiam eam idoneam constituent, ac bene comparatam exhibebunt. Præmiorum spem illi ingerent, quæ vim fortunæ vt auferantur, nostramque intelligentiam, vt percipiantur, longissime superant & excedunt. Quid acrius hac opinione ad virtutis institutum? quid fortius ad sustinendum mortis aut alterius infortunij malum? *Quæ autem* (inquit Cyprian.) *charissimi, operantium gloria? quam grandis & summa lætitia? cum populum suum Dominus ceperit recensere, & meritis atque nostris præmia promissa retribuere; pro terrenis cælestia, pro tēporalibus sempiterna, pro modicis magna præstare?* Et vt ex cupiditate auri auarus omnia oculis lustrat, vnde lucri odor aliquis possit efflari, manu, quæ arripuerit, probat solerter, immensa terrarum spatia emetitur itinere: ita cuius animo insiderit altius ea fides, qua creditur optimis virtutū conatibus cælestem beatitatem, vti stipendium atque præmium exponi acquirendum, nihil boni intentatum relinquet sanctissime auarus, & auare sanctus: vnde in momento actionum ad coronam spectante ditior eiusque copia auctior euadat. Asperum est virtutis studium, spinis implexum: at meritorium, quæstuosum; proinde gratissimū, suauissimum, & floribus respersum. Hæc vna vis meriti mentis cogitatione concepta, homines aquilas facit agili penna ad superos conuolantes; ceruos efficit velocissimos, cum vitiorum serpentes extinxerint, ad aquarum fontes properantes, qui effluunt in Paradiso Dei: pugnaces & quasi feroces leones constituit contra hostes quoslibet cum virtutis tum veritatis.

Hæc

Luc. 12.
Luc. 16.
Cyprian. Ep. 57. serm. de eleemos.
Matth. 12.

Hæc gemma eſt, quam ſapiens ille ſuis rebus inſumptis prouide eſt mercatus, præcium coronæ eſt, pro qua vel abiectiſſimus acriter decertaret; denique animi eſt munimentum aduerſum mala omnia, atque ex ipſis malis optimus prouentus.

Quocirca D. Cyprianus, cum pręuidiſſet mente certiſſimis inſpectis ſignis, atram quandam diriſſimæ perſequutionis nebulam Eccleſiaſticæ pacis & amęnitatis ſolem, quo tunc pij fruebantur, illorum oculis erepturam breui, eos iſtis eſt adhortatus: *Diuinæ miſericordiæ concilijs ſalubribus admonemur, appropinquare iam certaminis & agonis noſtri diem: ieiunijs, vigilijs, orationibus inſiſtere cum omni plebe non deſinamus: incumbamus gemitibus aſſiduis & deprecationibus crebris: hæc ſunt enim nobis arma cæleſtia, quæ ſtare & perſeuerare fortiter faciunt.* Indidem virginitatis, cęlibatus, & viduitatis cultus penes orthodoxos procedit: hinc fluunt alia opera aſpera quidem & difficilia, vtpote ieiunium, carnis maceratio, ipſius vitæ ac ſanguinis liba, in quibus ſpes vna meriti & retributionis nutantem ceteroquin animum erigit & ſuſtentat: creditur ſiquidem in vanum ac caſſum non effundi tantam contentionem, neque inutiliter prorſus perpeſſionem hanc fore ſuſceptam. Nam vt inquit Tertull: *Non poſſunt ſeparari in mercede, quæ ſancta opera coniungit, nam & ſacrificia Deo grata, conflictationes dico animæ, ieiunia & ſeras & aridas eſcas, & appendices huius officij ſordes. Virginitas quoque & viduitas & modeſtia, de bonis carnis Deo adoletur: cuius mundicias amat, cuius caſtigationes probat, cuius paſſiones ſibi adpreciat.*

Cyp. Ep. 57.

Tertul. lib. de reſur.

Quod ſi quis animo ſit excelſiori, & diuinę gratiæ ſubſidio cõnixus, ad eminenrem felicitatis gradum adſpirat: vnicum is medium habebit operis meritorij inſignem pręſtantiam. Nemo autem eſt, qui diuinis Chirographis fidem adhibet, diffitebitur diſparem eſſe ſortem & conditionem beatorum. Iouiniana dementia aliter ſenſit, Lutherana vecordia contrarium ſtatuit: ſed quid hi, ſi conferantur cum luculentis Scripturæ teſtimonijs, cum Catholicæ Eccleſiæ proceribus? *Vnuſquiſque* (inquit Apoſtolus) *propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* En mercedem, en eiuſdem inęqualitatem ex laboris diſcrimine. Quid cęcutis, quid fugis, quid deliras Sectarie? *Sicut ſtella à ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.* Cęlo infixæ ſunt omnes ſtellæ, ſed non eadem claritudine fulgent: ita beati felicitatis communem quandam rationem habent, illam nimirum quæ in Dei aſpectu collocatur, vnus tamẽ inde alio beatior. Longe etenim abſurdũ eſſet, ſi nullum mercedis diſcrimen militem triarium aut ducem veteranum ſecerneret à nouitio, gregario, vel tyrone: ſi nihil maioris pręmij eum reſtaret, qui ſedulo ipſã vitã idq; ab infantia detriuit, & poſuit in exercitio virtutum

Merito ſtatuitur ex præmij inæqualitate, & eo homines incitãtur ad virtutem.

Iouin apud Hieron l. 2 cont. ipſum

2. Cor. 9.

1. Cor. 15.

tum, quam alium flagitiose ętatem transigentem, & sub mortis articulum vno fidei actu Dei promissis credentem. Quis hæc audiens multum laborabit de innocentia, de bonorum operum studio? Sectarij minime quidem actioni intendent, qui cum summa horrendaque blasphemia eandem iustitiæ & æqualem vim vetulæ aut cuiuis fidelium popularium decernunt, ac Christo Domino. Ceterũ orthodoxi diuersos gradus constituentes cum in iustitia ac sanctitate, tum in præmij ipsius donatione, feruentes & exacuati plane euadunt ad virtutũ cultum: intelligentes omnem illam discrepantiam ex actionum formis oriri & propagari. Proinde fortiter agendo ferendoque sibi statuunt vitæ rationem ineundam: hinc lucrum, hinc quæstum, hinc gloriam & coronam expectantes. Nam vt inquit D. Cyrill: *Si parum laboraueris, parum accipies; si vero multum operaberis, multa te merces manet.* Quod quidẽ ita rationi est consentiens: vti in ipsa Dei prouidentia defixas sui habeat causas. Si enim ad Deum humanarum rerum cura spectet, ipseque (vt Apostolus definit) laborantium sit remunerator, euidens omnino est pro qualitate operis & contentionis, prẹmium homini rependendũ. Est iustus iudex, est cordiũ inspector Deus, omnia trutinat, rectissimeque prẹmiat. An non impij Sectarij, qui vim meriti eximentes Dei prouidentiam penitus tollunt, aut prępolsteram reddunt? Si meritum non existat, vbi iustus iudex? vbi libra, vbi tribunal, vbi factorum inquisitio, vbi ventilabrum, vbi ignis, vbi horreum, vbi Deus? Alius sensus fuit Tertulliano, qui asserit: *Quomodo multæ mansiones apud patrem, si non pro varietate meritorum; quomodo stella à stella differt à gloria, nisi pro diuersitate radiorum?* In eandem quoque sententiam Clem. Alexand: *Proportione habita sunt variæ mansiones pro dignitate & meritis eorum, qui crediderunt.*

Cyrillus hierosl. Catech 15.

Rom. 1.

Tertul. in Scorp.

Clem. Alex 6. strom.

Lustremus modo oculis tenebricosa & Ægyptiaca Sectariorũ castra: si tamen molestum non sit splendentes orthodoxorum cætus, stelliferum horum cęlum aspectu deserere, & nescio quas paludes & lacus pessimorum hominum intueri. Hi quidem Gnosticos & Catharos agunt; nihil noui excogitare aut inuehere hactenus potuit ipsorum tarditas: vetera solum postliminio reuocauit & amplificauit. Nihil etenim meriti honestis actionibus attribuentes fędo & polluto dogmate Euangelium corruperunt, omni scelerum turpitudine terrarum orbem coinquinarunt, libertatem peccandi hominibus concedunt, affirmantes quaslibet pessimorum conatuum fęces vna fide idque in momento absorberi: hos autem veris coloribus, eisdemq; antiquissimis, expressit D. Ireneus: *Nos quidem orthodoxos, qui per timorem Dei timemus*

Hæretici impuri meritum negantes.

Iren. lib. 1. cap. 1.

etiam vsque in mentibus nostris & sermonibus peccare, arguunt quasi idiotas & nihil scientes. Semetipsos extollunt, perfectos vocantes & semina electionis. Quapropter nobis quidem, quos Psichicos, animales vocant, & de seculo esse dicunt, necessariam continentiam & bonam operationem, vti per eam veniamus in medietatis locum: sibi autē spiritualibus & perfectis vocatis nullo modo. Iam videbimus an Lutherus & Caluinus in eandem cum Gnosticis lacunam deuoluti sint, nec ne; aliosque eo pręcipitare sategerint. Notissimum est Sectarios de quodam suo spiritu gloriari: mirifice sane hunc spiritum venditant: in popinis & lustris, mustoque pleni spiritum eructant: ijdem in rostris insulsissime, & ad risum audientium differentes, vel rabide in orthodoxos debacchantes, spiritū suum immaniter effundunt: nihil demum moliuntur sine spiritu vigiles aut dormientes. Quo spiritu fretus etiam sutor audaciter pronunciat se in sui cerebri cancellis confessum habere concilij genaralis, quo de omnibus in fide controuersis, aut in scriptura obscure dictis, tuto ac veraciter definire possit. Nos vero illorum fabulis, monstris, & enthusiasmis fidem non adhibentes, psichicos seu animales & rudes vocitant, homines in tenebris educatos & Cimerios. Quam belle apteque Gnostici illi: nos orthodoxi! An vero etiam in reliquis simpathiam habeant cum eisdem, ex Lutheri verbis id colligi valebit. *Erga Deum nullis operibus, sed nuda indigemus fide.* Consectarium est irrita facienda emissa vota, ableganda ieiunia vt insuauia, bonorum operum difficilem vsum ad superstitiosos Romanos amandandū: ita Gnosticus Lutherus. Et ne existimaret quispiā in probis honestisque concilijs elegantem elucere aliquā formam, cuius aspectu animus ad recta officia incitaretur: vultum & faciem quasi pręclarę contentionis tanta dignitate nitentem fędissima labe deformauit Lutherus: omnia bona opera, etiam peccata esse mortifera, Deo inuisa, hominisque naturæ contraria adstruens: *Constanter dicimus* (inquit) *orando etiam peccare iustum, iuxta illud Psalmi, & oratio eius fiat in peccatum.* Et alibi: *Omnia opera bona, etiam optime facta, sunt peccata, & quidem mortalia secundum Dei iustitiam.* Demum hæc: *Quanto sceleratior es, tanto citius Deus gratiam infundit.* An non hac acutissima ardentiaque sunt calcaria ad honestatem? Quis Lutherana imbutus fide amplius curabit bene operari? nisi alicui curæ esse oporteat grauiter peccare, & diuinam maiestatem offendere. Iniquitas est pariter (Caluino docente) orare Numen, eleemosynis indigentium inediam subleuare: tutius idcirco, imo honestius ac melius omnino (ex horum sententia) ab istis actionibus, quæ dicuntur bonæ desistere, quam illas suscipere: in illo enim innocentia, in hoc culpa. Atque Caluinistico

Luther. Serm. de pisc. Pet.

Serm. de Ascention. Art. 32. Serm de pisc. Pet.

more

Nihil Caluinistæ melius, quã ſomnus aut phreneſis.

more homini iuſto optabiliſſimum erit perpetuo dormire, lithargo oprimi, aut à mente excidere: ſic enim noxa vacaret: fides autem ſemel acquiſita floreret perpetuo, Chriſtique iuſtitiam eadem ſibi arriperet: quo nihil diuinius aut perfectus: ſin vero vigilet (quod raro facit) & quidpiam actione moliatur, id omne ilico peccatũ eſt. Añ non proinde tutius dormire, quam vigilare, furere, quam ratione duci, otio torpere, quam operi inſiſtere? Nam qui poſt infuſam fidem totam vitam ſtertit, ęqualem iuſtitiam habebit cum illo, qui vel Apoſtoli munere eſt defunctus, & pauciora peccata: quicquid enim iſte geſſerit, peccatum eſt, Dei odium continens. Quam felix Caluiniſta, ipſius etiã iudicio, ſi modo ſemel parta iuſtitia lethargicus cõtinuo eſſet, aut papauere potatus. Neque Chriſtus auguſtius beneficium ſuis modo iuſtis conferre poterit, quam ſomnum aut phreneſin. Votis potiuntur ſuis: de iuſtitia quippe ſomniant perpetuo, & in nos indeſinenter furent. Beſtias haſce & delirones quis vlterius diſputatione inſequeretur, cum dicant nihil homini iuſto beatius accidere quam ſomnum aut animi deliquium? Vel ſi id pernegent, ex ipſorum placitis apertiſſime ſequi comprobatum eſt. Atque vt Gnoſticæ turpitudinis fundum attigiſſe videatur Lutherus, ne aliquis fidens Dei promiſſis peccandi malo abſterritus, ſuam in omnibus libidinem non expleret, hæc intulit: *Vide quam diues ſit homo Chriſtianus, ſiue baptizatus, qui etiam volens non poteſt perdere ſalutem ſuam quantiſcunque peccatis, niſi nolit credere. Nulla enim peccata illum damnare poſſunt, niſi ſola incredulitas. Cetera omnia ſi credat, vel ſtet fides in promiſſionem diuinam baptizato factam, in momento abſorbentur per eandem fidem.* Quam voracem fidem iſte comminiſcitur? *Et habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius.* Tandem indulgentias largitur Lutherus, ac fideli poteſtatem facit ſcortari, ſanguini inſidiari, datam fidem violare, patriam prodere: hæc enim vna fide abſorbentur. Quales iſtæ ſorbitiunculæ? Vti ebrietate Saxonica vinum, ſic fide Lutheranica peccatum abſorbetur. At non Theologus argumento fretus in hunc canem inſurgat amplius, ſed potius ciuilis magiſtratus fuſtæ maſtigiam abigat. Epicuręus prorſus ac Gnoſticus Lutherus. Et tamen quorundam iudicio homo diuinitus miſſus ad purgandam Eccleſiam. Purgauit ne? quibus dęmum pharmacis? ipſis peccandi libidinibus, & quadam fide vorattrice ſcelerum, & ad inſtar aquæ fortis exedente rubignes criminum. Sed eat ad ſtigem medicus iſte cum purgamentis ſuis, vnde emerſit. Neque Luthero Caluinus quicquam innocentior ac purior videtur; niſi forte Sodomiticę flammę ipſum decoxerint: qui actionibus virtutũ nihil defert, ſed potius criminis omnes inſimulat. Cui ſi

Luther. in captiuit.

Iob. 40.

Indulgentiæ Lutheranicæ.

aliquis consentiat, is nihil pensi habebit bene operari: prȩterquam enim quod honesta institutio sensui sit insuauis & molesta, implicat quoque de mente ipsius maculam peccati: alia autem tetra facinora horum vnum tantum habent; appetitui namque arrident, tametsi fȩda sint & deformia: quod malum fides statim etiam aufert & absorbet, vel quodam inuolucro tegit. An non ad prudentiæ normam rectius erit idcirco voluptates consectari, quam virtutes? Porro quis ad ea studia vitæ aspera se accinget & comparabit, quæ vanissima sunt, & in nihil tandem abitura? Huiusmodi ex mente Caluini censentur omnes plane virtutum molitiones. Etenim susceptæ iustitiæ augmentum non adferunt, neque prȩmium in cælis habent: intercidunt ergo tandem, & perinde erit ac si expressæ nunquam fuissent. Disuademus hominibus studium diuitiarũ, cupedias, & alia sensuum blandimenta, vtpote aucupia, venationes, & similia, eam adferentes rationem, quod vana sint, & breui interitura: neque aliquid illorum aduentante fato remansurum. Sectarij operis meritum dum inficias eunt, pariter fatentur bonas actiones res esse vanas; quandoquidem funeri & cineribus in nullo ipsorum effectu, veluti prȩmio supersint: extinquuntur itaque, cum halitu extremo; nihil post se relinquunt. Et quemadmodum corporis cultus, victus elegantia, ingruente morte velut vmbræ fugiunt, nosque nudos deserunt: ita si veri sint Sectarij, omnes virtutum conatus in vita editi, cum mors sensus oppresserit, peribunt, ac in tenuem solum famam viuentium resoluentur. Si hoc non sit studiosæ vitæ neruos succidere, atque in hominis pectore exilientes flammas virtutum plane expellere, nihil ad illud vel à Satana inuentum conducet: vt enim inquit D. Ambrosius: *Quæ virgo audiat nullum præmium esse integritatis, & non ingemiscat? (absit enim vt facile credat) certe vt non studia deponat, & intentionem suæ deflectat? Quæ vidua cum conceperit nullum esse fructum viduitatis, malit seruare fidem coniugij, & in tristibus degere, quam lætioribus se credere? Quæ coniugij districta vinculo, si audiat quod nullus honos castitatis sit, non possit incuriosa tentari corporis aut mentis facilitate?* Deploranda nostra tempora, quæ hæc hominum monstra Lutherum & Caluinum Gnosticos ediderunt. Infelicia & nulla illorum ingenia, qui post Augustinum, Ambrosium, Hieronymũ, Gregorium, aliosque nitidissimos & purissimos Catholicæ Ecclesiæ proceres, omni barbarie immanioribus & ipsa fæditate coinquinatioribus Sectarijs fidem adhibuerunt.

Prudentius male operari quam bene, ex sententia Caluini.

Ambros. lib 10. ep. ep. 82.

Beneficio legis naturalis, diuinæ, ciuilis, & Ecclesiasticæ, interueniente sanctissimi spiritus gratia, puritatem animæ & vitæ innocentiam orthodoxi acceptam ferunt: Sectarij vero, qui vna fide se in libertatem assertos credunt, solutissimi sunt & liberrimi ad omnia flagitia, & (vt loquitur Scriptura) inde potentes ad iniquitatem. Esaiæ 5.

CAPVT XXIX.

QVam diligentem accuratamque se ostentarit diuina prouidentia in nostro bono procurando, vnde humanæ animæ integritas emineret, & ex morum ratione inita, sincera quædã vitæ honestas eliceretur: nemini obscurum erit, qui secum rerum momenta pensiculatius expenderit. Ingenita siquidem imprimis illa naturæ rationis lux nihil tam intuetur vel admiratur, quam virtutis exquisitam ac elegantem formam: hanc sua cogitatione depingit splendide, illiusque cupiditate affectum mirifice accendit. Vniuersi subinde partes aspectabiles despicit: mox in notionem Numinis ac tanti boni authoris deueniens, non libidini explendæ, sed diuino cultui rectisque actionibus perficiendis, hæc omnia ancillari clarissime testatur ac videt. Ne autem hanc lucem noxia aliqua caligo erroris infuscaret, eiusve aspectum falleret, statuit Deus vti inter ipsos homines, quorum coitione ciuiles societates conflantur, prudentiores quidam eueherentur ad apicem authoritatis, qui aliorum non ratione ita vigentium infirmitati aut tarditati, iusti imperij administratione consulerent, vitæ normam illis ex legis pręscripto sanctiorem perioremque decernerent. Ex quo liquet tam diuina quam humana, tam ea quæ vnicuique sunt infixa à natura, quam quæ forinsecus vltroneo munere allata, pro fine & scopo habere hominis perfectionem ex virtutis flagranti amore & vitiorum ingenti odio constituendam. Quod vero attinet ad naturæ legem, inuiolabilem ac constantem regulam agendi: hæc nihil aliud est quam mentis pręscriptio, qua nobis innotescunt naturæ indito impressoque assensu facienda fugiendaque: illa vtpote dignoscentes rationi consentientia, hæc vero vti ab eadem auersa & distracta. Neque solum in vniuersum hinc constat, bonum actione suscipiendum, malum euitandum: quinimo ex istis capitibus, & veluti principijs synderisi notis

Omnia spectantia ad hominem referuntur ad virtutẽ.

Beneficium legis naturalis.

notis,morales quamplurimæ consequutiones eodem naturæ lumine deductæ,apertissime percipiuntur : veluti quod supremum Numen sit pręcipuo cultu venerandum & amandum:quod appetitus cupiditates ratione sint castigandæ ac refrenandæ : quod in conuictu , iustitiæ & ęquitatis norma sit seruanda : quod pietas parentibus,fides amicis exhibenda : quod vagus concubitus sit illicitus,& id generis similia : tametsi inter hæc alia alijs nobis & naturæ notiora sint facilioraque , vt demonstratione probentur , atque ipsa conscientia inferantur. Quo munere gentes donatæ,cum mentes illorum nulla exterius tradita vel exarata lex informasset,aut ad virtutem instituisset,quamplurima ex eis actione pręstiterunt,quæ postmodum (id postulante ingenti hominum cupiditate iuxta & inscitia) lege diuinitus lata,sancita,ac firmata fuere. *Gentes quæ legem non habent,naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.* Quam quidem legem,idem Apostolus descriptam dicit in cordibus ipsorum, conscientiæ nempe testimonio inuectam & assertam. Cui, actione nepharia nullus demum repugnare poterit,nisi sentiat in se ex admisso scelere aculeum, animi recessus punctim exagitantem: iudicetque plane se tetrum quid perpetrasse,& à sua ipsius natura alienum. Atque hanc legem perpetuo naturæ infixā nullus à se excutere poterit, nisi homo desierit esse , animique vim delinguendo brutescens penitus extinxerit. Eiusdem indicatu mens instituta & admonita, virtutis pulcritudinem suspicit & admiratur: atque ad eius amorem eo inclinatur,etiam cum nequiter mores composuerit,in transuersum cupiditatis adacta immanitate: vitij vero truculentam formam , etiam in vetitam illecebram concedens,auersatur plurimum, atque vti vitæ scopulos,vt arenas,vt Sirtes,vt vada,vt pręcipitia fugiendam cognoscit. Proinde fieri nequit,vt pro peccato non habeatur id omne , quod à naturæ lege deflectit , quodque eiusdem integritatem temerat ac dissoluit. Atque exinde constat prauos hos animæ conatus eidem maculam inferre,ac summam deformitatem , qua Deo exosa sit,coinquinata & fęda existat,tartareo digna supplicio,indignaque vt illi impuratæ in Elisios cęlestis paradisi campos pateat ingressus. Christiano itaque homini,in quo naturæ pręceptio cęlesti institutione non aufertur,sed perficitur & excitatur,non incumbit vnice cura credendi: verum etiam ad eius officium spectabit,mores exprimere ad normam & regulam naturalis legis : ne quis opinetur fidem naturæ excidiū intulisse,non ornamentum,vitamq; hominis non excoluisse,sed corrupisse,deprauasse.Violata etenim naturæ lege per actionem rationis iudicio repugnantem, rerum ordo perturbaretur , ciuilis societas non subsi-

Rom. 2.

ſubſiſteret,ſed laxatio eſſet ſtudiorum ad omnia ſcelera, quæ natiuæ intelligentiæ contraueniunt. Quo pacto gratia cum natura acerrime depugnaret,& Deus à ſeipſo,vtriuſq; author & effector,diſſentiret.

Verum quod naturalis hæc lex partim prauo quorundam ingenio obliterata & propemodum extincta fuerat,quędam Deus optimus & maximus, officij integritatem ſpectans, nobis in lege ſcripta poſuit, alioquin naturæ luce ſatis nota:vtpote cum circa ipſius internum cultum,aliaſque iuſtitiæ & continentiæ actiones,multa pręcepit: vti hoc pacto firmius in memoriam agenda nobis refigerentur. Porro quod noſter finis, in quem ex Dei erga nos beneuolentia deſtinati ſumus, naturæ vires ac limites excedat: virtutum Theologicarum pręcepta vt fidei,ſpei,charitatis,annexa ſunt: atq; horum rationes cęleſte illud S. Spiritus chirographon,ſacræ nempe literæ pleniſſime complectuntur ac deſcribunt. Hæc autem diuina lex duplex dicitur: vna,quæ teſtamento veteri comprehenditur: altera,quæ nouo & Euangelio enunciatur. In illo quidem antiquo dabantur leges ad mores ſpectantes,ad iuridicam controuerſiarum ac litium deſciſionem, denique ad inumbrandam vario & multiplici typo futuram mundi per Chriſtum redemptionem: atq; ita leges illæ triplici claſſe ſunt diſpertitæ, vti nuncupenter ex illis quædam Morales, quędam Iudiciales,quędam vero Ceremoniales. Prioris ordinis ſanctiones non abſtulit gratia vel fides Euangelij, ſeu legis nouæ: quorſum enim auferet nobis ſubſidium illud magnum ad virtutes, vim naturæ & eiuſdem ornamenta deleret? quinimo illis perfectionē adiunxit, & quaſi ætatem puerilem ad virilem conſtantiam ac robur adduxit: athletas nos conſtituit Deus fortiſſimos & operarios ſolertiſſimos. Iudicialium vero rigorem & inſignem ſeueritatem placidiori iuſtitutione Chriſtum mitigaſſe, non improbabiliter quidem colligunt ex eo facto eius, quo mulierem in adulterio deprehenſam penę tali culpæ ex lege debitæ, ſuo iudicio ac mitiſſima ſententia ſubtraxit. Nihilominus (vt multorum fert etiam opinio Theologorum) pro reipublicæ alicuius commodo; etiam apud nos vim legis ex illis Iudicialibus aliqua obtinere poterunt. Typica vero & ceremonialis legis pars, veritatis ac ſubſtantiæ aduentu penitus fuit abrogata: neq; enim in hac vſura apertę effuſęq; lucis, vmbris illis & enigmatibus indigemus. *Gratia & veritas per Ieſum Chriſtū facta ſunt. Finis enim legis Chriſtus.* Ceterū Euangelicā legem promulgauit ac edixit Meſſias aduentante præfixo à Deo patre rerum ſtatu & plenitudine temporis. *De Sion exibit lex, & verbū Domini de Hieruſalem:* illoque ſermone in monte habito ad hanc legem ſpectantia, magna ex parte declarauit. Neque

Beneficium legis ſcriptæ.

Triplex lex antiqua.

Ioan. 8.

Ioan. 1. Rom. 6. Eſa. 2. Matth. 5. D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 3

Neque ſolum intulit legem Chriſtus Moyſaica altiorem ac difficiliorem: verum inſuper robur ac gratiam nobis impertiuit, pręcipue charitatis ardorem, quibus donati, ea felicius perfectiuſque obſeruemus ac pręſtemus, quæ in mandatis accepimus. Maxima autem cura legiſlatorem noſtrum habuit ea tradere monita, quæ ad internos animi mores recte componendos conducerent: vnde aduerſarium ſe præbuit Phariſęis pictis ac ventoſis hominibus, qui externam ceremoniam venditantes ſolum, nullam ferme de reliquo latentium in anima motuum rationem duxerunt. Singulariter vero & præ omnibus charitatem erga Deum & proximum nobis commendatam reliquit. Sacramentorum vſum diſtricte pręcepit: mentionem quoque fecit nonnullorum operum, quæ appellantur concilia, & egregia etiam ſunt adiumenta ad ſanctitatem comparandam. Sed quod non omnia ipſemet, vel etiam eius Apoſtoli, quæ ad Chriſtianum referuntur cultum, literis conſignarunt: ſuæ Eccleſiæ ſponſæ chariſſimæ, columnæ & firmamento veritatis authoritatem dimandauit condendi leges rituſque ſacros tradendi: vnde Apoſtolus: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.* Cum etiam Chriſtus parum ſe immiſcuerit negotijs ciuilibus, neque vocis ſuæ oraculo quicquam ferme politici definierit: interea neceſſarium ſit homines cum ſocijs & conciuibus ſuis in familiari vita iuſte & amice cohærere, ne incertis itineribus vagati, raptu & pręda viuerent: in hoc ſocietatis humanæ victu conſtituuntur iudices & magiſtratus etiam ab ipſis hominibus, quorum imperio reliqui parêrent: exiſtimantes à Deo Principes gladium accepiſſe, & iuriſdictionem in rebus ciuilibus decernendis, ſtatuendiſque pro bono religionis atque reipublicæ: intelligentes pariter ſocialis mandati tranſcurſu non ſolum penæ reatum acquiri, verum etiam maculam lethalis noxæ animæ inuri, iuxta momentum & pondus violatæ legis; ob quam etiam æterna damnatio delinquenti ſit rependenda, niſi maturo pænitentia animi lapſum repararit: *Neque eſt poteſtas niſi à Deo, itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*, vt ait Apoſtolus.

Marc. 16. Ioan 6. Matth. 19.

Epheſ. 4.

Rom. 13.

Quæ omnia ſi rite, exacte, & cogitatæ rationis iudicio trutinauerimus: compertum ilico habebimus Euangelicam legem, cuius obſeruatione perfectam animi corporiſque libertatem adſequimur, ſolertem eſſe & operoſiſſimam: tantum abeſt à vero, vti vnius fidei actu & (vt ipſi loquuntur) ſynecdoche coërceatur: aut vt aliorum mandatorum vim eneruet vel elidat ſocordia ac licentia otiandi. Quod profecto non Scripturis modo, ſed & Philoſophiæ mentiſque humanæ conceptionibus admodum conſentiens reperietur. Ariſto-

Lex Euangelica maxime operoſa & actioni intenta.

telis

telis ſententia,aliorumque omnium,qui doctrinæ opinione & fama vnquam increbuerunt aut claruerunt,definitur,perfectionem hominis in operatione eius ac contentione animæ eſſe poſitam,non in naturæ habilitate,vel habitu acquiſito; quæ male ſe gerentibus vel dormientibus ineſſe poſſunt. Quamobrem perfectiſſima lex,qualem ęſtimamus Euangelicam,inſtituere debebit hominem ad nobiliſſimum operandi genus,multiplicique virtutis exercitio variegatum quaſi diſtinctéque inſignitum: quod fidei competere ſoli nemo prudentum ſuſpicabitur. Quis enim vnquam vel modice ad Chriſti familiam ſpectauit quouis tempore, cuius animus illius virtutis radio non fuerit illuſtratus? viderint idcirco Sectarij,qui Euangelio multum deferre cupiunt,num recte eius penſent dignitatem: imo intelligant ſe illi grauem iniuriam irrogare,eundem iuſtitiæ gradum actioniſque pręſtantiam legi & Euangelio ſuis cenſuris concedentes. Ceterum orthodoxi honorificentius de Euãgelio ſentientes, iuſtitiæ terminos ex lege decretos longe illud tranſilijſſe, actionis cum numero tum dignitate atque contento & acri operandi ſtudio iudicarunt rectiſſime. Cum enim copioſiorem gratiam infuderit Euangelium,quam lex, ardentioremque charitatem pectoribus noſtris ingeſſerit Chriſtus, quam Moyſes, conſequens eſt vitæ Chriſtianæ inſtituta perfectiſſima eſſe oportere, contentiones noſtras acres eſſe, varias, ſpiritum ac vigorem ſpirantes & referentes,procul à carnis illecebris & contagioſa cupiditate ſemotas; proxime autem ad Deum, cum puritate conſilij, tum vehementia affectus accedentes: nullam deniq; eſſe debere virtutem, in cuius exercitio detriti non ſimus,& impigre verſatiſſimi. Exinde voluntaria diuitiarum contemptio, cęlibatus votum, ſui abiectio & abnegatio ex obedientia, quæ diligentiſſime Romana Eccleſia ſemper coluit & obſeruauit, promanarunt. Hinc exiliunt fidei cultores, ac diſcurrere geſtiunt per extimos fines ac penitiſſimas oras terrarum: nihil aduerſę barbariei,aut ferociæ, vel itineris moleſtias extimeſcentes: vti ipſorum opera infidelium mentes fidei luce imbuantur, in qua ipſum Deum morumque honeſtatem deſpiciant ac contemplentur. Hinc perpeſſu aſpera quæque ſponte quæſita ab orthodoxis: corporis laniena & immanitas expetita voto ardente, vti vel innocui cruoris ſui effuſione Euangelica veritas conſignata, Ethnicis admiranda ac credenda, fidelibus vero ac poſteritati honoranda colendaque habeatur. In quibus inſtitutis operiſque ſolertia adeo illuſtris ſemper extitit Eccleſia: vti non ſolum Philoſophorum Athænas gloria & ſplendore ſuperarit; verum etiam Iudęorum Synagogas,& hęreti-

corum omnium cætus & latibula quam longiſſime exceſſerit. In his decus noſtrum illuxit, libertas eſt ſpatiata & amplificata: non operum compendio reſtricta, ſed operum impendio ac varietate diſtrictiſſima: non nobis nihil agentibus, ſed ſuccidanea induſtria pertinaciſſime laborantibus.

Iconomia Christi domini nos prouocat ad opera.

Et vti omnes partes Euangelicæ libertatis enucleate recenſeamus, quamque appoſite ſecernamus à ſomnolentia hęretica aut Epicurea Sectariorum turpitudine: primo in loco recolendum mente, Christum Dominum ſanguinis ſui pretio humani generis demeritum & originarium piaculum expiaſſe. Debebamus enim cuncti ſecundum iuſtitiæ rigorem, propter errorem Protoplaſtæ, omni deſtitui diuinæ gratiæ ſubſidio, quo nobis illatum damnum propulſaretur. Deinde aliquibus in ipſum credentibus, atque amore veræ iuſtitiæ ſuccenſis illam infudit ſanctitatem, qua peccati ſeruitus ac iugum illis excuterentur, non fictitia exiſtimatione aut arte deluſoria (vti cum ſumma Christi iniuria Sectarij cōminiſcuntur) ſed interiori renouatione, regeneratione, ablutione, atque deperditæ formæ reſtitutione: nam vt ait Euangeliſta: *Si vos filius liberauit, vere liberi eſtis.* Poſtmodum ita iuſtitia donatos, non exemit ab omni cura obſeruandi legem Naturalem, Diuinam, Eccleſiaſticam, aut Ciuilem, neque à votis ſponte emiſſis abſoluit: hoc etenim nequaquam in vitæ noſtræ dignitatem cederet, ſed potius in eius dedecus, detrimentum, ac vituperium: quod ita oſtendo. Manifeſtum eſt hominis perfectionem collocatam eſſe in operatione virtutis: ſed enim pręcepta ac leges plurimum conducunt ad exercitium virtutum; nobis namque mandant non niſi officia & imperata virtutum, quibus conſilia noſtra adſtringunt, & ad quoſdam conatus nos deferunt honeſtos; quos alioquin niſi lex aut votum iuberet, haud ſuſciperemus, vel de illis animis cogitaremus. In hoc ergo elucet potius Christiana pręſtantia, quod pręceptionibus virtutum, quod principum ſancitis, quod Eccleſiæ ſtatutis, quod votis noſtris, omni denique vinculorum genere, virtutibus, Deo, ac ſacris colligamur. Solutionem hęreticam deteſtamur, quam nouimus, nihil habere commercij cum libertate. Noſtra libertas operoſa eſt, ſedulo virtuti incumbit, nobis vincula (vt Pſaltes cecinit) ceciderunt in pręclaris. Quid dulcius, quid optabilius, quid liberius, quam ita ligari lege, & quaſi Dei brachijs ac complexu implicari? Quid autem pręſtitit Christus in hac legum obligatione, ac iure imperioſo? quomodo vinculis non diſruptis libertatem nobis donauit? dicam. Spiritum adoptionis nobis impertiuit, & legem quandam non in tabulis lapidum exarauit, ſed in

Ioan. 8.

Libertas per Christū quæ. Pſal. 40.

cordibus

cordibus hominum igneo ſtilo feruentiſſimi ſpiritus impreſſit:legem nempe condidit amoris ac charitatis : vnde alacres & expediti ſumma cum facilitate non terrore concuſſi,ſed dilectione honeſti inducti , ea perficimus actione, quæ in lege pręſcribuntur. Foras intonabat lex antiqua,comminatione pęnæ,& caliginoſi fumantiſque montis oſtentu homines olim traduxit ad iuſtitiam:& propterea ſeruitute quadam eoſdem depreſſit : non vitio legis , ſed eorum maleuolentia,qui ægre & reluctante in ipſis Minerua ad benefaciendum incitabantur : filios Agar timoris vinculis conſtrictos ac propemodum conſternatos habuit .At poſtquam Chriſti vox auribus noſtris inſonuerat ſuauiter, eiuſque facies decora multum conſpecta fuerat,non ad montem fumigantem trepide denuo acceſſimus,ſed confidenter ad montem coagulatũ feſtinauimus , legiſq; iugum non nobis graue, ſed leue eſſe cepit. Confortantur (vt prędixit propheta) *Manus diſſolutæ,& genua debilia roborantur*. Non nihil agendo,ſed manibus pedibuſque laborando nobis vera libertas ac gloria conſtant. *Quando ſalit ſicut ceruus claudus,& aperta eſt lingua mutorum.* Oris operiſque contentio ceruos nos facit & Euangeliſtas : id actione exprimentes , quod voce profitemur. Minime quidem operis qualitate officium noſtrum & actionis penſum facilius iam euaſit,aut magis expeditum:quis enim hoc arbitrabitur conducere ad decus Euangelij aut emolumentum noſtrum? nos athletæ, ardua molimur : Pegaſi,excelſa petimus. In difficillimis negotijs ac vitæ aſpretis virtus Euangelica elucet. Sed Chriſti aduentu ac beneficio nobis quędam animi promptitudo , alacritas,incitatioque adſunt, ex infuſa in corda noſtra charitate : vti medullitus amantes id quod obeundum eſt,exilimus ad opus,& ingenita quadam alacritate exciti nihil oneris ſentimus: non quidem oneris diminutione,ſed virium incremento. Idcirco lex penitus haud excidit aut defluxit, Chriſto aduentante ; quaſi abſque culpæ reatu ſperni poſſet à fidelibus aut dimitti : ſed legi perfectio ac culmen quoddam acceſſerunt eminentium ac difficilium operum : vtpote dilectionis inimicorum mandatum,abnegationis ſui , paupertatis , humilitatis ,caſtitatis,obedientiæ Eccleſiaſticæ pręcepta. Atque ex parte illorum quibus incumbit obſeruatio legis,Chriſti merito abundans ac feruentiſſima charitas conceditur : non quæ legem expugnaret naturæ, vel hominum legitime imperitantium : ſed quæ eiuſdem terrorem ac trucem quendam aſpectum exterminaret,faciendorumque difficultatem animi virtute non nihil eleuaret. Vt enim optime adnotauit D.Iren: Chriſtus altiora quędam ac ſenſui magis aduerſaria nobis mandauit ,quam ſuis olim

Eſa.35.

Iren. lib. 4 cap. 26. Moyses: *Et propter hoc Dominus pro eo quod est non mœchaberis, nec concupiscere præcepit. Et pro eo quod est non occides, neque irasci quidem. Et pro eo quod est decimare, omnia quæ sunt, pauperibus diuidere: & non tantum proximos, sed etiam inimicos diligere: & non tantum bonos datores & cõmunicatores esse, sed etiam aduersus eos, qui tollunt nostra, gratuitos donatores.* Ex quibus apposite & ad dogma nostrum omnino accommodate infert sanctissimus iuxta & doctissimus pater: *Hæc autem omnia (quemadmodum prædiximus) non dissoluentis erant legem, sed adimplentis, & extendentis, & dilatantis in nobis: tanquam si aliquis dicat, maiorem libertatis operationem, & pleniorem erga libertatem nostram infixam nobis subiectionem & affectionem.* Libertas ergo nostra in sedula operum cura, in multiplici preceptorum vinculo efflorescit. Adsit charitas, absit peccatum, quid plura ad Christianam libertatem requirimus? Ex qua sententia Apostolus Christũ appellat finem legis: non finem ad legem operum excludendam: (vt imperite, abiecte, ac sordide delirant sectarij) nam si naturæ preceptiones hominem non tenerent, an non in belluæ naturam morum feditate ilico transiret? Sed vt eos docet Augustin: *Quia sine illo nemo perficit legem.* Vnde idem Theologus ac celeberrimus Ecclesiæ doctor istis discrepantiam tradit inter legem Moysis ac legem fidei: *Quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. Illa dicit non concupisces, ista dicit, cum scirem quia nemo potest esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ scire cuius esset hoc donum: adij Dominum, & deprecatus sum.* Et post: *Ac per legem operum dicit Deus, fac quod iubeo: lege fidei dicitur Deo, da quod iubes.* Et alibi: *Multa multitudo dulcedinis eius, hoc est lex fidei, charitas eius conscripta in cordibus atque diffusa perficitur sperantibus in eum, vt anima sancta non timore pœnæ, sed amore iustitiæ operetur bonum.* Atque ne nobis obijciant Sectarij illud Apostolicum: *Nunc sine lege iustitia*: Discant si velint ab eodem Augustino illius loci verum ac genuinum sensum: *Quomodo ergo, inquit, sine lege manifestata, si per legem testificata? Non ita sine lege manifestata, sed sine lege quia iustitia Dei est; id est nobis, quæ non ex lege, sed ex Deo: non quæ illo imperante cognoscendo timetur, sed illo donante, diligendo tenetur: vt qui gloriatur, in Domino glorietur.* Libertas itaque Christiana, ex iudicio Augustini, posita est in legis obseruatione ex charitate infusa, & gratię munere. Vbi ergo didicerunt Sectarij, in qua schola, sub quo Epicuręo, aut quos porcos vel asinos habuere condiscipulos, quando infamem illam sententiam in ipsorum sensus primum admiserunt: qua arbitrantur aduentu Christianæ fidei, nullam prorsus operum legem hominis conscientiam amplius attingere, sed vno excepto fidei precepto, reliqua soluta esse & excussa? Quid? an non potius hæc nostra erit libertas, quam ita describit antiquis-

Rom. 6.

August. in Psal. 54.

August. lib. de Spir. & lit. cap. 13.

August. lib. de Spir. & lit. cap. 29.

Rom. 10.

August. lib. 1. nat. & grat. cap. 8.

antiquissimus Clemens Alexandrinus: *Nos quidem libertatem didicimus, qua Dominus noster nos liberat, soluens nos à voluptatibus & à cupiditatibus, & alijs vitijs, animique perturbationibus?* Hæc quidem libertas. Ceterum Sectarij corporis probrosam licentiam & impunitatem quiduis agendi comminiscuntur. Bellaria vt simiæ volunt, & bella sterquilinia. *Clem. Alex 3. strom.*

Non secus atque ex limpidissimo fonte scaturiunt & ebulliunt riuuli, ita ex hoc dogmate, quod Romani animis suspiciunt, preclarissima quæque incentiua virtutum multiplices occasiones honestissimæ vitæ promanant in vsus nostros. Quid obsecro innocentius, quam ex dictamine natiuæ rationis, quod nunquam à decoro est auersum, actionibus singulis modum constituere? quid ad animæ iucunditatem optabilius, quam hasce mentis ac naturæ tabulas, in quibus pulcherrimarũ rerum notiones ac viuendi leges graphice sunt insculptæ, illibatas & incorruptas seruare? nullis patrati criminis aculeis pungi, aut furiarum facibus inuri? Vt enim ait Quintilianus: *Nihil est tam occupatum, tam multiforme, tam varijs affectibus conscisum atque laceratum, sicut mala mens: nam & cum insidiatur vt malum agat, labore constringitur, & cum sceleribus intendit, tunc solicitudine pænarumque expectatione torquetur.* Verum naturæ lex nisi eam ferinis moribus expugnauerimus, semper ac indesinenter animos nostros solicitabit ad honesta consilia, & prauorum admonebit: à qua si mores minime deflexerint, neque voluptatibus aliquando locus dabitur, neque in alterum iniuriæ. Vnde quoque vim suam mutuantur in rebus sacris Deo consecrata vota: in quibus prestandis quanta insit dignitas nemo ignorabit, cum perpenderit ea versari in rebus ad Dei cultum ac singularem eius amorem maxime facientibus. Relatu incredibile, quanta sit illa iucunditas, qua animam perfundunt rite ac religiose obseruata. Solum norunt illi, qui suaui huic iugo ceruices dimiserunt: qui hunc myrrhæ fasciculum in pectoribus suis collocarunt, qui vinculis dilectionis delectantur. Quid nitidius ex voto decreta castitate? quid paupertate sponte suscepta locupletius? quid obedientia superiori ordinis exhibita prestabilius? Quibus virtutum ornamentis ideo conspicui sunt Romani, quod leges admittant, seque illis subijciant, quod nature sanctiones inuiolatas seruent & illesas. Respicientes quoque socios, quibus cum in vita degimus ac negotia tractamus, soliciti sumus & expediti in illis imperatis exequendis, quæ vel iure gentium, vel ciuili institione à legitimo magistratu definiuntur: non tam amore premij inflammati, aut pænæ obiectu exterriti, quam iustitiæ appetitu inducti; ne quod Apostolus disuadet, serui hominum simus, aut ad oculum seruientes: sed veri-

Puritas orthodoxa ex legum obligatione

Quintil lib 8. insti. c. 4

Coloss. 9.

ti ne inobedientia iniquitatis labem nobis inferamus, vel non Dei aut virtutis ergo operemur. *Subditi sumus in omni tempore Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.* Non enim ideo liberi, quod principum legibus haud teneamur, sed quod (vt ait D. Petrus). *Subiecti simus omni humanæ creaturæ propter Deum.* Non inde liberi, quod rebellibus armis principum iussa temerare ac infringere pro libidine aggrediamur: sed vt idem docet Apostolus: *Hæc est enim gratia , si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens iniuste.* Libertas nostra in subiectione propter Deum, in tolerantia malorum, in studijs bonorum. Verum quod non solum rationi rectæ actione vitæ respondere debeamus: sed & ipsi Deo supremæ regulæ: propterea Theologicis quibusdam pręceptis imbuti ac constricti, altissima munera obimus. Hinc ex sanctione Ecclesiastica Scripturarum constituta intelligentia, & canon decretus: fides orthodoxe exculta, eiuratæ hęreses, Sacramentorum vsus purissimus & assiduus constituitur. Peccata, quæ animæ lethiferam labem inferunt, atque amicitiam cum Deo dissoluunt, euitantur. Hinc denique suauis illa animorum connexio ex melliflua charitate coalescit ac conseruatur. Quæ quidem cum cognitu pulcra, tum ipso effectu longe existunt pręclara. Et quemadmodum iactatis portus & anchora securitatem pręstant, & suppetias ferunt imminente naufragio: ita Catholica Ecclesia, cum turbo erroris malaciam maris immutarit, & omnia vndique æstu & horrore replerit, fidelibus spem vitæ & salutis adfert: est enim veritatis columna, non concutitur: est vitæ magistra, non decipitur: est cęlestis Hierusalem, non perturbatur: est sponsa Christi, non corrumpitur, est mater nostra, à nobis nunquam auertitur. Quod cum Orthodoxi diligentissime semper obseruarint, hęresi aut scismate dissecti in partes non vllo tempore fuere: sed sectarijs defluentibus, ac in barathrum recidentibus, in eadem fide constantes & immoti perstiterunt, & hodierna die in despectum hęreticorum post tot fragores & tonitrua persistunt ac florent: Virtus, Athenæ, arma, diuitiæ, fama, potentia, omnia nostra sunt. Penes nos solum quod Ecclesiæ imperium exequamur, viget sacratus cultus: habemus ex lege ac ritus perenni vsu decretas ceremonias, cum ipso aspectu illustres, tum intelligentia diuinas. Externi vero sectarij hac ex parte haud morigeri, nulla quidem cultus definita forma inter se conspirant, sed exscisis religionis repagulis, abdicatis pietatis ritibus, reuocarunt omnia ad cantiunculas Geneuenses, & miseras illas, ludicras, ac plane scenicas conciunculas. Et pro cupiditate sua illorum vnusquisque Scripturas exponens, eam cultus speciem sibi pręscribit,

1. Pet. 2.

quæ

quæ ſuæ phantaſiæ accommoda, alioquin inſulſa & dementiſſima. Quid plura? Quod Eccleſiæ authoritatem priuato animi ſenſu ac faſtu deſugerint; illorum omnia incerta, temporaria, Parlamentaria, promiſcua, perturbata, ineptiſſima. Ceterum admiror hęreticorum ſtupiditatem ſaxeam, ſi modo non percipiant illam vitæ integritatem, qua orthodoxi florent, dum Eccleſiæ dictis ſunt audientes. Ex huius ſiquidem pręſcripto diuinis myſterijs ac Sacris ſtatutis diebus interſunt fideles ab alijs vitæ occupationibus feriati: eademque ſuſcipiunt ac participant religioſe. Pręmiſſis ieiunijs ſanctorum celebritates ſuſcipiunt ac colunt. Quadrageſimali abſtinentia, ad Chriſti exemplum apte tunc vel maxime carnem atterunt ac libant Deo, quando Chriſti caro, cuius nos membra ſumus, flagellis lacera ac cruci fuerit conclauata: indigne ferentes noſtram hanc carnem, quæ illis pęnis cauſam dedit, tunc laſciuire, aut genio potius, quam ingenio indulgere. An non hæc omnia nitida & pura? an non coruſca & fulgida? vbi macula vel ruga in hoc Chriſti corpore & Eccleſiæ cætu? Cum Apelle non verebor expreſſam hanc imaginem vel curioſiſſimis aliorum oculis obiectare: ſi inuideant, tabeſcant: ſi ęquis animis ſint, mecum approbabunt. Hanc namque non cuiuſuis pictoris penicillus delineauit, ſed digitus Dei, ſpiritus ſanctus affabre deduxit & effinxit: ita vt quacunque orthodoxum Sectarius inſpexerit, illum ſincerum, purum, candidum, iuſtumque inueniet.

Porro Sectarij, qui ſuam libertatem Euangelicam amplificant & venditant; qui nullis coërciti legibus, ſiue Eccleſię ſiue principũ, effuſe in omnem vitæ licentiam irruunt: ſua hac libertate cum fędi & turpes tum vitiorum plane ſerui euadunt. Reuulſis iuſtitiæ valuis, excitatiſque omnis generis libidinibus, pudorem ſolum retinent, non quem flagitijs obtendant, ſed quo erubeſcunt ſe tales voce profiteri, quales reipſa ſunt & noſcuntur. Donec enim mihi fateantur aperte Lutheranum & Caluiniſtam, fide in Chriſtum ſubnixos, impune & abſque detrimento animæ poſſe per omnia ſcelera volitare, alios in fraudem illicere, ſtupris & luſtris operam nauare, cædibus fora coinquinare ac tribunalia, perduellionibus legitimorum principum ſanguine inſidiari, Gnoſticum eſſe: nunquam explicate quod mente ſentiunt, ſermone proferent: ſed inuolucris ac fucis animi notionem ac conceptum complicabunt. Explicatam nobis poſtulantibus tandem quęſo, ſententiam referte, cur tergiuerſamini? cur ad hunc ſaltum trepidatis? dicite cum Luthero hæc omnia & ſimilia factu horrenda vno momento fide abſorberi: hanc ad ſalutem eſſe neceſſariam, reliqua ἀδιάφορα, vt

Hæretici vim legum negantes fœdiſſimi.

caſtum

castum esse vel libidinosum, iustum, siue aliena rapientem, album aut nigrum, hominē vel Diabolum. Sin latentes hosce sensus prodere recusetis, ita illos vobis etiam inuitis disputatione excutiam, vt explicatis reuolutisque mentis sinibus ac spiris, intueantur omnes turpidinē, quam hactenus simulate celastis: intelligantque vos infames illos neuos ac feces Gnosticorum contraxisse. Neque aliunde telam aut rete quam ex vestris filis attexam. Professi sunt Gnostici (vt testatur D. Irenęus) se nullis operum legibus teneri, sed spiritu quodam credulitatis etiam turpissimis moribus imbutos saluari, & à crimine immunes esse. Hoc autem idem priuilegio fidei vos vendicatis, idque pluribus de causis quam vnquam Gnostici: in eodem idcirco luto & volutabro consocij estis porci. Solenne apud vos est & receptissimum dogma, quo mandata Dei etiam & naturæ obseruatu impossibilia dicuntur: quod si verum sit illorum contemptio aut transcursus quomodo nociuus aut culpabilis? quomodo culpa infectus? Peccabit ne aliquis, quod haud volet pennis, quod branchis non natet? Proinde nullum crimen erit flagrante libidine voluptates expetere, ardente vindictæ cupiditate ferrum distringere, & per alterius latera illud adigere: imo quod horreo dicere, neque culpa erit ipsum Deum odio habere, cum acerbi aliquid inciderit: istis siquidem incitamentis, cum quempiam vrgere ceperint, (ex opinione sectariorum) nemo poterit reniti: eapropter pręcepta, quæ huiusmodi facta vetant, surdo sunt cantiones, lusco notæ, & colores, cum impossibilia decernant. Quare si Dedalo vitio verti non posset, quod spatia illa marina haud tranarit: quandoquidem nullius humanæ artis institutis, aut potestatis imperio transitus ille contineatur: neque in culpam alicui cedet tetri alicuius voluptuarij effectio: etiam in aduersum deuocante Dei lege, aut naturæ pręscripto, cum istis nemo queat obtemperare, vel obiectam illecebram spernere. Salua idcirco fide vltronea delicta, quæ naturæ vel Deo repugnant, innocua erunt, & libertate Gnostica ab omni culpæ reatu semota. Neque est quod prudens aut cordatus vir extimescat Dei iudicium subire, etiam cum eius omnia pręcepta omiserit vel temerarit: ludicra enim fuerunt, & in speciem data, non seria: neque ideo constituta à Deo, quasi eorundem obseruantiam à nobis districte ipse requirat: stultum enim videtur impossibilis alicuius officium à nobis expectare: sit itaque fides nobis curæ, maneat hæc lęta & iucunda, & de operibus, de mandatorum executione non est quod anxij simus aut trepide soliciti. Quod si timidus aliquis dicat: at peccatum est Dei legibus contrauenire, delicijs inhęrere turpibus,

Iren. lib. 1. cap. 1.

turpibus, capitibus nostris imminebit periculum damnationis ęternæ, si modo à regulis honestæ vitę deflexerimus: hunc ita inquirentem, & suspicione implexum, tanquam modicæ fidei homulum istis redarguent. De peccato quid animi pendes miser & pauide? cur eius incursum times? an non omnes conatus tui existunt peccata? iustitia hæc nostra, quæ ex fide consurgit, indiuiduus comes est & cõtubernalis vitiorum atque scelerum. Ipsa quæ putantur bona opera, quæ etiam pręscribit fides, vt Eleemosinæ largitio, amor Dei & proximi, fructus denique omnes spiritus, effecta sunt Satanæ & peccata mortalia. Superstitiosa cura puritatis, Romana est & scrupulosa. Quid extimescis? vna fide omnes quas congeres in animam sordes absorbentur. Ita Caluinognosta differet ac concludet. Quod si à naturæ & Dei legibus ad ciuiles sanctiones descendamus: illis omnibus, ita secum differens, se fidei priuilegio eximet Sectarius. Humana mandata neminem morari debent aut sistere in appetitu alicuius delectationis: ita enim liberi & à lege soluti sumus, vti nequaquam ad conscientias nostras principum imperata peruadant. Statutam idcirco ab Ecclesia cultus formam nemo retineat, aut curet magnopere, si illum contradicendi libido incesserit: neque solicitus sit exercere vllos actus virtutum ex mandato Ecclesiæ. Si tibi magistratus displiceat, vel tuo ingenio opportunus non sit, fidei addas districtum ferrum, & liber plane euades. Quid permittimus homines conscientijs nostris imperitare? credam Deo, reliqua faciam, aut omittam pro libidine. An non hæc consectaria sunt ad placita sectariorum, hæc inquam tam feda, tam prodigiose enormia? Quid enim aliud est quod ingeminant, nimirum principum leges nullius conscientiam reatu piaculi obstrictam habere, quam pronunciare absque peccato eorum leges omnes posse violari, & eis imperia eripi, atque alio deuolui? Gnosticis impuriores ac solutiores Caluinistæ.

Quin etiam ex alio penes hos doctrinæ placito, laxata eorundem & effusa quidlibet agendi immunitas haud obscuris rationibus colligi poterit. Hoc etenim discriminis genere euangeliũ secerni volũt à lege, quod Euangelio diuulgatæ promissiones Dei disiunctæ sint ab operũ exhibitione aut mandatorũ obseruantia: quęque vna fide, veluti protensa manu apprehendantur: atq; excurso exactoque vitæ istius curriculo sola fide interueniente acquiruntur. Enimvero promissiones (inquiunt) quas lex intulit, sedulo operandi studio & legis impletioni adiunctæ fuere: ceterũ ab operũ pręceptis fides Euangelica nos liberauit, nulliusque alterius rei indigos reliquit. Discrimen hoc inter legem *Hæretici sordidi ex discrepantia inter legem & Euangeliũ, quã constituunt.*

 & Euan-

& Euangelium, quod Sectarij comminiscuntur, prçterquam quod Epicurismũ ac Gnosticismũ statuat, re ipsa videtur omnino insulsum & ab omni probabilitatis specie distractum. Dicant mihi noui Theologi, quomodo promissiones legales, præceptorum opera exigebant, vti habentur aliquando, quç promissiones Euangelicç nonrequirant? Quæro num illorum veterũ opera erant ideo necessaria illis ad salutem quod meritoria: an ideo solum, quod fuerint fidei quasi naturales effectus, & ab ea inseparabiles. Primum non permittent sat scio: meritum, nam (aiunt) Christi redemptionem infuscare, cuius tamen beneficio freti antiqui illi iustitiam sunt indepti. Et si in illis opera extiterint meritoria, quare adęq; non in nobis eadem fide cum illis collustratis, eademque iustitia donatis? Sin vero, quod ex vestris dogmatibus colligo, vigente lege operum necessitas fuerit requisita quasi conditio & appendix, vt illi tunc sub lege constituti iustitiam ac felicitatem consequerentur: omnino consequens erit, neque opera bona aut legum obseruantiam in hac Euangelij libertate requiri vti conditiones vel apendices: ita vt fidelibus vna tantum fide illustratis, interim nihil boni egerint in vita, sed in omni genere turpitudinis se exercuerint, firma adsit spes iustitiam habendi & possidendi beatitudinem. Proferte iam tandem Sectarij, has duas consequutiones in tacito vestri animi consensu hactenus inuolutas, primam, fideli integrum erit omnem voluptatem expetere, per fas & nefas aliena rapere, hostilibus armis in quempiam inuadere. Alteram, pessimi quiqui & sordidi vitiorumq; cæno cooperti, libertatis Euangelicç beneficio vsi regnum Dei obtinebunt. Quas cum admiseritis, an non Turcas & Gnosticos superastis vitæ licentia & impuritate? An non extremum dedecus nomini Christiano intulistis, cum ethnici audient in hac communi professione reperiri quosdam tam turpia & bruta sentientes ac docentes? An non orthodoxi iustissimas causas habent declamandi in vos, qui Euangelium Christi, ex cuius fide & cultu angelorum ferme innocentiam & candorem ex nostris quamplurimi ferme exçquarunt, quorumque admirabiles vitæ splendores ipsi externi & infideles homines suspexerunt, ad sordes & fæces modo deuoluistis? Nostrorum est illud elogium apud Tertullianum: *Nos quos sacrilegos existimatis, nec in furto vnquam deprehendistis, nedum in sacrilegio.* Cur idcirco scelerato & refractario dogmate voluistis communem hanc nomenclaturam infamare? in tanta inscitia & ignoratione veri de adepto lumine gloriari? in tam flagitiosa horrendaque vitæ ratione libertatem Euangelicam, imo Euangelij puritatem, ac si vos soli Christi essetis deliciæ,

Tertul. ad Scap.

& albi

& albi filij tam pręposterè ac insolenter vendicare? Vbi lumen? vbi vita? In rebus ad naturam spectantibus elucubrationes vestræ raræ sunt, tenues ac vanissimæ. In studijs Theologicis an non orbis estis mimi, & vbique explosi? commentaria vestra vbi hominum manibus teruntur, aut luce fruuntur: eorum numerum vel pondera cum nostris conferte, si audetis? Pręposteri mystæ, in sacris poëtæ, & in poëticis sacri: similes illi imperito, quid vt narrat D. Hieron; cū Latinè dissereret, visus est Gręcè sermocinari, cum Gręcè, Latinè. Lumen itaq; vestrum densissimis spissum tenebris. De vita quid inquiram? quam & ipsa facta deturpant, & praua corrumpunt dogmata. Nihil sane vobis impono; vestra mea solum statuunt ac probant. Cum itaque tam luce intelligentiæ quam vitæ honestate destituamini, quare inique accipitis nos in omni scientiarum lumine versatissimos, pręstantissimęque vitæ genere illustres & spectatissimos, ad vestra obscura & sordida castra, ad turmas lixarum & calonum non transfugere? Gaudeo equidem iam magna ex parte stilum nostrum turpitudines vestras esse pręteruectum, in posterum melioribus & cultioribus argumentis addicendum. Nisi enim aliorū necessitates, quos amo medullitus, me vrgerent, post concertationes scholasticas, in quibus iuuentutem insumpsi, dedignarer cum quopiam Luthérano aut Caluinista tam crasso obeso & sordido aduersario concertare. Illos tamen sanctissimi viri & Antistitis nostri verbis admonitos cupio: *Christianus vocatus es, parce huic nomini, ne propter te blasphemetur Dominus noster Iesus Christus, filius Dei: sed potius luceant coram hominibus opera tua bona.*

Hieron. cont. Ruffin.

Cyril. Hierosol. Catech. 10.

Ad compescendum mitigandumq; concupiscentiæ ardorem, in Ecclesia orthodoxorum reperiuntur septem Sacramenta: fontes purissimi diuini liquoris, apti quidem ad hunc effectum, cum ex numero, tum efficacia eorundem.

CAPVT XXX.



Vm nobis protoplastæ lapsu viror ille ac vigor originalis iustitiæ exciderint: præterquam quod è summis illis bonis, quæ ferme tenebamus, graui istac iactura defecerimus, insuper fęda quædam deformatæ naturæ facies apparere cepit, dum languor ad bonum, incredibilis autem feruor ad malum, honestarum actionum cursum plu-

rimum in nobis. Tamen ne in hac misera deiectione perpetuo homines contabescerent, confractiq; semineces iacerent, necessarius fuit aduentus pij illius Samaritani Christi Domini, hominis illius, quem infirmus quampluribus annis ad Piscinam Probaticam prestolabatur, & medici, qui luto ex saliua confecto oculos ceci liniret, decus iuxta ac virtutem nobis adferret: vtrisque enim prius imbecilles ac squalidi carebamus. Quocirca in illa vulnera, quæ nobis latrones incusserant, oleum & vinum infudit Samaritanus noster: oleum quidem vnde nitor ac species in nobis efflorescerent, vinum vnde corroboratio existeret, quæ laxos ac languidos artus, tam animæ quam corporis, confirmaret. Quibus apte respondere videntur sanguis & aqua, liquores illi pretiosi, qui ex latere Christi ad crucem affixi profluxere. Ex sanguine etenim oriuntur & exiliunt animosi vitæ spiritus, robur sensibus adferentes. Quamobrem nec incongrue dicit Scriptura, animam in sanguine collocari: est enim sanguis quasi animæ vehiculum, & precipuum eius in vitæ propagatione instrumentum: aqua vero, ad emaculandas abstergendasque res sordidatas idonea, candorem & puritatem refert: ex quibus liquet Christi dona nobis collata duobus presertim contineri (tametsi illa sectarij ingrate ac scelerate extenuent) puritate nimirum, immunitate à labe grauioris delicti, ac fortitudine ad obseruanda mandata, muneribusque virtutum haud impigre prestandis districta. Quemadmodum sponsa viro tradenda ad dignitatē suam nihil amplius desiderat, quam vt speciosa appareat, ac sit opulenta: ita Christus Ecclesiæ desponsandus eam aliquando Ethiopissam feruore libidinis exustā & denigratam, & meretricia arte cum Raab pauperem vitam misere sustentantem, pulcherrimam reddidit & diuitijs affluentem. Quæ quidem duo mala, deformitas nempe & infirmitas, ab eadem causa descenderunt: sicut enim estus febrilis caloris flagrantiam deuastat, obscurum quid & infuscum inducit; idem quoque membra depascitur, nutricium humorem exhauriens, corpoream vim labefactat: ita ardor ille concupiscentiæ, quam satanæ accensa teda pectoribus nostris ingessit, eminentem animæ speciem quasi fumo ac pice corrupit primum, mox humorem succumque neruorum absumpsit, languidos nos effecit & impotentes. Ad restinguendos autem hosce calores febriles, Septem ex Christi Domini institutione (tanquam Iacob altius terram propter magnitudinem mysterij defodiente) limpidissimi fontes constituuntur: quorum assiduus haustus morbo nostro mederetur. Istorum quidem primæ scaturigines ab imo non emergunt, sed in ipsis celis dum spiritus Domini fertur inibi super aquas

Lucæ 10. Ioan. 5. Ioan. 9.

Beneficia Christi nobis data.

Ioan. 19.

Leuit. 17.

Iosu. 2.

Vsus Sacramentorum.

aquas ebulliunt, ex Christi nimirum latere affluentissime promanant: mox deorsum feruntur, ac in septem influunt vasa Sacramentorum: denique originem referentes cęlestem, sursum denuo ascendunt, sanitatemque iustitiæ donantes, *Saliunt in vitam æternam.* Et vt corpus tractabilibus vtitur fomentis ciborum ad sustentationem sui, habuissetque ni peccatum intercessisset ex esu arboris vitæ perennitaté: ita & anima visibilibus formis gaudet, quarum virtute vitam iustitiæ conseruet, noxium illum appetitus ęstum coërceat: vti eius cum decus tum robur consistant. *Ioan. 5.*

Cuius diuinę ordinationis, ita in rem nostram relatæ, varias rationes, easque congruentes admodum Sancti Patres assignant, & Theologi disputant Scholastici. Vnam deducunt aptissime ex natura hominis ipsius, quatenus vi quadam naturali is ad Dei cultum destinatur. Sicut enim coitione substantiæ sensu imperceptibilis, animæ nempe, cum altera crassiori & aspectabili parte corporis, integer homo conflatur: ita duplici quadam actione benefactori Deo & authori donorum gratias rependere debet & obsequium: quæ quidem diuersitas exhibendi reuerentiam Numini, internis animæ mo[illegible], externoque corporis ritu ac ceremonia constiuetur. Ad quod posterius genus pietatis accomodatissimus existit vsus Sacramentorum: atque in hanc sententiam ex nostris differunt Grego. Nicen. Basil. Damasc. Chryso. Hugo Victorin. & alij. Subnectunt huic & aliam conuenientiam, quam sic pertractant: sicut in societate ciuili reipublicę partes distractę non sunt ab inuicem, perturbatæ vel confusæ, sed apta quadam consensione inter se conspirant: ita virtus religionis, cuius officio communitas hominum politica præcipue seruatur, efficere debet, vt simili cultus forma absque ritus dissonantia, aut voluntaria vniuscuiusque ceremonia coniunctim homines conueniant, publicum ac solemnem Dei cultum eodem legis tenore exerceant & persoluant. Quod maxime fieri videmus constanti Sacramentorum ritu simili penes omnes ac diuinitus costituto. Quod etiam sicut ad Dei honorem procurandum, ita ad mutuo conciliandos hominum animos mirifice facit. Rationem hanc persequitur D. Augustinus, illamque diligentissime expendit. Tertia hæc poterit causa esse instituendi Sacramenta. Ex creatis à Deo quoddam eorum sua specie ornatissimum, nimirum pomum illud aureum, cuius gustum primis nostris parentibus Deus interdixit, humano generi porrexit occasionem ruinæ, atq; ad delictũ ipsum solicitauit & pellexit: ita ex eisdem creatis quædam seligenda videntur, quæ operentur ad illius damni repara-

Rationes instituendi Sacramenta.

Greg. Nicen. exhort. ad bapt. Basil. de S. Sancto c. 2. D. Damasc. 4. orth. fid. cap. 5. Chrysost. homil. 4. in 4. cap Mat. Hug. lib 1. de sa. ram. par. 9. c. 3.

August. lib. 9. cont. Faust. cap. 11.

reparationem, inflictum illud vulnus cataplasmate curent ac sanent: ne vniuersum hoc ad animæ potius interitum conditum cum Manicheis existimaret aliquis, neque aliquid esse, quod idoneum sit recteque comparatum ad nostri salutem. Comestione porro illius pomi summam quandam scientiam, imo cum ipso Deo ęqualitatem acquiri potuisse satan feminæ persuasit, eamque blandimento ita inflexit, vt crederet sic omnino euenturum: at sua opinione falsa comedit, misera inde euasit, & in multis inscia ac rudis. Deus autem ex opposito, commodũ nostrum cogitans, nobis obiecit in paradiso Ecclesiæ sensibilia Sacramenta, aspectu quidem pulcria, intelligentia diuina, vsu suauissima: quibus initiati squammas quæ oculos cęlabant, excutimus, & quodãmodo ad Dei similitudinem eorundem virtute adspiramus. Quid enim aliud est Baptismus, quam mentis collustratio, Sacramentum fidei, in cuius luce ac veluti facie crystallina bonum pariter & malum contemplamur? Qui vero casto animæ sinu ac complexu Eucharistiæ diuinissimum symbolum tenent: quomodo non humanam condicionem egressi diuinam consequuntur? Inepte idcirco Massaliani hęretic[illegible]ramentorum participes, & ab eis salutis & sanitatis beneficia requirentes, illos esse dixerunt, quos Apostolus misera seruitute depressos, & sub elementis mundi constitutos affirmauit. Hi etenim sunt Iudei, in quos perbelle illud Apostolicum quadrat ac consonat: qui abdicata fide in Christum, vmbris ac figuris inhærent, egena nudaque elementa nihil sacri succi obtinenta ieiune consectantur. Nam vt docet D. Augustin: Sacramenta nostra elementaria typum non gerunt expectatæ redemptionis, sed iam pręstitę sunt monumenta: & ad insignem quandam virtutem euehuntur, qua gratiam continent, eamque sumentibus vt Dei instrumenta & à Christo instituta efficienter largiuntur. Vnde Iudaicis illis elementis ita pręstant, vt virtute sint maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numeroque pauciora. Quod si vtilitatis propriæ rationem aliquam habendam velimus: ex triplici causa Sacramentorum ritum nobis commodum esse quarta ratio institutionis eorundem declarabit: quam post Dionisium optime pertractat Hugo Victorinus. Principio horum vsu dimittit se animus, & ab omni fastu, quo altiora peteret, se abijcit: dum concreta & sacra hæc signa adit ac suscipit reuerenter opinione pręstandæ ab illis gratiæ inductus: minime spernens illorum opem & auxilium, quæ alioquin nouerit sibi longe esse gradu inferiora: opposito plane modo integritatem suam custodiens ab illo, quem secum iniuit Lucifer, supra ordinem superba elatus penna, se immodice efferens & conditoris

Sacramẽta dent, quæ primi parentes ambierunt.

Cast. verb. Sacram. hæres. 1.

Gal. 4.

August lib. 2. de doct. Chr. cap. 6. 83. quæst. q. 99.

Hug. Vict. supra.

conditoris æqualitatem temerario ausu affectans. Deinde eruditionem quandam secum adferunt sacrorum initiationes. Sicut enim istius mundi partes, veluti optimi dispositi characteres, sententiam superni Numinis, eius vtpote virtutis, bonitatis, atque sapientiæ notionem ingerunt intelligentijs nostris: ita effectus quidã diuini, quos in nobis operatur Deus, secreti ab aspectu sensuum, ipsis Sacramentis ad viuum exprimuntur. Enimuero eluit Deus vitiorum maculas ex enormi vita contractas: hoc autem optimũ declarat aquæ symbolum in baptismo. Vigorem ad pugnam immittit nobis, pulcre hoc repręsentat crismatis inunctio. Languẽtes vires refocilit: huic rei designandę examussim inseruit forma panis in Eucharistia: quod & D. Dionisius istis significauit: *Deum etiam diuinamque vim illæ quidem vt mentes, sicut eis fas est, intelligunt: nos autem exemplis imaginibusque sensum mouentibus ad diuinas contemplationes, vt possumus, transferimur.*

Dionis de Eccles hierarch. cap. 1

Atque sicut morbo affectus, cuius aspectum medicamẽti vis effugit, & vas solum, quo continetur, eius oculis occurrit, plena tamen spe sanitatis inde obtinendæ ebibit potionẽ: ita cum admirabilis virtus Sacramentorũ ipsos sumentes lateat, effigies tamen spectabilis, qua contegitur, notionem aliquam energiæ illis adferens, firmissima erigit eorum animos futuræ salutis expectatione. Porro quod quarto in loco enarrandum: exercitationem quandam sacram adferunt Sacramentorum initiationes: quandoquidem eorum ritu colatur Deus, & homines ab alijs popularis vitæ negotijs auocati, frequenti celebritate religioni incumbunt. Quinta demum ac postrema congruitatis ratio illa est, quam tradit D. Thomas, quamque ipse desumit à condicione Christi ac mundi redemptoris. Quemadmodũ enim ęterni Patris verbũ humana carne velatũ est, & ex vna parte cõstat visibili, alia autem penitus inuisibili: ita idoneũ fuit tales ab eodem ritus institui, quales cum sensu perceptibiles essent, tum etiam insensibile quid ac diuinum implicarent: quorum vtrumque videre est in nostris Sacramentorũ mysterijs: externæ etenim illorũ formę in sensum incidunt, latens autẽ eorundẽ virtus sensus pręceptionẽ omnino pręterit ac latet.

D Thom. 4 lib cont. gent. c 56.

Quantum vero compendij opisque ex sacrorum vario & multiplici vsu hominibus proueniat: neminem fugiat, qui secum considerarit quomodo secundum omnia vitæ interstitia, status & occasiones (ne qua pars eius minus tuta vel delinquendi periculis obiecta subsidio suo diuinitus dato destitueretur) prouisum nobis sit de auxilio. Atque hinc Dei prouidentiam magis commendatã habemus; quod ita indigentijs nostris ac imbecillitati suis diuitijs ac pręsidijs consuluerit. Ecclesię etiam Catholice puritatẽ ac candorem testatum omnes

Sacramẽta, omnẽ partẽ nostræ vitæ muniũt.

poterunt

poterunt videre: dum perpendant animis contra infestã nobis concupiscentiam per totius vitæ decursum, nihil deesse ad muninẽ ac firmamentum. D. Thomas) ex duplici quadam hominis habitudine conuenientissime septenarium numerum Sacramenrorum collegit. Sicuti enim in ciuilibus ratio aliqua hominis constituitur tanquam priuatæ personæ, & alia eiusdem vt relati ad alios, quibuscum degit: ita describentes ordinem quendam in spirituali animæ vita, inueniemus functionem officij eius non propriam tantũ suamq; vtilitatem spectare, verum & aliorum commodum intueri. Atque imprimis, quod in animatis cernitur vita est, generatione seminali existens: huic autem in mysticis respondet Baptismus animæ regeneratio, quo aboletur crimen originale, & amissus denuo vitalis spiritus redonatur. Mox sicut corpus infantile ad militaria negotia est ineptum quousque adoleuerit, firmumque robur ętatis progressu compararit: ita anima gratiæ vita donata ac vegetata, vnctionis ac militiæ Sacramento est confirmanda: vti timore represso aut rubore, intrepide fidem, quam suscepit, profiteatur. Deinde firmiter hoc pacto coalitum & concretum corpus, pastu indiget ad sui sustentationem: similiter animæ, ne eius virtus acquisita pereat aut languescat, diuinissimus ille Eucharistię cibus, non manibus angelorum, vt olim manna, sed effectione Spiritus sancti porrigitur, ac ipse in escam potumq; cessit. Corpus nihilosecius quantumuis sanum fuerit, ac munitum, immune prorsus à morbis non existit, sed in illos nonnunquam ac graues incurrit: eodem modo anima licet iustitiam adepta ac firmitudinem, incidit sępius in delicta & ęgritudines: quibus curandis propulsandisque Pęnitentia Sacramentum illi facit abunde. Et sicut corpori existunt necessaria andidota, pro ratione instituti, vti si ad loca aliqua minus sana alicui esset cõmigrandum, vel si non exquisita medicina, sed exercitio corporis aut ratione diętæ pristina valetudo sit recuperanda: ita haud dispari ratione ingruente morte, quod corporis dolores & affectiones prauæ ipsi animæ sint nociuæ: quo etiam pręsertim tempore satanas calcaneo & fini quasi vitæ insidiatur; adminiculo est Sacramentum Vnctionis extremę: ne penitus succumbat tristitiæ homo magnitudini morbi oppressus, sed leuius se habeat, & ipsam superet ęgritudinẽ. Atque hæc mysteria sunt, quæ ad vnumquemque referuntur absque respectu ad alios, solum spectata ratione proprij emolumenti. Alia autem duo: Ordo nimirum & Matrimonium; quæ etiam in humanis suas habent similitudines extrinsecum quid respiciunt. Quemadmodum enim in ciuilibus habitudo vnius ad alium vel est in ratione propagandi:

D Thom. 3. part. q 63. art. 1. lib. 4. Contra gent cap. 38

Iacob. 5.

pagandi sobolem, aut administrandi rempublicam: ita quoque in sacris, vt legitime suis muneribus initiati fungantur, Sacramentum Ordinis manibus Antistitum peragitur: cuius virtute aliorum Pastores ac Prælati creantur. Sacramentum quoq; Matrimonij institiuitur ad minuendas illius sortis molestias, efficiendumq; , vt non ferina cupiditate à coniugibus actus socialis thori suscipiatur, sed animo solũ propagandi prolem honesto ac moderato. Ex quibus liquet quomodo vndiquaq; in infantia, in pueritia, in adulta ætate, in quocunque vitæ statu, Ecclesiastico vel coniugali, in priuatis, vel publicijs occupationibus ex Sacramentis nobis orthodoxis pręsidia firmissima adsint integritatis. Quibus obsepti ac cincti, tuti sumus ab infestis Satanæ molitionibus; neque locus patet vllus, per quem in animam (ni resides esse velimus) atrox peccatum irrumpat. Quam pura ac nitida Ecclesiæ dogmata? quam vitijs opposita? quam plena salutis? Itaque circumspectis omnibus amplificatum à nobis apparebit redemptionis beneficium: quandoquidem non exęquasse modo profiteamur naturæ corruptæ mala Christi malagmata; verum etiam superasse, ipsamque culpam alioquin exitialem, fęlicem quodammodo reddidisse. Vt enim adnotauit D. Antoninus: septem defectus propagati sunt in nostri generis posteritatem ex primo illo Adami lapsu ac errore: quorum tres culpam inuoluunt; quatuor reliqui pęnam. Culpa ex peccato originali, mortali, ac veniali enascitur: penæ loco existunt ignorantia, malitia, concupiscentia, & infirmitas. Ceterum originariam noxam delet Baptismus, lethalem ex actu, Pænitentia, venialem Vunctio extrema. Ignorantię malum Ordo aufert, scientiam legis requirens. Eucharistia duritiem ac animi malitiam exterminat dulcedine sua. Concupiscentiam extenuat Matrimonium. Infirmum erigit Confirmatio. An non Ecclesia vinea est frugifera, vitibusque ordinate consita? An non torcular habet Christi Domini corpus, ex quo fluores saluberrimi exundant gratiarum? An non sepe circundata? cum omnem nostri vitæ partem Sacramenta muniant ac defendant? Nos orthodoxi illi sumus, de quibus hæc Christus pręduxit: *Vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis.* Quid homini modo deest ad salutem? Imo ad affluentiam quid ei non redundat, atque ad cumulum non amplissime exurgit? Quonam pacto homo iure conqueri poterit se maioribus incommodis expositũ, quã vt illis pro virium ratione obsistat? Quinimo Ecclesiam, cuius hortulanus Christus est, alteram dicamus paradisum, vbi fons plenis gurgitibus ex se aquas continenter emittit, excitatque flores amęnissimos fructusque

Anton 3. part. de Sacram. tit. 14. cap. 11.

Sacramẽta oportuna, cõtra mala nobis inuecta ex peccato originali.

Matth. 21.

virtutum: vbi eminet ſpecioſiſſima illa arbor ſcientiæ boni maliq; que: nihil ſane iam deſideratur ad felicitatem. Vt autem proxime innoteſcat quanam efficiendi virtute prędita ſint Sacramenta, quidque boni nobis concilient & impertiantur: ſtatuendum eam gratiam effectiue omnia ſeu (vt loquitur ſchola) ex opere operato producere, quæ filios Dei conſtituit, iuſtos, ac cęleſtis regni hęredes: ſiue illa prima ſit renouatio animæ, delicti maculas eluens, nouamque creaturam exhibens, ſiue ad acceptam ſanctitatem acceſſio quędũ amplioris doni & iuſtitię. Quemadmodũ enim fontis riuuli per canales ac gurgites ſparſim in prata influunt, ſuccumq; vitæ illis largiuntur: ita iuſtitiæ munus, cuius pretium & virtutem Chriſti corpus retinet, Sacramentorum efficacia fidelium animis applicatur: & quaſi aureæ fiſtulę à latere Chriſti cui infiguntur deductæ, cruorem illum deferunt, quo rigant beantque hominum mentes. Vltra hoc donum prętantiſſimum iuſtitiæ Sacramentis omnibus commune, proprium vnumquodque gratiam habet, quam Sacramentalem vocitant: quæ (vt docet D. Thomas) auxilium eſt quoddam actuale diuinitus conceſſum, quo adiutus homo, finem Sacramenti, quod ſuſcepit, adſequatur. Cuius neceſſitas exinde ſtatuitur, quod poſt Sacramenti vſum occaſione iſtius mortalis vitæ graues nonnunquam inſurgunt animorum ſolicitationes, quibus abducantur homines ab eo ſcopo, in quem illos participatio myſterij direxerat: proinde etiam ex valore ac inſtitutione Sacramenti ita tentatis adeſt Deus ſuo auxilio propitius, ne diſcrimine & periculo in quibus verſantur à fine Sacramenti aliorſum pertrahantur. Atque pręter hos duos recenſitos effectus ex Sacramentis, tria indelebili quadam nota ſeu charactere animas conſignant notantque, vti ad peculiaria quędam munera deſtinatas. Baptiſmus nimirum, Ordo, & Confirmatio. Poſtremo virtutes atque ſancti Spiritus dona tribuunt, vel acceptorum incrementum refundunt. Hæ diuitiæ ac theſauri ſunt Eccleſiæ Catholicæ, hæc eius ornamenta, hæc noſtra pręſidia: iſtis ſatanam expugnat animus, acrem concupiſcentia inſultum propulſat: ad hos fontes vberrimos ſerpens prudenter pellem exuit, Æthiops colorem mutat, aquila iuueneſcit, leproſus fęditatem abſtergit, religio colitur, integritas ſeruatur, vigor acquiritur: deniq; iuxta hos fontes formoſiſſima Rebecca inuenitur, Chriſti ſponſa ac mater noſtra, quæ eſt Eccleſiæ.

Effectus Sacramentorum.

D. Thom. 3. par. q. 63.

Gen. 24.

Virtus ſacramentorũ qualis.

Quocirca pręter illud externum ſymbolum, quod in Sacramentis ſenſus ferit: quędam virtus eiſdem abſtruſa deliteſcit, quæ effectrix ſit cauſa adeo inſignis qualitatis, vtpote iuſtitiæ: quam luculenter admodum

modum repręſentauit & comprobauit deſcenſus Spiritus ſancti ſub forma viſibili, dum Chriſtus à Ioanne Iordanis vnda baptizaretur: *Matth.3.*
quo ſignificatum fuit aquas Baptiſmales illius diuiniſſimi Spiritus inſtrumenta eſſe ad repurgandas hominū animas, ac iuſtitię nitorem illis adferendum: quod reliquis Sacramentis exiſtit commune. Columba *Gen.7.*
pariter, ſudſidente diluuio, virentē oliuæ ramum ore retulit ad arcam Noë: ſic gratiæ dona hominibus ex Dei miſericordia attributa, Spiritui ſancto, vtpote amoris & fęcunditatis columbæ, accepta feruntur. Sed quemadmodum characteris efformatio non à manu tantum artificis, ſed etiam ſtyli acumine perficitur: neque Spiritus ſanctus denunciationis munere ſolus defunctus eſt tempore expectationis, ſed & ora Prophetarum, quæ ipſe reſerauit: ita cum eodem ſpiritu Eccleſiæ Sacramenta participata quadam virtute iuſtitiam efficiunt, illaque ſuſcipientium hęc ſigna animas informant. Stylum manui, prophetæ ſpiritui ſancto nihil dignitatis detrahunt: itaque neque Chriſto eius Sacramenta. Ceterum hoc nihil clarius in Scripturis expreſſum habemus. Hinc docet Apoſtolus nos per Baptiſmum mori cum Chriſto, & cum eodem ſepeliri: quod nimirum genialis vnda excidium *Coloſ.2.*
peccato inferat, animam vero denuo vita reſtauret. Quam generationem ſpiritualem Euangeliſta Baptiſmo quoque attribuit: *Niſi* *Ioan.3.*
quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, &c. Simile quid de Sacramento Confirmationis pronunciatur: *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* De Penitentia hoc elogium profert Scriptura: *Act.8.*
Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Vnctionis vim iſtis declarauit *Matth.20.*
D. Iacobus: *Et ſi in peccatis fuerit, remittentur.* Ordinis effectum teſtatur Apoſtolus Paulus: *Admoneo te vt reſuſcites gratiam, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum.* Matrimonium ſacratum eſſe contractum, ac *Iacob.5.*
gratiæ donatricem, oſtendit idem Apoſtolus: *Sacramentum hoc magnum eſt* *Tim.1.*
in Chriſto & Eccleſia. At hæc Scripturæ teſtimonia alio trahunt Sectarij, non ignoro: quid tum peto? Num illis potius credendum, quantum ad eorum intelligentiam, quam orthodoxis Patribus, Gręcis & Latinis? quam Eccleſiæ conſenſui & vniuerſali praxi, temporum pręſcriptionibus, ſanctorum vocibus, & martyrum ſanguini? Hæc noſtra ſunt, Sacramentorum hanc adſtruunt virtutem, nemo dubitabit: nihili pendo errones illos in Deum blaſphemos, in homines truculentos, numero paucos, ſcelere infinitos, ſcientia, nullos. In diſceptationem autem venit apud Scholaſticos, vtrū Sacramenta actione aliqua reali ac phyſica gratiam hanc producant, an vero ſolū morali: quatenus operantur ex illo valore, quem illis Chriſtus veluti ſuis ſigillis impertiuit, *Epheſ.4.*

tiuit in eorum institutione. Veteres Theologi moralem tantum efficientiam agnouerunt:porro recensiores pro virtute physica acriter depugnant. Meo quidē iudicio nullus hactenus vel probabilitate tenus ostendit,quomodo Sacramentorū elementa nulla in eis mutatione facta excitentur eo modo ad effectum illorū natiuas vires excedentē: aut qua ratione in illo momento,in quo esse desierunt,physicam energiam exerceant. Verum in istis scrupulosi non immoramur.

Christi meritis nihil derogat vis Sacramentalis.

Vehementer tamen admiror Sectariorum vel nequitiam, vel singularem inscitiam: qui orthodoxorum dogma de Sacramentorum efficientia institutū, Christi meritis aduersari ac derogare passim clamant ac deprędicant. Quid (inquiunt) an non vnus Christus satis abunde facit ad salutem? quorsum gratiæ obtinendæ causa Sacramenta mundi elementa adeunt Romani? Christo (vt videtur) diffidunt,proinde superstitiose rebus alijs & externis simbolis inhęrent; relicto fonte,nescio quos riuulos consectantur. Falsi estis, & inanes verborum architecti. Iusta vestra existeret querela, si vim aliquam sanctificandi attribueremus Sacramentis,quæ effectus non esset meriti in Christo abundantis: vel quæ non impressa illis esset institutionis ritu. Sigilla sunt Sacramenta iustitiæ characterem animis hominum inferentia, sed in manu Christi. *Ipse est qui baptizat.* Ipse est qui illis vim omnem concedit, illisque propter Christi meritum Spiritus sanctus vtitur ad efficiendam iustitiæ gratiam. Quid penicillus pictoris arti detrahit? quid Christi caro Dei potentiæ derogat? Potuit quidem Deus sua sola potentia mundi noxam delere, vitiorum maculas abstergere,illatum à Satana damnum resarcire, nihilosecius nobis hac ex parte multum deferens honoris, naturam nostram sibi arctissime adiunxit,& ea veluti instrumento diuinæ ipsius personæ copulato orbis salutem est operatus. Hinc meritū, hinc satisfactio, hinc sacerdotium, hinc misteriorum institutio. Num aliquid diuinitati pręripimus,dum humanitati atque creaturæ expiationem hanc acceptam referimus,dum redemptionis ac iustitiæ causam illam deprædicamus? relicto fonte an riuulos quęrimus? vti fabulam de nobis commentantur sectarij. Minime gentium. Quid ita? quod humanam in Christo naturam vim à diuinitate deriuatam habuisse adstruamus ad hæc prętanda:quod non innata sibi virtute,sed transfusa reparationē nostri generis absoluerit. Quocirca sicut nullam iniuriam Deo facit,quod Christi carni attribuimus, ita neque Christo detrimentum adfert, quod eius Sacramentis concedimus. Vtrobiq; principium & fons virtutis in ipsa diuina natura reperiuntur. Imo an non exhinc potius singularem

Ioan. 3.

gularem Christi Domini dignitatem ac potentiam statuunt orthodoxi, efficientiam gratiæ ex opere operato Sacramentis ipsius adscribentes? Si enim in nulla alia re ita dicamus Deũ vim suam effectu aliquo expressisse, atq; cum assumpta sibi fragili natura nostra, ea peccatum ac satanam expugnarit: *Dum omnipotens Dominus* (vt D. Leo Papa disserit) *cum seuissimo hoste, non in sua maiestate, sed in nostra congreditur humilitate*: & quasi cum Dauide inermi, funda immanem Gygantem strauerit: similiter tunc vel maxime Christum Dominum nobis suam potentiam spectabilem effecisse dicimus: quando infirma ceteroquin mundi elementa, Sacramenta effecerit sua, eorumq; effectione hominum animas sanctificarit. Ipse quippe potens est mel elicere de petra, oleumque de saxo durissimo. *Leo serm. 1 de natal.* *Psal. 49.*

Venio nunc ad Ecclesiæ admirabilem candorem atque venustatem, quam habet ex Sacramentis: quibus à Christo sponso dotata, quasi liuore perpolita, flagrantique colore picturata, egregie in omnium oculis nitet & collucet: dignaque existit, quæ casto connubio Christo Domino copuletũr, in quo omnia purissima existunt & diuina. Atque vti à Baptismo exordiamur: continet hic ablutionem peccatorum, & lauacrum in verbo vitæ, vt loquitur Apostolus, regenerationem præstat, & nouam creaturam. Prima illa nostra productio (vt animaduertit Greg. Nazian. fęda & nocturna: hæc autem secunda reparatio nitidissima, & in ipso splendore irradiantis fidei: quam idcirco recte cum Apostolo, D. Dyonisius φοτισμον illuminationem vocat. Sigillum est, vt notant Clemens Alexandrin. Gregor. Naz. Chrysostomus, quo Christianismi forma & character fidelium animis imprimitur. Cuius ritus figuram pręlatam olim aspexerunt Iudei: atque primo in ipsa eluuione. Sicut enim exundantes aquæ peccatores extinxerunt, & è terra sustulerunt: ita (quod testatur D. Petrus) ablutio Baptismalis scelera prius inolita ac penitus animis infixa, eluit & emundat. Deinde Baptismus in mare ac in nube virtutem nostri mysterij pręsignauit haud obscure, vti obseruauit D. Damascen. Mare namque aquam vbique locorum ad hunc sacrum vsum redundantem: nubes Spiritum sanctum aquis pręsidentem repręsentauit: ideoque Spiritus sancti familiare elementum aquam appellat Tertullian. Sicut namque aqua calefacta propriæ naturæ fines quasi egressa, quæ ignis sunt, efficit: ita (vt disseruit Cyrillus Alexand.) aqua Baptismalis feruore sancti Spiritus affecta, ardorem iustitiæ & habitualis charitatis producit: qui peculiare opus est eiusdẽ sacri spiritus. Quamobrẽ historia rerũ, quam in Genesi contexuit Scriptura, narrat omniũ primũ viuens ex ipsis aquis emersisse in lucem:

Puritas Ecclesiæ ex septẽ Sacramentis & primo ex Baptismo.

Greg. Naz. orat. in S. Lauac. *Heb. 6.* *Dionysi lib eccles. hierarch. cap. 1* *Clem. Alex 1 strom.* *Greg. Naz. in Lauac.* *Chrys. homil. ad illumin.* *Gen. 7.* *1. Pet. 1.* *1. Cor. 10.* *Damas. 4. orth. fid. c 8* *Tertul. lib. de baptis.* *Cyril. Alex in c. 3. Ioã.*

lucem:quemadmodũ modo Christiani vitalẽ aurã in ipsis aquis originis initio hauriunt: atq; exinde veteri noméclatura dicti piscis, vt narrant Tertullian.& Optat.Milev. Symbolũ porro gerit ablutio hæc cõpaginis, qua inter se membra Christi in eius corpore mystico cohęrent. Nam vt medulla tritici cribro excussa & depurgata in panem non coalescit, (vti notat D.Iren.) nisi aquæ contemperata inde constipetur: ita non nisi aqua Baptismali interueniente fideles coalescunt, vnumque corpus constituunt partibus suis absolutum & decenter colligatum. Istius fontis indicatu, Ismaelis sui siticulosi ac moribundi infantuli, mater Agar vitam seruauit in deserto. Rebecca viro feliciter desponsanda, sicut & Ecclesia Christo, iuxta puteum inuenitur. Iacob varijs in locis ac sedibus itineris sui fontes hosce fodicatione altiori quæsiuit: quod & Christus absolutissime pręstitit aquarum venas aperiens ac reserans, in omnibus mundi plagis fluentes ad regenerationem. Os quidem Baptismalis putei ingenti lapide occluditur, quo mysterium ablutionis denotatur. Et vt Iacob, cuius nomen propter mentis ipsius intelligentiam, videns Deum interpretatur, lapidem hunc primo amouit, & interius fundũ inspexit putei, atq; illius aquæ vsum propinauit armentis: ita Christus Dñs vim illam, qua pręditą est genialis vnda, verbo condidit, ac verbo detexit suo, eiusdem virtutem nostris commodis destinauit. Hic infantes exarmati proprijs munimentis, papiriceis fiscellis inclusi cum tenello Moyse, ad Pharaonis filiam, nimirum Christi tranant Ecclesiam. Iordanis ripis gloria Libani & Carmeli decor cesserunt. Libani cedris in immensũ fastigiatis & porrectis in altum nihil ferme sublimius. Carmeli solitudine Eremitarum gressibus dimensa nihil sanctius vel innocentius. At in Baptismo nostro excitantur homines cedri Dei, vertice ac vitę genere cęlos attingentes. Carmeli quoque solitudinem retinemus, vbi Satanæ istiusq; mundi spectaculis renunciatur, & cum Christo vita abscondita instituitur.

Tertul. lib de Baptis. Optat. l. 6. cont. parm. Iren. lib. 1. cap. 13. Gen. 45. Gen 24. Gen. 40. Exod. 30. Esaiæ 35. Heb. 6.

Verum quod pręstantissima quęque cum aduersis seuero conflictu eliciuntur: Christiana professio, cui vis barbarica & fraudulentia hęretica perpetuo infesta fuere, in pugna perspicua ac illustris maxime apparet. Concertatione probatur, congressu meretur, & si quid in illa eximij sit, in lucta illud emicat & efflorescit. Quocirca Baptismo semel initiati, denuo sacro crismate vti palestritæ inunguntur: atque ad pręlium se inde parant. *Caro* (vt inquit Tertullianus) *inungitur ac signatur.* Atque in ipsa fronte, pudicitiæ sede, parte corporis maxime aspectabili, crucis vexillum explicatur: nihil cedendo vel crucis ignomi-

Virtus Cõfirmationis Sacramẽti. Tertul. lib. de carne Christi.

niæ

niæ aut oppugnatoris furori. Olim ex pręſcripto Dei, liquore oleagineo aſperſa & delibuta fuit ſacra templi ſupellex: nunc vero viua quæ ſunt Chriſti membra eius vnctionem excipiunt; quaſi diuino cultui conſecrata, & ordinata ad certamen. Nec inconſulto. Nam Chriſtus, è quo nomen & profeſſionis rationem accepimus, vnctus interpretatur: ad quem indicandum, Iacob petram oleo liniuit, & effuſum fragrantiſſimum oleum in barbam Aaronis, ab eius capite vſque ad oram veſtimenti ſui defluxit. *Impinguaſti* (inquit Propheta Dauid) *in oleo caput meum.* Cuius vnctionis effectum deſignans ſubiunxit: *Et calix meus inebrians, quam præclarus eſt!* Sacro quippe criſmate delibutum, nulla intentata vis, ei vocem, qua Chriſtum profiteatur, comprimet, aut aduerſæ fortunæ calix terrebit: ſed illi potius truculenta, grata erunt, & ſpineta in roſeta tranſibunt. Huiuſmodi oleo charitatis perennis flamma nutritur, honeſtæque vitæ luce ita fota reſplendet. Milites Gedeonis cum buccinis ſimul ac lampadibus inuicti diſcurrunt: oliua virens pacis ac victoriæ hieroglyficũ. Oleo autem balſamum admiſcetur, liquor odoratiſſimus. Non enim nobiſmetipſis tantum integri ac perfecti eſſe debemus, verum etiam alijs grati & proficui; & vbique bonus odor (vt loquitur Apoſtolus) in Chriſto. Vnde propter hanc morum ſuaueolentiam Eccleſia mons eſt Libani. *Ibi Cyprus cum nardo, nardus & crocus, fiſtula & cinamomũ, cum omnibus primis vnguentis.* Et quemadmodum vehementius ſpirans ventus, illaſque arbores reuerberans, odores ſuauiſſimos difflare ſolet, & quam longiſſime deferre: ita cum perſequutio aliqua Chriſtianis incubuerit, tunc efflant ipſi ſparguntque virtutum odores. Nec quidem veretur aut metuit has procellas impulſuſque ventorum Eccleſia, quinimo illos potius in votis habet ac delicijs: *Surge* (inquit) *aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluent aromata eius.* Quibus perſtrepentibus. *Sicut cinamomum & balſamũ, aromatizans odorem* (inquit dedi) *quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris, & quaſi ſtorax & Galbanus, & gutta, & quaſi libanus non inciſus vaporaui habitationem meam, & quaſi balſamum non miſtum odor meus.* Vultures fragrantiam hanc auerſantur, ita odores noſtros ac balſamum dęmones & hęretici. Verum ſicut odores ſuaues illos iucunditate perfundunt, qui eoſdem non vident: ita pura honeſtaque orthodoxorum ſtudia infidelium ſenſus demulſerunt: interim nihil eorum cernentes, quæ ab ipſis creduntur: myrrha enim, gutta, & caſia à veſtimentis orthodoxi. Neque incongrua ratione inductis Halenſis noſter triplicem ab Eccleſia vſurpatam vnctionem, Dauidis vnctione pariter triplici figuratam eſſe coniectauit. Primo vnctus fuit Dauid in domo paterna

Exod. 30.
Gen. 46.
Pſal. 132.
Pſal. 22.
Iud. 7.
2. Cor. 2.
Eccli. 24.
Pſal. 40.
Halenſ. 4. p. q. 26. m. 1
1. Reg. 5.

2. Reg. 5. paterna, cui respondet apte nostra vnctio in Baptismate. Deinde vnctus in Hebron duobus tribubus præficitur. Huic quadrat Confirmationis vnctio, quæ initia adfert imperij & authoritatis. Tertio denique vnctus fuit Dauid, & duodecim tribuum Rex constitutus: atque huius generis spiritualem quandam accipiemus vnctionem in beatitudinis donatione: quando menti ac rationi ipsique Christo aduersa nostra omnia subijcientur.

Puritas Ecclesiæ ex Sacramēto pænitentiæ *Leuit.13.*

Ea autem est humanę naturæ fragilitas in malum, & tot illi obiectę sunt delinquendi occasiones: vti sæpius contingat hominem labi ac cadere, vitamque suam deflectere à tenore iustitiæ. Quamobrem sicut Iudaica lepra iudicio ac censuræ sacerdotali exponebatur: ita nunc Iudici Sacerdoti Christi vices in terra gerenti aperiendum crimen, ardore pænitentiæ decoquendm, ac humili confessione animo expellendum. Quæ Catholicę Ecclesiæ innocentia hinc elucet? quam pio & insonti dogmate perpetuo veritatem dicit? An non hoc maximum quendam peccati horrorem hominibus incutit, quo intelligunt maturo concilio Sacerdoti voce cordis dolore moderata contractum scelus detegendum, illius iudicium subeundum, nec interius diutius retinendum malum? Imo Ecclesiastica sanctione cautum est, ne quis sub Excommunicationis pæna vltra terminos vnius anni hasce vitiorum maculas apud se celet, aut silentio tegat: ita innocentiæ cura tangitur Ecclesia, adeo assidua est in expurgandis hominum animis.

Concil. Lateran.

Puritas Ecclesiæ ex Sacramēto eucharistiæ

Qui autem spiritualem animæ vitam retinent, ac labe carent grauioris noxæ: ij ad Christi mensam, ad eius conuiuium ac delicias admittuntur, inuitantur, atque amoris lenocinio ferme compelluntur. Ibi panis corroborans ac vegetans mentem, ibi vinum inebrians spiritum, ac germinans virgines conuiuis distribuuntur: medulla tritici saginantur, & vino potantur non diluto, sed meracissimo. Et quemadmodum corporeos artus cibus potusque firmant, eosque idoneos reddunt itineribus conficiendis, alijsque vitæ laboribus exantlandis: ita Eucharistiæ refectio constans ex pane plusquam angelico, & vino expresso ex ipso botro lateris Christi, robur adfert & firmamentum ad omnia honesta virtutum instituta, ad profligandos aduersos impetus: denique efficit, vti cum Propheta subcineritio pane refocillato, ad montem Dei agiles, vegeti, & alacres ambulemus: quo detractis inuolucris externarum formarum, in ipsum dilucide oculis intendemus, quem nunc in pectore coërcemus ac mystice reclusum gestamus.

Zach. 9. Deut. 32. Ionæ 2

Puritas Ecclesiæ ex

Neque existimandum erit bonum omne, quod nobis Christi munere obtingit, priuatis actionibus terminari, atque nostrijs proprijs emolu-

emolumentis definiri: siquidem ad alios quoque nobis quomodolibet vicinos peruadat. Idcirco in Ecclesia Mystarum peraguntur initiationes, quibus habito delectu præficiuntur aliqui alijs curandis, reficiendis, sanctificandis, ac reliquis sacris muneribus, ad aliorum commodum relatis, legitime defungendis. Quod vero istis ita ad prælaturam euectis graue onus incumbat, ipsisque angelorum humeris formidabile: dum mysterijs initiantur, virtute Sacramenti Ordinis gratiam accipiunt, ac munimen: vnde adiuuentur & excitentur ad tam sublimia & ardua procuranda. Fastum proinde inprimis hi abijciunt, se alijs dimittunt, ad labores se accingunt, & ad malorum tolerantiam: in officijs suis assidui, infracti, imperterriti, atque in Ecclesiæ presidio vigilantissime de die ac de nocte excubantes. Quorum pulcherrimus ordo Hierarchiam celestem refert, ac talem reddit Ecclesiam. Vnde Clemens Alexandrin: *Nam hic quoque in Ecclesia progressiones Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum sunt: vt arbitror initiationes gloriæ angelicæ, & illius iconomiæ & dispensationis.* Qui quidem ordines proprios habent vti loco, ita & perfectione gradus: nam vt ait D. Ambros. *Aliud est quod ad Episcopo requirit Deus, & aliud quod à Presbytero, & aliud quod à Diacono, & aliud quod à Clerico, & aliud quod à laico, vel à singulis quibusque hominibus.*

Sacramẽto Ordinis.

Clem. Alex 6. strom.

Ambros. lib de dignit. sacerd.

Quibus autem animus tam alta petendi non adest: ij honorabili coniugio se deuouent, liberis dant operam & policiæ. Neque tamen gratiæ presidio destituuntur in Sacramento Matrimonij, quod susceperunt, & merito: constituntur nempe in summa adiutorij necessitate. Non enim brutorum ritu illis libidini erit indulgendum, aut pro libito abinuicem vage discedendũ: quapropter vti continentia coniugalis in illis quoque seruetur ac vigeat: & vt mutuus amor vitæ consortium sustentet ac deuincat, gratiam recipiunt Sacramenti effectione, ac Christi institutione.

Puritas Ecclesiæ ex Sacramẽto Ordinis.

Denique non illos deserit aut aspernatur Ecclesia, qui animam agentes morti incipiunt succumbere, qui soluta corporis compage animæ egressum habent in vicino, qui in lecto doloris morbi cruciatus ac timoris aculeos perferunt. A quibus cum vires defluxerint, amici discesserint, ornamenta omnia fortunę vel artis deciderint, presto tunc adest pia mater Ecclesia, & Vnctionis Sacramento illis subsidium adfert, corporis leuamen & animæ solatium donat. Atque istis modis ad seruandam vitæ innocentiam, ad expurganda delicta, Sacra orthodoxorum faciunt mirifice: puritatem spirant, ac Christi erga nos amorem. Quæ omnia Sectarij cum ad vnam phanaticam fidem reducunt, cum ipso satana conspirant, ad impediendam animarum salutem, ad

Puritas Ecclesiæ ex Sacramẽto Vnctionis extremæ.

perfringenda Christianę vitæ pręsidia. Cōminatum tamen Satanę nouimus, (sub cuius vexillis ipsi merentur stipendia) ne vino aut oleo in sua tyrannide exercenda noceret: hæc enim pius Samaritanus in illius miseri ac plagis confecti vulnera benefice quondam infudit, & nostra Sacramenta pręsignarunt. Agat itaque satan quod poterit, sectarij omnes impetum in nos faciant: vino tamen & oleo non nocebunt, integra, valida, illæsa, imminuta, eadem semper permanebunt septem Ecclesiæ Catholicæ Sacramenta.

Apoc. 6.

Religionis, charitatis, omnis plane virtutis, Eucharistia sacrosancta causas habet, illa ex fide, qua eam suscipiunt orthodoxi: sub externis symbolis panis ac vini, credentes vere ac realiter contineri sacrum Christi corpus, eiusque sanguinem: atque hæc Deo patri sacerdotis ministerio in altari mystice offerri.

CAPVT XXXI.

SI populum Hebręum ea diuini cultus summa ac districta cura solicitos habuit, & pręcipue Dauidem & Salomonem principes: vti ad reseruandam arcam, in qua legis tabulæ, Moysis virga, ac mannæ vrna includebantur: omnium quæ in mundo erant splendidissimum templum extruere voluerint: quanto magis illustris apparatus ceremoniarum, pompa ędificij magnificentior à nobis vsurpari debent, vnde Eucharistiam, ipsum Christi Domini corpus ac sanguinem alienis speciebus velata, nobis in nutrimentum donata, in patrocinium, in Sacrificium concessa, digne ac decenter excipiamus? Certe tanti fecit semper Ecclesia hoc beneficium, vti pręcipuo studio sese occupauerit in ritu ac cultu eiusdem; omnemque ferme religionis progressum eo destinauit. Hoc Ioannes Scotus istis animaduertit: *Omnis deuotio in Ecclesia est in ordine ad hoc Sacramentū. Propter hoc enim Clericus maiori cum deuotione persoluit officium diuinum in ordine ad Missam. Propter hoc etiam populus deuotius Missam audit, quam aliquid aliud officium Ecclesiasticum. Propter hoc singuli maiori cum diligentia confitentur secundum ordinationem Ecclesiæ.* Sectarij itaque hoc maxime insigne donum Euangelicæ gratiæ suis cętibus exturbantes,

2. Reg. 7.

Summa religionis Christianæ in cultu Eucharistiæ.

Scotus in 4 d 8. q. 1.

bantes, pariter religionem omnem externam eliminarunt. Quid obsecro cultus reliquerunt superstitis? Conceptas formas diuinarum laudum vti hominum commenta & ineptias fastidiunt: priuatæ vero, quas vnicuique suggerit spiritus, liturgicæ non sunt, id est haud solennes, aut Ecclesiastici alicuius magistratus functiones. De vna concione, eaque putida & insulsa, inflate admodum gloriantur & tument. Quam religionis compendium ac legis totius clausulam vocitant. Ceterum Eucharistiæ causa penes orthodoxos quam magnifica, quam splendida, quam diuina forma elucet religionis? Hoc autem distinctius per partes ostendero, si rationem Sacrificij in hoc mysterio prius inceperim enarrare.

Religione carēt sectarij liturgica.

Naturæ hominis admodum consentaneus est ille ritus colendi Deū, qui sacrificij celebratione peragitur. Hunc tam Græci quam barbari perpetuo retinuerunt: nullaque inter homines extitit natio, quæ oblato sacrificio Numen non est venerata, commissa scelera non expiauit inde, cęlestiaque dona conciliauit. Hominum quidem culpa ac vitio euenisse censuit Porphirius, quod animalia, in quibus ipse Pythagoricus animas ratione præditas inesse existimauit, in Sacrificia mactarentur: veruntamen herbarum succis ac fumigatione ardentibus prunis excitata, vti perpetua & innocua ceręmonia ab hominibus vel ab initio nostri generis litatum fuisse testatur apud Eusebiū. Quod sacrificij genus appellant θυμίασιν Græci: ex quo θυσίαν sacrificium dici volunt. Atq; hoc ritu coluisse Deū Cain credibile est, qui obtulit de frugibus terræ, nullius animantis sanguinē effundens in suo sacrificio. Propter dignitatem tamen hostiæ, aliasque mysticas significationes, sacrificium Abel, in quo animalia immolabantur, prælatum fuit, & eius formæ oblatio deinceps à Iudeis obseruata: quod ita enarrat D. Ambrosius: *Considera quia non de insensibilibus, sed de animantibus obtulit: plus est enim animalis, quam terrenus: siquidem animalis proximus spirituali est; non enim prius quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale. Quod animale spirat, habet vitalem spiritum, non quod de terrarum fructibus.* Absque dubio Cain & Abel ritum litandi ab ipsorum parente Adamo didicerunt: de quo nullam constat fuisse legem aut pręceptionem pręter naturæ rudimentum ac notionem. Quocirca, etiam si Adam in Dei mandatum non deliquisset, haud improbabiliter coniectant Theologi fore in more ponendum apud homines vsum sacrificij, quo Deo latriæ cultum exhiberent. Tametsi enim (vti modo res decursum habuere) illa penes veteres cruenta hostiæ mactatio, Christi in cruce oblationem expressit & adumbrauit: nihilosecius hac etiam ablata repręsentatione,

Cassian. coll. 8. c. 23. D. Thom. 2. 2. q. 85. art. 1. D. Amb. l. 1. de Cain & Abel.

Sacrificij necessitas. Euseb. lib. 1. præp. cap. 6.

Gen. 4.

Ambros l. 1. de Cain & Abel cap. 10.

1. Cor. 15.

optime potuit inseruire religioni sacrificandi ritus, ad agnoscendum Dei supremum imperium, illiusque auxilium deuocandum. Naturam namque causam inuenisse sacrificij, haud obscure indicat scriptura:
Paralip. 29 *Tua sunt omnia, & de his quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.* Quare ne Christianum cultum non solum Iudaica, verum etiam Ethnica religione, inferiorem faciamus: huic quoque ritus sacrificandi concedendus. Parum refert quod dicant sectarij, internos nempe animæ motus sufficere, ac interius tantum sacrificium cordis exhibendum: nam hic cultus omnibus debet esse communis; viguit quippe semper in illis, qui quouis tempore Deum agnouerunt: quem externo tamen ritu sacrificij repręsentarunt. Minime autẽ credibile Euangelium religioni iacturam attulisse, sed accessum potius: non ergo requirit solum animæ deuotionem latentem interius, sed eiusdem effectum ac indicium illustre postulat, quo Christianum cultum definiamus omnibus aliorum ritibus antistare. Hoc autem exhibitum credunt orthodoxi mystice in altari, quando Christi immaculatũ corpus, eiusque purissimus cruor Deo patri sacerdotis ministerio offeruntur: vbi de frugibus terræ, si ad species panis ac vini cogitationem referamus: de animalibus quoque pręstantissimo sacrificatum fide interius penetrante intelligi-
Cyprian. de can. Domi. mus. *Panis iste* (inquit D. Cyprian) *substantialis, & calix benedictione solenni sacratus, ad totius hominis vitam salutemque proficit, simul medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens.* Nihil attinet huc referre Patrum testimonia; historiarum monumenta, Conciliorum sanctiones, orbis consensum ad adstruendam fidem nostram de hoc mysterio, ac sacratissimo libamine: infinita sunt, perspicua, in propatulo, nobis ab aduersarijs vltro conceduntur quæ volumus in
Iren. lib. 4. cap. 32. hoc genere omnia. Quid luculentius, quam quod istis disputat D. Iren? *Eum qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens hoc est corpus meum, & calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & noui testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accepit, in vniuerso mundo offert Deo, ei qui alimenta præstat primitias suorum*
Malach. 1. *munerum, in nouo Testamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignauit: non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & sacrificium non accipiam de manibus vestris, quoniam ab ortu solis vsque ad occasum nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum.* Sacrosanctam hanc oblationem priuilegiũ ac Eccle-
Origen. homil. 1. in Iosue. siæ esse dotem ostendit Origenes, propriamque eius notam, qua à quolibet alio hominum cętu secernitur. *Cum videris gentes intrare in fidem Ecclesiæ, extrui altaria, non cruore pecorum respergi, sed pretioso sanguine*
Christi

Christi comparari: cum videris sacerdotes & Leuitas non sanguinem hircorum & taurorum, sed verbum Dei, id est Christum, & spiritus sancti gratiam ministrantes: tunc dicito quia Iesus post Moysen suscepit & obtinuit principatum: non ille Iesus filius Naue, sed Iesus filius Dei. Quid? an non isti Missæ sacrificium ex verbis ipsius scripturæ eliciunt, an non earundem sententiam optime adsequuti sunt? Cur dicunt Sectarij per deridiculum Missę sacrificium inuentum esse Papisticum, cum Patres antiquissimi illud agnouerint ac celebrarint? Quæ autem enunciant, sat scio neutiquam quadrare poterint in aridam & tenuem ipsorum cęnulam. Illa etenim panis manducatio, quid simile habet cum sacrificio? nisi edentulum quoddam sacerdotium velint & holocaustum ex buxella in ore constituere. Est quippe nihil aliud (vt ipsi fatentur) Eucharistia Geneuensis, quam externum symbolum per modum obiecti mentem excitans ad fidem circa promissa Dei: quod etiam Baptismo erit commune: nihilo proinde magis cęna illa sacrificium dici poterit, quam ablutio capitis vel pedis in Baptismo: vt liqueat illos nullo modo posse Patrum sententias eludere, vel ad rem ipsorum detorquere.

Puritas Ecclesiæ ex sacrificio Missæ, primo ex mẽtis dimissione.

Admirandam autẽ cum animorũ tum etiam corporũ puritatem hæc suscepta ab orthodoxis mysteria requirunt. Si modo sensibus gratum, quid & iucundum opinione nostra hac in causa definiremus: aliquid fortassis subesset, vnde suspicarentur Sectarij nos errore duci, & carnis illectamenta sequi: at hac nostra fide nihil minus profitemur, vel præ nobis specie tenus ostendimus. Nam rationis perspicientiam excedunt protinus, quæ de tantis mysterijs credimus. Humanæ argutiæ intemperantiam coërcent, ipsamque vitæ rationem à nobis exigunt, quæ plane diuina sit, omnibusque insignita virtutibus. Procul ablegand a suadent sensuum lenocinia, nihil denique prę se ferunt, quod vel intelligentiæ peruium facile sit, aut appetitui laxato iucundum: non ergo humani aliquid obscuram hanc fidem sustentat in nostris animis, sed cęlitus immissa persuasio: quæ cum insolentiam mentis reprimit, tum corporis effrenem motum regit ac moderatur. Quæ duo facile patebunt, si modo mysteriorum inuolutam veritatem, & eorundem augustam atque Sacram maiestatem ex sententia orthodoxorum expendere velimus. Quod autem ea, quæ in istis peraguntur, rationis nostræ inquisitionem & conspectum penitus fugiant, ideo sancti Patres altissimis à Deo effectis, vtpote creationi rerum, Christi Domini Incarnationi, mutationi aquæ in vinum, multiplicationi panum, æquipararunt. Cogitatu sane nostro ne dum perceptibile, quomodo natiuæ illæ dimensiones, quibus Christi corpus in cęlis expanditur,

ditur, exiguis illis panis ac vini contineantur ſpeciebus: ita vt ſub vnaquaque vel minima particula earum, integrum corpus quaſi clauſum habeatur. Ad quod illuſtrandum, populare illud exemplum extimę ſphęrę, cuius deuexa ſuperficies nullo externo ambiente finitur, haud facit plene. Nam ſpęra illa prędita eſt in ſuo ſitu ac poſitura, vera ac reali extenſione extrinſeca, ita vt eius diuerſæ partes diuerſis partibus accommodate reſpondeant ſpatij vacui & imaginarij: ac eodem modo ſe habet circuitus ille orbis, ac ſi pleno aliquo & concreto ambiretur. Verum Chriſti corpus in Euchariſtia extenſione omni prorſus deſtituitur extrinſeca: neque ſolum non coëxtenditur panis dimenſionibus, ſed neç alicuius ſpatij partibus ex cogitatione noſtra modo quantitatis congenio aptatur. Accedit vero huic difficultati ineffabilis ille tranſitus, quo abſq; motu locali Chriſtus ad Patris dexteram conſedens, reali ſua pręſentia adeſſe incipit ſpeciebus panis ac vini. Demum obſcuritate implicatur, quod aſſerimus de horum mutatione: quandoquidem ex vi cuiuſdam diuinæ energię deſinant eſſe, corpore ac ſanguine Chriſti aduentantibus: interim accidentia ſubiecto proprio viduata ſuperſint. Alia pleraque conſpiciuntur, quorum rationes in iſtis myſterijs examuſſim non tenemus. Sed quid? ideone à fide diſcedendum, quod mentis acies, contagione corporis prępedita, phantaſmatũ occurſu obnubilata, nequeat myſteriorũ exactam notitiam inueſtigatione ſua conſequi? Nihil minus: ſic enim neq; Perſonarũ in diuinis Trinitati, vnitati ſubſtantię adiunctę, Verbi ęterni cum carne humana in ſingulari Hypoſtaſi coniunctioni à quopiam crederetur: quæ quidem ſi humanas argutias ſpectemus, exæquant vel ſuperant latenti veritate Euchariſtiæ Sacramentum. Quin potius orthodoxam fidem admittentes, duo exinde ad emolumentum noſtrum recipimus. Primum, opinio eſt quędam diuinæ virtutis, quam admiramur, tantorũ operũ effectricem cauſam. Alterum, propriæ noſtræ imbecillitatis exiſtimatio recta ac vera: ex cuius agnitione dimittimus nos Deo, ſenſuſque animorum eius ſubijcimus molitionibus. Multum itaque Orthodoxa fides facit hac in re ad reprimendam mentis noſtræ inſolentiam, atque ad veram humilitatem. Non autem minus eadem conducit ad vitæ pręſtantem integritatem, prauoſque appetitus motus comprimendos: adeo vt in cogitatis factiſque pariat ſummam in nobis perfectionem.

Puritas vitæ ex myſterio

Si veteris obſeruationis Sacra, quando legali ritu ſacerdotes Deo libantes noſtra adumbrabant, tantam ab illis poſtularint innocentiam, quantã quis crederet humanis viribus vix potuiſſe conſtare: profecto

hæc

hęc nostra sacra illis longe diuiniora, tremenda inquam mysteria, quę peragimus in hac Euangelij luce ac splendore, à nobis multo accuratiorem, animæ pariter atque corporis curam, districtioremque vtriusque nostri partis custodiã merito postulabunt. Compariturus etenim coram rege aliquo insigni (modo quidpiam retineat intelligentiæ) honeste decenterque quantum commode fieri poterit se ornabit: atque diligenter cauebit, ne aulęa fulgentia ac loci decora à sordido suo cultu ignominiam aliquam mutuantur. Magnum sane est, ac merito suspiciendum, quod quis oratione mentem ad Deum eleuat, & ad eum quodammodo quam proxime accedit: ceterum qui nostrorũ sacrorũ mysta existit, non quomodolibet se Numini præsentẽ sistit, verum admissus (vt videtur) in adyta cęlorum, atque angelorum cuneis stipatus, fulgore cælesti amictus, plane diuina perficit misteria. Quid plura? Christi immaculatum corpus manibus contrectat, ore pretiosum eius sanguinem haurit, atque ipsi Deo eadem offert in populi ac sui ipsius expiationem. Quis hæc audiens, sese nostris altaribus propinquum facere non extimescet? ad horum cogitationem totis artubus haud tremet? corpus dico illud sacerdotis mynisterio immolari, quod roseo perfusum sanguine, flammeum diuinę iræ gladium restinxit, quod restitutionis nostræ pretium plenissime soluit, ac effudit magnificentissime. Corpus ad Patris dexteram consedens, in quod ipsi angeli desiderant intendere, diuinitatis habitaculum, crystallum in quo Deus effulget, mundissimum Gedeonis vellus, quod benedictionis fęcundo rore Ecclesiæ aream madefecit, nostrorum sacerdotũ liba est, & mysteriorum summa. *Si nemo* (inquit D. Chrysost.) *purpuram regalem manibus accipere inquinatis audet: quomodo Dominicum corpus lingua polluta suscipiemus?* Qua de causa, vti tantis mysterijs idonei existant sacerdotes nostri, cęlibem agunt vitam, virginis filium virginitate colentes, à libidine carnis mentis consilia ac sensus suos districta cura auocant, & angelicum quid in moribus suis nitidissimis exprimunt. Vestalia solum virgines Vestæ tractarunt: rite idcirco virginei Iesu Sacra sacerdotes virgines administrant ac procurant. Nam vt ait D. Hieron: *Si laicis imperatur, vt propter orationem abstineant se ab vxorum coitu: quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas?* Clericalis vitæ religiosa integritas, imo & externus corporis habitus ab hostiæ huius dignitate descendunt. Qui enim altaribus sacris emancipati, nihil commune in actione aut vulgare quid profitentur, sed abiectionem earum potius rerum atque contemptum, quibus popplus solet inescari. Merito idcirco hanc conti-

Euchari-stiæin ipsis mystis.

Psal. 40.

Iud. 7.

Chrysost. homil. 12. ad pop.

Hieron. in 1. cap. ep. ad Tit ep. ad Eustoch. 1. Cor. 7.

nentiam

nentiam ac animæ rigorem in vestibus ostendunt, in incessu, in omnibus denique, quæ sui speciem aliquam intuentium oculis iniiciunt. Porro dum sacerdotes tantis mysterijs obeundis destinatos plebs animaduertit: eosdem summa quadam veneratione prosequitur. Credunt siquidem laici illorum ministerio filium Dei ipsis fieri pręsentem: vti loci vicinitate, ita magis proficuum ad audiendas ipsorum preces, bonitatis indulgentia. Scelera denique sua sacro nostri sacrificij libamine expiari omnino statuunt: proinde hosce mystas suos, vti Dei Angelos, & Iesu maximos amicos, & quasi familiares eius ac domesticos colunt vbique & excipiunt. Quod cum tanta appareat sacerdotij dignitas, penes nos non fiunt temerariæ aut promiscuæ sacerdotum electiones: quinimo per quosdam gradus non solum approbatę vitæ, sed & functionis sacræ, qui laudabiliter ascenderunt, ij apti demum iudicantur muneri & characteri sacerdotali. Nec concitatæ multitudinis calculis solum approbantur, (tametsi olim in hoc delectu etiam populi suffragia exquirebantur, ad prodendam eorum innocentiam, qui initiandi erant) sed Antistitis authoritate legitima decernuntur, vnctione sacra & mystica, seu Sacramentali ordinatione ad hæc tremenda munera deputantur.

Cyprian. cõt. Donat.

Puritas populi ex sacrificio Missæ.

Videmus autem quod quemadmodum hæc nostra Sacra illos excitant ad vitæ singularem pręstantiam, qui ex officio illis incumbunt, ita quoque populum vniuersum religione alijsque virtutibus plurimum addictum habent. Vnde frequentius loca mysterijs peragendis statuta adeunt laici: vbi ex dignitate sacrificij animis ipsorum concepta, cum summa sui dimissione supplici prece & ardenti charitate Numen inuocant ac colunt. Si enim olim ad templum Salomonis, in quo arca seruabatur, ac nebula Dei gloriam indicabat, vndique concursus fuerit institutus à populo, atque in eodem Deus nomen suum ac virtutem posuerit, dicens: *Et erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus*: Quanto magis propitius Deus aderit Ecclesijs nostris, in quibus non arca auro fulgens aut tenuis nebula visuntur, sed Christus Iesus pręsens est & immolatur? Proinde hic asylum habet populus, hic refugium, hic accessum ad Numen fauorabilem, hic cęlum. Quo etiam spectat tanti Sacrificij pompa, externus celebrandi ritus, ac tota series ceremoniarum. Augustum enim quid ac tremendum sui obiectu repręsentant, vnde excitentur fideles cum diuinorum incussa notione, tum eorundem summo amore ac reuerentia. In quam sententiam hæc Chrysost: *Nonne reuereris, & erubescis, & illa ipsa hora mendax inueneris? Pape, mensa mysterijs instructa est, & agnus Dei pro te immolatur, sa-*

2. Reg. cap. 8. & 9.

Chrysost. homil 5. in encæn.

cerdos

cerdos pro te angitur, ignis spiritualis ex sacra mensa refluit, Seraphin adstant sex alis faciem tegentia, omnes incorporeæ virtutes pro te cum sacerdote intercedunt, ignis spiritualis è cælo descendit, sanguis in cratere, in tuam purificationem ex immaculato latere haustus est: & non erubescis, reuereris, & confunderis, neque Deum tibi propitium facis? Videmus itaque apud nos synaxes frequentes, ac summa animorum propensione celebrari: auet enim vnusquisque fidelium sacrosanctum Dei agnum altaribus impositum adorare, eiusque immolationi interesse. Quid religiosius, quam quod olim in nostra Anglia Archiepiscopi Metropolitani Ioannis Pecham decreto, in hæc verba sancitum fuerit? *In eleuatione corporis Christi, ab vna parte ad minus pulsentur campanæ, vt populares, qui celebrationi missarum non valent quotidie interesse, vbicumque fuerint, siue in agris, siue in domibus flectant genua, indulgentias concessas à pluribus Episcopis habituri.* Heu patria mea dulcissima, quis pietatis ardorem hunc his postremis temporibus in te restinxit? Quis diuini cultus admirabilem fulgorem obscurauit? quis religionem omnem exterminauit? quis tuas Ecclesias præstantissimis in orbe terrarum pares, si non superiores in porcorum haras ac deserta demutauit? quis sacrificij loco in tuis sacrarijs, panaceum ludibrium reposuit? quis sacrorum omnium honorem & æstimationem, quis populi, & ostentorum procurationem tibi eripuit? tu sola vidua es, prole & marito spoliata, religionis cares gloria ac delicijs: enutrita in croceis, amplecteris stercora. Et cum alibi orthodoxi diuinissimis abundent panibus, tu fame peris, inedia ac squalore conficeris. In gratiam vero tanti sacrificij, omnis ferme externus cultus in Christi Ecclesia suscipitur. Magnificentissimo sumptu extruuntur templa, eriguntur altaria, omnia vndiquaque splendide ornata aspicientium animos deferunt ad cælestium cogitationes, quorum existunt simulacra. *Ipsa ara* (inquit Theodoretus) *diuina regijs tapetibus, donis aureis, ac gemmatis ornata conspicitur.* Similem splendorem Valentis Imperatoris Arriani oculos perstrinxisse, in illa Ecclesia, cui antistes præerat D. Basilius, narrat Greg. Naz. *In die Luminarium omnis populus in Ecclesia conuenit: ingressus est ipse: vbi ordinem Psalmodiæ, aras omni decore ac reuerentia cultas, populum denique diuino cultui assistentem vidit. Admiratus est: omnes enim vt angeli cum reuerentia ac honore circa Basilium astabant.* Modo sanctissimorum nostrorum Pontificum edicta aliquot proferam, quibus cultus Ecclesiastici fulgorem, idque mysterij ac sacrificij huius causa decreuerunt. *Vestimenta Ecclesiastica* (inquit Stephanus Papa) *quibus Domino ministratur, cultusque diuinus omni cum honorificentia & honestate à sacerdotibus reliquisque ministris celebratur, & sacrata esse debent & honesta: quibus*

Linw. l. 3. de celeb. Miss. cap. altissimus.

Thren. 1.

Lucæ 15.

Theod. lib. 1. hist. cap. 3.

D. Greg. Naz. in vita Basil.

Steph. ep. 3.

alijs in vsibus, cum Deo eiusque seruitio consecrata & dedicata sint, nemo debet frui, quam Ecclesiasticis, ac Deo dignis officijs: quæ nec ab alijs debent contingi, aut ferri nisi à sacratis hominibus: ne vltio, quæ Balthasarum percussit, super hæc transgredientes, & talia præsumentes, veniat. Similem in formam Sixtus Papa præscripsit: *In hac sancta sede Apostolica, à nobis & reliquis Episcopis, ceterisque Domini sacerdotibus statutum est: vt sacra vasa non ab alijs, quam à sacratis Dominoque dicatis contrectentur hominibus. Indignum enim valde est, vt sacra Domini vasa, quæcunque sunt, humanis vsibus seruiant, aut ab alijs, quam à Deo familiaribus, eique dicatis tractentur viris, ne pro talibus præsumptionibus iratus Dominus plagam imponat populo suo, & hi etiam, qui non peccauerunt, mala patiantur & pereant: quia perit iustus sæpissime pro impio.* Quantum scelus ergo sibi consciuerunt, qui funesta & exitiali clade supellectilem Ecclesiasticam sacrilege expilando deuastarunt? ad prophanos vsus, imo ad theatrica spectacula transtulerunt? Pergam adhuc Anglicanæ Ecclesiæ, quæ nullæ in hoc pietatis genere cessit, constitutionem referre. Ex præscripto VValteri Cantuariensis hęc edicuntur: *Linteamina, corporalia, pallæ, & alia indumenta altaris integra sint & mundissima, & sæpe abluantur per personas ad hoc in canone deputatas, ob reuerentiam & præsentiam Saluatoris nostri & totius cælestis curiæ, quam Sacramento altaris conficiendo & confecto non est dubium inter-esse.* Verum vt intelligant Sectarij, quorum vestigia terant, ac duces sequuntur, in sacrum Dei cultum plusquam barbarica impietate inuolantes; sciant se imprimis Iulianum Apostatam principem habere: nec quidem illis inuidemus. Hic, vti narrat historia Ecclesiastica, *Sacrum altare impudenter minxit.* Eiusdem sceleris mancipium, solo nomine Felicem, obtinent vti coripheum. *Felix vasorum ornamenta, quæ Constantinus & Constantius frequenter obtulerant, videns: ecce inquit in quibus vasis Mariæ filio ministratur.* At quid? impune tulerunt ne tantam in sacra atrocitatem? minime quidem: *Pro his impietatibus, vesanisque præsumptionibus, non post multum pœnas exacti sunt: nam repente Iulianus seuo morbo correptus, visceribus putrefactis interijt, & excrementa non per meatus egestionis emittebat, sed scelestum os, quod blasphemis inficiauerat, organum eius excrementi est factum. Porro Felix & ipse repente flagellum virtute diuina suscipiens, sanguine toto die simul & nocte ex ore effuso, & venis corporis vndique vacuatis, omnique virtute simul expensa, & ipse celeriter est extinctus, æternæque morti traditus.* Donatistas quoque retinent antesignanos & vexillarios, de quibus hæc narrat Optatus: *Quid enim est tam sacrilegum, quam altaria Dei, in quibus & vos aliquando obtulistis, frangere, radere, remouere, in quibus vota populi & membra Christi portata sunt?* Eorundem quoque mores olim expressit ille wandalus, de quo Victor. *Rapaci manu cuncta depopulabatur, atque de pallijs altaris,*

prob

Sixt. ep. 1.

Linwod. de celeb. Miss. cap. linteamina.

Hostes sacrorũ qui.

Hist. Trip. lib. 6. c. 23.

Ibidem.

Opt. lib. 6. cot. Parm.

Victor. l. 1.

proh nephas, camisias sibi & femoralia faciebat, qui tamen Proculus huius rei executor, frustatim sibi comedens linguam, in breui turpissima consumptus est morte. *de perseq. VVandal.* Imitantur quoque truculentos illos grassatores, quorum manibus, vti noster Beda memoriæ prodidit: *Passim sacerdotes inter altaria trucidabantur, Præsules cum populis sine vllo respectu honoris ferro pariter ac flammis absumebantur.* *Beda lib. 1. hist. cap. 13.* Atque reuera eiusdem farinæ fuere, quorum opera ita recenset Hieron: *Capti Episcopi, interfecti Presbyteri & diuersorum officia clericorum: subuersæ Ecclesiæ, ad altaria Christi stabulati sunt equi, martyrum effossæ reliquiæ, vbique luctus, vbique gemitus.* *Hieron ep. ad Heliod.* Caluinismi Anglicani speciem prisca illa tempora quorundam pessimo ingenio efformarũt. Ceterum fore execrabiles hos altarium euersores, & omnium odio dignissimos iudicauit Chrysostomus: *Si quis hanc destrueret domum, & hoc subfoderet altare, nonne quilibet lapidibus eum obrueret, tanquam prophanum & impium?* *Chrysost. homil. 53. ad pop.*

Deus autem, quem tanti mysterij effectorem admiramur, nihil vti mihi visum est potuit in nos conferre, quo aptius aut magis nostros animos ac studia sibi conciliaret, aut pręstantius largiri donum, quo amore erga ipsum nos ardentius inflammaret. Enimvero liquefiunt cęli, indeque dulcedo nectaris distillans influit in illud os, quod diuinam hanc hostiam excipit. Terra suas omnes gemmas effundit, exornat ditatque illud pectus, quod Christi in terris est sacrarium. Angeli sua spargunt lumina, & faculas, ac veluti stellis depingunt pectus illud, in quo corpus hoc cæleste Saluatoris reconditur: assistunt, & ad intuitum sacerdotis, ipsi licet columnæ, potestates, ac virtutes Dei, contremiscunt. *Sacra mysteria, amorem charitatis accẽdunt in hominũ cordibus.* Quis mihi dabit vti digni aliquid proferam, in laudem tanti beneficij? Vtinam vel extremo vitæ halitu saltem vnius sententiolæ eloquentiam huic Sacramento idoneam possem comparare: sane impenderem lubens id quod sum, cum pro me ita Christus se impenderit in pretium, dederit in holocaustum, tradiderit in cibum. Hic iudicium Sectarij appello, ac quęro ab ipso, num plane regium esset donum nec ne, si modo vti nos credimus verum sit, fideles pastu ac potu Christi corpus & sanguinem sumere? Potuit ne amplius quid donari, vel nos ad amorem Dei aliud acrius prouocare? Si fatearis in hoc mysterio effulgere Dei summam potentiam, eius immensam benignitatem patefieri, nos vicissim hinc ad puritatem animæ, Dei amorem excitari, cur negas potentiam? cur aufers beneficium? cur impedis integritatem? Singularem Dei munificentiam ac summum eius amorem nobis in hoc Eucharistię dono exhibitum, istis declarat Chrysostom: *Nec enim satis fuit homo fieri, colaphis cædi, verum seipsum nobis commiscet, non fide tantum, verum & ipsa re nos suum efficit corpus. Quis pastor,* (inquit) *Chrysost. homil. 50. ad pop.*

(inquit) *oues proprio pascit cruore? & quid dico pastor? matres multæ sunt, quæ post partus dolores filios tradunt nutricibus: hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat.* Cum enim amoris pręcipuus effectus nexus sit & colligatio amantium, quæ arctior copula cogitari poterit illa, qua nos Christus sibi deuincit, dum carnem & sanguinem suum infert in corpora nostra, & in vnum quasi corpus cum ipso coalescimus? Armeniæ & Hiberniæ reges (vt scribit

Cor. Tacit. l. 12. anal. Tacitus) fędus ineuntes hunc ritum obseruant: *Mos est quoties in societatem coeunt, implicare dexteras, pollicesque inter se vnire, nodoque perstringere, mox vbi sanguis in artus extremos se effuderit, leui ictu cruorem eliciunt, atque inuicem lambunt: ita fædus arcanum habetur, quasi mutuo cruore sacratum.* Admirabilis sane animorum inter fideles coniunctio oriri debet ex hausto

Chrysost. homil. 51. Iob 1. Christi sanguine. *Propterea* (inquit Chrysostom.) *semetipsum nobis immiscuit, & corpus suum in nos contemperauit: vt vnum quid efficiamur, tanquam corpus capiti copulatum: ardenter enim amantium hoc est.* Quo amoris genere flagrasse seruos Iob in ipsum narrat Scriptura, qui dixerunt: *Quis dabit ex carnibus eius impleri?* Pergit Chrysostomus: *Non tantum se præbens cupientibus videndum, sed & palpandũ, & comedendum, & carni dentes infigere, & complicari, & omne desiderium impleri. Voluit frater esse vester, carnem propter vos & sanguinem assumpsit, vicissim ipsam carnem & sanguinem, per quæ cognatus vester factus fuit, tradidit. Denique sicut homo seruos emens, aurum erogat, & rursum eos ornare volens id auro facit: sic & Christus nos sanguine redemit, & ornauit sanguine.* Condito terrarum orbe, plasmauit Deus hominem, qui quod vniuersi compendium esse deberet, in illo efformando diuina virtus plurimum laborasse ac contendisse secum visa est. Verum sicut homo

Psal. 118. Eucharistia compendiũ donorũ Dei. vniuersi, sic eucharistia donorum summam continet. Atque in illa (ex sententia Psalmistę) memoriam fecit Deus mirabilium suorum. Proinde in huius illustri dignitate maxime se conspicuum prodidit diuinus in nos amor, & munificentia eius pręcipue eluxit. Ferunt

Dio. lib. 40 Rom hist. Cleopatram vel vnica gemma in liquorem soluta, varij generis epulas ab Antonio in conuiuio exhibitas, cęnæ magnificentia superasse: ita Deus postquam fusissimo sumptu diuersa munera in homines collocasset, hac vna Eucharistię gemma liberaliter impensa, priorem munificentiam ad summam quandam redegit, & eius valorem multum superauit. Augustæ imprimis Trinitatis mysterium nobis Eucharistia elucidat. Inde enim patrem habemus datorem, filium, qui datur, & sanctum Spiritum mysterij effectorem. Creationis symbolũ exprimit Eucharistia: dum mirabili quadã Dei actione corpus ac sanguis Christi sub speciebus panis ac vini esse incipiunt. Paradisi forma collucet

in Euchariſtia: vbi fons aquæ, vbi ſcientiæ arbor, ac vitæ lignũ, vbi fructus perennes conſpiciuntur. Sacrificij antiquioris cultum, & innocentis Abelis interfectionem nobis in memoriam reuocat Euchariſtia. Legem pariter dat Euchariſtia, ſed amoris. *Legis enim plenitudo dilectio.* In hoc vitæ humanę deſerto Euchariſtia nos manna & puriſſima aqua ex rupe emanante reficit & ſuſtentat. Hinc Prudentius: *Ioan. 2.* *Prudent. in pſich.*

Excidit ergo animis eremi ſitis. excidit ille
Fons patribus de rupe, quem myſtica virga
Elicuit, ſciſci ſalientem è vertice ſaxi?
Angelicus ne cibus, prima in tentoria noſtris
Fluxit animis, quem nunc ſexto vtilior æuo
Veſpertinus edit populus de corpore Chriſti?

Quinimo hic Chriſtus etiam naſcitur infantulus. *Nam* (vt inquit Chryſoſtom.) *ſi cum fide acceſſerimus, procul dubio videbimus eum in præſepi iacentem: ſiquidem hæc menſa vicem explet præſepij.* Quotidiana refectio ex Euchariſtia, Chriſti Domini conciones aſſiduas & frequentes peregrinationes adumbrat, quibus veluti pane mortalium animos nutriebat, & ex quibus ſuum quoque panem conſtare affirmabat ac cibum. *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem Patris mei.* Chriſtum in cruce immolatũ nobis refert Euchariſtia. Et in ſacrario recluſa, ſpeciem quandam oſtendit Chriſti aſcenſione petentis cęlos: quo preces, animi vota ac ſuſpiria in Eccleſia orantes dirigimus. Et iucundiſſimo viſione donati externarum formarum, quodammodo aliquid delibamus illius viſionis feleciſſimæ, quando eius gloriæ viſu erimus beati. Memoriam itaque Deus fecit mirabilium ſuorum, eſcam dans timentibus eum. *Chryſoſt. homil. de ſacto Pom. phil.* *Ioan. 4.* *1. Reg. 7.*

Hæc porro myſteriorum fides ſingularem quandam parit in nobis animæ puritatem, ad excipiendam tantam hoſtiam in receſſus pectoris. Arca olim (vt narrat Scriptura) cum reponenda eſſet in certo loco, delectus factus fuit quarundam ędium, in quibus vir innocentiſſimus & religioſiſſimus habitabat. Atque vt ſcribit Titus Liuius Romam deportaturi Ideam Deam, ab oraculo quodam ſe dixere admonitos, *Curarent vt eam, qui vir optimus Romæ eſſet, hoſpitio acciperet.* Multo autem diſtrictior cura integritatis illi incumbit, qui Angelorum regem, mundique reparatorem ad ſe diuertentem cupit ſuſcipere: ipſiſque thalamis quantumus regio cultu fulgentibus, ſua anima virtutis ſplendore antiſtare oportebit. *Puritas fidelium ex Sacramẽto Euchariſt.æ* *Liu lib. 29*

Saluberrimum idcirco eſt Apoſtoli conſilium: *Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indigne, iudiciũ* *1. Cor. 10.*

Esaiæ 1. *sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Caro illa virginea in escam porrigitur, melleum illud, ex floribus in paradiso vteri castissimæ Mariæ delibatum, ori apponitur: quis non reueretur? Ignitus ille calculus, quem de altari forcipe angelus tulit, labijs appropinquat: quis non timebit? Quid plura, Deus ipse in artus tuos se placide insinuat, & pectori tuo illabitur: exhorresce plane ad cogitationem tremendi mysterij. Vt enim inquit Origen: *Quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Dei: tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur: & tu ergo humilians teipsum imitare hunc Centurionem, & dicito, Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum. Vbi enim ingreditur indigne, iudicium ingreditur accipienti.* Mundandus idcirco animus ab omni sordium inquinamento: imo corpus ipsum castigandum, ne subiectum noxijs cupiditatibus menti imperet, præbeatque arma turpitudini. Formam quandam mysteriorum particeps in se debet suscipere ipsius Christi, quod nutritio (vt physici animaduertunt) ex similibus constet. *Quo igitur* (inquit D. Chrysost.) *non oportet esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc diuidentem? os, quod sane igne spirituali repletur, lingua quæ tremendo nimis sanguine rubescit?* Itaque ait Christus, *Cum discipulis meis facio pasca*, cum illis nimirũ, qui iustitia imbuti, sordes eiecerunt vitiorum, qui pedes lauerunt, qui nuptiali veste charitatis induti mensę ipsius assident. Ex fide itaque magnitudinis in hoc mysterio sacrosanctę Eucharistiæ, optime instituuntur orthodoxi ad vitæ innocentiam, ad Dei amorem, eiusque potestatem agnoscendam. Quæ præcesserunt in antiquo testamento horum symbola, magnifica sane fuere ac splendida: fluxus aquæ ex petra, descensus mannæ, agnus paschalis: ceterum comparta cum nostris leuia videbuntur, vmbratica & tenui opera perfecta. Complectuntur in se nostra mysteria apicem & culmen plane Euangelij.

Orig. homil. 5. in diuers.

Chrysost. homil. 50. ad pop. Ioan. vlt.

Sectarij, qui Sacramentorum numerum diminuunt, eorumq; saluberrimam vim extinguunt, cum Christo Domino singularem irrogent iniuriam, tum etiam fidelium cœtui, quantum ad vitæ integritatem ac candorem, non parum obsunt, aut modice infesti existunt.

CAPVT

CAPVT XXXII.



PRæstantissima illa humanæ vitæ præsidia, quæ septem Ecclesiæ Sacramenta à Christo Domino instituta esse credunt orthodoxi: quorum vi, per omnes status atq; ordines munimur à vitijs prauisque cupiditatibus, nobis Sectarij cum extremo dispendio, nepharia secta eripere studuerunt acerrime. Atque ex septem, duo tantũ definientibus, illorum vesania ægre tulisse huc vsque visa est, tot nobis ad animarum salutem diuinitus impertita subsidia adesse. Sed neque hic substitit eorũ furor, vel hac paucitate limitata est ipsorum impietas: quinimo illa ipsa duo quæ approbant Sacramenta, egena plane reddunt elementa, atque signa quędam frustra exterius proposita, ac nullo plane necessario vel vtili inseruientia vsui. Veteribus symbolis nostra sacra æquiparant, nihilo plus Euangelio quam legi, Christo quam Moysi concedentes: & in ipso limine ita versantur Iudaismi, Christianę professionis teterrimi desertores. Insuper & Pelagio fauent, quandoquidem diuinæ gratiæ plenitudini aduersentur. Dum enim Ecclesiæ Sacramenta expugnant, an non quoque gratiam Christi ad animas fidelium deductam negant? quemadmodum idem est fluentes latices aquarum alio diuertere, ac tubos in quibus decurrunt pręscindere. Baptismum habent & Cęnam: quę si in vnum coirent, tam longe abesset à vera vnius Sacramenti ratione, quam panis & aqua à lauto conuiuio.

Sectarij omnia auferunt Sacramenta.

Videamus modo si placet quam magnifice sentiant de suis Sacramentis; quibusnam verbis illorum vim illustrent? Adstruunt itaque hæc quædam esse sigilla scripturis, veluti regio diplomati appensa, ad confirmandam hominum fidem circa Dei promissa. Ceterum huiusmodi commento, aut sponte concedunt in duos errores olim profligatos ab Ecclesia, vel improuide inconsultoque in eosdem impingunt. At errores nequaquam isti timent: cum araneis aut illo Mithridate ipsis venenis vitam & doctrinam sustentant: atque ex erroribus sunt deintegro consuti. Imprimis Pelagio consentiunt. Si enim (vti ipsi asserunt) Baptismus virtutem non habeat ex opere operato conferendi gratiam, consectarium est, maculam originalis delicti Baptismi lauacro non abstergi, neque inde posse deleri, sed aliunde remedium eius exquirendum, vel denique nullum tale esse crimen in vnoquoque contractum, quod eluatur aqua Sacramentali. Hoc vero opinatus est Pelagius: idem sentiunt Lutherus & Caluinus; Pelagiani idcirco

Hæretici incidunt in duas hæreses, olim damnatas ab Ecclesiæ in re Sacramentali.

idcirco & pari nota hęretici. Orthodoxi vero ſemper ex Scripturis intellexerunt neceſſarium Baptiſmum ad expurgendam labem originalis piaculi. *Niſi quis renatus fuerit* (inquit Euangeliſta) *ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum cælorum.* Quæ ſententia adeo ſemper defixa fuit in cogitationibus Chriſtianorum: vti ad Pelagij voces hanc vim Baptiſmo denegantes, plane exhorruerint. *Quis Chriſtianorum* (inquit Auguſtinus) *ferat, cum dicitur ad æternam ſalutem poſſe quempiam peruenire, ſi non renaſcatur in Chriſto: quod per baptiſmum fieri voluit, eo iam tempore, quo tale Sacramentum conſtituendum fuit regenerandis in ſpem ſalutis æternæ?* Alius error eſt Anabaptiſtarum: quo nempe conſtanter pernegant ex opinione Caluini ſuſcepta de efficacia Sacramentorum, ante adultam ętatem quempiam Baptiſmo tingendum. Ita Petrus de Bruis Anabaptiſta. Nam (vti legitime ipſe raciocinatur) quis, cui aliquid mentis ſupereſt, regium diploma cæco legendum porrigeret? Inepte idcirco Baptiſmus datur infantibus, cuius intelligentiã nullã ipſi habent, neque ex illo ſigno roborantur in fide circa promiſſa. Imo ſacrilege faciunt, qui regio diplomate ita abutuntur, infanti illud proponentes, qui inde nihil emolumenti habere poteſt. An non pręclari hi Theologi ex ſchola Caluini, qui infantes nihilominus tingunt? an non ſuſpiciendi? Reuera autem horum operam Satan adhibet vti infantilem ætatem Baptiſmi pręſidio ſpoliaret. Nullam itaque habent rationem vſurpandi Baptiſmum: infantem quippe fides parentum beauit: quid aquæ ritus confert? an non potius vanus & ſuperſtitioſus?

Modo quemnam cenæ apparatum faciunt deſpiciamus. Hanc quoque diuinorum ſigillum appellitant ad fidei confirmationem comprimis idoneum: non quod ſigillum hoc quidpiam gratiæ aut corroborationis efficiat: fidei etenim incrementum ſpiritui ſancto ex integro adſcribendum ducunt: illud ſolum externo ſimbolo deferentes, quod per modum obiecti hominũ ſenſus excitet ad cogitationem promiſſionũ diuinarũ, quas Sacræ literæ diuinitus factas atteſtantur. Vnde fatentur ipſi Sacramenta differre nihil à quouis alterius generis externo ſigno homini in memoriam Dei beneficia reuocante: niſi quod annexam habent promiſſionem doni gratuiti: eius nimirũ, quo fides circa acceptam iuſtitiam confirmatur. Veruntamen inepte admodum hanc ſuam Euchariſtiam faciunt Scripturarum ſigillum. Nam ab illis quęro, vndenam ſtatuunt rationem ſigilli ſuæ ipſorum cænæ quadrare? Si dicant ſe inductos authoritate Scripturarum ita ſentire: potius ergo Scripturæ teſtimonium adferunt ſigillo, quam hoc ſcripturis: quod abſque dubio inſulſum prorſus cuilibet apparebit. Si

enim

Ioan. 3.

Auguſt l. 1 de peccat. mer. cap. 1.

Hæretici Euchariſtiã deſtruunt. Beza lib. de re. Sacram.

Sacramẽta hæreticorũ nec quidẽ ſigilla ſunt

enim non nisi ex ipso diplomate & libello constet appensum à rege signum verum esse,& non adulterinum,nulla iusta de causa literis ipsis affigitur: quandoquidem ad fidem satis conducat earum forma & character. Imperator itaque Augustus,qui vt narrat Suetonius,in signandis diplomatibus sphinge vsus est,& imagine Alexandri Magni, huiusmodi notas sibi proprias constituit (quod & omnes alij obseruant) ex quarum obiectu intelligerent inspectores,libellos ita consignatos ipsius esse,atque ex suo imperio datos. Aliunde idcirco quam ex ipso scripto constare debet sigilli veracitas,si modo illi quidpiam conferat authoritatis. Ex quibus luculentum euadit,dignitatem Eucharistiæ Sectarios non solum diminuisse,verum etiam vim omnem atque rationem sacramenti ademisse. Principio negant externis simbolis panis ac vini Christi corpus ac sanguinem contineri. Deinde sigilli cuiusdam excogitatam ab ipsis formam,quam eidem attribuere videri cupiunt, nec concedunt quidem. Quomodo obsecro cęna illa sigillum esse poterit scripturarum ad sustentandam hominum fidem: si modo Scripturis eius momentum omnino innitatur? Imo singularem iniuriam inuentione sigillorum ipsis Scripturis intulerunt. An non Scripturæ satis efficaces cum ad ingenerandam in animis hominum fidem,tum ad eandem nutriendam ac confirmandam? Quorsum ab externo simbolo panis subsidij aliquid vel opis expetunt? maxime cum ex Scripturis omnem panis energiam ac vsum percipiant? inutilis itaque superflua & superstitiosa cęnæ manducatio. Mihi inseruiunt ipsorum placita ad conficiendam hanc panis ostentationem. Pronunciant ipsi in Scripturis explicari Dei promissiones,quibus dicitur illum iustum esse & prędestinatum,qui ita sua fide secum statuerit: cuius fidei organum vocitant Dei verbum: quamobrem verbo tantum inhęrendum. Quod si in quopiam fides nutare incipiat & vacillare ,is assiduus esse debet in lectione verbi promissa referentis. Quæ si minime sufficiat ad fidei vigorem & vitam,nullus receptum habebit legitimum ad Eucharistiam: eo quod non nisi ex scripturis didicerint omnes illam sigilli rationem obtinere: proinde scripturis diffidens,vel illis omnino non satis confirmatus,frigide admodum & ieiune ad panis simbolum accedet: veluti si quis ad faciendam fidem rei alicui à notiori ad ignotius descenderet,is inepte prorsus differere videretur. Habent itaque Sectarij Eucharistiam,quæ nec Sacramentum est nec sigillum.

Sueton. in August.

Porro omnino volunt vnumquemq; firma fide credere debere se iustum esse, prędestinatum,nec posse quouis modo ab accepta iustitia deficere.

Inutilis Eucharistia hæreticorum.

deficere. Iam Eucharistiæ commoditatem ex hac ipsorum sententia exquiro? Non quidem requiretur vti homines credant promissis Dei, nam nisi prius crediderint, inutilis prorsus cęnæ manducatio: quæ ritus est fidelium, non infidelium. Quod si hæc fides in quopiam languescere inceperit, nisi firmiter secum statuat se non posse fidem amittere vnquam in vitæ decursu, iam in crimen infidelitatis impegit, ac se reprobum esse ostendit. Siue itaque credat ex diuina fide Dei promissis, siue de illis ambigat, otiosa & ludicra cęnę euadet manducatio. Nam qui fide viget, is probe intelligit se nequaquam panis ac vini adminiculo indigere ad seruandam fidem: quam ex vi diuinæ prędestinationis firmatam credit. Sin vero ab hac persuasione deciderit, quēadmodum plane inutile emortuum arboris truncum aquis irrigare, ita ridiculum infidelis istius animo, & veluti eius ori, qui animam exhalarit, panem ac vinum aut ceruisiam apponere.

Equidem miror quęnam dentata rabies, quis immanis errandi libido Rainoldo Caluinistæ mentem excusserit: si tamen vnquam adeo leui & superbo puritanulo mentem aliquam natura impresserit: cum videam ipsum, nobis obiecta D. Augustini authoritate, inde velle Eucharistiæ dignitatem, rite ab orthodoxis ęstimatam, diminuere: quasi simbolice tantum nobis Christi corpus ac sanguinem exhiberet, non vere solideque. *Pontificij vero* (inquit) *latriæ cultum exhibent Sacramento Eucharistiæ: quod S. Augustinus appellat panem Domini, rectissimeque à pane Domino distinguit.* O prodigium proiectissimę impudentiæ! Augustinus ne Eucharistiam vocat panem Domini, eumque à pane Domino separatum, discriminatum? Audiamus quęso expressas conceptasq; eius voces. *Illi* (nempe reliqui Apostoli) *manducabant panem Dominum: ille* (nimirum Iudas) *panem Domini, contra Dominum.* Apostoli illi vndecim an non manducarunt Eucharistiam? inficias non ibis: eam vero dicit Augustinus fuisse panem Dominum: ergo non ille rectissime, sed tu mendacissime secernis Sacramentum Eucharistiæ à pane Domino. Vbi oculi istius bestiolæ ac talpæ? vbi trunci intelligentia, vbi fides sectarij? Rectissime ais Augustinum distinguere Eucharistiam, panem Domini, à pane Domino. Mentiris Ioannes, haud distinguit. Sane qui te à constuprato impostore distinxerit; si id mente pręstiterit, vehementer errabit: si chalibe, non citius te, quam atomum exenterabit. Quinimo vti intelligas te tuo mendacio & impostura non à veritate solum orthodoxa aberrasse, verum insuper à placitis Caluinianis: scire debes ex horum sententia Iudam nequaquam sumpsisse Eucharistiam & panem Sacramentalem. Nullo siquidem modo

Rainol lib. de Idol. in Ep. ded.

modo admittunt Eucharistiam confici vi verborum consecratoria: quod nos contendimus, sed fide ac manducatione suscipientium. Quippe asserunt simbolum vel sigillum esse diuinarum promissionum, annexam habens pollicitationem gratię, nempe fidei iustificantis. Vt ergo panis fit Sacramentum veraque Eucharistia, prius necessaria fides, qua quis credat se iustum esse Christi iustitia: alioquin qui ficte & ioco buccellam suam comederet, is Sacramento frueretur, quod non admittent: talis enim manducatio adiunctam non habet promissionem gratiæ. Ceterum Iudas hac fide iustificatoria mysteriorum particeps effectus omnino destituebatur: nam antequam è Christi manibus sumeret Eucharistiam, animo designarat sacrilegio suo Domini proditionem facere: neque eius comestio extitit à Christo instituta, quasi haberet promissionem gratiæ: idcirco nisi simul Rainolde constituere velis Iudam omnino iustum, iuxta ac horrendum peccatorem, eius panis nequaquam erat Eucharistia: proinde neque panis Domini eucharisticus rectissime ab Augustino distinctus à pane Domino, vti tu fabularis, & prodigioso iudicio tanti doctoris sententiam corrupisti. Quam vero fidem Augustinus de veritate Eucharistiæ conceperit, istis ipsemet prodit: *Mediatorē Dei & hominum, hominem Christum Iesum, carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem, fideli corde & ore suscipimus.* Ne phanatismum tuum Caluinisticum, quo fide Christus percipitur, Eucharistiæ dignitati obtendas, asserit Augustinus non solum fide, verum ore nos eius carnem & sanguinem suscipere. Porro quod nobis ritu Catholico Eucharistiam percolentibus, infandum idolatriæ crimen abscribis; an non insanis, & furore in nos debaccharis? Enimuero si nostri cultus ac latriæ obiectum, tibi velis vt edisseram, Christum assero Deum ac hominem: hunc nos in mysticis adoramus, haud panem, aut vinum, vel eorum formas aspectabiles. An idolatria Christum ita venerari? quæ schola te sic instituit, quod scriptum talem suspicionem in animum tuum coniecit? Indubitate ignoras Rainolde, naturam ac definitionē Idololatriæ. Si daremus tibi Christum Eucharistiæ speciebus minime contineri; non tamen exinde cultus noster in idolomaniam incideret. Etenim venerabundi corde & animo erga Christum Dominum Dei filium excitamur afficimurque: neque tu iniuriam aliquam principi inferres, si modo opinione deceptus, eum in loco vbi non est adorares, & tuæ Ecclesiæ caput obseruanter agnosceres. Multo vero minus in crimen Idololatriæ impingimus, dum veraci fide Christum Dei filium, Eucharistiæ Sacrosanctæ speciebus pręsentem ęstimantes,

August. tract. 59. in Ioan.

Deum ac nostri generis reparatorē inibi supremo cultus genere veneramur. Quid? an, Christus non in quē mysterijs operantes intendimus, excellentiam habet eamque supremam, imo ipsissimam, quæ diuinitatis? an non proinde summo iure eidem latriæ cultum impertimur? Et quemadmodum Christo Domino excellentiam supremam concedimus, ita in eius sanctis aliam quandam excellentiam attribuimus, ob quam eos dignos honore religioso iudicamus. De qua re edisserens iste Rainoldus, ne videretur cum Caluino omnem venerationem Sanctis detrahere, eis concedendam arbitratur ciuilem. O caput ridiculum, enimuero honor ciuilis partes ciuitatis aut humanæ societatis respicit iuxta aliam atque aliam excellentiam respectu habito ad bonum ciuile. Ceterum quæ obsecro nobis cum sanctis commercium ciuile? an non Raynoldus in Christum impius, iuxta & in Diuos iniurius, qui nihil obstante Christi effuso cruore, & sanctorum studijs illis solum decernit excellentiam ciuilem? Intellige Ioannes, Diuorum in cęlo florentiū excellentia est imprimis iustorū, deinde fruentium beatitudine ex aspectu Dei, demū collocatorum in statu felicitatis, è quo excidere non possunt: quæ omnia constituunt excellentiam sacrā, excellentiam supernaturalem: qua quidem cum nobis ipsi sint superiores, augustiorē à nobis cultū requirunt quā ciuilem: nam ciuilis honor non bonis tantū verū & discolis debetur, quod docet Apostolus.

Rainol. lib. Idol. 1. c. 8. parag. 8.

1. Pet. 2.

Iam si dignitatem mysterij explorare velimus, aperte videbimus nihil augusti aut Euangelio digni hereticorum sacra obtinere. Cogitatione nostra repetentes typos illos & figuras, quæ Eucharistiam antiquitus adumbrarunt, colligemus exinde eam magnam esse Dei gratiam, & donum prorsus diuinum: eo quod expressa veritas vmbrę debeat antistare, & multis gradibus pręcellere. Huiusmodi fuere agnus paschalis & manna: ex quorum pręstantia ac ritu orthodoxi Patres optime intulere sacra nostra esse omnino magnifica, & supra humanam intelligentiam splendida: veluti D. Chrysostom. ita disserens: *Necesse est sacerdotem sic esse purum, vt si in ipsis cælis collocatus inter cælestes illas virtutes medius staret. Terribilia namque atque horribilia fuisse ferunt, quæ gratiæ tempus præcesserunt. Quod genus fuerunt tintinabula, mala punica, lapides pectoris sacerdotis, itemque alij humeris eiusdem superpositi intra scrophum, vestis ad pedes vsque dimissa, lamina aurea, sancta sanctorum, intus ingens quies atque silentium. At vero si quis ea quæ gratiæ tempus nobis aduexit examinet, terribilia atque horribilia quæ dixi iudicabit admodum esse leuia: ac quod de lege à Paulo dictum est, hic demum verum esse comperiet: quandoquidem ne glorificatum quidem fuit, quod glorificatum est in hac parte, propter eminentem gloriam.*

Nulla dignitas cænæ apud hæreticos.

Chrysost. 6 lib. de sacerdotio.

riam. Nam dum conspicis Dominum immolatum, sacerdotem sacrificio incumbentem, ac preces fundentem: tum vero turbam circunfusam pretioso sanguine intingi ac rubefieri, etiam ne te inter mortales versari, atque in terra consistere censes: an non potius e uestigio in cælos transfereris, ac non carnis cogitationem omnem abijciens, nudo animo, mente pura circumspicis quæ in cælo sunt? ô miraculum, ô Dei benignitatem! Qui cum patre sursum sedet, in illo temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit volentibus ipsum excipere ac complecti. An non sacra nostra aureus iste Græcus antistes describit? Quid commune hæc habent cum cæna Caluinistica? quid tantus splendor religionis cum populari mensa, cum egenis elementis panis ac vini, cum ministri pileo, promissa barba & palliolo? Quid altari cum illa popina? quid Christi sacerdoti cum Satanę mysta? quid Angelorum delicijs cum pane fornacis? Angelorum chori (vti narrat Chrysostomus reuerenter assistunt mysterijs nostris. *Per id tempus* (inquit) *& angeli sacerdoti aßident, & cælestium potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, angelorum choris plenus est. Id quod credere abunde licet, vel ex tanto illo sacrificio, quod tunc peragitur. Ego vero & commemorantem olim quendam audiui, cum diceret senem quendam, virum admirabilem, ac cui reuelationum mysteria multa diuinitus fuissent detecta, sibi narrasse se tali olim visione dignum habitum à Deo esse, ac per illud quidem tempus repente angelorum multitudinem conspexisse: quatenus humanus aspectus ferre poterat, fulgentibus vestibus indutorum altare ipsum circundantium: denique sic capite inclinatorum, vt si quis milites præsente rege stantes videret: id quod facile mihi persuadeo.* Nihil horum quadrat in sigillaria hęreticorum Sacramenta: sane nec cum veteribus sacris vllo modo conferenda. Infinitis certe gradibus nemo ambiget mannam, quæ typum Eucharistiæ prętulit, simbolis panis ac vini excellere. Hinc mysterij maiestate penitus destituti, religione prorsus carent omni ac ritu diuini cultus. Non Ecclesias deligunt, in quibus sinaxes agant, ne Ecclesiæ traditioni plus nimio videantur deferre: illis satis oportunus quiuis vulgaris locus agri aut ciuitatis. Nullam habent ceremoniam, qua mysteria sua excolant: neque vnquam in orbe terrarum adhuc visum fuit descriptum rituale, (nisi à paucis diebus) ex cuius lege fideles in aliqua orbis plaga sententia Caluini definitam Eucharistiam celebrarunt. An non ergo sectarij suis imposturis & excogitatis vim omnem ad virtutem ac vitæ castimoniam eneruarunt? An non Christi Sacramenta saluti nostræ pulchre ac plene inseruientia eiecerunt? An non religionem omnem penitus expugnarunt? Sane ex istorum placitis nihil egregij Christi Sa-

cramentis ac Euangelij mysterijs deferendum, quo à veteri lege ac eiusdem appendicibus, quantum ad dignitatis pręstantiam, secernatur. Enimuero vetera illa symbola expressæ fuere imagines diuinarum promissionum, annexamque habuere diuinæ gratiæ pollicitationem: nihilo autem plus concedunt nostris Sacramentis: proinde excogitatis suis Synagogam Ecclesiæ, Iudęos Christianis, Duce Iosue intrantes Palestinam, redimente Iesu postliminio regressos in Paradisum ęquales ac similes exhibuere. Imo si vt dixi velimus contendere cęlitus dilapsum manna, miraculosum aquæ ex petra effluxum, cum cęnula Geneuensi, cum illa panis memoratoria buccella, infinitis gradibus videremus ea monumenta veteris instrumenti pręstare & excellere. Quoiam abiere fucis & extremæ hypocrisis adscititijs coloribus emissæ ipsorum sententiæ, quibus hactenus inclamarunt se Christo omnia deferre, se à partibus Euangelij stare, se redemptionis beneficium amplificare: nos vero orthodoxos Christi meritum extenuasse, splendores Euangelij obscurasse, reparationis donatiuum eleuasse, exscidisse. Sane hanc speciem honesti ac diuini inuentis ipsorum prętendere deberent, sub cuius inuolucro latentius multorum saluti insidiarentur: Nullam quippe fidem eorum dicta conciliassent, nisi se egregios Christiani regni amplificatores nominassent, nisi de sanguine agni spissum crebrumque sermonem intulissent: re autem ipsa in hoc intendebant, vti omnem Euangelij gloriam obruerent, vti diuina munera, nobis effuso Christi cruore donata, repellerent, tandem omnem in Christum fiduciam, omnem in Deum amorem ac pietatem eliminarent. Quod cum in multis ostentarunt, tum vel maxime in dogmate de Sacrosanctæ Eucharistiæ veritate. Quid enim boni sperarent homines ex illa manducatione Caluinistica? si incrementum iustitiæ, haberet sui iustas causas: si fidei accessum ac maiorem firmitudinem, nec inutilis prorsus ceremonia. Verum si ad nihil horum, quod superius ostendi, quicquam opis conferat, an non inanis ritus, an non Euangelio inepta indignaque? Solemne apud eos effatum ęqualem in omnibus ex imputatione forinseca reperiri iustitiam: nihil proinde ad huius augmentum compendij adducet. Quod vero ad fidem spectat circa diuinas promissiones, qui rite accedit ad Eucharistiam, ex ipsorum sententia tam certus esse debet de sua accepta iustitia, ac quod Deus ipse existat, adeo vti hoc iurato affirmare audeat: ac plane sciat se non posse à fide animo concepta vnquam excidere, quam intelligit dependere à pręsdestinatione Dei in firmitudine

dine sua ac perenni-constantia, non ab vlla virtute Eucharistiæ. Quorsum igitur elementa adiret panis ac vini, sine cuius vsu stat salus, manet fides, nec possunt aliquando intercidere? Nos vero in hoc mysterio minime sequuti iudicia sensuum: etenim scimus horum enunciata ac notiones istius veritati ac abstursæ magnitudini aduersari, in istis minime edocendi ab hęreticis; commentaria quippe nostrorũ Scolasticorũ satis indicant, quam exacte vel ad phylosophiæ normam huius tanti doni naturam expendimus. Volumus autem, idque omnino facere nobis stat sententia, ratiunculas humanas fidei dimittere, eius assertis coërcere: nolumus cum Iudæis ac hęreticis esse in diuinis durę ceruicis: cruce Christi omnẽ mentis superbiam expugnauimus: in Ecclesia paruuli esse cupimus, quorum est regnum cęlorum. Hoc Christi in nos imperium, hoc nostrum in nobisipsis firmamentum. Sectarij si velint, lubrice & ambigue fluctuent in eo salo, in quo spiritus seu procella spirat peruicacis arrogantię: nos vero diuino chirographo confisi animis, eius verbo subacti, è supernis flatum altissimi ac diuinissimi Spiritus expectamus, qui nos in cursu fidelis istius obedientiæ firmos inuehat in portum beatitudinis. Effectu sane pulcrum nobis videtur, simul ac summam Christi & Euangelij ęstimamus gratiam, re ipsa ac solide nobis in cibum potumque donari Christi corpus ac sanguinem: quorum largitione prędicamus diuinam clementiam in nos plane effusam affectu paterno imo longe acriori teneriorique. Hanc Dei nostri bonitatem animis demirati, in ipsum amore etiam inardescimus, pręclare pensantes tantam eius beneficentiam, auidissimeque appetentes tanti conuiuij opiparam dulcedinem. Proinde nos cura vrget districtissima, ne scelere corpus temeratum, ne animum crimine violatum, mysterijs adhibeamus, in quæ ingerantur: sed nos ita accurate seruamus, ac si iam essemus Deo excipiendo consecrata tabernacula, ac ipsius Sacraria. Scio profundam hanc Reparatoris nostri humilitatem, quam inferius defixit ac depressit eius immensa in nos charitas, refractariorũ hęreticorum scommatibus obiacere & blasphemijs. Scelerati, cum pro tanto accepto munere gratias quas possent maximas deberent benefactori Christo rependere, eius redundantem largitionem habent contemptui ac ludibrio. Quid? an non simili ingenio olim Gentiles Christum iocis asperserunt, ac risu prosequuti, quod illum affirmauimus claustro virgineo conceptum, enixum, demum morte obita nostra crimina expiasse? Quem nunc appellitarunt per deridiculum Deum paruum, nunc impotentem,

potentem, nunc esurientem, nunc precario victum queritantem, nunc lachrymantem, nunc fabri filium. Dicteria hæreticorum in Deum euibrata nos nihil mouent, scimus quonam spiritu agitantur, quorumque vestigijs recta insistunt. Ceterum orthodoxorum dogmata (vti clarissime ostensum est) virtutis integritatem ac morum candorem in singulis adstruunt, Dei potentiam deprædicant, eius in nos beneficia collata amplificant, religionem deniq; stabiliunt, ac erga Numen amorem in nobis mirifice accendunt. Hęc idcirco veracia sunt & diuina. Commenta hęreticorum falsa, vana, & impura æstimanda, ablegan-da, quod & plenius in sequenti libro institutiones nostræ comprobabunt.

Secundi Libri finis.

